BULLARIUM

ROMANUM

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA
COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS
A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

TOMUS VIII



A GREGORIO XIII (an. MDLXXII) ad SIXTUM V (an. MDLXXXVIII)

AUGUSTAE TAURINORUM
SEB. FRANCO ET HENRICO DALMAZZO EDITORIBUS
M DCCC LXIII

LECTORI BENEVOLO SALUTEM

Quid caussae fuerit cur huic volumini in vulgus edendo duos ferme annos immorati simus, dicere haud vacat, ne recantemus ea, quibus iam alias lectorum aures defatigavimus. Non equidem nobis quidquam est miserius quam impedimentis ambagibusque detineri, nec quidquam optatius quam laboriosis atque festinatis studiis properare. At haud voti sententia compotes effecti sumus, incidimusque in Scyllam cupientes vitare Charybdim. Licet sero, verum aliquando tamen Magni Romani Bullarii octavum volumen excipe, Lector optime, ut soles, comiter honesteque. Illud Mainardianae editionis tertiam et quartam tomi IV partem complectitur; quarum prima Pontificis Optimi Maximi Gregorii XIII acta ab initio pontificatus ad annum usque MDLXXXI capit; altera vero eiusdem Summi Antistitis ad regiminis sui extremum reliqua monimenta refert, unaque simul immortalis Sixti papae V priores tres dominationis annos. De quorum magnitudine, gravitate, prae-

stantia, deque in Iesu Christi catholicam et apostolicam Ecclesiam utilitate si quis fortasse anceps dubiusque haereret, is non modo rubricarum syllabum, verum etiam rerum indicem (quem accuratissime, quantum quantum licuit, non absque diuturno labore, concinnavimus) momento temporis percurrat delibetque; videbit profecto quam verissime a divo Hieronymo scriptum: «Ex quo intelligimus Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari: et hoc fiet quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus eius, id est, Ecclesiae, se facturum esse pollicitus est; cuius promissio lex naturae est» *(Comment. in Amos, lib. III, cap. IX, ed. Vallars.,* tom. VI, pag. 358).

Utere labore nostro, Lector benevole, nosque habeto in Domino commendatos.

Augustae Taurinorum, kalendis decem. M DCCC LXIII.

Editores Taurinenses
SEB. FRANCO ET HENRICUS DALMAZZO

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN TOMO VIII

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

(Vide *Adv.* praepositam indiculo tomi x).

Adv. *reliquas Sixti V Constitutiones extra ordinem vagantes require in indiculo qui praemittitur tomo* IX.

1 At forsan legendum 1580, et tunc in loco suo bulla reperiretur.

2 At tum ista tum seqq. duae bullae, quae in edit. Main. sunt signatae an. 1580, videntur potius datae an. 1581, quo in casu in suo ordine reperirentur.

3 At puto legendum 1588, nam ponitur pontif. anno III, quo in casu suo ordine bulla reperiretur.

4 Ed. Main. legit 1586, at erronee; ed. Cherub. habet 1589.

GREGORIUS XIII

PAPA CCXXVIII

Anno Christi MDLXXII

An. C. 1572 Gregorius decimus tertius, Italus, Bononiae ortus an. MDII, Hugo antea dictus, Christophori de Boncompagnis filius, S. R. Ecc. presbyter cardinalis tituli S. Sixti, creatus tertio idus maii MDLXXII, coronatus in festivitate Pentecostes XIII kal iunii, vixit in pontificatu annos duodecim, menses decem, dies viginti et octo; creavit cardinales triginta quatuor; obiit die decima aprilis an. MDLXXXV; eius cadaver ad basilicam S. Petri in sacello, quod ipse construxerat et Gregorianum nuncupaverat, conditum fuit. Vacavit Sedes dies duos.

I. An. C. 1572

Statuit quod in causis forum ecclesiasticum concernentibus, in Indiis occidentalibus et insulis maris Oceani regi Hispaniarum subiectis, si a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, ab episcopo ad metropolitanum, a metropolitano ad ordinarium viciniorem appelletur, absque rescripto Sedis Apostolicae [1].

Gregorius Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit debitum pastoralis officii, cui, disponente Domino, providemus, ut litium Exordium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dispendiis, quae in foro ecclesiastico pro tempore tractantur, ea, qua fieri potest, celeritate succurratur.

Series facti.

§ 1. Exponi sane nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Philippus, Hispaniarum rex catholicus, quod in partibus civitatum, terrarum et locorum, oppidorum et dominiorum Indiarum terrae firmae et insularum maris Oceani, ob locorum a Romana Curia distantiam, difficile admodum rescripta apostolica haberi queunt, et propterea appellationes, quae a quibusvis sententiis in causis tam criminalibus quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus pro tempore latis interponuntur, difficulter admodum recipi et admitti possunt; ac propterea incolarum praedictorum dispendiis, quae ex litium longitudine proveniunt, valde consultum foret, si duae sententiae pro tempore latae rem iudicatam facerent, et ab illis amplius appellare non liceret. Quare idem Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Appellatio in Indiis ab episcopo ad metropolitanum fieri potest.

§ 2. Nos, qui populorum quorumlibet quietem et commodum, quantum cum Domino possumus, libenter procuramus, eumdem Philippum regem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate decernimus quod in omnibus regnis, terris et dominiis Indiarum terrae firmae et insularum maris Oceani, et alias quomodocumque et qualitercumque nuncupatis, dicto Philippo regi mediate vel immediate subiectis, quandocumque, in causis tam criminalibus quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si sententia ab episcopo lata, ad metropolitanum:

Si prima sententia a metropolitano lata fuerit, ad episcopum viciniorem appellatio interponi poterit.

§ 3. Si vero prima sententia ab ipso metropolitano promulgata fuerit, ad ordinarium viciniorem, absque aliquo alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur; et si secunda sententia primae sententiae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et executioni per eum, qui eam tulerit, quacumque appellatione non obstante, demandetur: si vero illae duae, sive ab ordinario et metropolitano, sive a metropolitano et ordinario viciniore latae, conformes non fuerint, tunc ab altero metropolitano vel episcopo, a quo prima lata fuit sententia, ad viciniorem eiusdem provinciae episcopum appelletur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas etiam vim rei iudicatae habere volumus, is, qui ultimo loco iudicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante.

Clausulae.

§ 4. Decernentes omnia et singula, alias quam ut praemittitur intentata et facta, iudicia nullius prorsus roboris et momenti fore, et quascumque, modo praedicto non servato, interponendas appellationes, nullas, irritas et inanes existere; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam loci ordinarios et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quibusvis, etiam municipalibus et particularibus, illarum partium legibus, statutis et consuetudinibus, etiam iuramento,

confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis iudicibus, tam ordinariis quam delegatis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod illarum transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDLXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 maii 1572, pontif. anno I.

II.

Pro congregatione S. Benedicti in regno Portugalliae deputatio executorum litterarum Pii V super erectione dictae congregationis [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori ac archidiacono de Vermoim in ecclesia Bracharen. et ministro monasterii per ministrum gubernari soliti Sanctissimae Trinitatis Ulyxbonensis, Ordinis Redemptionis Captivorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Iustis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Dudum siquidem felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis.

Pii V, constitutio super erectione congregationis.

§ 1. Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In eminenti dignitatis apostolicae specula, meritis licet imparibus, divina dispositione vocati, ad ea libenter intendimus, per quae, eliminatis singulis religiosorum Ordinum abusibus et incommodis, quae in eos tractu temporis diversimode irrepserunt, antiquis suis praerogativis et pristinae dignitati restituantur; et ut id facilius subsequi possit, catholicorum regum vota, quae ad id tendere conspicimus, libenter ad exauditionis gratiam admittimus, aliasque desuper disponimus, prout, rerum et temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane charissimus in Christo filius noster Sebastianus, Portugalliae et Algarbiorum rex illustris, exponi nobis nuper fecit quod ipse, dudum provide considerans quamplura monasteria Ordinis Sancti Benedicti, in suo Portugalliae regno consistentia, partim ob praelatorum suorum, qui eis hactenus praefuerunt vel illa in commendam obtinuerunt, negligentiam malumque regimen, partim ob depravatos in eis pro tempore existentium monachorum mores, ab antiqua illa dicti Ordinis disciplina et religione ita discessisse, ut ibi nulla formae regularis observantiae vestigia superesse videantur; ac propterea, afflictis ibi praefatae Religionis rebus succurrere, illaque in eodem regno suo, ad divinae Maiestatis honorem et gloriam, meliori quo posset modo reparare desiderans, cum praesertim illam in Italiae et Hispaniarum provinciis aliisque locis feliciter florere prospiceret, duos spectatae religionis et prudentiae ipsius Ordinis monachos reformatos ex provincia Castellae accersivit, quorum opera virtuteque una congregatio monachorum Ordinis huiusmodi in Portugalliae regno huiusmodi, adinstar Castellae seu Sanctae Iustinae de Padua vel Cassinensis congregationum,

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

institui posset. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tam sanctum et necessarium opus absque nostra et Sedis Apostolicae auctoritate ad optatum finem perduci facile nequeat, idem Sebastianus rex nobis humiliter supplicari fecit, ut eiusdem Religionis S. Benedicti restaurationi salubriter in dicto regno consulere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui votis quibuslibet, praesertim regularis disciplinae observationem concernentibus, quantum cum Deo possumus, libenter annuimus, eumdem Sebastianum regem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, unam congregationem omnium et singulorum monasteriorum virorum Ordinis Sancti Benedicti huiusmodi in eodem regno existentium, quae de iure patronatus ipsius Sebastiani regis existunt, sub invocatione eidem Sebastiano regi benevisa, etiamsi ipse illam ab uno ex dictis monasteriis denominari, monasteriumque huiusmodi illius caput esse, vel aliquam in ea praeeminentiam seu praerogativam habere voluerit, ad praedictarum congregationum instar, cum solitis eius privilegiis, facultatibus, favoribus, indultis et gratiis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia, perpetuo erigimus et instituimus; necnon illi sic erectae omnia et singula dicti Ordinis S. Benedicti monasteria virorum, in dicto regno consistentia, et de iure patronatus ipsius Sebastiani regis existentia, ut praefertur, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, et per quoscumque, etiam venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales et legatos de latere, in titulum, commendam vel administrationem vel alias obtineantur, vel actu nunc quovis modo vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quorum omnium provisio, iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat, et de illis etiam consistorialiter disponi consueverit seu debeat, super illis quoque inter aliquos, etiam cardinales praefatos, lis pendeat indecisa, cum dilectis filiis illorum prioribus, conventibus, monachis quibuscumque*, sine tamen praeiudicio facultatis disponendi de monasteriis virorum in regno praedicto consistentibus et de iure patronatus Sebastiani regis existentibus huiusmodi, illorum occurrente vacatione ac iurium Sedis praedictae, auctoritate et tenore praedictis, subiicimus, supponimus, incorporamus et aggregamus; illique ac eius monasteriis, prioribus, conventibus et monachis praedictis, quod de cetero omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, indulgentiis, favoribus, indultis et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus congregationes praedictae et earum quaelibet, suaque monasteria eorumque personae in genere vel in specie, etiam ex aliorum Ordinum communicatione et ex concessionibus apostolicis et alias utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad earum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ulla prorsus differentia, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, concedimus et indulgemus; necnon alterum ex duobus monachis praefatis, per ipsum Sebastianum regem, ut praefertur, accitis, aut alium dicti seu alterius Ordinis religiosum virum, ad hoc

per eumdem Sebastianum regem nominandum, in visitatorem et reformatorem generalem congregationis et monasteriorum huiusmodi, ac omnium et singulorum prioratuum et aliorum locorum regularium dicti Ordinis S. Benedicti, necnon abbatum, priorum, conventuum, monachorum et aliarum personarum suarum, exceptis tamen ex illis cardinalibus praedictis, ad decennium tantum constituimus et deputamus; illique sic constituto et deputato, ut monasteria, prioratus et alia loca, ac abbates, priores, conventus et personas congregationis erectae huiusmodi iuxta concilii Tridentini decreta visitare, tam in capite quam in membris reformare, delinquentesque et inobedientes ac rebelles carcerare, castigare et punire, ac regularia congregationis praedictae instituta illuc introducere, ac congregationis erectae monasteria et prioratus huiusmodi in commendam pro tempore obtinentes, cuiuscumque status existant, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, ad congruas fructuum, reddit3uum et proventuum portiones illorum conventibus praedictis, ad hoc ut ipsi, ibi regulariter, tranquille et commodius vivendo, liberius Altissimi beneplacitis vacare possint, assignandum et cum effectu tradendum, etiam sub censuris ecclesiasticis, ac pecuniariis necnon monasteriorum et prioratuum aliorumque beneficiorum et officiorum per eos pro tempore obtentorum privationis poenis, aliisque opportunis iuris et facti remediis cogere et compellere, ac quascumque ordinationes et statuta aliarum congregationum huiusmodi in toto vel parte assumere, necnon alia ad salubre regimen congregationis ac monasteriorum et personarum huiusmodi conducibilia, licita tamen et honesta ac dicto concilio non contraria, condere, quae, postquam condita forent, etiam ex tunc, prout ex ea die, dicta auctoritate apostolica confirmata et approbata sint et esse censeantur eo ipso. Congregationem quoque seu generale capitulum ipsius sic erectae congregationis, hac prima vice, ubi et quando sibi videbitur, sub similibus censuris et poenis, convocare et indicere illique praesidere, necnon per eum statuta et ordinata, sub eisdem censuris et poenis, et quacumque appellatione remota, debitae executioni demandare et demandari facere; necnon inobedientes et rebelles sibique non parentes, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarare illasque etiam iteratis vicibus aggravare et interdictum ecclesiasticum apponere, auxiliumque brachii saecularis, si opus sit, invocare, ceteraque in praemissis necessaria et opportuna, necnon omnia et singula ea, quae generales ministri Ordinis Mendicantium in sui Ordinis domibus, et circa ea, alias tamen iuxta ipsius Ordinis regularia instituta, et sine praeiudicio iurium Sedis praedictae, ac eorumdem monasteriorum fundatorum voluntatem, facere, exercere et exequi similiter possit et valeat, auctoritatem et facultatem concedimus; et insuper quod de cetero in ipsa erecta congregatione constitutio felicis recordationis Clementis Papae III, praedecessoris nostri, quae incipit *In singulis*, quoad visitatorum electionem, alias tamen iuxta erectae congregationis instituta, necnon alia dicti Ordinis S. Benedicti reformationem concernentia, observari debeat, statuimus et ordinamus. Decernentes quod si dicto decennio durante generalis reformator, per Sebastianum regem nominandus, huiusmodi, decesserit, vel idem Sebastianus rex illum amoveat, liceat eidem Sebastiano regi alium ipsius loco, et secundi ac tertii loco, vel etiam ulterius etiam alium nominare, ita tamen quod post dictum decennium congregatio erecta huiusmodi illorum loco alios, iuxta

dictae congregationis Cassinensis statuta, et alias iuxta illius privilegia, eligere debeant et teneantur, qui eo ipso dicta auctoritate apostolica constituti, cum eisdem anctoritate et facultate sint et esse censeantur; necnon praesentes litteras, ac praemissa omnia et singula in eis contenta, nullo unquam tempore, quovis quaesito colore vel ingenio, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari posse, sed illa omnia et singula valida et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cardinales praedictos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus; ac monasteriorum et Ordinis Sancti Benedicti praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis eidem Ordini Sancti Benedicti, illius superioribus et personis, cum quibusvis clausulis et decretis, etiam imperatoris et regum contemplatione, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, subiectionis, suppositionis, incorporationis, aggregationis, concessionis, indulti, constitutionis, deputationis, statuti, ordinationis, decreti et derogationis infringere, aut ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, pridie kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Confirmatio praefatarum litterarum, quarum executio committitur.

§ 2. Nos igitur, cupientes dilectis filiis abbatibus, prioribus, monachis et personis congregationis Sancti Benedicti huiusmodi, de opportuna iudicum, qui sibi in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant, deputatione providere, eorumdem abbatum, priorum, monachorum et personarum huiusmodi supplicationibus in hac parte inclinati, discretioni vestrae per praesentes committimus et mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, litteras praedictas et in eis contenta quæcumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte abbatum, priorum, monachorum et personarum huiusmodi seu alicuius eorum fueritis requisiti, solemniter publicantes, sibique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciatis, auctoritate nostra abbates, priores, monachos et personas erectione, institutione, subiectione, suppositione, incorporatione, aggregatione, concessione, indulto, constitutione, deputatione, statuto, ordinatione, decreto, derogatione et aliis praemissis, iuxta dictarum litterarum continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non

permittentes eos seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praedicta Bonifacii praedecessoris, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede Apostolica deputati, extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque propterea procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur; ac aliis apostolicis constitutionibus, necnon omnibus illis, quae in dictis litteris expressum fuit non obstare, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 maii 1572, pontif. anno I.

III.

Facultas religiosorum Societatis Iesu eligendi conservatores in eius causis, ac iurisdictio ipsorum conservatorum ex indulto Pii V [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Æquum reputamus et rationi consonum ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum sortiantur effectum.

Ad supplicationem Societatis Iesu,

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pio PP. V, praedec. nostro, pro parte dilectorum filiorum praepositi generalis et religiosorum Societatis Iesu exposito quod, cum dicta Societas, benedicente Domino, longe lateque esset propagata, ac ad Dei laudem et honorem militantisque Ecclesiae profectum in dies augeretur, et propter diversa bona temporalia, quae collegia scholarium sub eorum cura instituta possidebant, conservanda et recuperanda, lites aliaque forensia frequentes subire necessario cogeretur, exindeque fieret ut eius personae, quae, animarum saluti implicitae, litium anfractus, qui ab eorum institutis valde dissonabant, evitare cupiebant, ab earum ministerio, non sine animi sui dolore, cum animarum huiusmodi dispendio distraherentur; et eidem praedecessori, pro parte eorumdem praepositi generalis et religiosorum, asserentium eorum bona a quorumcumque locorum ordinariorum iurisdictione libera et exempta ac sub Romani Pontificis et Sedis Apostolicae protectione alias recepta fuisse, humiliter supplicato ut eorum quieti, more pii patris, ac alias in praemissis oppor-

[1] Hanc Religionem primo loco approbavit Paulus III, ut in eius const. XXXIII, *Regimini*, tomo VI, pag. 303, ubi alia de ea indicavi.

tunc consulere de benignitate apostolica dignaretur.

Pius V ei concessit ut in omnibus causis conservatores et iudices eligere possint;

§ 2. Idem praedecessor, qui ad gratos Deo et universae reipublicae christianae utiles et necessarios fructus, quos Societatis praedictae personae in vinea Domini semper proferebant, debitum respectum habebat, facere nullo modo poterat quin ipsis ea concederet, per quae ipsi eorumque res et bona a noxiis, iustitiae ministerio, praeservarentur; eosdem praepositum generalem et religiosos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum, absolvens et absolutos fore censens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub datum videlicet octavo kalendas iunii, pontificatus sui anno tertio, eidem Societati singulisque illius personis ac eorum familiaribus, clericali charactere tamen insignitis, ut in quibuscumque causis, tam civilibus quam criminalibus ac mixtis, etiam in eis in quibus actores vel conventi rei forent, ipsis, contra quascumque communitates et collegia huiusmodi, omnes et singulos archiepiscopos, episcopos ac abbates, necnon alias personas in dignitate ecclesiastica constitutas, ac metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicos, ac eorumdem archiepiscoporum et episcoporum vicarios in spiritualibus et officiales generales ubilibet constitutos, in suos possent assumere conservatores et iudices ordinarios, indulsit.

Ipsique iudices et conservatores amplam de qua hic iurisdictionem habeant;

§ 3. Ipsis vero sic electis, vel duobus aut uni eorum, ut, per se vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus conservatores et iudices deputati forent, eidem Societati efficacis defensionis praesidio assistentes, non permitterent Societatem collegiaque huiusmodi, super terris, locis, domibus, possessionibus et iuribus, necnon fructibus, censibus, redditibus et proventibus ac quibuscumque aliis bonis, mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, necnon privilegiis et indultis, eis et dictae Societati, tam apostolica quam ordinaria et alias rite regia auctoritatibus concessis, et aliis rebus ad dictam Societatem, communiter vel divisim, spectantibus, a quibuscumque personis, tam saecularibus quam ecclesiasticis, ac quacumque auctoritate et superioritate fungentibus, quoquo modo indebite molestari, vel eis gravamina, damna aut iniurias irrogari; facerentque, cum ab eisdem Societate aut personis vel procuratoribus suis seu aliquo ex eis forent requisiti, super restitutione locorum, terrarum, domorum, possessionum, iurium et bonorum, mobilium et immobilium, reddituum quoque et proventuum ac aliorum quorumcumque bonorum; necnon privilegiorum et indultorum, eis tunc et pro tempore concessorum, observatione; necnon de quibuslibet molestiis, iniuriis, damnis, tunc praesentibus et futuris, in illis videlicet quae iudicialem requirerent indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii; in aliis vero prout eorum qualitas exegisset, iustitiae complementum, occupatores seu detentores, praesumptores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, etiamsi alias quam ut praefertur qualificati existerent, quandocumque et quotiescumque expedisset, auctoritate apostolica, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, eos, quos sententias, censuras et poenas per eosdem conservatores seu iudices pro tempore latas incurrisse eis constitisset, eas incurrisse declararent, et

quoties opus fuisset, etiam iteratis vicibus aggravarent, necnon auxilium brachii saecularis invocarent, commisit et mandavit. Ac insuper, si per summariam informationem per eos super his habendam, ipsis constitisset quod ad loca, in quibus occupatores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi ac alios, quos litterae tunc desuper conficiendae concernerent, pro tempore morari contigisset, pro monitionibus et inhibitionibus ipsis ac citationibus eis faciendis, tutus non pateret accessus, iudicibus et conservatoribus huiusmodi monitiones et citationes praefatas ac inhibitiones quaslibet, per edicta publica locis publicis affigenda, de quibus esset verisimilis coniectura quod ad ipsorum monitorum, citatorum et inhibitorum notitiam pervenire valerent, faciendi; necnon eisdem occupatoribus, detentoribus, praesumptoribus, molestatoribus, iniuriatoribus, contradictoribus et rebellibus, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis eorum arbitrio moderandis, inhibendi; ac quibusvis inhibitionibus, eis pro tempore, etiam praetextu quarumcumque litterarum conservatoriarum seu privilegiorum apostolicorum quibuslibet concessorum et concedendorum, pro tempore factis, non obstantibus, eorum iurisdictionem libere exercendi; loca, ad quae eos declinare contigerit et in quibus scienter stare permissi forent, ecclesiastico interdicto subiiciendi, plenam et liberam facultatem concessit. Ac monitiones, requisitiones, inhibitiones et citationes sic factas perinde ipsos monitos, requisitos, inhibitos et citatos arctarent, ac si eis personaliter factae, insinuatae et intimatae forent.

Et istam concessionem per quarumcumque derogationes non ablatam nec diminutam censeri decrevit;

§ 4. Ac tunc desuper conficiendis litteris et in eis contentis dispositionibus, per quascumque derogationes, in quibusvis aliis litteris apostolicis gratiam vel iustitiam et mixtim continentibus, per eumdem praedecessorem et Sedem Apostolicam, etiam cum derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, et per quas earumdem litterarum tunc desuper conficiendarum tenor, ac si de verbo ad verbum in eis insertus foret, pro expresso haberetur, quibuscumque personis, seu in eorum favorem, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine concessas et factas ac faciendas et concedendas, nullatenus derogatum censeretur aut derogari posset, nisi tenor earumdem tunc desuper conficiendarum litterarum de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, foret in illis insertus, et derogatio pro tempore facta huiusmodi per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus, eidem Societati intimata et insinuata foret, et quod aliter earumdem litterarum tunc desuper conficiendarum pro tempore factae derogationes nemini suffragarentur.

Unumque ex ipsis iudicibus articulum per alium inchoatum prosequi posse declaravit;

§ 5. Quodque quilibet iudicum et conservatorum praefatorum valeret prosequi articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo foret canonico impedimento praepeditus; quodque cuilibet conservatorum et iudicum eorumdem, ab eodem die octavo kalendas iunii esset in praemissis omnibus ac eorum singulis, coeptis et non coeptis, tunc praesentibus et futuris, perpetua potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possent in praemissis omnibus, coeptis et non coeptis, tunc praesentibus et futuris, et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram eis coepta fuissent, et eorum ac cuiuslibet ipsorum iurisdictio de praemissis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitisset; sicque per quoscumque iudices et commissarios et causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpre-

tandi facultate et auctoritate [1], scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decrevit.

Contrariis omnibus derogavit;

§ 6. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papæ VIII, etiam prædecessoris nostri, qua cavebatur ne quis, extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocaretur; seu ne iudices a Sede praedicta deputati, extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati forent, contra quoscumque procedere praesumerent; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo non ultra tres diaetas aliquis, vigore earumdem litterarum tunc desuper conficiendarum, extraheretur; et quibusvis aliis apostolicis ac in, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis regibus, ducibus, comitibus ceterisque, cuiuscumque dignitatis, qualitatis et præeminentiae ac Ordinis, etiam Mendicantium, et conditionis existentibus personis, in genere vel in specie, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus idem Pius praedecessor, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat specialiter et expresse derogavit, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis suae bullae credi voluit.

§ 7. Voluit insuper idem Pius praedecessor quod litterarum tunc desuper conficiendarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhiberetur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sed quia, ipsius Pii obitu superveniente, bulla non fuit expedita, ideo hic Pontifex de eius validitate non dubitari decernit.

§ 8. Ne autem de absolutione, indulto et aliis praemissis, pro eo quod super illis ipsius Pii prædecessoris, eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipsaque Societas illorum frustretur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod indultum et alia praemissa perinde a dicto die octavo kalendas iunii suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Pii praedecessoris litterae confectae fuissent, prout superius enarratur. Quodque praesentes litterae ad probandum plene absolutionem, indultum et alia praemissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, VIII kal. iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 maii 1572, pontif. anno I.

IV.

Prohibitio depingendi sive miniandi aut venales proponendi agnusdei a Romano Pontifice benedictos.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius prohibitionis.

Omni certe studio et opera a nobis procurandum est ut ea tollantur quae

[1] *Iudicari et definiri debere; ac ex tunc, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate,* addit Inst. Soc. Iesu (R. T.).

non conveniunt, ac nostrum et aliorum bonorum piorumque christifidelium animos offendunt. Itaque, provide considerantes certas formas innocentissimi Agni imagine figuratas, et per Romanos Pontifices statutis temporibus consecrari solitas, sicut agni puri et mundi a Summo Pontifice benedicuntur, ita ab omnibus postmodum immaculatas, non autem auro et coloribus ullis depictas, sed in sua albedinis munditie sanctificatas, congruenti cum reverentia teneri et conservari debere.

Prohibitio depingendi aut miniandi seu venales habendi agnusdei a Pontifice benedictos.

§ 1. Statuimus et ordinamus ac, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, prohibemus et interdicimus ne quisquam, sive vir sive mulier, saecularis aut ecclesiasticus, etiam regularis Ordinis, ille sit, et quocumque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate et honore praecellat, posthac in perpetuum *agnusdei* per Romanum Pontificem pro tempore existentem benedictos depingere, inficere, minio notare vel aurum aut colorem aliquem illis imponere, aut quiddam aliud superinducere, neque depingi aut miniari facere, nec illos venales proponere seu tenere, quovis praetextu qualibetve de causa, audeat. Verum eos albos et mundos, Agnum illum purum et innocentem repraesentantes, qui occisus pretiosissimo sanguine suo nos redemit, decenter ac reverenter a cunctis haberi, deferri et custodiri praecipimus, et ita ab omnibus fieri et censeri debere decernimus.

Ordinarii hanc prohibitionem publicent.

§ 2. Mandantes omnibus et singulis locorum ordinariis per universum christianum orbem constitutis eorumque vicariis in spiritualibus generalibus ut praesentem nostram constitutionem et prohibitionem in suis quisque civitatibus et dioecesibus statim publicare procurent, ita ut ad omnium notitiam quamprimum pervenire possit.

Contravenientium poena.

§ 3. Quicumque vero inobedientes fuerint, praeter excommunicationis poenam, quam, ut praefertur, incurrent, etiam aliis poenis, ipsorum ordinariorum seu vicariorum arbitrio, plecti et mulctari volumus et iubemus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus etiam quod praesentium litterarum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius praelati ecclesiastici obsignatis, plena eademque prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 maii 1572, pontif. anno I.

V.

Confirmatio constitutionis Pii V de non alienandis et infeudandis terris et locis sanctae Romanae Ecclesiae [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter ceteras quae ad Romani Pontificis curam ac sollicitudinem pertinent, illud quoque non mediocri studio providendum est ut res ecclesiastica sarta tecta usquequaque conservetur, quod cum de aliis omnibus, tum praecipue de iis, quae specialis iurisdictionis Romanae Ecclesiae sunt, curare debet, ne ulla usquam illorum imminutio fiat.

Pius V pro-

§ 1. Cuius rei causa felicis recordationis

1 Hanc const. LIII Pii V, *Admonet*, habes in tomo VII, pag. 560, et ibi eius extensiones indicavi. Quibus adde quod hic Pontifex die III aprilis MDLXXXI in consistorio declaravit, sub dicta bulla Pii V comprehendi etiam concessiones guberniorum, quae ultra triennium de locis S. R. E. fieri contingeret.

hibuit alienari vel infeudari loca S. R. E.

Pius Papa V, praedecessor noster, ut talium distractionibus omnem viam, quantum in ipso erat, in perpetuum praecluderet, litteras edidit in haec verba: Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti [1].

Hic Pontifex modo confirmat illius constitutionem.

§ 2. Cum autem eae litterae ad retinendam Sedis Apostolicae dignitatem valde pertineant, nobis nihil optabilius fuit, cum primum ad summi apostolatus apicem divina nos clementia evocavit, quam ut ipsis primo quoque tempore praesentium nostrarum robur adiungeremus. Quocirca praedictas litteras et omnia in eis contenta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, comprobamus confirmamus et innovamus, volumusque eas perpetuo observari.

Sanctio poenalis.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae comprobationis, confirmationis, innovationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, sexto kalendas iunii [2], pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 maii 1572, pontif. anno I.

VI.

Contra famigeratores nuncupatos menantes, *eorumque scripta recipientes, et famosos libellos scribentes et mittentes* [3].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ea est rerum humanarum infelicitas, ut non vetera tantum vitia pertinaciter adversus omnem legumlatorum solertiam luctentur, et quamvis acribus compressa suppliciis renascantur, sed nova etiam in dies et superioribus saeculis ignota succrescant. Quo nos, pro iniuncto nobis divinitus munere, diligentius adiuti, par est ut et illa coerceamus, et horum, quae se nunc primum offerunt, antequam se corroborent, radices ipsas, si qua ratione possumus, amputemus.

Famigeratorum mala.

§ 1. Cum igitur haud ita pridem in Urbe nostra secta quaedam emerserit hominum improbe curiosorum, qui quoscumque de publicis privatisque negociis vel aliunde rimari possunt, vel ipsi etiam pro sua libidine comminiscuntur, domi forisque facta, infecta, vera, falsa, nullo discrimine proponunt, recipiunt et scriptitant, ita ut huius rei iam artem quasi quandam instituerint; ac plerique eorum, etiam vili mercedula conducti, harum rerum commentariolos, ex falsis plerumque vulgi rumoribus, incerto auctore collectos, huc illuc missitent, aut etiam, tamquam primum ex Urbe ad diversa loca missos, deinde iisdem ex locis in Urbem remissos circumferant ac venditent, quibus non tantum de praeteritis arbitratu suo nugantur, sed etiam quid ex hac aut illa re eventurum sit, stolide vaticinantur.

Prohibitio huius artis, poenis adiectis.

§ 2. Nos, qui et facile prospicimus et rerum experimentis edocti sumus quae quantaque mala ex eo proveniant, cum et saepius sparguntur falsa pro veris, seu directe seu oblique, ac quodam quasi colore quaesito, multorum existimatio et fama violatur, his ac talibus incommodis occurrere cupientes, huius constitutionis auctoritate prohibemus ne quis in posterum tales commentarios conficere, neve ab aliis confectos recipere, describere, spargere aut ad alios mittere audeat. Qui horum quid fecerit, ipso facto perpetua ignominiae nota affectus, sine ulla spe veniae,

1 Omittitur tenor, quia habes in Pii V constit. LIII, cit. in nota ad rubr. 2 Cherub. legit *augusti*. 3 Consonat const. CCXVIII Pii V, t. VII, pag. 969.

ad triremes, aut perpetuo aut ad tempus, pro admissi criminis qualitate, damnetur. Qui vero huiusm. commentariorum aut scriptorum quicquam undecum. et a quocumq. receperit, id quamprimum Urbis nostræ gubernatori significare et eidem omnia consignare debeat. Quod si non fecerit, ipsum poenis praedictis decernimus subiacere, antiquis iuribus contra scribentes aut mittentes libellos famosos editis nihilominus in suo robore duraturis.

Confirmatio legum de famosis libellis

Exemplorum fides.

§ 3. Volentes praesentium exemplis, etiam impressis, notarii publici manu et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eamdem illam ubique fidem, in iudicio et extra, adhiberi, quae praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, kalendis septembris, pontificatus nostri anno primo.

Publicatio.

Anno Incarnationis dominicae MDLXXII, indictione XV, die vero sabbati VI mensis septembris, pontificatus SS. in Christo patris et D. N. D. Gregorii divina providentia Papae XIII anno I, affixae et publicatae fuerunt Romae ad valvas S. Ioannis Lateranensis et S. Petri ac Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Ioannem della Guardia et Scipionem de Octavianis, SS. D. N. Papae cursores.

Philibertus magister cursorum.

Dat. die 1 sept. 1572, pontif. anno I.

VII.

Facultas Ordinis, tam fratrum quam monialium, Eremitarum S. Augustini, permutandi et alienandi bona cuiuscumque monasterii in evidentem eius utilitatem, cum licentia vel approbatione prioris generalis dicti Ordinis [1].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Dum ad uberes salutiferosque fructus, quos, benedicente Dom., sacer dilectorum filiorum fratrum Eremitarum Sancti Augustini Ordo in vinea Domini protulit et in dies proferre non cessat, debitum respectum habemus, ac plane agnoscimus quod ii, tamquam huius Sedis speciales filii, tam verbum Dei per urbes et regiones disseminando, quam ubique varia charitatis opera adimplendo, nos in huius pastoralis officii onere coadiuvare non cessant, facere nullo modo possumus quin eos, speciali quadam huius Sedis benevolentia prosequentes, ea sibi favorabiliter concedamus, per quae eorum indemnitati monasteriorumque suorum utilitati potest salubriter provideri.

Causa huius concessionis.

§ 1. Exponi sane nobis nuper fecerunt iidem fratres Eremitae quod saepenumero accidit ut, pro aliqua urgenti necessitate vel utilitate monasteriorum, domorum et locorum dicti Ordinis, tam virorum quam mulierum, illorum bona locare, alienare, permutare vel in emphyteusim seu livellum dare expediret, ac quandoque contingit ut conditio semel oblata, si praetermittatur, maximam afferat iacturam; praeterquam quod difficile admodum existit pro singulis minimis commutationibus et aliis contractibus ad Sedem praefatam recurrere, ac id non sine ipsius Ordinis in paupertate fundati inquietudine esse potest. Quare iidem fratres Eremitæ nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

1 Aliae extabant pontificiae dispositiones circa hanc facultatem, sed eas praetermisi, hac contentus uti pleniore. Cetera autem de hoc Ordine vide in const. XXIX Alex. IV, *Licet*, tom. III, pag. 635.

Concessio facultatis alienandi bona Ordinis, cum licentia vel approbatione prioris generalis, et dummodo fiat in evidentem utilitatem dicti Ordinis.

§ 2. Nos, felicis recordationis Sixti IV et Leonis X ac aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerere volentes, ipsosque fratres Eremitas et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem fratribus Eremitis, ut ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus fratres et moniales dicti totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, omnium et quorumcumque monasteriorum, domorum et locorum eiusdem Ordinis, ubilibet nunc et pro tempore consistentium, libere et licite possint et valeant quaecumque bona stabilia et immobilia seu quasi stabilia, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris et in quocumque loco existentia, eorumdem monasteriorum, domorum et locorum vendere, alienare et permutare, et etiam in emphyteusim seu ad livellum, etiam ad longum tempus, concedere, et pro precio, affictu, pactis, modis et formis hinc inde conveniendis, licentiam et facultatem apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus. Proviso tamen quod fiant pro commoditate vel utilitate ipsorum monasteriorum, domorum et locorum, et quod consensus duarum partium ex tribus partibus fratrum vel monialium illius monasterii, domus vel loci, cuius dicta bona erunt, accedat et interveniat; et quoad concessionem in emphyteusim, dummodo illa non fiat ultra duas generationes vel nominationes, absque alia a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificib. pro tempore existentibus, aut Sede Apostolica vel illius de latere legatis seu nunciis, aut etiam locorum ordinariis petenda vel obtinenda licentia seu confirmatione; ita tamen quod, loco consensus Sedis Apostolicae, dilectus filius prior generalis dicti Ordinis nunc et pro tempore existens, re diligenter examinata et evidenter utili comprobata, habeat, prout sibi ex nunc perpetuo concedimus, potestatem ratificandi huiusmodi locationes, concessiones, venditiones et alienationes ac contractus. Sic quod ubi talis ordo non fuerit servatus, locatio, concessio, venditio et alienatio ac contractus aliter facta, nulla et invalida nulliusque roboris ac momenti existant; et donec praefatus prior generalis modo praefato non ratificaverit, possessio remaneat et remanere intelligatur penes ipsos fratres seu moniales dicti monasterii seu domus aut loci sic locantis et alienantis, ac ita in praemissis sic perpetuo declaramus et decernimus. Et nihilominus, ex nunc prout ex tunc et e contra, postquam locationes, concessiones, venditiones et alienationes ac contractus, servatis supra narratis, pro tempore facti et per dictum priorem generalem ratificati fuerint, ut praefertur, seu consensus eiusdem prioris generalis intervenerit, easdem locationes, concessiones, venditiones, alienationes et contractus ac inde secuta quaecumquae, necnon instrumenta et scripturas desuper pro tempore confecta approbamus et confirmamus ac perpetuae firmitatis robur obtinere debere statuimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, quomodolibet supplemus. Decernentes, quoad utilitatem seu commoditatem monasteriorum, domorum et locorum praefatorum, [1] assertioni duarum partium ex tribus partibus fratrum vel monialium illius loci cuius bona erunt, postquam ratificatio facta fuerit, illasque et illa necnon praesentes et in eis contenta validas et efficaces, ac valida et efficacia

1 Deest fortasse *standum* (R. T.).

perpetuo fore, necnon ab omnibus observari debere; ipsosque et cum eis contrahentes praefatos, super praemissis et inde secutis quibuscumque, per quoscumque, quavis auctoritate, quomodolibet molestari vel impediri non posse; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio et facultas executorum.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ioanni episcopo Albanensi, cardinali de Montepolitiano nuncupato, Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini protectori, et Alexandro patriarchae Alexandrino, Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac Bartholomaeo episcopo Amerino, Cancellariae Apostolicae regenti, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, requisiti, solemniter publicantes, eisque et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem praesentes et in eis contenta quaecumque ab omnibus, quos illa concernunt, integre et inviolabiliter observari. Non permittentes eos aut eorum aliquem desuper contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die v septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 sept. 1572, pontif. anno I.

VIII.

Institutio militiae S. Maurilii martyris, sub Regula Cisterciensi, ac sub regimine Emanuelis Philiberti Sabaudiae ducis suorumque successorum, qui di-

ctae militiae magni magistri perpetuo sint[1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Christiani populi corpus sic summa Dei providentia cernitur constitutum, ut quemadmodum ecclesiasticis personis propria est operatio attributa, ita strenuis et fortibus viris, tamquam Christi athletis, sua benemerendi occasio sit oblata. Cum ad eum quoque finem Deus saecularem principibus potestatem dederit, ut debitum sanctae religioni praestent famulatum, atque his inter se cohaerentibus, et militiae praesidio sacerdotum pietas in suo officio protegatur, et militum virtus amore religionis augeatur, unde illius fides et gloria sit propaganda. Id vero summo conatu hoc tempore esse agendum, ut quam maxima christianae et catholicae fidei adiumenta comparentur, reipublicae christianae gravissima vulnera ab haereticis Satanae ministris inflicta et ab eisdem ac infidelibus imposterum impendentia mala satis aperte nos admonent ac, inter ceteras christiani populi partes, his praecipue malis, haereticorum venenis, dolis, insidiis atque oppressionibus, obnoxiae conspiciuntur Sabaudiae et finitimae regiones, ob vicinitatem adiacentium quorumdam locorum, praesertim Genevae, a qua ipsa haeresum contagio et pestis circumquaque serpsit atque manavit.

Christianae reipublicae vexatio

§ 1. Itaque, cum dilectus filius nobilis vir Emanuel Philibertus Sabaudiae dux, pro sua praestanti pietate ac prudentia, haec diligenter considerans, in animum induxerit ad alia, quae ipse consuevit, tuendae et augendae catholicae religionis causa, in locis ditioni suae subiectis adhibere remedia, illud etiam adiungere, ut ex delectis omnis generis christiani populi militibus, unam huius sanctae Sedis auctoritate conficiat militiam Beati Mauritii martyris nuncupandam, quem idem Emanuel Philibertus dux et eius antecessores, ut praecipuum suum ac rerum suarum protectorem, eximio ac perpetuo studio et veneratione sunt prosequuti, idque nobis exponi fecerit, ac simul supplicari ut hoc ei impartire dignaremur.

Ducis Sabaudiae propositio de instituenda militia S. Mauritii, et petitio licentiae.

§ 2. Nos optimum illius consilium ac ipso maioribusque eius clarissimis et praestantissimis principibus dignum animum meritis in Domino laudibus commendantes, ac prospicientes ipsam sic constituendam militiam maximo usui et praesidio fore non solum ipsis Sabaudiae et Pedemontis provinciis, sed toti etiam Italiae, ad sustinendos et propulsandos quosvis haereticorum et infidelium impetus, ac opportunissimum ibi propugnaculum, munimentum et auxilium habituros esse nos ecclesiamque Romanam ac universam christianam rempublicam in ipso militiae robore ac talis ducis maxima virtute rerumque bellicarum summa et saepe cognita peritia, illi super hac re, prompto ac libenti animo annuendum, piosque eius conatus speciali favore et gratia duximus prosequendos.

Pontificia collaudatio de dicta propositione, et concessio dictae licentiae.

§ 3. Quare ipsum Emanuelem Philibertum ducem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eius supplicationibus inclinati, unam militiam, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, qui Dominus est exercituum, et per quem reges

Ipsaque institutio militiae S. Mauritii sub Regula Cisterciensi, et sub duce Sabaudiae, qui dotem 15 millium scutorum de propriis bonis tribuere debent.

1 Huic militiae hic idem Pontifex univit postea aliam militiam S. Lazari Hierosolymitani, ut in const. x, de qua S. Lazari militia vide plene notata in const. XLIII Pii V, *Sicuti*, tom. VII, pag. 516. — Bullam hanc cum originali membranaceo, quod in tabulario Ordinis Augustae Taurinorum asservatur accuratissime conferentes, mendis non paucis expurgavimus (R. T.).

regnant ac principes imperant, et fidei catholicae in dictis Sabaudiae et Pedemontis regionibus defensionem, ac universae Italiae totiusque christianae reipublicae salutem et commodum, sub invocatione Sancti Mauritii martyris et Regula Cisterciensi nuncupandam per universum christianum orbem, cuius suprema sedes et militum conventus in loco ab eodem Emanuele Philiberto duce in Sabaudia statuendo et assignando perpetuo sit; et in ipsa militia unum magistrum magnum vocandum, supremam eiusdem militiae dignitatem pro uno magistro, qui illius caput existat, cum eo, qui sibi expedire videbitur, militum et ministrorum numero. Qui milites cum unica tantum et virgine coniugati, ad habitum et professionem regularem admitti; seu qui pro tempore admissi fuerint, matrimonium cum simili virgine et unica dumtaxat contrahere possint; alias vero ipsi castitatem coniugalem et obedientiam expresse profiteantur; cum mensa magistrali, officiis, iuribus, iurisdictionibus et insignibus consuetis, aliarum huiusmodi militiarum instar, ex nunc prout postquam ipse Emanuel Philibertus dux dotem annui redditus quindecim millium scutorum de propriis et patrimonialibus bonis suis illi constituerit, et e contra, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus. Ac illi sic erectae eiusque mensae dictam dotem quindecim millium scutorum etiam perpetuo applicamus et appropriamus, ita ut liceat eidem Emanueli Philiberto duci et pro tempore existenti magno magistro bonorum dictae dotis corporalem possessionem seu quasi libere apprehendere ac perpetuo retinere, fructusque et proventus in suos et dictae militiae usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia minime requisita. Et nihilominus magistratum praedictum, cuius fructus, redditus et proventus nulli sunt, ab hac eius primaeva erectione vacantem, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis praedicto Emanueli Philiberto duci eiusque successoribus omnibus Sabaudiae ducibus, qui pariter magni magistri esse debeant, in perpetuum concedimus et assignamus.

Facultas magni magistri milites ad habitum recipiendi.

§ 4. Ipsisque praeterea et ipsorum singulis liberam facultatem tribuimus, ut quotquot illis visi fuerint milites nobiles aut optima virtute cognitos, vel alias pro eorum arbitrio vel statuto qualificatos, ex omnibus nationibus, post factam ab ipsis, iuxta formam praesentibus annotatam, catholicae fidei professionem, ad habitum et regularem professionem admittere.

Beneficia erigendi.

§ 5. Ac etiam in quibuscumque mundi partibus prioratus, baiulivatus, praeceptorias et alia beneficia dictae militiae erigere;

Bona laicalia pro dote assignandi.

§ 6. Eisque sic erectis patrimonialia et laicalia bona eorum, qui illa relinquere voluerint, dotis nomine assignare;

Ius patronatus fundatoribus reservandi.

§ 7. Ius patronatus fundatoribus seu dotatoribus id petentibus valide, reservare; quod sic reservatum idem robur eamdemque vim et efficaciam obtineat, quod obtineret si per nos concessum foret;

Provincias et nationes separandi.

§ 8. Necnon provincias et nationes dividere ac ex erigendis dictae militiae beneficiis, quae prioratus, quae praeceptoriae, quae superiora vel inferiora beneficia esse; eaque et eorum singula quos fructus habere; et tam ipsa quam illa obtinentes, quae onera supportare; ad illa quoque admittendi, quibus qualitatibus suffulti esse, et quibus legibus subiacere debeant; aliaque ad usum militiae huius necessaria decernere et declarare.

Statuta condendi.

§ 9. Atque tam de praedictis quam aliis quibuscumque rebus et negociis occurrentibus quaecumque statuta condere, facere et ordinare, illaque, postquam condita et ordinata fuerint, quotiescumque visum fuerit, pro eorum arbitrio et volun-

tate interpretari, mutare, alterare, limitare, corrigere seu in meliorem formam reducere, aut in totum delere, aliaque de novo edere, ac quascumque poenas apponere, et ad illorum executionem procedere valeant.

Decretum irritans.

§ 10. Decernentes supradicta firmitate perpetua consistere, ac irritum et inane quicquid secus super illis per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma vero professionis fidei per singulos milites praestanda haec est, videlicet.

Forma professionis fidei ipsorum militum.

§ 12. Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas; et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; et expecto resurrectionem mortuorum; et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae Legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium. Illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio; profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animas-

que ibi detentas fidelium suffragiis iuvari; similiter et sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem et magistram, agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri apostolorum principis successori ac Iesu Christi vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. spondeo, voveo ac iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Sanctio poen. § 13. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, decimo sexto kalendas octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 septemb. 1572, pontif. anno I.

IX.

Dat facultatem iudicibus saecularibus principatus Catalonie et comitatus Rossilionis et Cerelaniae facinorosos et latrones, etiam clericos et aliquod tenue beneficium obtinentes, ad loca sacra confugientes, ab illis extrahere et iudici ecclesiastico tradere; clericos autem vestibus saecularibus indutos in flagranti crimine deprehensos, tamquam latrones et viarum crassatores, in eo habitu in quo reperti sunt, usque ad ultimi supplicii poenam inclusive punire absque incursu censurarum.

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod principatus Cataloniae et comitatus Rossilionis et Ceretaniae, sibi in spiritualibus subiecti, a pluribus annis citra valde turbantur et vexantur a latronibus et facinorosis hominibus, qui, armati et simul coadunati, per illam regionem passim vagantur, vias pro libito obsident, viatoresque aggrediuntur, spoliant et occidunt; domos quoque saepe expugnant, diripiunt et incendunt, stupra, raptus, sacrilegia et omnis generis crimina nefarie committendo; et licet idem Philippus rex multa huic morbo remedia adhibuerit, tamen, ob locorum illarum partium asperitatem vel ob propinquitatem provinciae Galliae, ex qua plurimi delinquentes in ipsos principatum et comitatus confluunt, et, ibi commissis per eos latrociniis et aliis gravioribus delictis, in loca tuta repente sese recipiunt, ita ut magistratus eorumque familiam illos persequentem facile eludant et frustrentur; plerumque etiam evenit quod scelerati huiusmodi facinorum suorum poenas saepe subterfugiunt, sicque Facti series.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

maiores animos ad delinquendum sumunt, propterea quod, dum ministri iustitiae saecularis eos persequuntur, ad ecclesias confugere soliti sunt, unde aut extrahi non possunt, vel extracti, immunitatem Ecclesiae praetendentes in eum, unde extracti sunt, locum, restitui obtinent.

Quidam, ut facilius vim legum effugiant, tonsuram ecclesiast. aut aliquod beneficium habere praesumunt.

§ 2. Quidam vero, non contenti se prima tonsura esse initiatos, non ut divinis inserviant, sed ut iudicium saeculare facilius effugiant malitiose et fraudulenter aliquod tenue beneficium ecclesiast. sibi conferri procurant, nec tamen in habitu clericali incedunt; aut aliquibus clericalibus funguntur muneribus, verum habitu saeculari induti vagantur, liberiusque delinquunt, nullaque in eos ecclesiastica animadversio exercetur, quoniam laici existimantur. A iustitia vero saeculari deprehensi, statim tamquam clerici et beneficium ecclesiasticum habentes ad ordinarios ecclesiasticos declinant, a quibus aut nulla aut leviori poena affecti dimittuntur, ad vindictam in eos qui ipsos persecuti sunt et ad graviora scelera committenda se accingentes. Quare idem Philippus rex nobis humiliter supplicari curavit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Delinquentes clericos ab ecclesia extrahi posse concedit;

§ 3. Nos igitur, honestis catholicorum regum votis, quantum cum Domino possumus, paterne annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, latrones ac facinorosos huiusmodi, illorumque fautores, receptatores et clericos, etiam quatuor minoribus ordinibus insignitos, etiam beneficium tenue aliquod obtinentes, ab ecclesiis et aliis locis sacris avellere per iudices saeculares licere, cum eiusmodi genus hominum immunitate ecclesiastica gaudere valde indignum sit, ita tamen ut dicti saeculares iudices, facinorosos ipsos a locis praedictis extractos, iudici ecclesiastico, ad causas contra personas ecclesiasticas in principatu et comitatibus praedictis atrocia crimina committentes alias a Sede Apostolica deputato, pro iustitia in eos administranda, consignare teneantur.

Eos tamen ecclesiastico iudici tradendos decernit.

Clerici saecularibus vestibus induti in flagranti crimine deprehensi, tamquam publici latrones a iudicibus saecularibus puniri possunt.

§ 4. Quod si clerici praedicti, etiam in quatuor minoribus ordinibus constituti, etiam tenue aliquod beneficium obtinentes, vestibus laicalibus induti, in flagranti crimine crassandi per vias deprehensi fuerint, tamquam in publicos latrones et viarum crassatores, saecularibus iudicibus in eo, in quo reperiuntur, habitu, usque ad ultimi supplicii poenam inclusive, absque metu censurarum, in ipsos animadverti posse, tenore praesentium, concedimus;

Inhibitio ordinariis ne impedimentum ponant.

inhibentes omnibus et singulis locorum, etiam exemptorum, ordinariis et eorum officialibus et quibuscumque aliis iudicibus ecclesiasticis, quocumque nomine nuncupatis, ne saeculares magistratus, iudices et ministros praedictos super praemissis quomodolibet impedire, molestare aut perturbare audeant vel praesumant.

Clausulae.

§ 5. Ac decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae seu quovis alio defectu notari vel impugnari ullo umquam tempore nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac generalis concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et exemptionibus apostolicis, etiam saecularibus et regularibus personis, Ordinibus, monasteriis, ecclesiis et aliis sacris locis necnon congregationibus, superioribus eorumdem,

sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus et alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, innovatis, concessis et approbatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, die prima octobris, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 octobris 1572, pontif. anno I.

X.

Unio militiae S. Mauritii martyris et militiae S. Lazari Hierosolymitani, sub denominatione Ss. Mauritii et Lazari, et regimine Sabaudiae ducis magni magistri perpetui.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo pastoralis. Pro commissa nobis, nullis nostris exigentibus meritis, sed sola Dei benignitate, ecclesiarum omnium ac piorum religiosorumque locorum cura et sollicitudine, in eam nos cogitationem assidue incumbere decet, qua potissimum ratione providere possimus ut ex eis quam maxima et quam uberrima ad sanctam Dei religionem et fidem catholicam atque universum populum christianum commoda proveniant, ordine etiam et consuetudine in illis mutata, sicut rerum usus et eventus ac ipsa temporum ratio et qualitas docuerit expedire.

Recensetur institutio militiae S. Mauritii de qua supra in constitutione v, II. § 1. Cum autem nos pridem, ad Dei omnipotentis laudem et fidei catholicae gloriam, in Sabaudiae et Pedemontis regionibus defensionem, totiusque christianae reipublicae salutem et commodum, militiam S. Mauritii martyris, sub Regula Cisterciensi, per universum christianum orbem, cuius suprema sedes et militum conventus in loco a dilecto filio nobili viro Emanuele Philiberto, Sabaudiae duce, in ipsa regione Sabaudiae assignando et statuendo, perpetuo sit, et in eadem militia unum magistratum, magnum vocandum, supremam eiusdem militiae dignitatem, pro uno magistro, qui illius caput existat, cum eo, qui sibi expedire videbitur, militum et ministrorum numero, qui milites etiam cum unica et virgine tantum coniugati ad habitum et professionem regularem admitti, seu qui pro tempore admissi fuerint, sic dumtaxat contrahere possint, et alias castitatem coniugalem et obedientiam expresse profiteantur; cum mensa magistrali, officiis, iuribus, iurisdictionibus et insignibus consuetis, aliarum huiusmodi militiarum instar, ex tunc, prout postquam dictus Emanuel Philibertus dux dotem annui redditus quindecim millium scutorum de propriis et patrimonialibus bonis illi constituisset, et e contra, erexerimus et instituerimus, ac illi sic erectae dictam dotem perpetuo applicaverimus et appropriaverimus, magistratumque praedictum, a primaeva ipsius erectione vacantem, eidem Emanueli Philiberto duci eiusque successoribus omnibus Sabaudiae ducibus, qui duces pariter et magni magistri essent, concesserimus et assignaverimus; ac praeterea ipsis, ut quotquot sibi viderentur nobiles aut optima virtute cognitos vel alias pro ipsorum arbitrio vel statuto qualificatos, ex omnibus nationibus, ad habitum et regularem professionem admittendi; ac etiam in quibuscumque mundi partibus dictae militiae prioratus, baiulivatus, praeceptorias et alia beneficia erigendi; provincias et nationes dividendi, aliaque

tunc expressa faciendi, liberam licentiam tribuerimus, sicut litteris nostris super his confectis latius continetur.

Enarrantur fructus proventuri, si dicta nova militia S. Mauritii uniatur militiae S. Lazari,

§ 2. Nos postea, diligenti meditatione considerantes ipsam de novo erectam et conficiendam militiam magnos absque dubio fructus, tali praesertim ductore atque magistro, fidei catholicae esse allaturam, sed multo tamen maiores, si aliis adiumentis et auxiliis fulcita atque munita fuerit; ac praeterea cernentes militiam hospitalis S. Lazari Hierosolymitani, sub Regula S. Augustini, iampridem magistri regimine destitutam, nobilem illam quidem et antiquam, sed ipsa vetustate ac temporum iniuria valde deiectam et prolapsam esse, optimum nobis visum est si hanc veterem illi novae et nunc nascenti adiungeremus, ut quod hæc in ipso initio per se agere perfecte non posset, id, alterius adiuta auxilio et viribus geminatis, fortior sit ad agendum, atque citius et facilius hac simul iunctae optatos Ecclesiae Dei et christiano populo fructus afferre possint.

Maxime quod dux Sabaudiae duas triremes pro Sede Apostolica promptas tenere debeat.

§ 3. Id vero facere instituimus cum eo quod Emanuel Philibertus et pro tempore existens dux et magister praedictus, annexionis huiusmodi ratione, duas triremes dictis militibus instructas pro Sedis Apostolicae defensione contra haereticos, infideles, piratas et quoscumque alios eius hostes continue de suo manutenere debeat.

Unio itaque utriusque militiae firmatur, sub denominatione Sanctorum Mauritii et Lazari;

§ 4. Quare eumdem Emanuelem Philibertum ducem et magnum magistrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causas, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad ipsius Emanuelis Philiberti ducis vel alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, militiam S. Lazari praedictam, cum illius magistratu ac omnibus et quibuscumque illius prioratibus, praeceptoriis, hospitalibus et aliis beneficiis regularibus, eorumque membris, grangiis, castris, villis, domibus, possessionibus, proprietatibus, fructibus et bonis, tam mobilibus quam immobilibus ac semoventibus, iuribus et actionibus universis, necnon ecclesiis, cappellis, terminis et pertinentiis quibuscumque, ad dictam militiam S. Lazari spectantibus, quaecumque, quotcumque, qualiacumque et ubicumque sint, non tamen aliis ecclesiis, piis locis et militiis canonice unita, quae ab his, quibus unita sunt, avocari, aut illorum ratione quemquam molestari noluimus, ac etiam exceptis iis quae in regnis et dominiis carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici existunt, eidem militiae Sancti Mauritii, quae in posterum militia Ss. Mauritii et Lazari nuncupetur, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ita perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ut post hac in perpetuum praedictus Emanuel Philibertus et pro tempore existens Sabaudiae dux, militiae Ss. Mauritii et Lazari magister sit et appelletur.

Militiamque S. Lazari subiicit duci Sabaudiae magno magistro in perpetuum.

§ 5. Ac prioratus, praeceptoriae et alia beneficia militiae S. Lazari, et ea obtinentes aliique milites, servientes, cappellani et personae, curae, gubernationi et iurisdictioni ipsius ducis et magni magistri in omnibus et per omnia subsint, prout suo antea magistro suberant, eique tamquam membra capiti obediant et obsequantur; liceatque eidem duci et magistro corporalem possessionem militiae S. Lazari eiusque magistratus et aliorum unitorum praedictorum, per se vel alium seu alios, propria auctoritate,

libere apprehendere et perpetuo retinere, fructusque, redditus et proventus in suos et dictae militiae usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia minime requisita.

Facultas habitum tradendi et veterem immutandi.

§ 6. Insuper his, qui praeceptorias Sancti Lazari in titulum seu commendam vel aliter quovis modo obtinent, habitum, per dictum ducem et magistrum militibus Ss. Mauritii et Lazari designandum, suscipiendi; et eidem Emanueli Philiberto duci et magno magistro, his, qui habitum Sancti Lazari iam susceperunt et deferunt, novum, dimisso antiquo, volentibus, tradendi; eos vero, qui dictum Sancti Lazari habitum, nondum susceperunt, ad novum habitum, ut praefertur designandum, suscipiendum et deferendum, opportunis remediis compellendi, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus.

Triremes, de quibus supra, paratae haberi debeant;

§ 7. Volentes et dicta auctoritate statuentes eumdem Emanuelem Philibertum et pro tempore existentem ducem et magnum magistrum in perpetuum, unionis huius ratione, ad duas triremes dictis militibus instructas, pro nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis ac Sedis Apostolicae, contra praedictos et quoscumque alios, defensione continua manutenendas teneri, et ad id efficaciter obligatum existere.

Principes ne impediant executionem hortatur.

§ 8. Ut autem praedicta omnia certiorem consequantur effectum, omnes et quoscumque reges, respublicas, duces, marchiones, principes et quosvis civitatum et locorum dominos hortamur et rogamus attente, ac eorum subditis in virtute sanctae obedientiae mandamus ut praedictis, quantum in se est, faveant; et quominus illa suum sortiantur effectum impedire, perturbare vel molestare, quovis quaesito colore, non audeant.

Contraria subiiciens apponit;

§ 9. Decernentes irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat;

§ 10. Quocirca, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Taurinensi, et Nicæensi et Montis Regalis episcopis, per apostolica scripta, motu simili mandamus ut ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte Emanuelis Philiberti, et pro tempore existentis ducis et magni magistri, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eique in praedictis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra litteras ipsas ab omnibus, quos illae concernunt, inviolabiliter observari, non permittentes eos per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat.

§ 11. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, ac nostra de unionibus committendis ad partes et valore exprimendo; necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon hospitalis praedicti S. Lazari, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis militiae praedictae, illiusque magistris, conventibus, militibus et ad-

ministratoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia similibus, ac alias quomodolibet, et iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXXII, idibus novembris pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 nov. 1572, pontif. anno I.

XI.

Occurrente vocatione ecclesiae Goanensis, metropolis ecclesiarum Indiae Orientalis, ob nimiam ab Urbe distantiam, episcopus Conchinensis ad illam accedere et eius administrationem suscipere tenetur, ibique pontificalia exercere, relicto in sua ecclesia Conchinensi idoneo vicario, donec ecclesiae Goanensi per Sedem Apostolicam fuerit provisum, et pastor eo accedere potuerit [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii cura nos admonet ut de singularum orbis ecclesiarum statu sollicite inquiramus, et ne illae, praesertim quae primates existunt, diuturnae vacationis incommodis maneant expositae, sedulo prospiciamus.

Causa constitutionis edendae. § 1. Sane ex carissimi in Christo filii nostri Sebastiani, Portugalliae et Algarbiorum regis insinuatione accepimus quod, quoties Goanensem ecclesiam, quae metropolis et ecclesiarum Indiae Orientalis primas existit, vacare contingit, propter civitatis Goanensis ab Urbe, ubi Romanus Pontifex ut plurimum residere solet, terra marique distantiam, longamque et difficilem navigationem, biennio integro, et si post mensem ianuarii vacatio occurrit, triennio fere eam pastorali praesentia ac solatio carere oportet, cum breviori tempore illius vacatio ad Sedem Apostolicam deferri, et pastor illi pro tempore praefectus accedere nequeat, ex eoque ecclesiam ipsam Goanensem pastore destitutam non modica pati in spiritualibus et temporalibus detrimenta, hominum mores corrumpi, ecclesiasticam disciplinam relaxari, gentiliumque et infidelium partium illarum ad Christi fidem conversionem, ab iis, qui praedicare et promulgare eam illis deberent, negligi, aliaque non levia damna et incommoda inde exoriri; Conchinensem vero ecclesiam in iisdem Indiae partibus consistentem, quae ipsi ecclesiae Goanensi metropolitico iure subest, pastoris sui absentiam ad tempus commodius sufferre posse, et episcopum Conchinensem in Goanensi ecclesia residendo, ecclesiae suae Conchinensi indemnitati consulere valere, rebusque necessariis prospicere, eiusque praesentiam ecclesiae Goanensi plurimum fore utilem et fructuosam.

Episcopus Conchinensis ecclesiae Goanen. viduatae pastore administratio- § 2. Propterea cupientes, pro muneris nobis, licet immeritis, divinitus iniuncti debito, praemissis incommodis occurrere, apostolica auctoritate, praesen-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

non suscipiat donec novus episcopus ad eam accesserit.

tium tenore, statuimus et ordinamus quod, occurrente pro tempore vacatione ecclesiae Goanensis, venerabilis frater nunc et pro tempore existens episcopus Conchinensis, vacatione huiusmodi intellecta, ad Goanensem ecclesiam cum gratia apostolicae benedictionis accedere, et in ea aut eius dioecesi personaliter residere, et eiusdem ecclesiae Goanensis curam, regimen et administrationem suscipere debeat et teneatur, et eamdem ecclesiam Goanensem, donec ei fuerit per Sedem Apostolicam de pastore provisum, et pastor ipse ad illam valeat se conferre et in spiritualibus et temporalibus gubernare, dimisso apud ecclesiam Conchinensem idoneo vicario seu gubernatore ab ipso episcopo deputando; eidemque episcopo Conchinensi praecipimus ut, onus huiusmodi devote suscipiens, verbi Dei praedicatione, sacrificiorum oblatione, bonorum operum exemplo, aliisque pastoralibus muniis incumbens, gregem sub ecclesia Goanensi praedicta consistentem in veritate ponat et regat; sibique in dicta ecclesia Goanensi eiusve dioecesi ex praedicta causa residenti, ut inibi pontificalia officia omniaque alia et singula, quae archiepiscopus Goanensis de iure vel consuetudine exercere et facere consuevit, facere, gerere et exercere valeat, etiamsi talia sint, quae speciali nota designari debuissent, concedimus et indulgemus; eumque interim, ob non residentiam apud ecclesiam Conchinensem, censuris et poenis contra non residentes a sacris canonibus et oecumenicis conciliis ac per nos novissime facto decreto inflictis minime subiacere, eadem auctoritate declaramus atque decernimus.

Facultas exercendi pontificalia et quaecumque munera, tamquam proprius episcopus.

§ 3. Mandantes, in virtute sanctæ obedientiæ, dilectis filiis capitulo, clero, populo atque vassallis ecclesiae Goanensis huiusmodi ut dictum episcopum Conchinensem ad eos ex causa praedicta accedentem debitis cum reverentia et honore excipiant, ac omnibus suis salubribus monitis et mandatis intendant, pareant et assistant, ac consueta et archiepiscopo Goanensi debita servitia ipsi episcopo Conchinensi praestent et exhibeant.

Mandatum de obedientia et obsequio praestandis episcopo Conchinen.

§ 4. Ac decernentes sic, in praemissis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales et Sacri Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et interpretari debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam contigerit attentari. Clausulae.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac, in provincialibus et synodalibus universalibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; dictaeque ecclesiae Goanensis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, capitulo et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII decembris MDLXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 dec. 1572, pontif. anno I.

XII.

Confirmatio privilegiorum eremitarum Camaldulensium et concessio quod ipsi, pro eorum necessitatibus, frumentum et oleum ab uno ad alium eorum locum transferre possint [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Sedis Apostolicae copiosa benignitas Exordium.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

piis quarumlibet sub Religionis iugo et regulari observantia Domino militantium personarum votis libenter annuit, et illis quae ab eadem Sede pro ipsis personis, eorumque locis processisse dignoscuntur uberioris interdum apostolici muniminis adminiculum adiicit, ut eo firmius illibata persistant, quo frequentiori fuerint apostolico praesidio stabilita.

Facti series.

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum maioris, visitatorum, priorum, fratrum et personarum societatis eremitarum S. Romualdi, Camaldulensis Ordinis, nobis exhibita petitio continebat quod, licet alias dicta societas per felicis recordationis Leonem Papam decimum, praedecessorem nostrum, apostolica auctoritate instituta, ac ipsa et eius cappellae, eremitoria, ecclesiae, monasteria, loca et quaecumque bona ac cetera alia eiusdem societatis et ad illam pro tempore pertinentia, tam per eumdem Leonem quam etiam per diversos alios Romanos Pontifices, quamplurimis privilegiis, indultis, concessionibus, facultatibus, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, etiam ab omnibus decimis aliisque oneribus et impositionibus quibuscumque, necnon etiam indulgentiarum concessione, usuque et participatione omnium et singularum indulgentiarum aliorumque privilegiorum et bonorum aliis Ordinibus, societatibus et locis concessorum, tam per simplicem quam novam concessionem et iteratis etiam vicibus confirmationem et innovationem, etiam vivae vocis oraculo, respective decorata et munerata esse dignoscantur, prout in variis eorumdem praedecessorum aliisque desuper confectis litteris dicitur plenius contineri.

Fratrum supplicatio.

§ 2. Nihilominus, pro eorumdem maioris, visitatorum, priorum et fratrum parte, fuit nobis humiliter supplicatum ut praedictis et in eis contentis, pro illorum subsistentia firmiori, robur apostolicae confirmationis adiicere, et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio privilegiorum Camaldulensibus concessorum.

§ 3. Nos igitur, qui Religioni deditis apostolici favoris praesidium libenter impendimus, omnium et singularum litterarum huiusmodi, super praedictis emanatarum, et inde secutorum quorumcumque tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, indulta, concessiones, facultates, gratias, immunitates, exemptiones, libertates, etiam ab omnibus decimis, collectis, exactionibus, gabellis, taleis, datiis, tractis, subsidiis caritativis, impositionibus, quibusvis personis, quacumque auctoritate, etiam ratione visitationis ordinariae, impositis, ac aliis quibuscumque, tam ordinariis quam extraordinariis, oneribus et impositionibus, quocumque nomine censeantur et sint, ac indulgentiarum concessiones, usumque et participationem omnium et singularum indulgentiarum, peccatorum remissionum, gratiarum, concessionum, facultatum, immunitatum, exemptionum, privilegiorum, praeeminentiarum, praerogativarum, libertatum, favorum, licentiarum et indultorum apostolicorum aliorumque quorumcumque beneficiorum et bonorum, qualiacumque sint, omnibus et singulis Ordinibus, congregationibus, societatibus et monasteriis, sub approbatis claustris degentibus seu militantibus, eorumque superioribus generalibus, provincialibus et particularibus, monachis seu religiosis, commissis, oblatis, novitiis, familiaribus, servitoribus, benefactoribus et aliis quibuscumque personis et locis, coniunctim vel divisim, in genere vel in specie vel alias quomodolibet concessorum, societati eremitarum S. Romualdi, Ordinis Camaldulensis, eiusque maiori, visitatoribus, prioribus, fratribus et personis huius-

modi, tam per praefatum Leonem quam etiam Clementem VII, Paulum III, Iulium III, Paulum IV, Pium IV et Pium V, praedecessores nostros, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibus et aliis decretis hactenus quomodolibet concessa, confirmata et innovata, quatenus in usu sint, apostolica auctoritate, ex nostra scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, approbamus, confirmamus et innovamus, ac praesentis nostri scripti patrocinio communimus.

Facti defectus supplentur pro validitate praemissorum.

§ 4. Necnon omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, et nihilominus, potiori pro cautela, ut illa omnia et singula, prout eisdem societati et eremitis per praedecessores nostros huiusmodi concessa fuerunt, quatenus in illorum usu, ut praefertur, existant, libere illis omnibus et singulis uti, frui et gaudere possint et valeant, dicta auctoritate et de novo concedimus.

Facultas transferendi frumentum et oleum ab uno ad alium locum pro ipsorum usu tantummodo.

§ 5. Necnon eis, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, pro ipsorum necessitatibus et exigentia, frumenta et oleum, quod habebunt, sive a personis saecularibus emptum, sive etiam a quibuscumque pro eleemosyna datum et acceptum existat, de uno ad alium ex eorum ecclesiis, cappellis, eremitoriis et locis, ad ipsorum usum tantum, transferre et asportare possint, libere et licite valeant, indulgemus per praesentes.

Commissio executionis praesentium litterarum.

§ 6. Quocirca universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis in dignitate ecclesiastica constitutis personis, necnon praefatorum patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in spiritualibus vicariis et officialibus generalibus per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte modernorum et pro tempore existentis maioris, visitatorum, priorum et fratrum ac eremitarum et personarum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos litterae ipsae concernunt, illis pacifice gaudere; non permittentes eos desuper contra earumdem litterarum tenorem a quoquam indebite molestari: contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum imponendo, et auxilium brachii saecularis, si opus fuerit, invocando.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac quacumque prohibitione, generali vel speciali, frumentum et aliud non extrahendi, per quoscumque, etiam Romanos Pontifices, in contrarium editis, omnibusque aliis, quae in dictorum Pontificum praedecessorum nostrorum aliisque litteris, desuper praemissis confectis, expressum fuit non obstare, et quas, brevitatis causa, hic particulariter non recensemus, quibus omnibus et singulis, illarum totales, veros et veriores tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod inter-

dici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXII decembris MDLXXII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 decem. 1572, pontif. anno I.

XIII.

Declaratio circa eleemosynas monialibus servantibus clausuram praestandas [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Deo sacris virginibus, quae, contemptis illecebris saeculi, divinis se obsequiis manciparunt, aequissimum est praecipua quadam a nobis ac singulari sollicitudine provideri, tum ut ab eis omnia, quae sanctum ipsarum propositum impedire possent, removeantur, tum etiam ut eis, in cultu Dei caste ac religiose permanentibus, quae ad victum necessaria sunt, subministrentur.

Tridentinum conc. monialib. clausuram servare iubet 2. § 1. Et quidem, post sacri concilii Tridentini decretum, quo constitutio felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, quae incipit *Periculoso*, renovatur, prohibens ne aut ipsis monialibus ex monasteriis suis egredi, aut ulli, cuiuscumque sexus aut ordinis, personae ad eas ingredi liceat, et praeterea universis episcopis praecipitur ut in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apost. auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata, diligenter restitui, ubi vero inviolata, conservari maxime procurent, piae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, victui quoque et necessitatibus ipsarum prospicere cupiens, cum superiora illa approbasset atque innovasset, eademque omnia etiam in monialibus quarumcumque militiarum, etiam Hierosolymitanae, omnibusque aliis tacite vel expresse Religionem professis, quocumque nomine censerentur, locum habere decrevisset, ne illae quicquam detrimenti in necessitatibus suis hac occasione paterentur, etiam praecepit locorum ordinariis et superioribus earum, ut fidelium eleemosynas per conversas non professas vel professas quidem, sed aetatis saltem quadraginta annorum et iampridem conversas, quae in domibus contiguis, extra tamen monasterium, degerent, colligendas curarent, ita tamen ut praedictae conversae neque clausuram aliarum monialium, nisi in casibus permissis, ingrederentur, nec ex illis ipsis habitationibus suis ad tales eleemosynas colligendas, sine permissu ordinariorum aut superiorum suorum, exire possent. Quod si ne hoc quidem sufficere videretur, idem Pius praedecessor mandavit ipsis ordinariis et superioribus ut negocium darent aliquibus personis piis tales eleemosynas colligendi, aliaque arbitratu suo prospicerent, quae ad sublevandam monialium inopiam expedire iudicarent.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, multae moniales, etiam quae Tertiariae vocantur, sub solemni Religionis voto perpetuaque clausura degentes, aliaeque talibus litteris comprehensae et in ipsa clausura permanentes, multis praeterea ad se sustentandas necessariis egeant, neque usque ad hoc tempus ullo sufficienti remedio earum necessitatibus subventum sit. Quin etiam aliae Tertiariae citra ullum solemne huc usque votum vivant, quae ad suas suorumve domos neutiquam rediturae essent, sed sub solemni Religionis voto et clausura praedictis permanerent, si earum Causa huius constitutionis.

1 Ad haec, vide etiam Pii V constitutionem XIII, *Circa*, tom. VII, pag. 667. 2 Concilii Tridentini decretum istud habes in sess. XXV, cap. V.

congruae sustentationi provideretur: nos, qui illas necessariis rebus destitui nolumus, certioresque facti sumus in multis civitatibus, oppidis, villis aut aliis locis, tam in ecclesiis et monasteriis, quam hospitalibus, collegiis, confraternitatibus et aliis locis piis, etiamque a privatis hominibus, tum ecclesiasticis tum laicis, multas ac diversas eleemosynas Christi pauperibus erogari, considerantes in eiusmodi personas vel in primis exercendam esse charitatem, quae, voluntaria paupertate suscepta, ab omni hominum commercio segregatae, Deo serviunt, et assiduis precibus iram Ipsius ob peccata conceptam a christiano populo deprecantur; illud quoque cogitantes, si eis ad tales eleemosynas petendas ad loca praedicta conferre se liceret, vix fore ut praedicta monasteria, ecclesiae, loca ac personae eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis aliis pauperibus eodem concurrentibus solent, universo illi Deo devotarum mulierum generi de opportunae ac sufficientis subventionis auxilio providere cupientes:

Et modo ab isto Pontifice applicatur monialibus clausuram servantibus medietas eleemosynarum pro Christi pauperum victu et vestitu destinatarum erogandarum.

§ 3. De nobis attributae potestatis plenitudine statuimus et ordinamus ut omnes et quicumque patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi et alii ecclesiarum praelati, necnon abbates, priores, praepositi et alii ecclesias patriarchales, primatiales, metropolitanas, cathedrales et alias ecclesias necnon monasteria, prioratus, praepositurras, canonicatus, praebendas, dignitates, personatus, administrationes, officia, ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et S. Benedicti, S. Augustini, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Cartusiensis, Camaldulensis, S. Basilii, Cassinensis, alias S. Iustinae, Montis Oliveti, S. Salvatoris, ac Lateranensis, et Cruciferorum, seu fratrum S. Hieronymi, necnon Praedicatorum, Minorum, Minimorum, et Carmelitarum, Eremitarum eiusdem S. Augustini, Servorum B. Mariae, S. Clarae, et quorumcumque aliorum, tam virorum quam mulierum, etiam Mendicantium, Ordinum et congregationum et militiarum, regularia, etiam de iure patronatus laicorum, etiam nobilium, ducum, regum et aliorum principum existentia, in titulum, commendam, administrationem et alias quomodocumque obtinentes; necnon rectores, gubernatores, confratres, administratores ceterique omnes, qui, ratione illorum necnon capitulorum, conventuum, mensarum, hospitalium, etiam laicorum et per laicos administrari solitorum, christifidelium confraternitatum, scholarum, collegiorum ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum, et in quibusvis mundi partibus consistentium, quae singulis annis, mensibus, hebdomadis vel diebus ex ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, officiorum, dignitatum et beneficiorum ac congregationum, hospitalium, confraternitatum, scholarum, collegiorum, piorum et aliorum locorum praedictorum fructibus, redditibus et proventibus, pauperibus Christi aliquas eleemosynas in pane, frumento, farina, vino, eduliis, pecunia seu aliis ad victum vel vestitum pertinentibus, etiam ad supplicationem et preces, et per cedulas et bolettina aut alias distribuere et elargiri ab immemorabili tempore consueverunt, aut alio quocumque iure tenentur, ex dictis fructibus, redditibus et proventibus; et quoad hospitalia praedicta, ex iis quae, servata in illis actuali hospitalitate, supersunt seu supererint; necnon quaecumque personae particulares, etiam laicae, vel universitates, etiam laicorum, quae testamento, ultima voluntate vel alia dispositione, etiam inter vivos, aliquales tales eleemosynas facere tenentur, dimidiam partem omnium et quarumcumque elee-

mosynarum et largitionum huiusmodi, quocumque nomine nuncupatarum, quocumque tempore et modo distribui solitarum, etiam si speciali nota dignae, et secundum pias defunctorum aut aliorum voluntates, sub certa forma ab eis in testamento [1] vel alia quacumque dispositione, distribuendae sint (dummodo non in certas personas, nec ad certos usus pios alios quam victus et alimenta pauperum distribuantur), quibuslibet praedictarum monialium, etiam Tertiariarum, sub solemni Religionis voto et perpetua clausura de cetero viventibus, et in terris et locis, quorum pauperibus huiusmodi eleemosynae distribuuntur, consistentibus, vere, realiter et cum effectu, et absque ulla eleemosynarum et largitionum huiusmodi petitione, exactione et conquisitione aut alia desuper a nobis expectata iussione aut mentis nostrae declaratione, ac quibusvis mora, subterfugio ac exceptione cessantibus et eiectis, dare atque distribuere omnino teneantur, et quam dimidiam partem nos illis applicamus.

Ordinarii locorum exigant et applicent et distribuant huiusmodi eleemosynas;

§ 4. Ut autem praemissa omnia cum caritate et pietate procedant, et efficaciter suum effectum sortiantur, universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis per apostolica scripta mandamus ut quisque, per se vel alium seu alios, ad praesentium executionem in suis civitatibus et dioecesibus procedens, ab ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, confraternitatibus, scholis, collegiis, locis, et ecclesiasticis ac laicis personis prædictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium eleemosynarum huiusmodi exigant, ac pro portione, ut ordinariis ipsis locorum aequum esse videbitur, singulis pauperum monialium, etiam Tertiariarum, monasteriis huiusmodi suarum civitatum et dioecesum, etiam si aliis superioribus subiectae sint, cum effectu distribuant. Nos enim eisdem locorum ordinariis, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatis, ac cuilibet illorum tam per se quam alium vel alios, præmissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet et rebelles per poenas pecuniarias, eorumdem ordinariorum et cuiuslibet illorum arbitrio infligendas et applicandas, ac in subsidium sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, quacumque appellatione postposita, respective compescendi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, aliaque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi, gerendi, mandandi et exequendi, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Consanguineosque monialium et alios hortentur ut eisdem monialibus caritative subveniant.

§ 5. Insuper, quia valde rationi consonum est ut etiam ii, qui ipsis monialibus, etiam Tertiariis, indigentibus praefatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in praemissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis et debitum caritatis et honestatis id postulet, singulis locorum ordinariis committimus ut omni eos officio et diligentia monere eisque persuadere studeant; parentes vero et fratres ac alios, ad quos illas, si in saeculo permansissent, dotare pertinebat; vel ad quos bona et successiones devenerunt; et qui, si eas nuptui tradidissent, multo amplius, quam ingredientibus monasterium dedissent; vel qui, si eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscumque viis ipsis benevisis inducant ut monialibus, etiam Tertiariis, praedictis, iuxta eorum facultates, caritative subveniant, scituri id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum.

Declaratio constitutionis Pii V editae circa conversas professas et non professas.

§ 6. Ceterum, quod attinet ad conversas professas, quas praedictus Pius praedecessor per praedictas litteras, sub certis conditionibus ibi contentis, permisit posse manere extra monasteria pro colligendis

[1] Deest forsitan *posita* (R. T.).

eleemosynis, eisdem locorum ordinariis iniungimus ut, quibus monasteriis praedictarum monialium, quotidianis laboribus computatis, supradicta vel alia qualibet ratione, de sufficienti subventione et sustentatione provisum esse cognoverint, easdem conversas sub eadem clausura cum aliis monialibus reducant, neque a suis monasteriis amplius exire permittant. Conversas vero non professas et profiteri nolentes, dimisso habitu, domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras, in monasteria huiusmodi recipi permittatur. Quod autem idem Pius praedecessor statuit, de cetero nullas alias conversas professas recipi amplius, etiam de consensu suorum superiorum, posse, ita esse intelligendum declaramus, praeter illas conversas, quae extra monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum vero praedictarum contributionem et applicationem durare et valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus monialium, etiam Tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum ordinarios, etiam in monasteriis ab eorum cura et regimine quomodocumque exemptis, cum illarum superiorum interventu, stabiliri et ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu superiorum suorum, volumus et mandamus), ita imminutus fuerit, ut reliquae moniales, et Tertiariae, ex propriis redditibus monasteriorum ipsorum vel consuetis eleemosynis se commode sustentare queant: super quo eorumdem ordinariorum conscientiam oneramus, ita tamen ut, decedentibus singulis ex tribus earumdem monialium partibus, tertiae quoque earumdem eleemosynarum partis distributio, et sic successive, in totum extinguatur, atque in pristinum statum sub debitis aut solitis oneribus revertantur et remaneant. Declaramus praeterea nullis monialibus, etiam Tertiariis, licere habere ostium, per quod ex monasterio introiri possit ipsarum monialium ecclesiam exteriorem in quam saecularibus ad missas et divina officia patere solet accessus, sed omnino muro obstruendum, neque itidem licere monialibus, etiam Tertiariis, egredi a ianua monasterii, quae est pro clausura ipsius monasterii, etiam ad claudendum aliam ulteriorem ianuam, qua patere solet aditus saecularibus venientibus vel ad rotam vel ad crates seu loca colloquiis destinata, quae vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam ianuam clausurae; quae loca, cum saltem pro causis praedictis patere soleant saecularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt.

§ 7. Insuper quoscumque dominos et magistratus temporales in Domino hortamur, monemus et requirimus ut, ad omnem ipsorum ordinariorum aut alicuius ipsorum petitionem vel simplicem requisitionem, illis in praemissis assistentes, omnem opportunum favorem et auxilium praestent et exhibeant.

Domini temporales faveant, in praemissis, ordinariis.

§ 8. Ipsis denique patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis præcipimus et mandamus ut has præsentes nostras litteras (quarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eamdem ubique fidem, in iudicio et extra, adhiberi debere volumus, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae) singuli in sua civitate et dioecesi publicent ac publicari, easque, iuxta earum continentiam et tenorem, una cum praedictis ac aliis praedicti Pii V et aliorum praedecessorum nostrorum litteris et constitutionibus et iussionibus, pro integra clausurae instauratione, custodia et firmitate editis, inviolabiliter observent et observari faciant.

Ordinarii faciant publicari et observari hanc constitutionem.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus testatorum et aliorum voluntatibus ac fundationibus, et Bonifacii praedicti de una, et concilii generalis de duabus, non tamen tribus diaetis, ac quibusvis aliis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis ecclesiarum, monasteriorum et illorum Ordinum, hospitalium, militiarum, confraternitatum, collegiorum et aliorum piorum locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, libertatibus, gratiis et litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis et Ordinibus, hospitalibus, confraternitatibus, collegiis et piis locis, ac eorum superioribus et personis, quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et pluries innovatis, etiam si in eis caveatur expresse quod illis nisi sub certa inibi expressa forma aut alias derogari non possit: quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si supradictis vel quibusvis aliis ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, tertio kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 decem. 1572, pontif. anno I.

XIV.

Confirmatio privilegiorum et gratiarum Levantinis civitatis Anconae a Summis Pontificibus concessorum; et quod, decedente aliquo ex ipsis, cuius haeres non sit praesens, eorum consul faciat inventarium per manus notarii, cum assistentia viri probi ab episcopo Anconitano deputandi; et quod nullus hebraeus Italus, qui acceperit merces vel sit eorum debitor, aliquod beneficium quinquennale vel alterius dilationis contra eosdem desuper obtinere possit [1].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Dudum emanarunt a felicis recordationis Pio Papa V, praedecessore nostro, litterae in forma brevis, tenoris subsequentis, videlicet.

§ 2. Pius Papa V, ad futuram rei memoriam. Alias emanarunt a piae memoriae Pio Papa IV, etiam praedecessore nostro, litterae tenoris subsequentis, videlicet.

Pii IV const.

§ 3. Pius Papa IV, ad perpetuam rei memoriam. De benignitate Sedis Apostolicae provenire dignum est ut quoscumque, etiam christianae religionis expertes, qui in conquirendis convehendisque mercibus ad usum ditionis temporalis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sanctae Romanae Ecclesiae laboriosam operam praestant, a noxiis, quantum potest, praeserventur, et ut ea, quae proinde emanasse dicuntur, quo firmiora sint, apostolico praesidio solidentur.

Facti series.

§ 4. Nuper siquidem, pro parte universitatum Hebraeorum, Turcarum, Graecorum et aliorum utriusque sexus mercatorum partium Orientalium, civitatem Anconitanam et alia loca sanctae Romanae Ecclesiae subiecta incolentium, nobis expositum fuit quod alias, per felicis recordationis Paulum Papam III, praedecessorem nostrum, accepto quod antea dilectus filius noster Guido Ascanius Sfortia, Sanctae Mariae in Via Lata diaconus cardinalis, noster, tunc eiusdem praedecessoris, camerarius, eisdem Hebraeis, Turcis, Graecis et aliis mercatoribus, ut quietius et cum maiori securitate in civitate et aliis locis praedictis cum eorum mercibus degere possent, concesserat dictis Hebraeis, Turcis, Graecis et aliis Orientalibus ut liceret eis, pro eorum commoditate et animi satisfactione, unam scholam seu synagogam ad eorum voluntatem amovibilem, in unoquoque loco Status Ecclesiastici, in quo ipsos residere contingeret, erigere, quae sua ipsorum Orientalium libera esset; ita quod nullus alius Hebraeus aut alia universitas Hebraeorum vel cuiusvis alterius nationis quam Orientalis in ipsa schola seu synagoga imperium seu superioritatem haberet, quae tamen honesto loco servaretur; et si ipsi illam transferre vellent, nullam ob id licentiam a notario petere cogerentur; ita tamen quod illa cuipiam ecclesiae vicina non esset, ne aliquam scandali causam in vicinia habuerit; ac quod dicti Graeci, Turcae, Hebraei aut alii Orientales a civitate Anconitana aut quovis alio loco, in quo ipsi residerent, tam ratione belli cum infidelibus, quam ex alia causa, soluto ordinario datio, libere, cum omnibus eorum rebus et personis, prout ipsi viderentur, recedere, nec propterea aut quovis debito vel alia causa represaliari possent, sed, soluto ipso datio ordinario, liberi existerent, exceptis causis in quibus ipsi pro se vel aliis essent obligati.

Emptio mercium in civitate Anconitana nemini prohibenda.

§ 5. Quodque nemini, sive christifideli sive turcae aut mauro vel hebraeo, interdiceretur aut prohiberetur, seu directe vel indirecte prohiberi posset quominus merces per dictos hebraeos Orientales tam in civitate Anconitana quam ad quemvis alium Ecclesiae locum conducendas emerent, sed omnibus emere integrum esset, absque metu alicuius poenae, etiam in proclamationibus de mandato cuiusvis superioris seu officialis publicatis et publicandis expressae, exceptis rebus communiter prohiberi solitis de loco ad locum sine certa dispensatione conduci.

Nemo Orientalium milites in hospitium recipere tenetur, aut ad id quidquam contribuere.

§ 6. Nullusque Hebraeus, Turca, Graecus aut alius Orientalis teneretur recipere milites aut illis domicilium dare aut alicui, etiam ex Hebraeis, qui ipsos milites hospitarentur, contribuere, nec propterea ab eorum habitationibus expelli possent, aut aliqua eorum res, tam de supellectilibus quam pecuniis, eiici, dummodo habitationes eorum non essent coniunctae muris civitatis vel alicui suspecto loco.

Iudex ordinarius in eorum causis.

§ 7. Et quod in causis ipsorum Hebraeorum, Graecorum, Turcarum et omnium aliorum Orientalium, in quibus de eorum interesse ageretur, tam in civilibus quam in criminalibus, nullus officialis se intromittere posset, sed omnis dictarum causarum commissio fieri deberet per gubernatorem Anconitanum seu illius iudices et consulem ipsorum Orientalium aut eius substitutum, quorum iurisdictio non in solidum, sed coniunctim intelligeretur, et differentias inter ipsos Orientales solus consul aut eius substitutus, differentias vero inter ipsos Orientales et alios

respective vertentes dictus gubernator cum dicto consule vel eius substituto coniunctus respective cognoscere deberet, sed in causis criminalibus dictus consul vel eius substitutus vocari et moneri deberet, data sibi copia intentionis causae cum competenti termino ad se de re informandum, et ad pro inquisiti defensione, si voluerit, interveniendum; et omnis actus seu processus alias factus ipso iure nullus et invalidus existeret, et hoc intelligendum esset quoad illos qui in civitate Anconitana et illius territorio et non alibi degerent, cui iudicio dicti Orientales tam active quam passive subiecti existerent.

Orientales constringi non possunt in causis, quae originem non habeant in Statu Ecclesiastico, nisi aliter conventum fuerit.

§ 8. Quodque dicti Orientales constringi non possent, quamvis ob causam, tam civilem quam criminalem, etiam quod corporalis poena venisset imponenda, dummodo causa ipsa originem non haberet, aut contractum vel perpetratum foret in Statu Ecclesiastico, aut expresse per instrumentum vel cedulam conventum non fuisset quod, ubi reperti fuissent, ad solvendum cogi possent (exceptis causis contra christianum); et occurrente aliquo maleficio, cuius causa venisset ultimum supplicium imponendum, dicti iudices possent formare processum, illoque formato et publicato, accusatorem et testes et processum huiusmodi cum delinquente Romam mittere, ubi talis causa terminari deberet, exceptis testibus, nisi forent requisiti per iudicem in Urbe deputandum, et causis concernentibus servitium principis et celeritatem poscentibus.

A bannimentis sunt exempti et ab impositionibus Hebraeorum

§ 9. Et quia dicti Hebraei, Turcae, Graeci et alii Orientales ibant et redibant, etiam sub bannimentis quae ab officialibus locorum fieri contingerent, declaraverat ipsos Orientales ab omni poena, per huiusmodi bannimenta imposita et imponenda, exceptos esse, dummodo per civitatem seu locum, in quo moram traxissent, arma non deferrent, nec noctu ultra solitum sine lumine irent, ex certis rebus et sive bannimentis communiter prohibitis; dictique Orientales, Hebraei, Turcae et Graeci sub decimarum, vigesimarum et aliorum onerum, tam ordinariorum quam extraordinariorum, impositionibus, Hebraeis et per Hebraeos pro tempore impositis non comprehensi, sed ipsi cum eorum rebus et personis ab illis liberi et immunes intelligerentur, nisi liquide apparuisset huiusmodi Levantinos ibi domicilium elegisse et contraxisse, non autem attenta forma statutorum, sed iuris communis.

Libertas Orientalibus concessa manendi etiam sine mercibus in civitate Anconitana.

§ 10. Quodque omnes Orientales mari vel terra undecumque, cum familia et mercibus vel sine ipsis, venientes, et fidem sanitatis deferentes, possent portum et civitatem seu locum, absque aliqua solutione et sine impedimento ingredi, et inibi stare, et quo vellent libere se conferre, notificata tamen prius eadem fide dicto gubernatori vel deputatis ad curam; ac etiam quod dictis Orientalibus, Hebraeis, Graecis et Turcis datium aliquod alterari aut aliquod extraordinarium, tam in rebus quam in personis, augeri non posset; personae quoque Orientales ad quartam partem eius, quod lucrarentur, ulterius non cogerentur nec cogi possent, quominus proxenetae artem huiusmodi exercerent.

Datium alterari non potest.

Absolutio eorum ab omni poena.

§ 11. Ipsique Hebraei, Turcae et Graeci et alii Orientales ab omni poena legati, et per constitutiones, bannimenta, maleficia vel quasi, inter ipsos vel quemlibet ipsorum quomodocumque et qualitercumque incursis, perpetratis, factis vel dictis, in genere vel in specie, directe vel indirecte, tam cognitis quam incognitis, absoluti essent, et liberi et franchi intelligerentur, ita quod desuper neque per viam accusationis, neque ex officio inquiri pos-

sent, sed perinde haberentur ac si ea die nati essent, concessa ipsis omni indulgentia et remissione plenarie, etiam in foro contentioso; et quod Michelettus Hebraeus, qui omnium scandalorum, quae in civitate Anconitana occurrerant, causa et fomentum fuerat, ab ipsa civitate et illius territorio perpetuo exularet, ut inibi quiete et in pace viverent.

Gubernator Anconitanus teneter singulis annis Orientalium privilegia nota facere.

§ 12. Et, si placeret eidem praedecessori, per suas litteras dicto gubernatori Anconitano res expedienda committeretur, et pro ipsorum Orientalium securitate idem gubernator Anconitanus teneretur et obligatus existeret singulis annis, sicuti retroactis tunc temporibus consueverat, sub poena publica, proclamari facere quod nemo deberet dictis Hebraeis, Graecis et Turcis ac aliis Orientalibus molestiam inferre, patrem pro filio ad poenam obligando; et in hebdomada sancta, dum clausi manent, ne illos quovis modo ab aliquo molestari possent, custodiri faceret, dummodo, quoad hebdomadam sanctam, de more se domi honeste continerent, de mandato ipsius praedecessoris concesserat. Praefatus praedecessor, eorumdem Hebraeorum, Turcarum, Graecorum et aliorum mercatorum supplicationibus in ea parte inclinatus, capitula ipsa, quae in Camera Apostolica inspici et diligenter examinari et de vulgari italico in latinum sermonem verti fecerat,

Levantinorum supplicationes Paulus tertius annuit et approbavit.

§ 13. Ac omnia et singula in eis contenta per suas in forma brevis litteras, ex certa scientia approbavit et confirmavit, ac ab omnibus, quos ea tangebant, firmiter et inviolabiliter observari debere decrevit, supplens omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerant in eisdem; nihilominus, pro potiori cautela, ea omnia et singula quae per praefatum Guidonem Ascanium cardinalem et camerarium eisdem Hebraeis, Turcis, Graecis et aliis mercatoribus concessa fuerant, irritanti decreto desuper interiecto, de novo concesserat, prout in eisdem litteris plenius continetur.

Confirmatio privilegiorum.

§ 14. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti Hebraei, Graeci, Turcae et mercatores cupiant capitula et litteras praedictas huiusmodi, pro illorum subsistentia firmiori, etiam nostro patrocinio communiri; nos, attendentes illorum commercium huiusmodi magno dictae nostrae ditioni adiumento esse, ac sperantes per diuturnam eorum cum christianis conversationem, Spiritus Sancti cooperante gratia, ad agnitionem verae fidei tandem pervenire posse, illorum supplicationibus in hac parte inclinati, litteras et capitula praedicta, et, prout illa concernunt, omnia et singula in ipsis litteris et capitulis contenta, necnon inde secuta quaecumque, licita tamen et honesta, et quatenus tempore piae memoriae Iulii Papae III, etiam praedecessoris nostri, fuerint in usu, apostolica auctoritate tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, necnon omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulae.

§ 15. Decernentes omnia et singula praefata suos plenarios effectus sortiri; sicque per quoscumque iudices, tam ordinarios quam delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur executio praefatarum litterarum.

§ 16. Quocirca venerabili fratri episcopo Amerino, et dilectis filiis Leonardo Triumpho, canonico ecclesiae Anconitanae, ac vicario venerabilis fratris episcopi in spiritualibus generali, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium

seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Hebraeorum, Turcarum, Graecorum et aliorum mercatorum Orientalium praefatorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, firmiter observari; ac ipsos Hebraeos, Turcas et Graecos praedictos omnesque alios et singulos, quos litterae ipsae quomodolibet concernunt, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eorum aliquem per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum. § 17. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac Anconitanae aliarumque civitatum, provinciarum, terrarum, locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et pro tempore existentibus dictae civitatis Anconitanae gubernatori seu legato aut vicelegato vel quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, nec non quavis consideratione atque quibusvis causis quotiescumque concessis, approbatis et iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDLX, pontificatus nostri anno primo. Hieronymus Martinengus.

Confirmatio praefatarum litterarum. § 18. Cum autem nobis nuper, pro parte dictorum Hebraeorum, Turcarum, Graecorum et mercatorum, fuit humiliter supplicatum ut praeinsertas litteras huiusmodi, pro illorum maiori validitate et observantia, nostrae firmitatis robore communire, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur, nos, considerantes illorum commercium Statui temporali nostro Ecclesiastico non mediocri commodo esse et adiumento, spemque habentes quod ipsi, inter christianos conversando, per divinae bonitatis gratiam et Spiritus Sancti illustrationem, ad viam veritatis et ad sanctae fidei agnitionem aliquando pervenire poterunt, eorum in hac parte nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinati, litteras et capitula praedicta, ac, prout

illa concernunt, omnia et singula in ipsis litteris et capitulis contenta, necnon inde secuta quaecumque, licita tamen et honesta, et quatenus tempore eiusdem Pii praedecessoris fuerint in usu, dummodo, quoad synagogam quam ipsi Anconae habent, illa sit separata ab habitatione christianorum et in remota parte posita; quoad vero alias synagogas eorumdem, illae intra ghettum aliorum Hebraeorum constituantur et serventur: quoad absolutionem et remissionem poenarum, occasione meleficiorum per eos perpetratorum, dummodo delicta contra fidem vel crimina laesae maiestatis non existant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis nostrae robur adiicimus: necnon omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulae.

§ 19. Decernentes omnia et singula in praeinsertis litteris huiusmodi contenta suos totales ac plenarios effectus, iuxta praesentium nostrarum tenorem, sortiri, ac per eos, ad quos spectat, debitae executioni demandari, inviolabiliterque ab omnibus observari; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quacumque auctoritate fungentes, tam ordinarios quam delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis instantia, ubique iudicari et diffiniri debere; irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executio praedictarum litterarum.

§ 20. Et nihilominus dilectis filiis gubernatori provinciae nostrae Marchiae Anconitanae, et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac vicario venerabilis fratris episcopi Anconitani in spiritualibus generali, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praeinsertas ac praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem Hebraeorum, Turcarum et Graecorum et aliorum mercatorum Orientalium seu cuiusvis eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque et eorum singulis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra dictas et praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, ut praefertur, firmiter observari; ac ipsos Hebraeos, Turcas, Graecos et alios mercatores omnes et singulos, quos ipsae litterae quomodolibet concernunt, illis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eorum aliquem per quoscumque, contra illarum tenores, quovis modo indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per poenas, etiam pecuniarias, sibi visas, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, poenas, sententias ac censuras praedictas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato seu adhibito etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 21. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus ac litteris apostolicis, etiam nostris, desuper emanatis, necnon omnibus illis, quae idem Pius praedecessor in dictis suis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDLXVII, pontificatus nostri anno II. Caesar Glorierius.

Confirmatio dictarum litterarum.

§ 22. Cum autem nobis nuper, pro parte dictorum Hebraeorum, Turcarum, Graecorum et mercatorum fuerit humiliter supplicatum ut praeinsertas litteras, pro illarum maiori validitate et observantia, approbare, aliasque in praemissis oppor-

tunc providere de benignitate apostolica dignaremur, eisdem moti rationibus, quibus praedecessores nostri praedicti inducti sunt, eorum in hac parte nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinati, litteras prædictas necnon omnia et singula capitula, concessiones, indulta et decreta in eis contenta, licita tamen et honesta, et quatenus sint in usu, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque plenariae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint quomodolibet in eisdem, supplemus.

Decedente aliquo Orientalium, cuius haeres praesens non fuerit, bonorum inventarium fieri debet a consule nationis defuncti.

§ 23. Necnon Hebraeos, Turcas, Graecos et mercatores praefatos amplioribus favoribus et gratiis prosequentes, statuimus et ordinamus quod ex nunc, deinceps et in perpetuum, quando aliquis ex dictis Orientalibus pro tempore decedet, quorum haeredes non sint praesentes, ne bona dilapidentur, tunc eorum consul faciat fieri inventarium per manus notarii publici, cum praesentia testium et assistentia unius viri probi ab episcopo Anconitano deputando, de omnibus rebus, bonis, pecuniis et effectis dicti defuncti, qui debeant remanere in manibus eiusdem consulis, prout solitum est fieri. Quodque nec gubernator dictae civitatis vel alterius loci, nec quivis alius, se super praemissis ullatenus immiscere vel interponere neque dictum consulem super his molestare, perturbare vel impedire possit nec debeat.

Hebraeus Italicus beneficio quinquennali aut alio favore debitorum frui non potest contra Orientales praefatos.

§ 24. Quodque nullus Hebraeus Italicus, qui acceperit vel accipiat merces seu mercantias aut quasvis alias res a dictis Hebraeis, Graecis et Turcis et aliis Orientalibus, vel qui sit eorum debitor, aliquod beneficium quinquennalis vel alterius dilationis contra eosdem Orientales desuper obtinere possit nec debeat, etiamsi a Sede Apostolica aut nobis vel Romanis Pontificibus successoribus nostris obtinuerit vel obtineat, nihilominus illud sibi nullatenus suffragetur, nec eo uti possit, illoque non obstante, contra ipsum, in iudicio et extra, perinde ac si tale beneficium non obtinuisset vel obtineret, procedi et executio fieri possit et debeat.

Clausulae.

§ 25. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, nullo umquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari aut invalidari non posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Commissio pro executione.

§ 26. Quocirca eisdem gubernatori provinciae nostrae Marchiae Anconitanae et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori ac vicario venerabilis fratris episcopi Anconitani, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praeinsertas et praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte eorumdem Hebraeorum, Turcarum, Graecorum et aliorum Orientalium seu cuiusvis eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque et eorum singulis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra dictas et praesentes litteras ac in eis contenta huiusmodi, ut praefertur, firmiter observari; ac ipsos Hebraeos, Turcas, Graecos et alios Orientales ac omnes et singulos, quos ipsae litterae quomodolibet concernunt, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eorum aliquem per quoscumque, contra

illarum tenores quovis modo indebite molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles per poenas, etiam pecuniarias, sibi visas, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon legitimis super his habendis servatis processibus, poenas, sententias et censuras praefatas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 27. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae in praeinsertis expressum est non obstare.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima tertia februarii, millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 feb. 1573, pontif. anno I.

XV.

Reductio ad terminos iuris communis et concilii Tridentini trium constitutionum a Pio V, pro Ordinibus Mendicantium aliisque editarum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In tanta rerum et negotiorum mole, qua Romanus Pontifex ex omnibus mundi partibus assidue premitur, vix vitari potest ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis, necesse est moderationis remedium adhibere.

Pius V privilegia multa Mendicantibus concessit 1;

§ 1. Cum itaque alias felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, auditis gravaminibus quae fratribus Ordinum Mendicantium ab ordinariis locorum et parochialium ecclesiarum rectoribus multis modis inferri dicebantur super sacris canonibus et lectionibus habendis, confessionibus audiendis, poenitentiis iniungendis, fratribus ad ordines promovendis, celebratione missarum, cura animarum, sacramentorum ministratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus aliisque huiusmodi iuribus necnon decimis et diversis oneribus, ac etiam super statu et regimine sanctimonialium ipsis fratribus subiectarum, formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, praecedentia, locorum acquisitione certisque aliis rebus tunc expressis, multa per quasdam suas litteras pro dictis fratribus non modo statuerit, sed et quae iam in concilio Tridentino decreta fuerant, ad haec pertinentia, declaraverit, multaque praeterea privilegia eisdem, decimoseptimo kalendas iunii, pontificatus sui anno secundo.

Ea illa extendit ad alios Ordines;

§ 2. Et deinde ea omnia diversis aliis Ordinibus et congregationibus Regularium non Mendicantium, etiam per modum communicationis, concesserit.

Et alia decrevit circa parochias 1;

§ 3. Postea per quamdam suam constitutionem de vicariis perpetuis parochialibus ecclesiis unitis, per ordinarios locorum instituendis, et portione illarum vicariis assignanda editam, alia, super constitutione fratrum eorumdem ad exercitium curae animarum in eis parochialibus ecclesiis, quae domibus et locis suis unita sunt, decreverit.

Postea alia statuit;

§ 4. Demum, animadverso quod ea omnia, multis dubitationibus involuta magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasque dissensiones, altercationes et lites inter praedictos locorum ordinarios

1 Ut videre est tomo VII, const. LVII, *Etsi*, pag. 573.

1 Ut videre est tomo VII, const. LXXII, *Ad exequendum*, pag. 628.

et fratrum ipsorum Ordines, non sine gravi divini cultus et animarum detrimento ac populorum scandalo, concitaverant, contra ac ipse sperabat et praeter suam expectationem, ut qui interdum conquereretur multa aliter alioque sensu a se prolata fuisse, quam litteris expressa essent. Cupiens his mederi incommodis, primum illa omnia quae Regularibus aliorum Ordinum quam Mendicantium communicaverat et secundum praemissa concesserat, motu proprio restrixerit. Deinde plenius providere volens, prioribus litteris a se, quoad ipsos Mendicantes, magna in parte moderatis, omnes et quascumque alias litteras, quae de aliis Ordinibus et congregationibus extra Mendicantium Ordines de Observantia nuncupatos emanaverant, omnino aboleverit, causas omnes iam de his etiam in Romana Curia pendentes ad se advocando, lites extinguendo, ac formatos super illis processus latasque sententias annullando, quemadmodum aliis suis litteris in registro proxime compertis, nunquam tamen publicatis, plenius continetur.

Deinde circa confessiones aliam edidit bullam 1.

§ 5. Postremo circa confessariorum Regularium, etiam Mendicantium, approbationem, iuxta concilii praedicti decretum faciendam, etiam lectores in theologia graduatos et certos alios tunc expressos comprehendi debere declaraverit.

Hic Pontifex omnes praedictas constitutiones Pii V reducit ad terminos iuris et concilii Tridentini;

§ 6. Nos, hac tanta varietate cognita, quae etiam ex multiplici litterarum et constitutionum editione procedit, praesentibus et futuris discriminibus occurrere volentes, de nobis attributae potestatis plenitudine, statuimus et ordinamus de praedictis et aliis omnibus litteris et constitutionibus, quae ab eodem praedecessore, eisdem de rebus, pro quorumcumque Regularium, etiam Mendicantium, Ordinibus et congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus et quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quae sive ex iure veteri sive ex sacris dicti concilii decretis, sive alias legitime ante dictarum litterarum et constitutionum editionem erat et, si ipsae non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem et decisionem suumque pristinum et integrum statum ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus et abrogamus omnia irritantia et alia decreta, necnon prohibitiones, declarationes, mandata et quaecumque alia ipsis litteris et constitutionibus apposita et alias eorum occasione vel causa facta, his nostris statuto, ordinationi et reductioni adversantia, quibuscumque illa sint concepta formulis ac praeservationibus, declarationibus, modificationibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortissimis, efficacissimis et inviolabilibus clausulis, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, et ex certa scientia, etiam pro conservatione status regularis, et ex quibuscumque aliis urgentissimis causis, quotiescumque roborata. Decernentes illa omnia pro nullis et infectis haberi, omnesque supradictos illarum usu, commodo et effectu carere.

Lites secundum hanc bull. decidi vult;

§ 7. Ac omnes lites et controversias, quae coram quibusvis iudicibus, sive ordinariis sive commissariis, etiam causarum Palatii Apostolici auditoribus et S. R. E. cardinalibus, etiam de latere legatis, praedictarum litterarum et constitutionum occasione, super praemissis iam motae sunt, necdum decisae aut finitae, vel etiam quae iam decisae sunt, si modo tractum habeant successivum, easque rursus et inter quoscumque excitari in posterum contingat, secundum praedictam dispositionem nec aliter decidendas.

Dubiorumque futurorum declarationes Sedi Apostolicae reservat.

§ 8. Futura vero dubia et difficultates, quandocumque et ubicumque orientur, ad nos et Sedem Apostolicam, ubi et ce-

1 Ut videre est in tomo VII, const. CCIII, pag. 938.

tera quae ad decreta dicti concilii pertinent, quotidie declarantur, omnino referenda esse.

Decretum irritans.

§ 9. Necnon irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praeceptum observantiae.

§ 10. Mandantes itaque, in virtute sanctae obedientiae, praesentes ab omnibus ubique episcopis et locorum ordinariis, necnon ecclesiarum praelatis, rectoribus fratribusque praedictis ac ceteris, ad quos pertinet, semper inviolata observari.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, domorum, locorum et Ordinum quorumcumque, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mare Magnum* et *Bulla Aurea* nuncupatis; dictis ecclesiis, Ordinibus et congregationibus quomodolibet concessis et confirmatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa, individua et ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§ 12. Ut autem praesentes omnibus plenius innotescant, volumus earum exempla fieri et etiam imprimi, illisque notarii publici manu et curiae ecclesiasticae vel praelati aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo obsignatis, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio et extra illud, ubique locorum adhiberi, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, kalendis martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 mart. 1573, pontif. anno I.

XVI.

Quod omnibus liceat in quacumque die octavae Sanctissimi Corporis Christi processionem solemniter facere in honorem suae festivitatis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum interdum contingat Romanum Pontificem aliquas concessiones et gratias elargiri, quas postmodum experientia rerum magistra docet in alterius praeiudicium resultare, mirum nemini videri debet, si tandem, praeiudicio cognito, gratiae ipsae sic concessae in melius reformentur, prout et populi devotio exposcit ac, rerum et temporum qualitate pensata, conspicitur in Domino salubriter expedire.

Pius V iussit Ordini fratrum Praedicatorum solummodo licere solemnem processionem Corporis Christi facere in die dominica infra octavam.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pio Papae V, praedecessori nostro, pro parte dilecti Ioannis Gallo Ordinis Praedicatorum et theologiae professoris, exposito quod, licet in omnibus fere conventibus provinciae Hispaniae Ordinis praedicti solemniter fieri consuevisset processio Sanctissimi Sacramenti Corporis Christi die dominica infra octavam illius festivitatis, idque ab immemorabili consuetudine, propterea quod dicti Ordinis Religio, utpote a B. Thoma de Aquino docta, peculiarem semper gesserat devotionem erga sanctissimam Eucharistiam, unde cum magno apparatu et frequentia populi ea-

1 De huius festivitatis institutione et aliis eam concernentibus, dixi apud const. XIX Urb. IV, *Transiturus*, tom. III, pag. 705.

dem festivitas a fratribus Ordinis huiusmodi celebrari solebat. Nihilominus, ante aliquot annos, aliqui alii partium illarum religiosi, praesertim in civitate Salamantina, contendebant eisdem die et hora festivitatem seu processionem huiusmodi celebrare, populum ad se trahentes, et ornamenta, quae ipsis fratribus Ordinis huiusmodi concedi solebant, conquirentes, unde et populi devotio minuebatur, et aliquando viri timorati, videntes religiosos pro huiusmodi rebus inter se contendere, offendebantur; eiusdem Ioannis supplicationibus inclinatus, eidem Ordini Praedicatorum, ut in omnibus et singulis civitatibus, terris, oppidis et locis, tam dictae provinciae quam extra et alias ubilibet, in quibus ab immemorabili consuetudine fratres dicti Ordinis processionem huiusmodi dicta die dominica infra octavam eiusdem Corporis Christi solemniter celebrare soliti fuerant, eisdem fratribus Ordinis Praedicatorum dumtaxat, eadem die dominica solemnem processionem eiusdem Corporis Christi celebrare liceret, ita ut nulli super eo illos impedire seu eodem tempore vel die eamdem processionem facere possent et deberent, perpetuo concessit et indulsit, ac aliis praedictis desuper districtius inhibuit, aliaque fecit, prout in dictis litteris plenius continetur.

Hic modo Pontifex omnibus licere decernit dictam processionem celebrare, in quacumq. die infra octavam dictae festivitatis;

§ 2. Nos tamen, attendentes id non sine divini cultus diminutione esse aliquo modo posse, cum omnes ad unam et eamdem dumtaxat ecclesiam confluentes, in ea commode recipi sicque processioni huiusmodi interesse nequeant, praeter id quod inibi saepe contingit ut, propter populi frequentiam sic confluentem, varia scandala et iurgia oriantur, et populus ipse spirituali venerationis Sacramenti huiusmodi multiplici fructu privetur; neque propterea diutius discussa, honestum esse censentes litteris praedictis modum aliquem praebere, illarum tenorem, ac si de verbo ad verbum praesentibus insertus foret, pro plene et sufficienter expresso habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostris, universis et singulis clero et clericis ac personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam quorumvis Ordinum, Religionum et militiarum regularibus, ut, litteris Pii praedecessoris huiusmodi non obstantibus, liceat ipsis, tam die ipsa dominica infra octavam Corporis Christi, quam aliis totius octavae prædictae diebus, processiones suas celebrare, nec super eo, tam ab Ordinis Praedicatorum huiusmodi quam aliis quibuscumque personis, etiam praedictarum aut quarumvis aliarum litterarum, privilegiorum vel concessionum praetextu, seu alias quomodolibet molestari, inquietari vel perturbari, nec etiam aliquibus censuris vel poenis, etiam ecclesiasticis, innodari, seu illas incurrere possint, tenore praesentium concedimus et permittimus.

Et bullam Pii V revocat;

§ 3. Et nihilominus, pro potiori praemissorum cautela, litteras Pii praedecessoris huiusmodi harum serie penitus et omnino, quoad effectum prohibitionis celebrandi processiones huiusmodi, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu evacuamus, et, tamquam tales minime attendi vel eisdem fratribus Praedicatoribus suffragari posse, volumus.

Observantiam huius constitutionis cuicumque praecipit;

§ 4. Districtius inhibentes eisdem fratribus Ordinis Praedicatorum et quibusvis aliis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis maioris latae sententiae, necnon suspensionis et interdicti aliisque arbitrio nostro moderandis, infligendis et imponendis poenis, ne contra praesentium litterarum tenorem venire, aut suprascriptos vel quoscumque alios,

quorum interest, intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum, quominus praemissa libere fieri possint, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore vel ingenio, impedire audeant vel praesumant.

Easque clausulis praeservativis ornat;

§ 5. Decernentes quoque praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci nullatenus posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas et de novo concessas esse.

Decretum irritans apponit.

§ 6. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executoresque deputat.

§ 7. Et nihilominus universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepisc., episcopis ac dilectis filiis ceteris locorum ordinariis, necnon illorum et eorum vicariis seu officialibus in spiritualibus et cuilibet ipsorum in solidum, motu simili, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte alicuius seu aliquorum et quorumcumque in praemissis interesse habentis vel habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praemissa omnia et singula ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari, ac praedictos interesse habentes illis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper per prædictos fratres Ordinis Praedicatorum vel eorum conservatores, iudices, defensores seu protectores aut quoscumque alios, quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit;

§ 8. Non obstantibus litteris praedecessoris huiusmodi cum inde sequutis et aliis praedictis; necnon piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis, vigore praesentium, ad iudicium non trahatur, et aliis apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus; ac quibusvis, etiam dicti Ordinis Praedicatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini illiusque superioribus et personis ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, et *Bulla Aurea* ac *Mare Magnum* nuncupatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis teno-

ribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praedictum, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si fratribus Ordinis Praedicatorum eorumque conservatoribus ceterisque praedictis et quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 9. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad quaeque loca, in quibus publicatio huiusmodi facienda erit, deferri, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod praesentium transumptis, etiam impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanct. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI martii MDLXXIII pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 martii 1573, pontif. anno I.

XVII.

Institutio festivitatis sub invocatione Rosarii B. Mariae Virginis, prima dominica die mensis octobris, in ecclesiis vel cappellis Rosarii duplici maiori officio celebrandae, pro gratiarum actione de victoria die VII dicti mensis octobris parta contra Turcas [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Festivitates celebrantur ad Deo gratias ferendas, praesertim pro aliqua populi liberatione.

Monet Apostolus in omnibus gratias agere; monent quoque sacrarum litterarum historiae insignia Dei beneficia, tum ut ei, a quo accepta sunt, meritae referantur gratiae, tum ut fideles, quibus collata sunt, illorum memores, ad divinum cultum magis in dies excitentur, solemnibus annuis festivitatibus celebranda esse. Quod cum multoties institutum fuerit, tum vero maxime cum Deus patrum nostrorum populum suum a servitute Ægyptiaca per manum fortem liberavit.

Et quia die VII octobris anni praeteriti populus christianus contra Turcas victoriam habuit, ideo hic Pontifex anniversariam memoriam ad gratiarum actiones instituere decrevit.

§ 1. Nos itaque, qui non minora beneficia quotidie a Deo optimo maximo accipimus, inter quae illud singularissimum superiore anno ab ineffabili ipsius clementia nobis concessum fuit, ut Turcarum classis, et numero longe superior et praeteritis elata victoriis, a christianorum classe in virtute Domini Dei Sabaoth decertante, die VII octobris, non longe a Corinthiaco sinu penitus devicta et quassata fuerit; qua nempe victoria universum populum christianum ab impiissimi tyranni faucibus divino munere ereptum fuisse inficiari nemo potest; Apostoli praecepto parere, et sanctorum Patrum exempla sequi volentes, ut huius ingentissimi beneficii anniversaria habeatur memoria instituere omnino decrevimus.

Memor quod B. Dominicus, ad iram Dei placandam, Rosarii orandi modum instituit.

§ 2. Quia vero preces ad Deum oblatae eo gratiores ad illius conspectum ascendunt, quo dignioribus intercessoribus et pio aliquo orandi modo offeruntur, memores beatum Dominicum Ordinis Praedicatorum institutorem, cum et Gallia et Italia a perniciosis premeretur haeresibus, ad iram Dei placandam et Beatissimae Virginis intercessionem implorandam, piissimum illum orandi modum instituisse, quod Rosarium seu Psalterium Beatissimae Virginis Mariae nuncupatur.

Et quia dicta die VII, quae erat I mensis dominica, Rosarii sodalita-

§ 3. Animadvertentes quoque eadem die septima, quae tunc fuit dies dominica prima dicti mensis octobris, fraternitates omnes sub dicti Rosarii nuncupatione militan-

[1] Hoc bellum paravit Pius V, et aliqua statuit in constitutionibus CCXII, CCXVII et CCXX, tomo VII, pag. 957, 967 et 972. De sodalitate autem Rosarii, vide Sixti IV const. XXI, *Ea quae*, tom. V, pag. 268.

tes processiones de more fecerant, quas pro dicta victoria multum profuisse pie credi potest.

tes per universum orbem, iuxta earum laudabilia instituta et consuetudines, processionaliter incedentes, pias ad Deum preces effudisse, quas per intercessionem Beatissimae Virginis ad dictam victoriam consequendam multum profuisse pie credendum est; operae pretium nos facturos esse existimavimus, si ad tantae victoriae coelitus procul dubio concessae memoriam conservandam, et ad gratias Deo et Beatissimae Virgini agendas, festum solemne sub nuncupatione Rosarii, prima dominica mensis octobris singulis annis celebrandum, instituerermus.

Hic ideo Pontifex festum sub invocatione Rosarii, qualibet prima dominica dicti mensis octobris in ecclesiis, ubi sit altare Rosarii, celebrari iubet 1.

§ 4. Quocirca motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, ad laudem Dei et Domini nostri Iesu Christi, eiusque gloriosae Virginis Matris, tenore praesentium, decernimus ut de cetero, perpetuis futuris temporibus, qualibet prima die dominica mensis octobris, per universi orbis partes, in iis videlicet ecclesiis, in quibus altare vel cappella Rosarii fuerit, ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, festum solemne, sub nuncupatione Rosarii praedicti, sub duplici maiori officio, adinstar aliarum solemnium festivitatum, celebretur et sanctificetur; eademque die Officium de Beatissima Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvatur et recitetur.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes praesentes, quas perpetuo valere volumus, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu alio vitio, vel intentionis nostrae aut alio defectu notari, argui vel impugnari posse, sed plenarios effectus sortiri debere.

Clausula sublata.

§ 6. Et ita per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi aut interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari et definiri debere; ac ex nunc irritum et inane *etc.*

Quibuscumque non obstantibus.

§ 7. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Exemplorum fides.

§ 8. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die I aprilis MDLXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 aprilis 1573, pontif. anno I.

XVIII.

Constitutio super abolendo usu duellorum ac bandositatum in regnis Aragoniae et Valentiae ac principatu Cataloniae et comitatibus Rossilionis, cum gravissimis poenis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Romani Pontificis auctoritatem pertinere dignoscitur ut abusibus quibuslibet, qui hominum malitia irrepserunt, quantum potest, ubique provideatur.

Series constitutionum Romanorum Pontificum, qui duella prohibuerunt.

§ 1. Sane, licet alias diversi Romani Pontifices praedecessores nostri, provide attendentes quam detestabilis esset duellorum usus, fabricante diabolo, et cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem procurante, introductus: cupientesque ut ille a christiano orbe penitus exterminaretur, diversimode, et praecipue felicis recordationis Iulius Papa II, per quamdam suam perpetuo valituram ac motu proprio confectam constitutionem, duellorum huiusmodi usum damnaverit et improbaverit; ac tam ipse quam piae memoriae Leo X et Clemens VII ac postremo

1 Hoc festum communiter S. Mariae de Victoria nuncupatur.

1 Ex Regest. in Segret Brevium.

Pius IV, Romani Pontifices et praedecessores nostri, per diversas eorum litteras, in terris Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, per quoscumque, quavis auctoritate et potestate ac nobilitate fulgentes, sub excommunicationis latae sententiae poena, ex quacumque causa, etiam a legibus permissa, fieri omnino prohibuerint; et taliter pugnantes ubique impune capi posse et puniri pro homicidio vel vulnere, iuxta iuris communis dispositionem, nulla eis consuetudine suffragante, statuerint; corporaque in duello, in terris Ecclesiae mediate vel immediate subiectis facto, morientium in sacro sepeliri interdixerint, sub simili excommunicationis poena et interdicti ecclesiastici; omnibus et singulis utriusque sexus ducibus, comitibus, marchionibus, domicellis, baronibus et aliis temporalibus dominis, vicariis, communitatibus et universitatibus civitatum, terrarum et locorum praedictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum mandantes ne de cetero, perpetuis futuris temporibus, aliquibus, cuiuscumque dignitatis et nobilitatis forent, et ex quacumque causa, etiam a legibus non improbata, locum seu campum liberum ad duellum seu alias ad pugnandum tutum aut quomodolibet assignarent, traderent et concederent, aut assignari, tradi et concedi facerent vel permitterent; ac ipsi certantes, comitantes, consulentes, adhaerentes, fautores, necnon cartas certaminis subscribentes et publicantes, in excommunicationis latae sententiae, a qua non nisi per Romanum Pontificem et in mortis articulo absolvi possent, et quatuor millium ducatorum Camerae Apostolicae applicandorum poenam pro qualibet vice incurrendam; et si huiusmodi constitutionis violatores ultra dictam primam vicem forent, ultra dictas poenas, feudi seu vicariatus, quem a dicta Romana Ecclesia obtinuissent, privationem incurrere, necnon carceribus mancipari et detineri, ac ad illarum executionem omnino procedi posse decreverint; et si ecclesiastici forent, omnibus et singulis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus et ad quae ius sibi competebat, eo ipso privati, et ad illa et alia in posterum obtinenda inhabiles existerent; necnon illa, tamquam per privationem huiusmodi vacantia, ab aliis impetrari possent, revocando omnes et singulas concessiones duellorum, quovis modo, per quoscumque quibusvis concessas; et pugnantes ipsi non solum poenis praedictis subiacerent, sed, eorum memoria perpetuo damnata, bona proscripta et Camerae Apostolicae eo ipso confiscata essent; duces quoque, barones, comites, marchiones et domini temporales, vicarii, feudatarii, eorum capitanei, communitates quoque civitatum, terrarum et locorum eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum, campum ad pugnandum praestantes, ultra praemissa, ab omni iure, quod in territoriis suis obtinebant, ipso facto caderent, illudque ad Cameram Apostolicam devolveretur et devolutum esse censeretur, absque alia declaratione desuper facienda: qui vero ad talia cruenta spectacula convenissent, si nobiles, quingentorum; si mediocris fortunae, centum; si vero ignobiles, viginti quinque ducatorum, necnon excommunicationis et perpetuae maledictionis poenam incurrerent, et locus ipse ecclesiastico subiaceret interdicto, ac si praemissa omnia etiam per concilii Tridentini decreta comprobata et efficacissime innovata fuerint.

§ 2. Cum tamen nuper accepimus in regnis Aragoniae et Valentiae ac principatu Cataloniae necnon comitatibus Rossilionis ac Ceretaniae, non solum praemissa exerceri, verum etiam aliquos illa- Facti series.

rum partium incolas privatam sibi adstruere legem non dubitasse, et tam illius vigore quam pessimae consuetudinis, quae inibi invaluit, praetextu asserere licere ipsis, praesertim si nobiles fuerint, ut ubicumque agitur de tuendo honore aut reparando, aut iniuria propulsanda, ab amicitia discedere, inimicitias et factiones inter se exercere, satellites et varii generis armatos homines ducere et privatim habere, amicos et necessarios ad arma excitare, damna vicissim hostiliter quoquo modo afferre; et, ut ibi dici solet, bandositates exercere, in grave animarum suarum periculum ac praeiudicium plurimorum.

Mala quae ex duellis et bandositatibus oriuntur.

§ 3. Nos, animo revolventes praemissa, quae in regnis, principatu et comitatibus praedictis fiunt, eo maiori egere remedio, quam duella ipsa, quo per exercitum banditatum huiusmodi graviora quam ex duellis ipsis oriuntur et subsequuntur mala; huius enim detestandae rei occasione, quamplurimi ibi fiunt sicarii et praedones, qui, cum a potentioribus factionum capitibus, qua quisque potest maiori manu et numero, privatis odiis inimicitiisque exercendis foventur, etiam in diversas alias caedes et latrocinia ac sacrilegia aliaque crimina prorumpunt, dignum, quin potius debitum, auctoritate nostra esse censuimus iis opportuna adhibere remedia.

Poenae in eos, qui in duello pugnaverint aut armorum usum habuerint, et locum concesserint.

§ 4. Hac itaque nostra perpetuo valitura constitutione sancimus et decernimus quod omnes et singuli, etiamsi duces, principes, marchiones, comites, barones et alii domini temporales fuerint dictorum regnorum, principatus et comitatuum, qui in duello pugnaverint aut duellorum vel gladiatorum usus exercuerint, locum aut campum libere ad pugnandum concesserint vel assignaverint, vel etiam pro sua vel amici aut propinqui, consanguinei vel affinis iniuria vindicanda, aut alias simultates, bandositates nuncupatas, exercere praesumpserint, et praemissorum occasione satellites et armatos homines vocare, aut apud se vel in terris et dominiis vel domibus suis aut alibi, publice vel occulte, recipere aut retinere vel fovere propria auctoritate ausi fuerint; quique necessarios, consanguineos, affines et amicos in factionem et partes suas contra aliquem vel aliquos excitaverint; omnesque qui iverint aut arma pro praemissis sumpserint; quique super his rebus alteri consilium, auxilium vel favorem praestiterint, auctoresve aut suasores fuerint; necnon qui sub praetextu abusus huiusmodi aliquem provocaverint aut illi quomodolibet vim intulerint, quique eam praetensam legem aut consuetudinem licitam et non omnino damnatam esse asseruerint, excommunicationi, anathemati, maledictioni, perpetuae infamiae, diffidationi criminibusque laesae maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis et privationis statuum et dominiorum ac feudorum et vicariatuum et omnium aliorum bonorum suorum, necnon inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, ac interdicti, omnibusque aliis censuris et poenis ecclesiasticis, etiam temporalibus praedictis, per litteras praedictas contra duellantes et alios praedictos quomodocumque et qualitercumque comminatis, quas contravenientes eo ipso et absque alia declaratione incurrant, et intestabiles fiant.

Ecclesiasticis bonis privantur, si ecclesiastici fuerint.

§ 5. Subiicimus poenas praedictas, et si ecclesiastici fuerint, etiam omnibus et singulis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus et ad quae ius eis competit, eo ipso et absque alia declaratione privati, et ad illa et alia imposterum obtinenda inhabiles existant; necnon illa, tamquam per privationem huiusmodi vacantia, ab aliis impetrari possint, volumus et decernimus.

Poena in iudices, qui secundum legem duelli iudicaverint, et in advocatos, qui reos patrocinaverint.

§ 6. Insuper, iudices et magistratus quoscumque, quacumque auctoritate et potestate praeditos, qui aliquid secundum eam legem aut consuetudinem decreverint, privationis iudicaturae et magistratuum aliorumque per eos obtentorum; necnon advocatos et procuratores, qui, sub eiusdem legis aut consuetudinis praetextu, aliquem vel aliquos patrocinati fuerint aut defenderint, inhabilitatis ad alios patrocinandum et ad honores poenas eo ipso incurrant.

Extensio poenarum.

§ 7. Et nihilominus praemissa omnia et singula, prout per Iulium et Leonem et Clementem ac Pium praedecessores praedictos statuta et ordinata, inhibita, decreta et mandata fuerunt, in omnibus et per omnia, quoad bandositates praedictas exercentes, extendimus et ampliamus;

Derogatio contrariorum.

ac omnes concessiones duellorum et exercitii bandositatis huiusmodi, et facultates desuper praedictis seu aliis quibuscumque personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quibusvis formis et verborum expressionibus, forsan concessas, approbatas et innovatas, legemque et consuetudinem praedictam harum serie revocamus, cassamus et annullamus ac reprobamus, ac quaecumque iuramenta, per quascumque personas, quacumque dignitate, etiam marchionali, ducali, regia vel alia dignitate, praeditas, ac etiam per locorum gubernatores ac iustitiae praesidentes, forsan de observando praetensam legem seu consuetudinem aut forum super praemissis disponens, eos non ligari, ipsosque ad illorum observationem minime teneri declaramus.

Committitur prael. constitutionis notitia omnibus facienda.

§ 8. Mandantes omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque ecclesiarum praelatis, quacumque auctoritate et dignitate fulgentibus, etiamsi sanctae Romanae Ecclesiae cardinales fuerint, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis maioris, aliisque arbitrio nostro moderandis poenis, quatenus praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, in eorum necnon singulorum partibus et aliis ecclesiis, ubi id necessarium esse iudicaverint, publicent seu publicari faciant auctoritate nostra.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae singuli praedecessores nostri praedicti voluerunt in singulis litteris praedictis non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 10. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus publicari debent, deferri, volumus quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae; ac ne aliqui ex praemissorum ignorantia se excusare possint, volumus quod earum transumpta, etiam, ut praefertur, impressa, et singulis cathedralium et metropolitanarum ecclesiarum regnorum, principatus et comitatuum praedictorum valvis affixa, verae et realis publicationis vim et effectum sortiantur, ac omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde afficiant, ac si singulariter et personaliter singulis intimatae fuissent.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDLXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 maii 1573, pontif. anno II.

XIX.

Concessio facultatis iudicibus saecularibus regnorum Aragoniae et Valentiae facinorosos et latrones, etiam clericos in minoribus ordinibus constitutos, etiam aliquod tenue beneficium obtinentes, puniendi etc., absque incursu censurarum etc. [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus, Hispaniarum rex catholicus, quod Aragoniae et Valentiae regna, quorum ipse etiam rex existit, a pluribus annis citra, valde turbantur et vexantur a latronibus et facinorosis hominibus, qui armati et simul coadunati per illam regionem passim vagantur, vias pro libito obsident; viatoresque aggrediuntur, spoliant et occidunt; domos quoque saepe expugnant, diripiunt et incendunt, stupra, raptus, sacrilegia et omnis generis crimina nefarie committendo; et licet idem Philippus rex multa huic morbo remedia adhibuerit, tamen desiderio suo hactenus frustratus existit, ob diversas causas et propinquitatem provinciae Galliae et principatus Cataloniae, ex quibus plurimi delinquentes in ipsa Aragoniae et Valentiae regna confluunt, et ibi, commissis per eos latrociniis et aliis gravibus delictis, in loca tuta repente sese recipiunt, ita ut magistratus eorumque familiam illos persequentes facile eludant et frustrentur; plerumque etiam evenit quod scelerati huiusmodi facinorum suorum poenas saepe subterfugiant, sicque maiores animos ad delinquendum sumant.

§ 2. Propterea quod, dum ministri iustitiae saecularis eos persequuntur, ad ecclesias et alia loca sacra illi statim confugere soliti sunt; unde aut extrahi non possunt, vel extracti, immunitatem ecclesiae praetendentes, in eum, unde extracti sunt, locum restitui obtinent. Quidam vero non contenti se prima tonsura esse initiatos, non ut divinis inserviant, sed ut iudicium saeculare facilius effugiant, malitiose et fraudulenter aliquod tenue beneficium ecclesiasticum sibi conferri procurant, nec tamen in habitu clericali incedunt, aut aliquibus clericalibus funguntur muneribus, verum habitu saeculari induti vagantur, liberiusque delinquunt, nullaque in eos ecclesiastica animadversio exercetur, quoniam laici existimantur; a iustitia vero saeculari deprehensi, statim tamquam clerici et beneficium ecclesiasticum habentes ad ordinarios ecclesiasticos declinant, a quibus aut nulla aut leviori poena affecti dimittuntur, ad vindictam in eos, qui ipsos persequuti sunt, et ad graviora scelera committenda se accingentes.

§ 3. Quare idem Philippus rex nobis humiliter supplicari curavit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clericos delinquentes ex locis sacris evelli posse a iudicibus saecularibus concedit.

§ 4. Nos igitur, honestis catholicorum regum votis, quantum cum Domino possumus, paterne annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, latrones et facinorosos huiusmodi illorumque fautores et receptores, etiam clericos, etiam quatuor minoribus ordinibus insignitos, etiam beneficium aliquod tenue obtinentes, ab ecclesiis et aliis locis sacris avellere per iudices saeculares licere, cum huiusmodi genus hominum immunitate ecclesiastica gaudere valde indignum sit, ita tamen ut dicti saeculares iudices facinorosos ipsos a locis praedictis extractos iudici ecclesiastico ad causas contra personas ecclesiasticas in regnis praedictis atrocia crimina committentes alias a Sede apostolica deputato; et ubi tales iudices deputati non fuerint, loci ordinario ecclesiastico, pro iustitia in eos administranda,

[1] Ex Regest in Secret. Brev.

consignare teneantur; ipsisque locorum ordinariis, praesentium litterarum vigore, per se vel alium seu alios, contra omnes et singulos praedictos, etiamsi ab eorum iurisdictione exempti quomodolibet fuerint, et quos homicidii et assassinii et atrocium criminum reos esse constiterit, et ad curiae saecularis traditionem per denunciationem, accusationem, inquisitionem, aut ex mero officio vel ad procuratoris fiscalis instantiam et aliàs iuxta iuris formam, absque ipsius iudicis seu loci ordinarii vel deputandorum huiusmodi irregularitatis aut infamiae macula vel incursu, auctoritate nostra procedere libere et licite valeant, per praesentes plenam et liberam facultatem impartimur.

Clerici laicalibus vestibus induti, si in flagranti crimine fuerint reperti, ultimo supplicio afficiendi a iudice saeculari.

§ 5. Quodque si clerici praedicti, etiam in quatuor minoribus ordinibus constituti, etiam tenue aliquod beneficium obtinentes, vestibus laicalibus induti, in flagranti crimine crassandi per vias deprehensi fuerint, tamquam in publicos latrones et viarum grassatores a saecularibus iudicibus in eo, in quo reperiuntur, habitu, usque ad ultimi supplicii poenam inclusive, absque metu censurarum, in ipsos animadverti posse, tenore præsentium concedimus; inhibentes omnibus et singulis locorum, etiam exemptorum, ordinariis et eorum officialibus et quibuscumque aliis iudicibus ecclesiasticis, quocumque nomine nuncupatis, ne saeculares magistratus, indices et ministros praedictos super praemissis quomodolibet impedire, molestare aut perturbare audeant vel praesumant.

Clausulae.

§ 6. Ac decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae seu quovis alio defectu notari vel impugnari ullo umquam tempore nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac generalis concilii ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et exemptionibus apostolicis, etiam saecularibus et regularibus personis, Ordinibus, monasteriis, ecclesiis et aliis locis sacris, necnon congregationibus et superioribus eorumdem, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus, et alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, innovatis, concessis et approbatis. Quibus omnibus, illorum tenores, uti de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 8. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula regna praedicta et alia loca, in quibus de eis fides facienda est, deferri, volumus et dicta auctoritate decernimus quod illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII iunii MDLXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 iunii 1573, pontif. anno II.

XX.

Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti in ecclesia B. Mariae supra Minervam, Ordinis Praedicatorum, nec non alias in aliis institutas, indulgentiis exornat [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et causa constitutionis edendae.

§ 1. Pastoris aeterni, qui, ut humanum genus ab illius inimici manib. liberaret, in

1 Ex Bullar. Ord. Praedic., tom. V, pag. 320.

ara crucis immolari, et in peccatorum nostrorum remissionem pretiosissimum Sanguinem suum effundere non dubitavit; ac in ultima coena, quam, cum discipulis suis Pascha celebrans, manducavit, in tanti beneficii memoriam, eis Carnem suam in cibum, et Sanguinem suum in potum, divina et incomprehensibili ordinatione, exhibuit, dicens: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, vices, licet immeriti, gerentes in terris, et profunda meditatione recolentes, eam esse huius sacrosancti Sacramenti sublimitatem et excellentiam, ut numquam satis plene coli, numquam digne, quae nostra est imbecillitas, adorari valeat, facere nullo modo possumus quin christifideles, quos omnem operam impendere omnemque diligentiam adhibere conspicimus ut Christi Corpus huiusmodi honorificentissime in ecclesiis custodiatur, et in processionibus deducatur, ac ad infirmos deferatur, pieque a christifidelibus suscipiatur, ad praemissorum ferventius exercitium, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus, crebro invitemus; ut ii quorum gubernium nobis est commissum, tanti beneficii memoriam saepissime recolentes, illius institutori gratias sinceris agentes affectibus, quod ex se ipsis habere non possunt, per huiusmodi exercitia facilius consequantur; ad quod peragendum etiam nos ipsos magis incitat, dum agnoscimus hac ratione permotum felicis recordationis Urbanum Papam quartum, praedecessorem nostrum, sanctissimi Corporis huiusmodi festivitatem indixisse, et ad illius celebrationem eosdem christifideles indulgentiarum concessione invitasse.

Indulgentiam plenariam statis diebus confratribus concedit,

§ 2. Cupientes itaque piam christifidelium confraternitatem, sub invocatione eiusdem Corporis Christi, in ecclesia domus B. Mariae supra Minervam, Ordinis Praedicatorum, rite institutam, et a piae memoriae Paulo Papa III, etiam praedecessore nostro, approbatam et confirmatam, ex qua, sicut accepimus, uberes fructus provenerunt, specialibus favoribus et gratiis exornari, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus dictam confraternitatem intrantibus, qui tempore ingressus sui, ac iis ex confratribus, qui in die festo Corporis Christi aut eius octavae, vere poenitentes, peccata sua confessi fuerint, et Sacramentum huiusmodi sumpserint, et similiter eisdem confratribus, etiam poenitentibus et confessis, in ipsorum mortis articulo, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Necnon illam stationum Urbis,

§ 3. Praeterea eisdem confratribus utriusque sexus, extra Urbem existentibus, qui in diebus, in quibus stationes in ecclesiis in Urbe et extra illam existentibus habentur, altare seu locum, in quo Sacramentum custoditur, visitaverint, et septies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitantes, pro exaltatione fidei catholicae et extirpatione haeresum et infidelium oraverint, easdem indulgentias, quas consequerentur si ea die illam ecclesiam in Urbe et extra eam visitarent, in qua ipsa statio habetur; insuper eisdem confratribus huiusmodi altare seu locum visitantibus, et ut supra orantibus, sexta quaque feria, centum dies; singula vero die in Coena Domini eisdem confratribus vere poenitentibus et confessis septem annos et totidem quadragenas.

Nonnullasque alias indulgentias pro piis operibus.

§ 4. Rursus, eisdem confratribus qui ad altare ipsius in tertia dominica cuiuslibet mensis, et in feria quinta in Coena Domini, Eucharistiam pie susceperint, decem annos et totidem quadragenas; ulterius, tam ipsis confratribus quam aliis christifidelibus utriusque sexus, dum ad aegrotos defertur, associantibus, et iis

qui, id facere impediti, ad sonum parvae campanae genuflexi, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverint, et pro infirmo oraverint, quoties id fecerint, centum dies; iis vero confratribus, qui Sacramentum ipsum in processione, post maiorem missam eadem tertia dominica fieri consueta, associaverint, centum dies; et similiter eisdem confratribus vere poenitentibus et confessis, qui sepulcrum in dicta ecclesia Beatae Mariae, feria quinta in Coena Domini construi solitum, visitaverint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis sibi, seu aliasquomodolibet debitis, poenitentiis relaxamus.

Quo in loco SS. Sacramentum servandum sit.

§ 5. Postremo, quia difficile esset certum locum, in quo Sacramentum reponatur, ubique uniformiter constituere; idcirco, ut Sacramentum ipsum vel in medio altaris maioris vel in alio commodiori loco, arbitrio loci ordinarii, si ecclesia in qua confraternitas celebratur, saecularis; si vero regularis fuerit, arbitrio eiusdem ecclesiae superioris, reponatur et constituatur.

Facultas aggregationis aliarum confraternitatum.

§ 6. Et ut huius sanctissimi Sacramenti celebritas tanto in maiori veneratione habeatur, quanto per diversas orbis partes latius diffundetur, ut gratias et indulgentias praedictas, praeter quam eas, quae ratione stationum Urbis lucri fiunt, aliis sanctissimi Sacramenti confraternitatibus extra Urbem erectis et erigendis, per transumpta, manu unius saltem ex ministris ad id deputatis, qui in sacro presbyteratus ordine constitutus existat, subscripta, gratis communicari valeat, eidem confraternitati concedimus, litteris super praesentibus conficiendis perpetuo duraturis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod, si dictae confraternitati aliqua alia indulgentia per nos perpetuo vel ad tempus nondum elapsum concessa fuerit, praesentes nostrae nullius sint roboris vel momenti.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, octavo idus augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 augusti 1573, pontif. anno II.

XXI.

Nova institutio collegii Germanici in Urbe pro scholaribus nationis Germanicae pie ibidem educandis et instruendis, cum assignatione annui redditus privilegioque exemptionis a decimis et pedagiis.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae constitutionis.

Postquam Deo placuit omnipotenti, qui, ex summa misericordia et bonitate sua, vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, humilitatem nostram ad universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore nos, eiusdem adiuvante gratia, ea cogitare et urgere non destitimus, quae, sicut officii nostri ratio postulat, ad divinum ubique cultum et ecclesiasticam disciplinam restaurandam et augendam, animarumque salutem procurandam maxime cognovimus pertinere. In primis vero animo recolentes amplissimam Germaniae provinciam, quae, perpetuis superioribus saeculis, inter ceteras fortissimae ipsius nationis laudes atque virtutes, tanto sincerae fidei et christianae religionis cultu eminere solebat, ut reliquis christianae reipublicae partibus non minori exemplo quam ornamento atque decori esset, nunc

tot tantisque in ea, instinctu Satanae, excitatis de religione dissidiis, ita miserandum in modum afflictam et deformatam esse, ut nemo, vel mediocri pietate praeditus, sine lacrymis tam gravem animarum iacturam recordari, nedum intueri queat; eam praecipue curam suscepimus, ut quibuscumque possimus modis, nullis laboribus nullisve sumptibus parcentes, apta sanandis illius vulneribus remedia adhibeamus.

Iulius III erexit in Urbe collegium Germanicum, ad alendum et instruendum pueros nationis Germanicae, sed quasi destitutum remansit.

§ 1. Ac praeter alia, quae et litteris scribendis et nunciis in quasdam Germaniae partes hac ipsa de causa mittendis agere aggressi sumus, considerantes felicis recordationis Iulium Papam III, praedecessorem nostrum, optimo quidem consilio, collegium in Urbe alendorum, et latinis, graecis hebraicisque litteris, logica, physica aliisque liberalibus disciplinis et sacra demum theologia ac piis et christiano homine dignis moribus instituendorum Germanicae nationis puerorum causa erexisse, ut ii, non per se solum boni doctique evaderent; sed, ad patriam remeantes, habendis concionibus ac disputationibus, refellendis haeresibus, fideique orthodoxae veritati dilucidandae et defendendae, ac praeterea exercendae animarum curae, aliisque piis et sanctis operibus apti et idonei essent, et quam maximum in ecclesia Dei fructum ex se proferrent; tamen id eius coeptum atque conatum, tum propter obitum ipsius, tum ob varias, quae postea sequutae sunt, temporum et rerum difficultates, parum processisse nullumque incrementum suscepisse, quin potius quasi destitutum ac praetermissum esse, quoniam nec redditus ullus, nec quicquam fere certi attributum eo collegio fuerat, et ob id exiguum admodum puerorum huiusmodi numerum, prae magnitudine provinciae et messis quae in ea est, hoc tempore ali et institui.

Hic igitur Pontifex de novo illud erigit;

§ 2. Nos propterea, ad opus hoc eidem nationi adeo utile et salutare totis viribus promovendum, animum et mentem nostram convertimus. Quocirca[1] omnipotentis laudem, sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque Germanicae nationis salutem et commodum, motu proprio et ex certa scientia nostra, auctoritate apostolica, collegium praedictum Germanicum appellandum renovantes, illud rursus et de integro in alma Urbe nostra erigimus et instituimus. Volumusque in eo post hac non minus quam centum pueros, ex universa Germania septentrionalibusque illi adiacentibus regionibus colligendos, dictis scientiis ac disciplinis necnon sacris canonibus institui atque erudiri.

Et pro illius sustentatione applicat annuos ducatos decem mille;

§ 3. Ad quorum substentationem redditus annuos decem millium aureorum attribuere ipsi collegio decrevimus; eiusque rei causa, unionem, annexionem et incorporationem monasterii Ss. Sabae et Andreæ dictae Urbis, olim Ordinis Cisterciensis, hospitali nostro Sancti Spiritus in Saxia de Urbe a felicis recordationis Pio IV, praedecessore nostro, praedicta auctoritate perpetuo factas, dilecti filii Bernardini Cirilli, praeceptoris dicti hospitalis, ad hoc accedente consensu, harum serie perpetuo dissolventes, monasterium ipsum, cura et conventu carens, suppressis in eo, si quidem adhuc sint, Ordine, statu et essentia regularibus, cum illius ecclesiae, cellis, aedificiis, proprietatibus, bonis, iuribus, iurisdictionibus et actionibus quibuscumque, praedicto collegio perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; illique in specie in perpetuum dotis nomine concedimus, donamus, attribuimus et assignamus quatuor ipsius monasterii fundos, videlicet Montis Mariae Magnae, Montis Mariae Parvae, Quartinoli de Palo, et Quarti Sancti Sabae vocabulos, pro quibus dilectus filius nobilis vir Paulus Giordanus Ursinus, dux Brachiani, domicellus

1 *Quocirca ad Dei omnipotentis* legunt Matthaei et Cherubinius (R. T.).

Romanus, annuum vectigal mille et ducentorum aureorum solvere teneatur; praeterea fundum Turris de Valle, qui hoc tempore locatus est mille et centum aureis; item pedicam de Turre Cennorum, annui redditus ducentorum aureorum; pedicam Grotonem appellatam, annui redditus centum et quadraginta aureorum; pedicam in dogana, sub annua responsione quinquaginta aureorum Darium familiae locatam; molam frumentariam prope ecclesiam Sancti Pauli, locari solitam aureos quinquaginta annuos; canones octoginta aureorum ex vineis ecclesiae Ss. Sabae et Andreæ, pro decimis percipi solitos: in quibus omnibus aedibus, aedificiis, fundis, vectigalibus, bonis, proprietatibus, redditibus, emolumentis, iuribus et actionibus universis, idem collegium ita plene succedere, subrogare et substitui, idemque ei ius directi et utilis dominii competere decrevimus, quod hospitali S. Spiritus quovis modo competebat aut competere poterat in futurum; eam tamen conditionem adiicientes, ut summa duorum millium octingentorum et quinquaginta aureorum, quae ex dictis redditibus annuatim constituitur, tantum detrahatur quantum impendi necesse fuerit pro oneribus monasterii et ecclesiae Ss. Sabae et Andreæ, cuius haec bona erant, sustinendis: videlicet, pro pensione fratribus dicti Ordinis Cisterciensis, qui ipsius monasterium Ss. Sabae et Andreæ inhabitabant et ad ecclesiam S. Crucis in Hierusalem traducti fuerunt ibique degunt, persolvenda, quingenti aurei; pro victu et stipendio quatuor ministrantium in ipsa ecclesia Ss. Sabae et Andreæ, trecenti aurei; pro fabrica, utensilibus aliisque rebus necessariis, quinquaginta aurei; quibus deductis, duo supersunt aureorum millia annui proventus. Assignamus praeterea eidem collegio annuam pensionem mille et ducentorum aureorum ex distributionibus pilei appellatis totius collegii venerabilium fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae cardinalium, singulis mensibus pro rata percipiendam; reliqua autem sex millia et octingentos aureos, qui conficiendae summae decem millium aureorum desunt, ex fisci et Camerae nostrae Apostolicae pecuniis quotannis numerari volumus, distributa in menses singulos, pro rata parte, solutione, quoad de totidem reddituum summa in bonis stabilibus, ecclesiasticis vel saecularibus, eidem collegio a nobis fuerit provisum: ita quod liceat dilectis filiis rectori et aliis ministris dicti collegii corporalem possessionem monasterii, bonorum, proprietatum, fundorum, censuum, iurium, iurisdictionum ceterorumque praedictorum, per se vel alium seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere; ac fructus, redditus, proventus illorum in dicti collegii usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

Huiusque gubernium concedit presbyteris Societatis Iesu;

Ceterum cum Societatis presbyterorum Iesu, in hoc educandorum instituendorumque puerorum munere, diligentia, fides, integritas, et in aliis huiusmodi collegiis et in hoc ipso satis cognita sit atque perspecta, volumus idem collegium atque scholares, sub ipsorum, sicut adhuc fuit, regimine, institutione, doctrina atque obedientia esse.

Exemptionem a iurisdictione senatoris, consulum, etc.;

§ 4. Necnon collegium ipsum ipsiusque rectores, gubernatores, magistros, praeceptores atque scholares pro tempore in eo existentes, eorumque bona, mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, in dicta Urbe vel extra, ac alias ubique locorum consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis senatoris et consulum ac conservatorum et reformatorum dictae Urbis, necnon rectoris studii generalis aliorumve quorumcumque iudicum et of-

ficialium, in ipsa Urbe vel alias ubilibet constitutorum;

Exemptionemque a decimis et gabellis concedit, quod melius declarat infra;

§ 5. Itaque ac in propriis eorum rebus et bonis cum eis contrahentes a solutione et exactione quorumcumque pedagii, gabellae, bollettini, decimarum et cuiusvis alterius, tam ordinarii quam extraordinarii oneris, ex quacumque causa impositorum et imponendorum, eximimus et prorsus liberamus, ac sub beati Petri et Sedis Apostolicae atque nostra protectione suscipimus, nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus, ac liberos, immunes et exemptos declaramus.

Privilegia Studii Urbis tribuit;

§ 6. Atque insuper eidem collegio et scholaribus, rectoribus et gubernatoribus, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus Studium generale almae Urbis et illius rector doctoresque et in eo legentes quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque et pariformiter, uti, potiri et gaudere valeant in omnibus et per omnia, concedimus et indulgemus, illaque eis communicamus.

Inhibetque omnibus officialibus ne collegium desuper molestent;

§ 7. Necnon senatori, consulibus, conservatoribus, reformatoribus, rectorique et aliis iudicibus, officialibus et personis praedictis, ac pro tempore existenti S. R. E. camerario, praesidentibusque et clericis Camerae Apostolicae ac quibusvis commissariis ad exactionem decimarum et aliorum quorumcumque onerum praefatorum pro tempore deputatis, ne, quarumcumque litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum praetextu, collegium, scholares, rectores et gubernatores praedictos seu eorum aliquem, in praemissis quomodolibet molestent seu molestari permittant, districtius inhibemus.

Regentibus et superioribus collegii concedit facultatem ut una cum protectoribus possint scholares ad gradus promovere, etc.;

§ 8. Et praeterea regentibus ac superioribus dicti collegii, cum assistentia tamen cardinalium protectorum, qui pro tempore constituti fuerint, seu alicuius eorum, vel de ipsorum consilio et expresso consensu, illos, quos in dicto collegio et alibi per debitum tempus studuisse, ac scientia et moribus idoneos esse repererint, in praedictis facultatibus ad baccalaureatus, licentiaturae doctoratusque et magisterii gradus, servata forma concilii Viennensis, iuxta universitatis eiusdem Urbis consuetudinem, seu alias promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi: quodque in facultatibus supradictis sic promoti illas legere et interpretari ac de eis disputare, et quoscumque gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere; ac omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedicta seu aliis Universitatibus et alibi, iuxta illius et aliarum Universitatum huiusmodi constitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti, de iure vel consuetudine, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint ac debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa Universitate, iuxta consuetudines et mores praedictos, suscepissent, concedendi et indulgendi, liberam, eadem auctoritate, damus facultatem et potestatem.

Deputatque collegii protectores pro eius regimine;

§ 9. Ut vero etiam eiusdem collegii conservationi bonoque regimini, tam in his quae ad scholarium institutionem et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, et promptum eis paratumque auxilium sit, venerabiles fratres nostros Ioannem Moronum Ostiensem et Alexandrum Farnesium Praenestinensem episcopos, ac dilectos filios Marcum ab Altemps S. Georgii, Ptolomaeum Comensem S. Agathae, ac Ludovicum Madruccium S. Honuphrii titulo-

rum, S. R. E. presbyteros cardinales, eiusdem collegii protectores et defensores constituimus et deputamus; quorum consilio et ope, tam supradicta quam quaecumque ad eosdem in collegio admittendos scholares retinendosve atque de beneficiis ecclesiasticis providendos spectantia agantur, statuantur et ordinentur. Dantes eisdem et pro tempore existentibus protectoribus plenam et liberam facultatem et auctoritatem, pro salubri directione et conservatione dicti collegii, ipsiusque bonorum et rerum ac iurium, tam temporalium quam spiritualium, oeconomos, advocatos, procuratores aliosque ministros et officiales in eo deputandi amovendique, et alios eorum loco sufficiendi; ordinationes praeterea et statuta (aequa tamen et honesta sacrisque canonibus et concilio Tridentino non repugnantia) faciendi et edendi; eaque, cum opus visum fuerit, revocandi, immutandi, corrigendi aliaque de novo condendi, quae postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde haberi volumus ac si auctoritate apostolica approbata et confirmata essent; illaque ab omnibus rectoribus, magistris, scholaribus aliisve personis in collegio servientibus et ministrantibus, inviolabiliter observari, ac iuxta eorumdem dispositionem a quibusvis iudicibus, sublata quavis aliter iudicandi facultate, iudicari et definiri debere; et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Contrariis derogat;

§ 10. Non obstantibus nostra de unionibus committendis et valore exprimendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac aliis apostolicis constitutionibus; necnon hospitalis et Urbis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et eisdem senatori, consulibus, conservatoribus, reformatoribus, camerario, universitatibus ac earum collegiis, rectoribus et personis aliisque praedictis, necnon praedictae Urbi et populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; necnon litteris unionis, concessionis et applicationis monasterii praedicti eidem hospitali, etiam in compensationem aliorum iurium cessorum vel oblatorum, etiam intuitu hospitalitatis et quibuscumque aliis causis, factis; quibus omnibus, illorum tenores, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Indulgentias scholaribus dicti collegii elargitur.

§ 11. Ut vero etiam temporalibus commodis spiritualia munera addamus, quibus fidelium devotio et merita crescere magis et augeri possint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate nostraque confisi, omnibus et singulis scholaribus, qui in id collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, ac deinde in exitu, si quidem, confessi et contriti, sacram communionem devote perceperint, atque etiam si eodem in collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, concedimus et elargimur.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae MDLXXIII, octavo idus augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 augusti 1573, pontif. anno II.

Sequitur amplior concessio exemptionis a datiis etc.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ut ceteri de republica benemeriti immunitate interdum iuvandi sunt, ita maxime eorum ratio hac in re habenda est,

quos ad fidei catholicae incrementum in sinu nostro confovemus.

Amplior exemptio a datiis et gabellis.

§ 1. Quocirca, ut collegium Germanicum pridem a nobis in Urbe nostra de integro institutum, in quo non minus quam centum pueros ex universa Germania septentrionalibusque illi adiacentibus regionibus colligendos, liberalibus scientiis ac disciplinis necnon sacris canonibus et theologia institui atque erudiri volumus, et ad illorum sustentationem redditus annuos decem millium aureorum ipsi collegio perpetuo attribuimus, speciali privilegio prosequi volentes, motu proprio deque nostra mera liberalitate, collegium praefatum eiusque res et bona quaecumque, praesentia et futura, ac ipsius collegii scholares et alios in eo degentes, ab omnibus et singulis portarum, molendinorum farinae, trium pro centenario ac quatuor iuliorum pro quolibet vegete vini solvi solitorum, aliisque datiis, vectigalibus, angariis ac terrae marisque gabellis et dohanis, ordinariis et extraordinariis, hactenus quomodolibet impositis, et in posterum, quandocumque, quavis occasione vel causa, etiam de necessitate exprimenda, imponendis, etiam ad instar exemptionis dilectorum filiorum Camerae Apostolicae clericorum, etiam ratione Ripae et Ripettae, dohanae terrae ac etiam grasciae nuncupatae Urbis praedictae, necnon carnium, vinorum, pannorum lini, lanae, serici, et quarumcumque aliarum rerum ad humanum victum et vestitum necessariarum, ex toto Statu nostro Ecclesiastico et quibuscumque aliis locis extra dictum Statum consistentibus, ad collegium praefatum, tam per terram quam per mare et aquam dulcem ac alias quomodolibet, conducendorum, ac etiam iam ad dictam Urbem quomodolibet conductorum ac in ea existentium, pro eodem collegio, in magna seu parva quantitate, tam in barchis quam in magazenis et alias ubilibet emendorum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo eximimus et liberamus, liberaque, immunia et exempta esse volumus.

Inhibitio ne collegium desuper molestetur.

§ 2. Districtius inhibentes omnibus et singulis tam Urbis quam Status praedictorum, gabellarum, datiorum et vectigalium eorumdem datiariis, conductoribus seu appaltatoribus ceterisque ad quos spectat et spectare poterit quomodolibet in futurum, ne collegium praefatum illiusque scholares et personas, vel pro eis agentes, et eorum bona quaecumque aut eorum quemlibet, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare, impedire vel perturbare audeant seu praesumant. Quinimo, eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant ipsos et eorum quemlibet immunitate, exemptione et aliis praemissis pacifice frui et gaudere. Ac decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon dictae Urbis et dohanarum praedictarum ac quorumcumque tribunalium et curiarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem tribunalibus et curiis, illorumque iudicibus necnon appaltatoribus et dohaneriis praedictis, ac quibuscumque aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia similibus ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque to-

tis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici eiusdem collegii secretarii subscriptis, et sigillo communi eiusdem collegii munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, ac alias ubicumque opus fuerit, adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, idibus iulii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 iulii 1574, pontif. anno III.

XXII.

Declarationes constitutionis a Pio V editae circa electionem et munus ministri generalis aliorumque praelatorum Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, ac formam et qualitatem novitiorum recipiendorum etc. [1]

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Consuevit Romanus Pontifex, cui universi christifideles curae sunt, de Religioni adscriptis viris, ut in regularis observantiae candore iidem conserventur, specialem cogitationem suscipere; quod si aliqua per praedecessores suos ad eum finem statuta sunt, quae, experientia docente, minime expedire cognoscit, declarationibus aliisque rationibus non desinit prospicere.

Pii V ordinatio circa electionem praelatorum [1].

§ 1. Accepimus nuper felicis recordationis Pium Papam V, praedecessorem nostrum, per suas in forma brevis litteras, quarum seriem praesentibus pro expressis habemus, circa Ordinem fratrum Minorum de Observantia salubriter in via Domini dirigendum, inter alia de ministro generali, commissario et procuratore, etiam generalibus et provincialibus, ut eo in capitulo, quo absolvi debent, diffinitores non essent, neque vocem haberent, statuisse.

Huius Pontificis declaratio circa dictam electionem.

§ 2. Nos eam praedecessoris ordinationem, nonnullis de causis, quae rationi maxime consonae sunt, adducti, ad eum actum coarctamus, dum in officio, quod gesserunt, successor eligitur.

Pii V ordinatio de discessu praelatorum a capitulo.

§ 3. Dictarum vero litterarum partem, quae ante dictae proxima est, in qua cavetur ut iidem omnes minister generalis et alii praedicti, facta successoris electione, discedant,

Huius Pontificis declaratio circa hunc discessum.

§ 4. Nos ita declaramus ut, statim facta renunciatione officii, discedere debeant; ut si qui eos accusare velint, durante tempore syndicatus, libere id facere possint; eo autem finito, iuxta seriem dicti Ordinis generalium statutorum, in diffinitorio recipiantur.

Pii V ordinatio circa subornantes et subornatos pro electionibus.

§ 5. Ac dum per easdem litteras praecipiebatur quod provincialium ministrorum electio libere per vota secreta fieret, ita ut commissarius generalis vel qui electioni praesideret, si formam praedictam transgredi, seu electores quominus libere eligerent quovis modo impedire convictus

1 De toto Ordine Franciscano notavi in Honorii III constitutione LXVII, *Solet*, tom. III, pag. 394. Et signanter de his fratribus de Observantia scripsi ad Leonis X const. XXVII, *Ite*, tom. V, pag. 692.

1 Vide Pii V const. CXCIII, *Pastoralis*, tom. VII, pag. 917.

fuisset, officio privatus existeret. Qui vero in electionibus omnibus vel ante eas, per sex menses, pro se vel pro alio subornasset, excommunicationis sententiam, a qua non nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo, absolvi posset, et voce activa et passiva perpetuo careret.

Huius Pontificis declaratio quoad praedictorum subornantium et subornatorum excommunicationem.

§ 6. Facultatem, quoad casus praedictos Romano Pontifici dumtaxat per dictum praedecessorem reservatam, etiam ministro et commissario generalibus, quando de ipsis non agitur, in omnes eventus praedictos impartimur. Quod autem de subornato et eo, pro quo subornatio fieret, qui subornantem non detulisset, ut eamdem excommunicationis poenam incurreret, per dictum praedecessorem statutum fuit, penitus abolemus.

Pii V ordinatio circa tempus quo praelati durarent in officio et ad illud reeligi non possent.

§ 7. Et quod disponebatur de officio generalis ministri, quod per octo annos duraret; commissarii vero ac procuratoris generalis necnon provincialis, per quatuor, ipsique, semel officio functi, ad idem eligi non possent, nisi post sexdecim annos.

Huius Pontificis declaratio circa tempus reelectionis 1.

§ 8. Nos ad statutorum generalium dicti Ordinis seriem et formam reducimus, quibus dicitur expresse quod officia semel exercentes ab eis quae gesserunt per duplum temporis vacare debent, ita ut duae electiones celebrentur antequam ad eadem officia iterum eligantur.

Huius Pontificis correctio d. bullae Pii V circa electionem ministri etc. in procuratorem etc. 2.

§ 9. Corrigimus etiam litterarum praedictarum eam partem, in qua statuitur quod nec commissarius generalis in ministrum seu procuratorem generales, nec minister generalis in procuratorem vel commissarium generales, nisi post dictos sexdecim annos, eligi possint; dantes et concedentes eis ad quos spectat, facultatem commissarium generalem in ministrum seu procuratorem generales, et e converso, etiam immediate postquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, etiam lapsu temporis praedicto non expectato, pro tempore eligendi.

Et circa custodes et theologiae lectores.

§ 10. Praeterea ex eisdem litteris, quod de duobus discretis, quorum consilio generalis minister uti deberet, mandatum fuerat, cum expertum sit dictos discretos habere nequaquam Ordini praedicto expedire; quodque de sacrae theologiae lectore, qui quatuor cursus absolvisset, ut activa et passiva voce in provinciali capitulo uteretur, in eisdem statuebatur, tollimus.

Confirmatio bullae Pauli IV circa descendentes ab haereticis etc.

§ 11. Decernentes de novo quod, quoad illos, qui ex mahometanorum, iudaeorum vel haereticorum damnatorum descendunt origine, servetur quod piae memoriae Paulus Papa IV, praedecessor noster, per suas in forma brevis litteras, sub datum videlicet vigesima quarta aprilis MDLIX, pontificatus sui anno quarto, statuit.

Clausulae derogatoriae.

§ 12. Non obstantibus litteris praedictis, in partibus per nos alias declaratis et reformatis, quas in reliquis firmas esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die octava septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, pontificatus nostri anno II.

Sequitur alia declaratio praeinsertae constitutionis, et alterius Pii V, de qua ibidem.

Consuevit Romanus Pontifex *etc.* 1.

Declaratio dictarum ordinationum circa vocem praelatorum et discessum eorumdem a diffinitorio.

§ 1. Ad tollendam autem omnem ambiguitatem et difficultatem, quae super istis nostris vel praedecessoris nostri verbis oriri inter fratres praedictos possent, ita ut sequitur, quid circa prae-

1 Hodie circa tempus servatur Leonis X bull. XXVII, *Ite*, tomo V, pag. 692. 2 Ad hoc vide aliam declarationem quae mox subsequitur.

1 Omittitur haec narrativa, quia ipsa bulla est quae praecedit.

dicta servari velimus, expressius declaramus; volentes omnes praedictos, scilicet generalem ministrum, commissarium et procuratorem generales, vel commissarium curiae, non debere admitti in diffinitorio capituli generalis, in quo a suis officiis absolvuntur, neque in eo loco vocem habere, dum is actus agitur in quo syndicatus sui rationem reddere tenentur, sic quod minister generalis, facta officii renunciatione, antequam successor eligatur, discedat ex diffinitorio, ut, eo absente, libere agere possint contra eum, si qui ex provinciis accusare eum velint, et ullas habeant versus eum quaerelas; quo actu finito, in omnibus aliis actibus et electionibus et diffinitoriis adesse possit et vocem habere, in quibus, secundum generalia Ordinis praedicti statuta, adesse et vocem habere possit. Idem de commissario generali respective servetur. Sic, quod commissarius generalis, post redditam syndicatus sui rationem, in aliis actibus et electionibus vocem habere possit, in quibus, secundum statuta generalia, vocem habere commissarii generales hactenus potuere. Provinciales quoque ministri, post redditam syndicatus sui rationem, possint et debeant in diffinitorio admitti, et vocem in reliquis actibus capituli provincialis electionibusque habere. Idem de procuratore generali commissarioque curiae observetur, respectu capituli generalis, quod scilicet sint de diffinitorio, vocemque in omnibus actibus et electionibus capituli generalis habeant, praeterquam dum is actus agitur in quo syndicatus sui rationem reddere tenentur. Neque enim aequum censemus ut, iis qui negociorum Ordinis habent experientiam et notitiam exclusis, per solos generalem et diffinitores novos, rerum Religionis non ita gnaros aut expertos atque opus esset, de illis pronuntietur, statuatur et diffiniatur. Declarantes etiam non esse mentis nostrae aut voluntatis, generalem ministrum aut commissarium generalem Ordinis concessa illis per statuta generalia, voce privare, aut a capituli generalis diffinitorio excludere, nisi tum dum de particulari uniuscuiusque eorum accusatione et correctione agitur et deliberatur.

Alia declaratio.

§ 2. Eam autem partem litterarum nostrarum, qua dicimus « corrigimus etiam litterarum praedictarum eam partem in qua statuitur quod nec commissarius generalis in ministrum seu procuratorem generales, nec procurator generalis in ministrum vel commissarium generales, nisi post sexdecim annos, eligi possint, dantes et concedentes eis, ad quos spectat, facultatem commissarium generalem in ministrum seu procuratorem generales, et e converso, etiam immediate postquam aliquo ex dictis officiis functi fuerint, etiam lapsu temporis prædicto non expectato, pro tempore eligendi », pariter mutandam decrevimus, ut omnino, iuxta praedecessoris nostri decretum, illi, qui ministri fuerint, commissarii aut procuratores generales vel curiae commissarii, non possint, nisi post sexdecim, a sua ab officiis praedictis absolutione, finitos annos, in generales ministros, commissarios aut procuratores vel curiae commissarios eligi aut assumi, quatenus, dum in officiis praedictis fuerint, ablata illis omni ambitionis occasione, totos se ad ea, quae suarum partium esse dignoscuntur, sincere diligenterque agenda convertant et intendant, omni ambitus cogitatione abiecta. Ministri autem provinciales per duplum temporis officii ministeriatus, postquam absoluti a tali officio fuerint, in ministros provinciales reeligi non possint. In reliquis, litteras nostras praedictas firmas esse volumus atque in suo permanere robore.

Declaratio constitutionis Pii V circa procurationem favorum extra Religionem.

§ 3. Ad ea autem quae in praedictis praedecessoris nostri litteris, contra recurrentes ad saecularium et aliquarum extra dictum Ordinem personarum favores, ad

aliquod officium, in Ordine habendum, statuta sunt, aliquid addendum censuimus. Nam, dum aliquae extra dictum Ordinem personae pro aliquo fratre officium quodpiam, vel per se ipsos vel per nuncios suos aut per litteras, petebant, negare dicti fratres consueverunt se ullo modo dictas personas ad praedicta sollicitasse. Idem quoque dictae personae facere solitae erant, negantes se a dictis fuisse fratribus sollicitatas ad tale pro eis faciendum officium, sicque ad eorum correctionem, qui contra praedictam praedecessoris nostri ordinationem faciebant, procedi nullo modo poterat. Unde, ut huic malo obviam convenienti eatur remedio, statuimus et decernimus quod is frater, pro quo saecularis aliquis, cuiuscumque gradus aut conditionis fuerit, et quaecumque alia extra dictum Ordinem persona rogaverit et petierit, verbo litterisve aut nunciis, seu alias quomodocumque, per se vel alios, ut aliquod illi officium in Ordine praedicto detur, ipso facto activa passivaque voce privatus sit, ad omniaque Ordinis officia inhabilis habeatur, nisi legitime constiterit aliquem ex malitia rogatorem huiusmodi subornasse, ut illi, pro quo rogarent aut scriberent, occasione huiusmodi statuti, nocerent et praeiudicarent, ut pro eo quod amicos suos extra Ordinem, officium eorum favore assequendum, maiori utantur de cetero diligentia ad hortandos et rogandos ne ullum pro ipsis officium petant, aut, ad aliquod pro illis habendum officium, suum interponant favorem.

Clausulae derogatoriae. § 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus illis, quae in litteris praedictis concessum fuerit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima nona aprilis, millesimo quingentesimo septuagesimo nono, pontificatus nostri anno VII.

XXIII.

Statuit quod de cetero nominationes ad beneficia vel officia ecclesiastica per collatores Universitatis Studii generalis Lovaniensis, vigore litterarum Sixti IV faciendae, quae intimandae erant ordinariis, intimentur per affixionem ad valvas locorum, ubi ipsi collatores resident; et restituit eius privilegia in pristinum, adversus quascumque revocationes 1.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Facti series. § 1. Nuper cum per nostras litteras privilegia et indulta nominandi ad beneficia vel officia ecclesiastica vacatura alias Universitati Studii generalis oppidi Lovaniensis, olim Leodiensis nunc vero Mecliviensis dioecesis, per felicis recordationis Sixtum IV, et facultati artium eiusdem Universitatis per Leonem X concessa, et postea per Adrianum VI et Clementem VII, Romanos Pontifices praedecessores nostros, confirmata, approbavimus et confirmavimus, prout in eisdem litteris, sub datum kalendis martii, pontificatus nostri anno I, expeditis, plenius continetur, animadvertimus in litteris privilegiorum Universitatis huiusmodi, per Sixtum IV praedecessorem praedictum concessorum, contineri quod nominati ad aliqua beneficia seu officia ecclesiastica teneantur ordinariis collatoribus nominationem de se factam praesentare seu insinuare, neque possint sibi provideri facere de aliquo beneficio vel officio ecclesiastico, occurrente eius vacatione, ab executoribus in eisdem litteris Sixti deputatis, nisi prius ipsi ordinarii collatores, ad id requisiti, litteris Sixti parere recusaverint, aut per triduum huiusmodi beneficium vel officium ipsis conferre vel assignare neglexerint vel distulerint.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Causa constitutionis edendae.

§ 2. Quae quidem cum ipsis nominatis dispendiosa ac laboriosa existant, et interea temporis alii in ipsis beneficiis intrudantur vel intrudi possint, nos, volentes huiusmodi incommodis occurrere et adversus ea Universitati praedictae providere, motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione nostra, ac ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, de cetero insinuationem seu praesentationem huiusmodi sufficienter facta intelligi debere, si fiat per litteras ad valvas ecclesiae affixas, illarumque relicta copia in loco solitae residentiae ipsorum collatorum, si eorumdem collatorum praesentia commode haberi non poterit, etiamsi collatores ipsi, quibus huiusmodi nominationes Universitas praedicta facere teneretur, et sint cardinales, collegia, conventus, episcopi, archiepiscopi et S. R. E. cardidinales ac alii quicumque, ad quaecumque beneficia, etiam in metropolitanis et cathedralibus ecclesiis sita, absque ulteriori requisitione facienda, vel eorumdem ordinariorum collationem expectando, praesentium tenore, perpetuo statuimus, decrevimus et declaramus.

Privilegia concedit et ad ea in pristinum restituit Universitatem.

§ 3. Et insuper eamdem Universitatem et facultatem artium amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, litteras nostras super approbatione, confirmatione, ampliatione, ut praemittitur, expeditas, illarum tenores hic pro sufficienter expressis et insertis habentes; ac omnes et quoscumque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplentes; dictasque Universitatem et artium facultatem earumque personas adversus quascumque constitutiones, concessiones in praeiudicium eorumdem privilegiorum et contra illorum tenorem et formam, a quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu proprio et scientia similibus emanatis, in pristinum et in eum statum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, quatenus opus sit, restituentes et plenarie reintegrantes, eamdem vim et robur ac validitatem obtinere volumus, ac si motu et potestate similibus concessae et expeditae fuissent; illasque et praesentes nullo umquam tempore, etiam ex quacumque causa, de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae seu alio quopiam defectu ullatenus notari posse; et sic, in omnibus et singulis praedictis casibus et eventibus, per quoscumque iudices et commissarios, etiam sacri Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate; ac irritum et inane decernentes quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, iudicari et diffiniri debere.

Clausulae.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam aliis quae in dictis nostris litteris obstare voluimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die VIII septembris MDLXXIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 septem. 1573, pontif. anno II.

XXIV.

Gregorius Papa XIII restituit generali et visitatoribus omnium praelatorum electionem; quartum addit visitatorem; capitulum generale et omnia officia triennalia declarat; post triennium ad alias praelaturas assumi, non autem in eisdem confirmari posse decernit; procurator generalis ut eligatur iuxta ritum aliorum praelatorum, ac in officio confirmari valeat, benigne concedit. [1].

Gregorius Papa XIII
dilectis filiis salutem et ap. benedictionem.

Consuevit Romanus Pontifex, cui uni-

1 Ex Bull. Canon. Regul. Congr. Sanctissimi Salvatoris, pag. 163, par. I.

Proemium et facti series.

versi christifideles curae sunt, de Religioni adscriptis viris, ut in regularis observantiae candore, sublatis quibuscumque impedimentis, conserventur, cogitationem suscipere. Ea igitur intentione adductus felicis recordationis Pius Papa quintus, praedecessor noster, animadvertens plura scandala, perturbationes ac mala in congregatione vestra exorta et excitata fuisse, pro illius generali reformatione suas litteras sub data videlicet VI decembris, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, pontificatus vero sui anno VI, quibus illis obviaretur, edidit; in eisdemque praecipue, inter alia, de prioribus aut abbatibus sive praepositis, iuxta cuiuslibet monasterii eiusdem congregationis titulum, ac vicariis conventualibus, non ut antea in capitulo generali consueverat, sed in capitulis cuiuslibet monasterii, in quibus ultra sex canonicorum numerus esset, per secreta suffragia, iuxta concilii Tridentini decreta eligendis, decrevit, prout in eisdem litteris latius explicatur.

A generali et visitatoribus eligi possent omnes praelati.

§ 1. Cum autem, sicut nobis dilecti filii Raphael a Cento, visitator, et Petrus Franciscus Bononiensis, eiusdem congregationis procurator generalis, exponi curarunt, ex praemissa reformatione fructus, quos eamdem proferre posse ratio ipsa plane persuadebat, consecuti non fuerint, et propterea opportune circa ea omnia nobis prospiciendum esse censentes, vobis pro generali capitulo de more celebrando in unum congregatis, ut si in eligendo praedictos praelatos conventuales alia ratione uti expedire duxeritis, idque maior pars vestrum existimaverit, dictis praedecessoris litteris non obstantibus, ad priorum vel abbatum aut quovis alio nomine nuncupatorum conventualium praelatorum novam electionem, iis, qui in officio et praelatura adhuc sunt, prius absolutis et liberatis, in capituli definitorio, quarto visitatore adiuncto, ut novem personarum numerus constituatur, per secreta suffragia, et in reliquis omnibus dictarum litterarum praedecessoris forma servata, etiam generalem confessionem et absolutionem, iuxta earumdem praedecessoris litterarum seriem de capitulis conventualibus disponentium, praemittendo, quibus aliqua alia in parte detrahere aut ullatenus derogare non intendimus, procedere valeatis, auctoritate apostolica, tenore præsentium, facultatem concedimus et impartimur.

Additur quartus visitator.

Omnia officia triennalia declarantur.

§ 2. Volumus etiam quod eorumdem priorum seu abbatum ac reliquorum praelatorum conventualium officia in posterum triennalia sint, sicut generale capitulum singulis etiam trienniis celebratur. Quo trienni tempore elapso, iidem, qui monasteriis et aliis eiusdem congregationis locis praefuerint, ad alias praelaturas assumi et eligi, necnon ad reliqua monasteria et loca transferri possint; in eisdem tamen ultra triennium, nec confirmationis nec novae electionis via, sub quovis praetextu esse queant.

Post triennium praelati ad alias praelaturas assumi valent;

In eisdem confirmari nequeunt.

Procurator generalis eligendus iuxta ritum ceterorum praelatorum et confirmari potest.

§ 3. In proximo vero capitulo tantum unus ex dictae congregationis canonicis, qui ad illud convenerint, loco quarti visitatoris adsciscatur, pro novem personarum numero praedicto explendo. In officio vero procuratoris generalis dictae congregationis committendo, et in eligenda persona ad illud, simili forma, qua in electione praelatorum conventualium, procedatur. Quo in munere procurator ipse, id suadente congregationis utilitate, etiam ultra triennium confirmari possit.

Officiis extraordinarie vacantibus canonice provideatur.

§ 4. Quod si contingat, triennio huiusmodi durante, priorem generalem, visitatores, procuratorem etiam generalem aut praelatos vel vicarios conventuales vita fungi aut ab officio deponi iuxta regularia eiusdem congregationis instituta, canonice de illis provideatur.

§ 5. Decernentes ex nunc praelatos et pro-

Electiones iuxta praemissa factae, canonicae declarantur.

curatorem generalem sic postmodum praesentium auctoritate electos, canonice electos fore, et ab omnibus ut praefertur censeri, et per quoscumque, ad quos id pro tempore spectabit, iudicari et definiri debere; irritumque esse et inane quidquid secus super his a quoque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus litteris praedictis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque congregationis illiusque monasteriorum et conventuum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illorumque superioribus et personis concessis et confirmatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimatertia martii, anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 martii 1574, pontif. anno II.

XXV.

Forma observanda in electione abbatissarum monasteriorum monialium congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex nostri pastoralis officii debito ad ea libenter attendimus, per quae monasteriorum quorumlibet, praesertim vero sanctimonialium, quae, relictis huius mundi illecebris, sese earum sponso Iesu Christo Salvatori et Domino nostro perpetuo manciparunt, prospero statui et felici directioni consulitur; quod potissimum ex animi nostri voto successurum conspicitur, si in abbatissarum ipsorum monasteriorum monialium, dum pro tempore vacant, electionibus omnis dilatio et tergiversatio, quantum fieri possit, removeatur, et ad electionem ipsam quanto citius procedatur, ne alias monasteria ipsa diutinae vacationis abbatissarum sentiant incommoda.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in electionibus abbatissarum monasteriorum monialium, sub cura, regimine et gubernio congregationis Cassinensis, alias S. Iustinae de Padua Ordinis S. Benedicti, existentium, dum eorum vacatio pro tempore occurrit, duae partes ex tribus partibus vocum seu votorum vel suffragiorum monialium ipsorum monasteriorum requirantur, et ea de causa saepenumero multae difficultates et discrepantiae ac scandala oriantur, priusquam vota seu suffragia unita et concordantia usque ad dictum numerum requisitum inveniri et haberi possint.

Forma eligendi abbatissas monialium regimini congregat. Cassinensis subiectarum [1].

§ 2. Nos, in praemissis opportunum remedium adhibere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc factae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod ex nunc deinceps, perpetuis futuris temporibus, dilecti filii nunc et pro tempore existentes dictae congregationis visitatores ac abbates seu praelati respective, quibus moniales ipsorum recommendatae, seu sub quorum regimine, gubernio et cura, ut praefertur, existunt, toties, quoties faciendarum electionum

1 De aetate et qualitate abbatissarum habes in Conc. Trid., *De Regularibus*. Et de ista congregatione vide etiam const. subsequen. cum ibi indicandis.

1 Scias autem vota secreta esse debere ex Conc. Trident., sess. XXV, *De Regularib.*, cap. VI.

abbatissarum huiusmodi pro tempore casus evenerit, in eventum quod dictae moniales praedictorum monasteriorum, in electionibus ipsarum abbatissarum faciendis, per duo scrutinia non convenerint, possint, valeant et debeant ipsorum monasteriorum monialibus proponere duas vel tres eiusdem monasterii moniales, quas ad regimen et gubernium aptiores esse iudicaverint, gravantes in hoc eorum conscientiam, et illa ex dictis duabus vel tribus monialibus sic propositis, quae plura monialium vota, sive suffragia in sui favorem habuerit, sit et esse censeatur legitime et canonice electa in abbatissam ipsius monasterii, et tamquam talis in abbatissam monasterii huiusmodi per eos, ad quos spectat et spectabit, omnino institui seu confirmari debeat; neque de cetero electiones dictarum abbatissarum, alias quam ut praefertur et per praesentes disponitur, fieri possint nec debeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Praelatorum dictae congregationis facultas circa eiusmodi abbatissarum electionem.

§ 3. Necnon etiam visitatoribus et abbatibus seu praelatis praefatis, ut duas vel tres moniales, modo et forma praemissis ac ad effectum praedictum, proponere, necnon moniales dictorum monasteriorum ad easdem duas vel tres moniales sic pro tempore eis propositas acceptandum, et unam ex ipsis duabus vel tribus, ut praefertur, eligendum, aliaque praemissa omnia et singula necnon per praesentes disposita observandum, etiam sub excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, etiam saepius aggravandis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, etiam quacumque appellatione, recursu et reclamatione postpositis penitus et semotis, auctoritate nostra cogere et compellere, aliaque in praemissis et infrascriptis ac circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere et exercere libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, concedimus et indulgemus, ac plenam, liberam, amplam et omnimodam desuper licentiam, potestatem, facultatem et auctoritatem impartimur; necnon etiam dictis monialibus ipsorum monasteriorum, ut praesentibus nostris ac visitatoribus, abbatibus et praelatis praedictis in praemissis omnino pareant, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae necnon aliis poenis districte praecipiendo, mandamus.

Clausulae praeservativae huius constitutionis.

§ 4. Praesentes quoque de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari vel impugnari aut alias quomodolibet infringi vel retractari nullatenus umquam posse, sed eas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere; necnon ab omnibus, quos praemissa concernunt et in futurum concernent, perpetuo, inviolabiliter et ad unguem observari, sicque in praemissis ab omnibus censeri; ac ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae omnium contrariorum.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis ultra tres diaetas vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et quibusvis aliis apostolicis provincialibusque et synodalibus constitutionibus et ordinationibus; necnon monasteriorum et Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis

et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie ac alias in contrarium quomodolibet concessis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica ac expressa et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac ac si verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimasexta aprilis, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 aprilis 1574, pontif. anno II.

XXVI.

Innovatio constitutionum Eugenii IV circa potestatem definitorum et visitatorum congregationis Cassinensis, alias Sanctae Iustinae, monachorum Ordinis S. Benedicti; et prohibitio ambitus necnon appellationis a praelatis eiusdem congregationis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

In Religione nihil utilius obedientia erga superiores.

Nihil in unaquaque religiosa familia, in qua obedientia firmissime iactis fundamentis, plerique fideles in claustris Altissimo famulari student, aeque arbitramur esse utile quam supremam in eisdem auctoritatem gerentibus, omni contentione exclusa, ea qua decet reverentia, universos parere, eorumque dictis audientes esse, necnon a regularis observantiae professorum pectoribus bonorum assequendorum nimiam cupiditatem exulare.

Haec ut vigeat in congreg. Cassinensi hic Pontifex exoptat.

§ 1. Utque haec, divina assistente gratia, maxime in congregatione monachorum de Observantia congregationis Cassinensis, alias S. Iustinae de Padua, Ordinis S. Benedicti, quae vitae sanctitate claruit, ex sententia nostra succedant, antiquas constitutiones approbandas, et in illarum transgressores duriores poenas proponendas, et alias opportune providendum esse censemus, prout in Domino conspicimus expedire.

Eugenius IV decrevit diffinitoribus capit. generalis obedientiam hanc praestari, et ad eos electionem et destitutionem abbatum spectare;

§ 2. Accepimus enim quod, licet alias felicis recordationis Eugenius Papa IV, praedecessor noster, sub Datum Romae apud S. Petrum anno Domini MCCCCXXXII, nono kalendas decembris, pontificatus sui anno II, inter alia, voluerit in capitulo generali eiusdem congregationis singulis annis celebrando, novem definitores ex monachis dictae congregationis eligi, qui vocem in capitulo haberent, sicque electos, totum capitulum praefatum repraesentare, eorumdemque definitorum statutis, constitutionibus, ordinationibus, definitionibus et correctionibus singulos congregationis eiusdem monachos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus sive conditionis existerent, in omnibus efficaciter parere, ac huiusmodi definitores de monasteriis et locis illorumque bonis, prout viderent expedire, disponere; necnon ex monachis, tunc praesentibus et futuris, quos ad id idoneos iudicavissent, in abbates pro tempore vacantium monasteriorum ac prioratuum huiusmodi, alias, iuxta dictae congregationis constitutiones, ordinatio-

[1] Quae respiciunt istam congregationem vide in Iulii II const. II, *Super*, t. V, pag. 400.

nes et statuta, eligere sive nominare, necnon ad eorum beneplacitum taliter electos, absque aliqua etiam causae cognitione, a regimine etiam dictorum monasteriorum et prioratuum, quibus tunc praefuerint, et quae tunc propterea vacare censerentur, absolvere et amovere posse.

Voluitque servari, etiam si abbatiae vacarent apud Sedem Apostolicam 1.

§ 3. Idque per alias litteras datas Florentiae, pontificatus sui anno quarto, decreverit, dum, occurrente vacatione monasteriorum et prioratuum dictae congregationis, etiam apud Sedem Apostolicam vacantium, qua illis ratione providendum esset ordinavit, prout in singulis eiusdem praedecessoris litteris plenius continetur.

Nonnulli tamen monachi superiorum mandata obedire detrectabant.

§ 4. Nihilominus nonnullos dictae congregationis monachos, eius, quam Deo voverunt, obedientiae plane oblitos, praefatis superioribus, in electione et amotione abbatum, et aliorum ad eorumdem nutum et beneplacitum monasteriis et aliis officiis absolvendis et liberandis, aut ad illa eligendis et nominandis, adversari et contradicere, et cum illis ad contentiones devenire; alios vero, ne contra eos veluti inobedientes vel alia etiam ex causa, aut ex quantumvis gravi crimine et excessu procedi possit, contra eiusdem congregationis statuta et ordinationes, varias appositiones et subterfugia aut alia impedimenta afferre vel interponere; necnon, absque eorumdem superiorum licentia, in his quae ad morum correctionem et regimen administrationemque congregationis eiusdem pertinent, iurisperitos et alios consulere temere ausos fuisse et nunc praesumere; quosdam etiam, porfessionis et Regulae, quam sub humilitatis habitu professi sunt, immemores, reperiri, qui sic ambitione dignitatum et officiorum ecclesiasticorum in dicta congregatione consequendorum, quo facilius de congregationis rebus et personis ad eorum libitum disponant, se efferri patiuntur, ut ad ecclesiasticorum et saecularium principum auxilia vel occulte vel palam recurrant, et a S. R. E. cardinalibus aliisque praelatis commendatitias litteras propterea expetant, et novi aliquid semper, ut optati compotes fiant, in eorum animae perniciem parando ac moliendo, eiusdem congregationis quietem cum animarum illorum periculo non modico perturbent.

Hic ideo Pontifex ea iterato decernit;

§ 5. Nos igitur praemissis occurrere ac eiusdem congregationis monachorum honori et quieti, quos in visceribus gerimus caritatis, necnon ad deterrenda maleficia, gravioribus etiam poenis propositis, consulere cupientes, ac dictarum praedecessoris litterarum seriem, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, singulas praedecessoris praefati litteras, in ea parte, qua illae auctoritatem illorum, qui pro tempore regendae congregationi deputati erunt, respiciunt, quod ad eorum nutum et beneplacitum abbates et alios, quovis nomine nuncupatos, dictae congregationis praelatos vel officiales eligere, et electos, similiter absque aliqua causae cognitione, servatis alias ipsius congregationis constitutionibus, ab officio amovere et absolvere possint, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus; et quatenus etiam opus sit, easdem quoad praemissa dumtaxat innovamus; quodque contra eos, qui in praemissis eisdem superioribus, in electionibus vel amotionibus huiusmodi, contradicere vel se opponere aut cum illis contendere praesumpserint, per poenam privationis officiorum, quae obtinuerint, ac personae correctionem et carcerationem animadvertatur, statuimus.

§ 6. Cumque idem praedecessor di-

1 Haec autem decreta non observantur.

Iudicia contra monachos summarie et appellatione remota agi etc. debere declarat;

strictius inhibuerit ne cui praelatorum vel monachorum dictae congregationis, ab institutis, ordinationibus[1] et mandatis capituli generalis, sive praesidentis aut visitatorum vel rectorum eiusdem congregationis, ad quemcumque, etiam Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis liceret appellare, quamcumque appellationem, si aliquam quandoque interponi contingeret, cum inde secutis, irritam decernendo; si autem contra aliquem praelatum vel monachum dictae congregationis, civiliter aut criminaliter ageretur, secundum statuta et consuetudines congregationis praefatae, iuris communis apicibus, dilationibus, terminis et litium anfractibus omissis, procedi debere mandaverit, eiusdem praedecessoris exemplo adducti, quod, quandocumque contra monachos iudicium ex quavis causa institui contigerit, summarie, simpliciter et de plano, ac sola facti veritate inspecta, necnon omni et quacumque appellatione remota, agi.

Appellantes coerceri mandat, cum eorum consultoribus;

§ 7. Appellantes vero, aut de nullitatibus sententiarum, processuum et aliorum quorumcumque contra se decretorum vel actorum dicentes, vel aliquod aliud impedimentum interponentes, illis non obstantibus, privatione officiorum et carceris poenis itidem affici, et ad ulteriora in causis, quas pro tempore agitari continget, privationisque, carceris et aliarum poenarum propterea inflictarum executionem procedi posse volumus; easdemque poenas ad eos etiam monachos, qui a iurisperitis aut aliis quibusvis personis extra dictam congregationem, absque eorum superiorum licentia, in his quae ad obedientiam aut correctionem eiusdemve congregationis regimen pertinebunt, consilium capient, extendimus.

Ambientibus et eorum complicibus poenas imponit;

§ 8. Ac omnes et singulos monachos congregationis praefatae, cuiuscumque aetatis, gradus, conditionis, praeeminentiae et litteraturae existentes et quacumque dignitate praefulgentes, qui, ad praelaturas et alia officia dictae congregationis assequenda intenti, ad principum et praelatorum, de gremio dictae congregationis non existentium, favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus aliisque viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad dignitates seu officia in congregatione praefata obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesiverint, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates et officia, spiritualia vel temporalia, et praesertim in ipsa congregatione, obtenta et obtinenda, perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis, praelaturis, dignitatibus, administrationibus vel officiis eo ipso privamus, ac privatos voce tum activa tum passiva carere decernimus et declaramus.

Promotiones canonice fieri iubet;

§ 9. Et, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae, omnibus dictae congregationis monachis, qui pro tempore regimini dictae congregationis deputati erunt, praecipientes districteque mandantes ne aliquos, precibus, litteris vel favoribus principum vel praelatorum aut aliorum extra dictum gremium existentium adducti, ad cuiusvis generis praelaturas, dignitates, officia, administrationes et gradus promovere praesumant; immo, promovendorum meritis et virtutibus tantum inspectis, quod Dei causam agant memores sint, quo magis puro et sincero corde, nulla privata aut mundana affectione commoti, in electionum negocio procedant. Decernentes electiones et promotiones ad monasteria, sic litteris aut aliis favoribus principum et praelatorum vel aliorum extra gremium, ut praefertur, existentium, eorumque precibus aut pollicitationibus iniuste ac indebite extortas, nullas invalidasque esse, et adversus eos, qui

[1] Cherub. addit *correctionibus* (R. T.).

his minus legitimis rationibus ad regenda monasteria vel prioratus aut alia officia se eligi aut assumi obtinuerint, per eiusdem congregationis superiores quandocumque procedi, et, rei veritate cognita, condignis poenis, tamquam publicae dictae congregationis quietis perturbatores, affici posse et debere. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictorum congregationis et Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et illorum superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, concessis et confirmatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice, motu et scientia similibus, latissime derogamus ac derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque. Aut si praefatis congregationi et monachis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 11. Ac, ut harum litterarum notitia ad omnes dictae congregationis monachos facilius deveniat, volumus illas in generali dictae congregationis capitulo singulo quoque anno publice legi, illasque in dicto capitulo lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatae fuissent, illarumque exemplis, vel impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et sigillo praesidentis ipsius congregationis vel alterius in dignitate ecclesiastica constituti obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur, si eaedem exhiberentur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII aprilis MDLXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 aprilis 1574, pontif. anno II.

XXVII.

Ordinationes circa electionem praepositi generalis et aliorum praelatorum congregationum monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi de Observantia, eorumque studia et accessus ad Urbem.

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pro nostri muneris officio et caritate paterna, qua omnes religiosorum Ordines prosequimur, quaecumque ad illorum statum salutaremque tranquillitatem pertinere arbitramur, ea, adiuvante Domino, instituere nitimur atque studemus.

Congregatio monachorum S. Hieronymi ex eius instituto habet priores annales, et ii per tres annos in priores eligi

§ 1. Inter eos autem ad congregationem monachorum Eremitarum S. Hieronymi respeximus, quae paucorum numero continetur, utpote cuius monachi et fratres ad centum sexaginta vix ascen-

possunt, et postea per annum vacare debent.

dunt, et ex antiquis constitutionibus et consuetudinibus priores habet annales; necnon in eodem monasterio, in quo prioratus officium aliquem gerere contigerit, vel aliis eiusdem congregationis monasteriis possunt singulis annis, usque ad tres annos tantum, in priores de novo eligi, ita tamen ut, triennio elapso, quo rursus in priores eligi valeant, ab huiusmodi officio saltem per annum vacare debeant.

Ex qua frequenti mutatione ambitui occasio praebetur.

§ 2. Haec autem assidua mutatio plurium desideria ita excitat, ut nonnulli, professionis, quam in habitu sinceritatis et humilitatis Deo voverunt, immemores, ambiendis illius dignitatibus et officiis assidue incumbant, quo magis pro eorum libito de rebus et bonis ad eamdem congregationem pertinentibus disponere possint; effraenata vero hac cupiditate sic nonnulli efferri patiuntur, ut principum saecularium et aliorum auxilia et favores plerumque occulte, quandoque etiam palam, expetant illosque implorare non vereantur, diversa super his pacta ineundo, seditiones excitando, praensationes[1], quas practicas vocant, exercendo, in maximum christifidelium scandalum ac publicam dictae congregationis perturbationem, quae ad labefactandum religiosorum statum apertissime tendunt.

Hic ideo Pontifex praesentes priores amovet, et alios deputat, eisque prioratus a futuro capitulo assignari mandat;

§ 3. Nos igitur, his incommodis per novas editas ordinationes occurrendum esse censentes, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, modernos dictae congregationis priores, ab officiis prioratuum huiusmodi absolvimus et amovemus; necnon dilectos filios Hieronymum Cremascum, modernum praepositum generalem, Martinum, Iulium, Constantinum, Deodatum, Urbanum, Aloysium Comensem, Hippolytum, Eusebium, Leandrum, Angelicum Locatum, Felicem et Stephanum, Dominicum et Timotheum in priores monasteriorum eorumdem, loco praedictorum, eligimus. Assignationem autem eorumdem prioratuum unicuique priori per nos electo, a generali capitulo faciendam, remittimus.

Definitores d. capituli aliquot dictorum priorum constituit;

§ 4. Ac ex ipsis prioribus Hieronymum, Deodatum, Urbanum, Aloysium, Eusebium, Leandrum, Angelicum Locatum, Felicem et Stephanum, pro hac vice dumtaxat, in eiusdem congregationis definitores constituimus et deputamus.

Priores poste eligendos perpetuo priores remanere decernit;

§ 5. Priores vero huiusmodi in posterum perpetuo priores durare decernimus, nisi aliquis, sic eius exigentibus demeritis, priorali dignitate privandus esset; qui privati, ad dicta officia in posterum exercenda inhabiles postmodum existant.

Sed eodem in monasterio triennio tantum permanere, et postea aliis praefici iubet

§ 6. Ultra autem tres annos priores in administratione eiusdem monasterii non permaneant, sed illi aliis monasteriis administrandis praeficiantur et ad illa transferantur; ac triennium huiusmodi a capitulo generali proximis temporibus celebrando numeretur.

Capitulum tamen singulis annis eos transferre valet.

§ 7. Possit tamen idem generale capitulum, quos iudicaverit expedire, de uno ad aliud monasterium regendum, singulis annis transferre.

Capitulum proximum, loco priorum ut supra deputatorum vacantium, alios subrogare potest.

§ 8. Quod si aliqui ex supranominatis, qui in priores per nos, ut praefertur, electi fuerunt, prioratus sibi delatos acceptare recusaverint, aut eos vel statim vel paulo post dimittere voluerint, tunc, et eo casu liceat capitulo generali proxime celebrando, hac vice dumtaxat, eorum loco alios dictae congregationis professores, etiam si de numero vicariorum, ut infra dicetur, non extiterint, in priores eligere ac illos subrogare, et ad prioratus huiusmodi officia exercenda per tempus praedictum deputare.

Praeposit. generalem, visitatores, consultores et definitores ex numero priorum eligendos esse decernit;

§ 9. Praeterea, cum antea liceret quemcumque monachum, in presbyteratus ordine constitutum, in praepositum generalem, visitatorem et consultorem eligere, et, dummodo vocem haberet in generali

1 Cherub. legit *praesentationes* (R. T.).

capitulo praedicto, etiam in definitores illi omnes assumi valerent, et multitudo vocem et suffragium in electione habentium et eligendorum maximam pareret confusionem, propter varias illicitasque pactiones et pollicitationes quas praemissorum occasione ineunt, nos, huiusmodi malo obviare volentes, quod iidem omnes, praepositus videlicet generalis, visitatores, consultores et definitores ex numero priorum ab ipsismet prioribus tantum eligantur mandamus, praeterquam in S. Alexii de Urbe et S. Pauli civitatis Albanensis monasteriis, in quibus, pro evitandis expensis et incommodis, duos ex illis monachis, qui ad ibi degendum, aut eorum alter, constituentur pro tempore, etiam si priores non essent, visitatores deputari posse permittitur, qui tamen, uti eorumdem monasteriorum visitatores, in generali praeposito vel definitoribus eligendis vocem non habeant; quoad reliqua autem, concessa sibi per generale capitulum auctoritate fungantur.

Procuratores a monasteriis missos ad capitulum generale voce electiva carere declarat.

§ 10. Insuper, ex causis praedictis vitandique ambitus gratia, eos procuratores, qui ab unoquoque monasterio ad generale capitulum destinantur, ut de statu monasteriorum, a quo missi fuerint, generale capitulum praedictum plane edoceant, et ea omnia, quae ad illud pertinent, postmodum referant, necnon vocem in electione praepositi generalis et definitorum tam activam quam passivam habeant, illa in posterum volumus carere.

Vacante aliquo prioratu, prioris electio ad capitulum generale differenda est, etc.

§ 11. Ad haec, si medio tempore a celebrato capitulo generali usque ad aliud celebrandum alicuius monasterii prioratum quomodocumque et ex quavis causa vacare contigerit, novi prioris electio usque ad capitulum generale proxime celebrandum, nec ultra differenda erit. Et interim monasterii vicarium, quamvis alterum[1] per praepositum generalem, cum voto consultorum, per modum provisionis dumtaxat deputandum.

[1] Hunc locum ita legit Cherub.: *Monasterii vicarius vel quivis alter... deputandus erit* (R.T.).

Priores ex vicariis eligendi sunt.

§ 12. Nec aliquis ad prioratum assumendus erit, nisi et tempore vacationis et tempore electionis sit alicuius monasterii vicarius.

Vicariorum electio ad quos spectet.

§ 13. Vicariorum autem electio per capitulum generale facienda erit, ut est moris. Quod si medio tempore aliqua vicariatuum officia quomodocumque vacare contigerit, cum voto consultorum generalis praepositus poterit monachos in vicarios eligere, prout ea in re duxerit expedire.

Monachis extra claustra lectiones audire vel profiteri vetat, et in monasteriis certo modo permittit;

§ 14. Ad evitandam etiam extra claustra monasteriorum monachis praefatis vagandi ac discurrendi occasionem, monachos ad quodcumque gymnasium vel publicam academiam quibusvis amplissimis privilegiis suffultam, ad audiendas cuiusvis facultatis lectiones, accedere, aut illas publice vel privatim profiteri prohibemus. In propriis autem monasteriis, dummodo in facultatibus vel in theologia magisterii vel licentiaturae aut alios gradus suscipere non audeant, ipsis, arbitrio praepositi generalis, dumtaxat litterarum studiis a iure permissis operam dare concedimus.

Accessum ad Urbem, absque protectoris vel praepositi generalis licentia, prohibet;

§ 15. Monachorum praedictorum nullus, absque expressa licentia a venerabili fratre nostro Ioanne episcopo Ostiensi, cardinali Morono nuncupato, nunc dictae congregationis et pro tempore existente apud nos Sedemque Apostolicam protectore, aut a praeposito generali in scriptis obtenta, ad almam Urbem nostram, sub quovis praetextu, se conferre audebit; si secus fecerit, carceris, a quo per integrum annum, ad poenam inobedientiae luendam, detinebitur, ac vocis tam activæ quam passivae privationis aliisque, etiam gravioribus, arbitrio pro tempore generalis praepositi imponendis poenis plectendus erit.

Constitutionem procuratoris ad

§ 16. Sub eisdem poenis edicimus ne aliquis dictae congregationis, Ordinem ex-

negocia vel causas congregationis vel eius locorum omnibus interdicit; presse professus, in Urbe vel alibi procuratores aut negociorum gestores aut alio nomine nuncupatos, circa causas et negocia ad dictam congregationem universam vel illius monasteria aut regularia loca quomodolibet, directe vel indirecte, spectantia vel pertinentia, constituere audeat.

Praepositum generalem ex prioribus et ad annum eligi mandat; § 17. Demum, praepositum generalem ex prioribus in posterum eligi debere; et capituli generalis auctoritate electum, ultra annum in generalatus officio minime perseverare posse.

Aliter gesta irritat; § 18. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari definirique debere, prædictaque omnia firma et inviolabilia fore et esse; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Omnes praedicta observare praecipit; § 19. Quocirca moderno et pro tempore existenti praeposito generali ac universis et singulis dictae congregationis monachis per apostolica scripta, illis etiam in virtute sanctae obedientiae praecipiendo, mandamus ut praesentes litteras humiliter recipiant, et quaecumque in ipsis continentur, alia desuper a nobis non expectata iussione aut mentis nostrae declaratione, firmiter custodiant, et in omnibus illis studiose ac reverenter obedire procurent.

Publicationem huius constitutionis eiusdemque executionem praeposito generali demandat; § 20. Quin etiam ipsi praeposito generali praecipimus ut easdem praesentes, in omnibus eiusdem congregationis monasteriis, necnon ab omnibus monachis praedictis inviolabiliter faciat per se vel alium observari; quoscumque contradictores et rebelles ac etiam reclamantes eisque auxilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, praestantes, tam ecclesiasticos quam laicos, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis et conditionis fuerint, per censuras et poenas ecclesiasticas ceteraque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, censurasque et poenas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 21. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, et quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; ac dictorum congregationis et Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et illorum superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter ac alias quomodolibet concessis, ac etiam pluries confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, datas, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes et insertis, illis alias in suo robore permansuris, hac vice, motu et scientia ac potestatis plenitudine paribus, latissime derogamus ac derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque; aut si praedictis congregationi et monachis vel quibus- *Contrariis derogat;*

vis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Constitutiones Ordinis, quo ad casus hic non expressos, et praepositi generalis deputationem factam a Pio V praeservat.

§ 22. Per haec autem antiquis dictae congregationis constitutionibus et laudabilibus consuetudinibus, more utentium in dicta congregatione comprobatis; aut statutis, etiam forsan iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; vel privilegiis, indultis vel litteris apostolicis super praemissis forsan emanatis, nisi quoad casus expressos, in nihilo penitus detrahere, aut litteris piae memoriae Pii Papae quinti circa deputationem moderni praepositi generalis derogare non intendimus; quinimmo, tempore deputationis expleto, capitulo generali minime ademptam esse volumus facultatem quominus idem ad officium generalis praepositi eligi possit.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI maii MDLXXIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 26 maii 1574, pontif. anno III.

XXVIII.

Confirmatio et extensio gratiarum, privilegiorum et indultorum Ordinis Cisterciensis monachorum S. Benedicti; novaeque ordinationes pro feliciori eius regimine [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

Superna dispositione, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in supereminenti apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus, constituti, ad ea, per quae sacrae Religionis Cisterciensis Ordinis, nobis et Sedi Apostolicae immediate subiecti, status feliciter dirigatur, et regularis vitae institutio, iamdiu a sanctis viris tam pie et religiose tradita et constituta, conservetur; et si quid deperire inceperit, Domino concedente, reformationem suscipiat, et in suum pristinum statum reflorescat; ac denique personae sub suavi Religionis huiusmodi iugo Domino, secundum Regulae suae puritatem, famulantes, sua in pacis et quietis suavitate vota reddere, et fructus in Dei Ecclesia uberiores proferre valeant, libenter intendimus; et his quae per Romanos Pontifices praedecessores nostros propterea concessa et ordinata fuisse reperiuntur, etiam nostrae approbationis robur adiicimus, ac alias desuper statuimus, ordinamus, moderamur et reformamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pius IV confirmavit antiquas ordinationes et indulta Ordinis et alia statuit in eius const. LXXXVII.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pio Papa quarto, praedecessori nostro, pro parte bonae memoriae Ludovici, olim abbatis monasterii Cistercii, Cabilonensis dioecesis, exposito quod, licet sacer Cisterciensis Ordo in summa puritatis et devotionis perfectione per multa retroactorum annorum saecula, ac tamdiu exemplari religiosorum suorum vita atque sanctimonia, non solum in regno Franciae, ubi supremum eius caput, videlicet Cistercii praefatum, cum aliis quatuor illius praecipuis, nempe Firmitatis, Pontigniaci, Claraevallis et Morimundi, Cabilonensis praedictae et Antisiodorensis ac Lingonensis, respective dioecesis monasteriis, filiabus Cistercii nuncupatis, sed etiam per alia fere universa christiani orbis climata, cum

[1] Alias ordinationes ad eumdem finem statuerunt Eugen. III in const. I, *Sacrosancta*, tom. II, pag. 582; Clemens IV in constit. V, *Parvus*, tom. III, pag. 729; Benedictus XII in constit. IV, *Fulgens*, tom. IV, pag. 330; Pius IV in const. LXXXVII, *In eminenti*, tom. VII, pag. 260, ac Pius V in const. CLVII, *Ex innumeris*, tom. VII, pag. 813. De institutione autem huius Ordinis ac aliis eum concernentibus vide in Paschalis II constit. III, *Desiderium*, tom. II, pag. 210.

bonae famae et virtutum odore eximioque religionis decore, ad aedificationem militantis Ecclesiae, quamdiu, iuxta sanctorum Patrum institutiones et regularia illius instituta, praefatis aliisque monasteriis de monachorum dicti Ordinis personis provisum, eiusque laudabilia instituta, ritus, consuetudines et privilegia firmiter observata fuerint, Domino cooperante, floruisset; nihilominus tunc a pluribus annis citra, praesertim postquam pleraque monasteriorum ac prioratuum suorum aliis quam dicti Ordinis personis commendari, ac ab eorum superioris obedientia per exemptionum, unionum aliasque diversas vias tamquam membra a suo corpore divelli, abstrahi et dismembrari coeperant, specioso illo regularis disciplinae candore paulatim offuscato, universi Ordinis status in miserabilem dispersionem et desolationem prolapsus erat; et in eadem expositione subiuncto quod tantis huius olim Deo mortalibusque gratae Religionis incommodis aliter quam per antiquorum statutorum, consuetudinum, rituum et privilegiorum praedictorum undique convulsorum et diversimode oppressorum restitutionem mederi non posse videbatur, praefatus praedecessor, supplicationibus ipsius Ludovici abbatis in ea parte tunc inclinatus, antiqua privilegia, per quoscumque Romanos Pontifices [1] suos eidem Cisterciensi Ordini et eius capitulo generali indulta et concessa, per suas litteras approbavit, confirmavit et innovavit, et alia desuper statuit et ordinavit.

Pius V eadem confirmavit et quaedam alia de novo concessit pro reformatione eiusdem Ordinis

§ 2. Et deinde piae memoriae Pius Papa quintus, etiam praedecessor noster, eodem erga praefati Cisterciensis Ordinis bonum statum et reformationem zelo et animi propensione affectus, antiqua illa eidem Ordini, ut praefertur, concessa privilegia et indulta per suas litteras etiam approbavit et confirmavit, ac litteris Pii quarti, praedecessoris eiusmodi, etiam suae approbationis robur adiecit; necnon nonnulla alia opportuna, pro temporis conditione, praefati Cisterciensis Ordinis reformationem concernentia, de novo eidem Ordini et capitulo generali concessit et indulsit, prout in singulis litteris praefatis plenius continetur. Cum autem firmiora sint ea quibus Sedis praedictae saepius intercedit auctoritas:

Hic modo Pontifex eorumdem bullas approbat, et omnes ordinationes et statuta dicti Ordinis confirmat, volens quod abbas et praelati loca et personas visitent et corrigant

§ 3. Nos, cupientes ut illa, quae pro dicti Ordinis, cuius decus et integritatem ac pristini candoris restitutionem non minori quam praedicti praedecessores nostri zelo affectamus, salubri directione tam pie ac sancte statuta sunt, inconcussa perpetuo remaneant, omnium et singularum immunitatum, libertatum, exemptionum, conservationum, facultatum, ordinationum, statutorum, privilegiorum, indultorum et aliarum gratiarum, necnon litterarum Pii quarti et Pii quinti, praedecessorum huiusmodi, tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad abbatis generalis et superiorum Ordinis huiusmodi vel quorumvis aliorum instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa nostra scientia, omnes et singulas ab abbate monasterii Cistercii aliisque superioribus et capitulo generali Ordinis huiusmodi, eiusque deputatis, immunitates, libertates et exemptiones quibusvis, tam virorum quam S. Catharinae Caietanensis et S. Mariae de Coelestia nuncupatae, Venetiarum, aliisque monialium monasteriis, ac prioratibus et aliis regularibus locis dicti Ordinis, ac dilectis filiis abbatibus et prioribus, dilectisque in Christo filiabus abbatissis et priorissis, necnon conventibus, capitulis et personis eorumdem, tam in Gallia, Italia, Hispania, Portugallia, Germania, Anglia et Scotia, quam alibi ubilibet consistentibus; ita quod, immunitatibus, libertatibus et exemptionibus huiusmodi non obstantibus, pro tempore existentes abbas

[1] Adde *praedecessores* (R. T.).

generalis nuncupatus et alii superiores dicti Ordinis eorumque vicarii, iuxta ipsius Ordinis instituta, monasteria, prioratus et loca praedicta ac illorum personas, tam in capitibus quam in membris, visitare libere et licite valeant;

Indulta apostolica episcopis et aliis concessa visitandi eadem loca limitantur, ita ut abbas praefatus et superiores illa tantum visitare possint.

§ 4. Ac quaecumque privilegia et indulta apostolica visitandi monasteria, tam virorum quam mulierum Ordinis huiusmodi, quibusvis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis aliis locorum ordinariis, abbatibus et aliis, quam generali Cisterciensi praedicto, ac aliis quatuor primis nuncupatis quatuor monasteriorum filiarum Cistercii nuncupatorum praefatorum abbatibus, ceterisque superioribus eiusdem Ordinis ad id ab ipso generali capitulo deputatis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et praeeminentiae existentibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, etiam ad quorumvis imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, vel etiam motu proprio et ex certa scientia, etiam consistorialiter et cum causae cognitione, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, hactenus quomodolibet concessa, et etiam iteratis vicibus approbata, et apostolicas et alias litteras desuper confectas et inde secuta quaecumque, ad hoc dumtaxat ut abbati generali et aliis superioribus Ordinis eorumque vicariis monasteria huiusmodi, ut praefertur, visitare liceat, apostolica auctoritate, tenore praesentium, moderamur et limitamus.

Inhibitio contra episcopos et alios impedientes illos in visitationibus 1.

§ 5. Inhibentes patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis superioribus praelatis, videlicet sub interdicti ingressus ecclesiae ac suspensionis a divinis; abbatibus vero et aliis inferioribus praelatis ceterisque quibuscumque personis, sub excommunicationis latae sententiae poenis, ne abbatem generalem et alios superiores Ordinis eorumque vicarios praefatos, quominus visitationes, iuxta regularia Ordinis instituta huiusmodi, libere facere possint, per se vel per interpositas personas, directe vel indirecte, aut alias quoquomodo impedire audeant vel praesumant.

Monachi et moniales omnes admittant abbates et alios superiores visitantes, sub poenis hic expressis.

§ 6. Ipsis autem monasteriorum et aliorum locorum praedictorum abbatibus, abbatissis, prioribus, conventibus, monachis, monialibus et personis, ut generalem aliosque abbates, superiores et vicarios praefatos, ut praefertur, visitare volentes, benigne recipiant, eisque et eorum mandatis, in concernentibus eorum visitandi officium huiusmodi, pareant et humiliter obediant, in virtute sanctae obedientiae, et sub similis excommunicationis poena districte praecipiendo mandamus.

Confirmatio omnium gratiarum Ordinis 1.

§ 7. Et insuper universa et singula privilegia, praerogativas, immunitates, exemptiones, libertates, conservatorias, facultates, indulta et alias gratias Cistercii et quatuor filiabus nuncupatis monasteriis ac Ordini eiusque capitulo generali, definitoribus et aliis superioribus praefatis, per piae memoriae Paschalem secundum, Callistum etiam secundum, Eugenium tertium, Alexandrum etiam tertium, Lucium similiter tertium, Honorium pariter tertium, Gregorium nonum, Innocentium quartum, Sixtum etiam quartum, praesertim commendas et commendatarios monasteriorum et aliorum locorum Ordinis huiusmodi concernentia, et quod commendatarii pro tempore existentes nullam in monasteria dicti Ordinis sibi commendata et eorum monachos iurisdictionem exerceant, et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem huiusmodi hactenus quomodolibet concessa.

1 Hoc idem statuit Pius IV, in const. cit.

1 Hoc habetur etiam in dicta constit. Pii IV.

Confirmatio ordinationum et statutorum d. Ordinis 1.

§ 8. Necnon ordinationes et statuta ab exordio fundationis eiusdem Ordinis usque in praesentem diem in dicto capitulo concorditer edita, etiam si in usu esse desierint, dummodo per lapsum temporis immemorabilis, videlicet centum annorum, in desuetudinem non abierint; ac praeterea super contributionibus, per omnia et singula eiusdem Ordinis monasteria abbati Cistercii seu capitulo generali praedictis faciendis et solvendis, ac, prout illa concernunt, omnia et singula alia in litteris apostolicis aliisque documentis desuper confectis contenta et inde secuta quaecumque, licita tamen et honesta, ac decretis concilii Tridentini non adversantia, eisdem auctoritate et tenore, ex certa scientia, confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis et nostrae approbationis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; necnon, potiori pro cautela, eadem omnia et singula privilegia, praerogativas, facultates, exemptiones, quatenus sint in usu, conservatorias, indulta et alias gratias, eisdem modo et forma, quibus Ordini eiusque abbatibus, capitulo generali et superioribus praedictis per dictos praedecessores concessa sunt, illis de novo, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et innovamus.

In monasteriis commendatis aliis personis quam eiusdem Ord. institui debet mensa conventualis distincta ab abbatiali, et sufficiens pro monachis.

§ 9. Et praeterea quod in monasteriis dicti Ordinis, quae diversis personis, etiam si episcopi, archiepiscopi, patriarchae et S. R. E. cardinales existant, de praesenti commendata etiam reperiuntur, et in futurum commendari seu alias quoquomodo, alias quam Ordinis ipsius personis, concedi continget, ubi non fuerit, instituatur mensa conventualis, ab abbatiali mensa distincta et separata, cum annuis fructibus, redditibus et proventibus, iuxta monasteriorum ipsorum facultates, competentibus et honestis, pro sufficienti conventus et monachorum aliorumque religiosorum eiusdem Ordinis numero, in unoquoque ex ipsis monasteriis per ipsos generalem et ceteros Ordinis ipsius superiores aut eorum vicarios ordinando. Quam quidem mensam, quia etiam aedificiorum et locorum ad disciplinae monasticae observationem pertinentium, scilicet templorum; ornamentorum, iocalium, librorum ecclesiasticorum, dormitorii, refectorii aliorumque locorum regularium, necnon monasteriorum clausurae necessariis et ordinariis reparationibus faciendis obligatam et obstrictam esse volumus, ut in ea instituenda expensarum annuarum ad haec necessariarum ratio habeatur statuimus et mandamus, ac ad eamdem mensam sic instituendam congruosque redditus assignandos ipsi commendatarii omnino teneantur, et ad id etiam per censuras ecclesiasticas, fructuum, redditiuum et proventuum sequestrationes et alia opportuna iuris remedia cogi possint et debeant.

Religiosi alterius Ordinis intrusi in locis huius Ordinis aut inde eiiciantur aut eiusdem Ordinis faciant professionem.

§ 10. Et quia, sicut accepimus, in multis dicti Ordinis, tam virorum quam mulierum, monasteriis quamplures Mendicantium aliorum Ordinum religiosi utriusque sexus, ab immemorabili tempore citra, se intruserunt et persaepe intrudere praesumunt, quod illi vel inde realiter et cum effectu eiiciantur, vel saltem habitum infra annum suscipiant, ac professionem regularem eiusdem Cisterciensis Ordinis expresse emittant, debitamque obedientiam et reverentiam illius abbati generali et reliquis superioribus praedictis praestent, ac divinum officium secundum ipsius Ordinis morem celebrent, seque regularibus eius institutis omnino conforment. Quodque monachi, in monasteriis et prioratibus eiusdem Ordinis aliis piis locis pro tempore unitis, annexis et incorporatis degentes, sint et remaneant sub obedientia et correctione abbatis generalis aliorumque superiorum Ordinis Cister-

1 Hoc habetur in dicta constitutione Pii IV.

ciensis praefatorum et suorum vicariorum, in omnibus et per omnia, perinde ac si uniones, annexiones et incorporationes huiusmodi non emanassent, etiam si in illis aliter caveretur, et usus, non tamen a tempore immemorabili, ut praefertur, contrarius obtineat, quae, contra statuti huiusmodi tenorem, nemini suffragentur.

Moniales alterius Ordinis quando recipi possint in abbatissas.

§ 11. Quod nullae alterius Ordinis moniales, nisi causa legitima subsistente, in abbatissas monasteriorum monialium dicti Ordinis assumi, vel si assumantur, in eisdem monasteriis recipi possint, nisi immediato patre superiore praesente, qui habitum illis exhibeat, et ab eis tria substantialia vota necnon iuramenta observandi statuta dicti Ordinis ac secundum ea vivendi recipiat.

Monasteria omnia teneantur ad contributiones solvendas abbati et capitulo.

§ 12. Quodque omnia et singula monasteria Ordinis huiusmodi, tam virorum quam mulierum, ubicumque existentia, seu eorum abbates vel priores, etiam commendatarii abbatissaeque vel priorissae, in signum obedientiae et superioritatis, solita regalia, videlicet contributiones solitas, abbati monasterii Cistercii et capitulo generali praedictis, omni exceptione, recusatione, praescriptione et alia excusatione penitus cessante, annuatim solvere teneantur, et ad id compelli possint sub excommunicationis latae sententiae poena, eadem auctoritate statuimus et ordinamus.

Monasteria etiam commendata et de iurepatronatus laicorum, officiis destituta, reducantur ad clausuram.

§ 13. Et insuper, ut monasteria Cisterciensis Ordinis huiusmodi, quorum quamplurima, ut accepimus, praesertim in utraque Sicilia consistentia, aut debitis officiis destituta, aut monachis ob non praestitam alimoniam deserta aut omnino collapsa, retecta, reclusa, patentia reperiuntur, et ut profana habentur, ad conventum, disciplinam et bonam frugem revocentur, de apostolicae potestatis plenitudine etiam statuimus et ordinamus ut omnia monasteria et loca dicti Ordinis, tam in utraque Sicilia quam ceteris omnibus orbis partibus constituta, etiam commendata, ac etiam de iurepatronatus laicorum quocumque modo existentia, quae convulsa, diruta et extenuata existunt, reficiantur, et ad debitam clausuram reducantur. Ac, pro faciliori praemissorum executione, conveniens pecunia statuatur, et quotannis in id opus, donec absolutum fuerit, erogetur, ac in eisdem et ceteris locis, quemadmodum eorum facultates ad id fuerint sufficientes, competens monachorum et ministrorum numerus restituatur.

In ecclesiis necessaria provideantur ad usum monachorum et cultum divinum, missaeque et alia officia in eisdem quotidie celebrentur.

§ 14. Ipsorumque quoque ecclesiae, sacristiae, dormitoria et officinae vasis, vestimentis, libris, sacra et communi supellectili ac ceteris omnibus ad divinum cultum et monasticum usum necessariis convenienter instruantur. Missae praeterea sacrificium et alia divina officia, nocturna et diurna, quotidie in choro, psallendo iuxta ritum dicti Ordinis, sine intermissione celebrentur. Insuper, ubi sacra lectio, iuxta concilii Tridentini dispositionem, haberi non poterit, praeter eos libros, qui ad divini officii et chori usum necessarii sunt, saltem biblia et catechismus ad parochos ante aliquot annos editus, item opera sancti Bernardi, et si qui alii ad honestam monachorum occupationem haberi poterunt, habeantur, nisi de illis in assignatione mensae conventualis iam prospectum reperiatur, ita tamen ut de his omnibus, necnon vasis, vestimentis et cetera supellectili praefata, semel receptis, omnes conventus rationem reddere debeant.

Novitii vero instruantur in duobus monasteriis uniuscuiusque provinciae.

§ 15. Et ut novitii ea, qua decet, disciplina informentur, unum aut duo monasteria in quacumque provincia, ubi commode fieri poterit, ordinentur, in quibus magistri etiam ceterorum monasteriorum novitios divini officii rationem et regularis observantiae instituta doceant,

ita ut quodlibet monasterium suis necessaria suppeditet, et si nullos habuerit, alii pro eo eiusque impensis recipiantur et instruantur.

Conventus claudantur, et nullo modo impediantur a commendatariis vel aliis.

§ 16. Omnia aedificia conventus quoquoversus claudantur, portae non necessariae obstruantur; clathri fenestris, ubicumque opus fuerit, infigantur; templa, sacristiae, capitula, dormitoria, refectoria, infirmariae et omnino aliae claustri partes nihil profani patiantur; nec conventus horreum, penu, praesepia nec prorsus ulla promercalia abbatum, commendatariorum, conductorum aut aliorum recipiant; nec illa a commendatariis, pensionariis aliisve de claustro non existentibus occupentur, sed illis solum proprii claustrales utantur, prout ad divini officii celebrationem regularemque observantiam fuerunt constituta.

Mulieres loca Ordinis non ingrediantur 1.

§ 17. Mulieribus omnibus, cuiuscumque qualitatis, dignitatis et aetatis, ingressus claustri et aliorum locorum regularium, etiam aedium partis, quae ab abbatibus, commendatariis, prioribus aliisve ministris, etiam divisim, possidentur, sit penitus interdictus; et si secus factum erit, tam ingredientes quam recipientes, excommunicationis sententiam incurrant; carcer quoque ad correctionem monachorum, ubi non est, constituatur.

Inventarium fiat in quolibet monasterio omnium iurium et bonorum.

§ 18. Et in omnibus monasteriis inventarium omnium praefatorum necnon instrumentorum fundationum, dotationum, auctoritatum, exemplarium omniumque munimentorum conscribatur, et in formam authenticam redigatur, illudque et cetera omnia praefata fideliter asserventur; sicubi vero locorum quicquam producendum erit, exemplum ab archetypo desumatur et transmittatur, nisi talis contigerit necessitas, ut ipsum exemplar producendum sit, quod tunc in fidem alicuius probati deponatur, qui idonee caveat illud ipsum quamprimum reportandum.

Monasteria existentia in locis non tutis transferantur ad loca vicina

§ 19. Illa quoque monasteria locis patentibus constituta, quae, propter Turcarum seu praedonum vel haereticorum incursiones tunc[1] servari non poterunt, facto de ipsorum iuribus, litteris, auctoritatibus, tabulis, monumentis atque omni prorsus supellectili mobilibusque bonis, iocalibus et rebus fideli inventario, et, si opus erit, earum omnium depositio fiat apud personam fide et facultatibus idoneam, ita ut nihil omnino inde, sine consensu expresso et speciali mandato conventus, moveri valeat, in civitates oppidave vicina transferantur.

Visitationes fiant sollicite et prudenter.

§ 20. Ceterum, ad restituendam monasticam disciplinam, et restitutam conservandam, Cistercii et ceteri patres abbates in capitulo generali provideant diligenter ut omnes visitationes sollicite et prudenter ac cum pietate fiant, salutem animarum, religionis zelum, perpetuum cultum divinum, clausuram, obedientiam et cetera omnia, quae ad mores, correctionem et religiosorum aedificationem pertinent, procurando. Quibus in rebus, ubicumque non sunt mensae conventuali assignati redditus, qui hoc onus ferre possint, abbates et commendatarii ac alii quicumque administrationem spiritualium et temporalium visitandorum monasteriorum habentes, necessaria omnia ministrare, ac contributiones et sumptus pro gerendis aliis communibus negotiis, dictae Sedis auctoritate impositas, ac etiam ad brachii saecularis adhibitionem praestare.

Visitatores hospitari debent a commendatariis.

§ 21. Visitatores ac solitos et necessarios ipsorum famulos et iumenta debita hospitalitate recipere et eisdem in omnibus auxiliari omnino debeant, et ad id etiam censuris et poenis ecclesiasticis per

1 Hoc strictius vetuit Pius V in eius bulla XXIX, *Regularium*, tom. VII, pag. 487.

1 Cherub. legit *tute* (R. T.).

capitulum ac etiam per ipsos visitatores compellantur.

Commendatarii nihil detrahant de necessariis monachorum, et eos ob delicta non eiiciant, sed ad superiores deferant.

§ 22. Ne porro deserendi monasterii occasio monachis praebeatur, quod ex vagandi libertate illis a commendatariis oblata, ut expensis parcant, plerumque evenit, praecipimus et interdicimus ne ulli omnino commendatarii quicquam, vel minimum, de mensa et aliis necessariis detrahant neque ullo modo diminuant, aut quempiam, etiam propter delictum, eiiciant; sed quotiescumque monachi quid admiserint, quod quidem animadversione dignum sit, id quamprimum priori claustrali, vel, si gravius sit delictum, visitatori significent, qui correctionem iuxta Ecclesiae et dicti Ordinis statuta faciat, qui, si ultra sex menses distulerit, eo ipso sit ab officio depositus, et ad illud ceteraque omnia Ordinis eiusdem officia triennio inhabilis censeatur, statimque praesidentes correctionem huiusmodi aliis committere teneantur.

Archivium fiat Cistercii cum indice cuiuscumque monasterii et beneficiorum ac bonorum ac iurium eorum.

§ 23. Ad haec, volumus et mandamus ut apud dictum monasterium Cistercii constituatur, constitutumve restituatur archivium, in quo index ordine compositus omnium aliorum monasteriorum, prioratuum, ecclesiarum et beneficiorum dicti Ordinis in omni parte orbis constitutorum, etiam in commendam obtentorum vel unitorum, habeatur, et item distinctum cuiusque inventarium sive repertorium bonorum, proprietatum, rerum, iurium et actionum omnium, necnon exemplum authenticum instrumentorum, privilegiorum, fundationum, donationum, litterarum, auctoritatum et monumentorum quorumcumque conficiatur, confectumque fideliter asservetur.

Revocatio indultorum et licentiarum habendi aliquid proprium.

§ 24. Revocamus quoque et abolemus omnia et quaecumque privilegia, auctoritates, licentias, dispensationes et indulta cuiusque privati rerum et bonorum usus, proprietatis, possessionis et dominii, omnibus, cuiuscumque gradus et dignitatis monachis dicti Ordinis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem eiusque legatos ex quibuscumque causis, etiam motu proprio et ex certa scientia concessa, confirmata et innovata, quibuscumque concepta formulis, ac clausulis et decretis suffulta, quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, ac volumus illa omnia vires et effectum de cetero non habere; quin etiam visitatores et ceteros omnes qui in huiusmodi proprietarios severe non animadverterint, ad officia huiusmodi et alia ipsius Ordinis ministeria perpetuo inhabiles esse.

Eleemosynas pauperibus subministrent commendatarii.

§ 25. Ceterum, ut vicina plebs egena, pro Religionis consuetudine et instituto, confoveri, ac ceteri piam et fidelem rerum administrationem collaudare possint, eisdem commendatariis praecipimus ut in suis monasteriis pauperes eleemosynis pro modo facultatum prosequantur.

Appellatio non datur ad legatos vel nuncios apostolicos a sententia abbatis et aliorum superiorum huius Ordinis.

§ 26. Quia vero nihil aeque dissolute et indisciplinate vivendi licentiam affert quam impunitatis spes, eamque non ita pridem tam nonnulla eiusdem Ordinis monasteria quam illorum personae ex eo nancisci coeperint quod, a sententiis et decretis per ipsius Ordinis generalem aut eius vicarios in provinciis deputatos contra se latis ad nostros et dictae Sedis legatos et nuncios provocando, poenas in se constitutas eludere satagunt, in antiquorum statutorum, consuetudinum, rituum et privilegiorum praefatorum praeiudicium, et ipsius Ordinis superiorum contemptum; ideo, ne abusus et incommoda huiusmodi tractu temporis altius irrepant providere volentes, motu, scientia et potestate similibus, statuimus et ordinamus ac districte praecipimus et interdicimus ne ulli omnino dictae Sedis legati vel nuncii appellationes a sententiis et de-

cretis per abbatem generalem vel eius vicarios aut superiores praefatos latis vel promulgatis, ut praefertur, pro tempore interpositas, ullo modo recipiant aut admittant, neque de illis cognoscant, seu, illarum vel quocumque alio praetextu, monasteria, prioratus aut alia loca eiusdem Ordinis visitent; sed, quotiescumque ad illos aliquid in monachos aut personas huiusmodi animadversione dignum deferri contigerit, iuxta formam commendatariis circa delicta monachorum et personarum earumdem per nos, ut praefertur, praescriptam, vicarium ipsius Ordinis in illa provincia institutum monendum curent, qui delinquentes, sub poena superius ad id constituta, exemplariter corrigere et punire teneatur. Decernentes appellationes, provocationes aut quascumque alias reclamationes a monachis et personis huiusmodi ad dictos legatos seu nuncios vel locorum ordinarios, ut praefertur, pro tempore interpositas vel interponendas, ac processus desuper habitos vel habendos, necnon inde secuta vel sequenda quaecumque, nullius fore roboris vel momenti, ac generalem abbatem et vicarios necnon superiores praefatos, ad correctionem et punitionem delinquentium monachorum et personarum Ordinis huiusmodi, appellationibus [1], provocationibus et reclamationibus huiusmodi nequaquam obstantibus, procedere posse et debere.

Clausulae praeservativae huius constitutionis

§ 27. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu, quovis praetextu quaesitove colore vel ingenio, nullatenus notari, argui vel impugnari posse; neminemque illas, quavis de causa, etiam iustissima, impugnantem, in iudicio vel extra, audiendum esse; nec illas, sub quibusvis similium vel dissimilium concessionum gratiarumque revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices ac Sedem praedictam, etiam imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum intuitu et contemplatione, aut in eorum vel etiam nullius favorem, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, ac etiam vim contractus aut legis seu statuti perpetui inducentibus decretis, et alias quomodolibet concessis et concedendis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, desuper quomodolibet editis et edendis, aliquatenus comprehendi, neque illis aliquo unquam tempore, etiam per Sedem praefatam derogari posse, nec derogatum censeri, nisi de toto tenore et data praesentium expressa mentio habita, et derogatio, suspensio, revocatio, limitatio, modificatio aliaque praemissa de Cistercii aliorumque quatuor primorum nuncupatorum abbatum praedictorum expresso consensu facta fuerint; et si aliter derogari, revocari, suspendi, limitari aut emendari contigerit, huiusmodi derogationem, revocationem, suspensionem, limitationem, correctionem et emendationem nullius esse roboris vel momenti; et quoties illae vel illa emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, et de novo, etiam sub quacumque data per ipsum abbatem monasterii Cistercii pro tempore existentem eligenda, concessas esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 28. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales aut causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Cherub. legit *applicationibus* (R. T.).

Deputatio executorum et facultates.

§ 29. Et nihilominus omnibus nostris et dictae Sedis legatis et nunciis, ubicumque existentibus, ac locorum ordinariis, necnon Ordinis praefati conservatoribus, ipsorum singulis per apostolica scripta mandamus quatenus praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte abbatum, vicariorum, visitatorum et aliorum praefatorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ipsisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, abbates, vicarios, visitatores et alios praefatos, confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, concessione, statuto, ordinatione, innovatione, praecepto, interdicto, renovatione, abolitione, ac sui generalis voluntate, mandatis, decretis nostris aliisque praemissis pacifice frui et gaudere; ac praesentes litteras ab omnibus, quos illae concernunt, inviolabiliter et inconcusse observari; non permittentes abbates, vicarios, visitatores, superiores ac alios praefatos desuper contra earumdem praesentium tenorem, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per praefatas ac alias sententias, censuras et poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 30. Non obstantibus praemissis et sanctae memoriae Bonifacii Papae octavi, pariter praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus et decretis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, legatis, nunciis et ordinariis praefatis ac aliis quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, etiam consistorialiter aut alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum veriores tenores, formas, datas et decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse decernimus; necnon omnibus illis, quae in litteris Pii IV et Pii V ac aliorum praedecessorum praefatorum expressum fuit non obstare, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem

Fides danda transumptis huius bullae.

§ 31. Ceterum, quia difficile foret easdem praesentes ad diversa loca provinciasque circumferre, volumus et dicta auctoritate decernimus quod illarum transumptis seu exemplis, etiam formis impres-

sis, manu alicuius publici notarii subscriptis, et sigillo abbatis generalis aut alicuius ex aliis superioribus Ordinis huiusmodi munitis, plena et indubia ac ea prorsus fides ubique, etiam in iudicio, adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII iunii[1], millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 iunii 1574, pontif. anno III.

XXIX.

Declaratio super executione brevium seu litterarum apostolicarum de capienda possessione beneficiorum ecclesiasticorum, cum interpretatione concilii Tridentini, sessione XXIV, *capitulo* XX[2].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Romani Pontificis providentiam circumspectam pertinere dignoscitur dubia super sacrorum conciliorum decretis pro tempore insurgentia, sic suae declarationis oraculo dilucidari et interpretari, ut exinde litium dispendia inter fideles quoslibet valeant submoveri.

Romanus Pontifex solet quandoque praecipere ut possessio et fructus beneficiorum Sedi Apostolicae reservatorum, nomine eiusdem Sedis apprehendantur, donec litterae apost. expediantur, et quandoque etiam mandat provisos ipsos in possessionem induci, etc.

§ 1. Accepimus sane nuper quod, licet multoties Romanus Pontifex, ut provisiones et gratiae per eum de beneficiis pro tempore vacantibus ac suae et Sedis Apostolicae dispositioni et ordinationi reservatis, in favorem diversarum personarum sibi gratiarum et acceptarum factae, executioni debitae demandentur; et ne (dum litterae apostolicae sub plumbo desuper expediuntur) beneficia ipsa ab aliquibus indebite occupentur, aut aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineant, nonnumquam corporalem possessionem ipsorum beneficiorum et illis annexorum iuriumque et pertinentiarum quomodocumque Sedis et Camerae Apostolicarum nominibus apprehendi, ac omnes et quoscumque fructus, redditus et proventus beneficiorum et annexorum eorumdem percipi, exigi, eosque integros personis praedictis, postquam ipsae litteras sub plumbo expeditas haberent, una cum dicta possessione consignari; quandoque vero, dum litterae sub plumbo huiusmodi expeditae existunt, ut ius suum unicuique illorum conservetur, et temerariorum audacia debita castigatione compescatur, ac ipsae litterae apostolicae facilius debitae executioni, ut par est, demandentur, provisos de beneficiis in corporalem, realem et actualem possessionem beneficiorum et annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictorum induci, et inductos in ea manuteneri, amotis quibuslibet intrusis detentoribus ab eisdem, aliasque fieri et exequi, per diversas suas in forma brevis et sub annulo Piscatoris confectas litteras, mandet et praecipiat, certis inibi modo et forma tunc praescriptis dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori seu aliis executoribus desuper deputatis, quibus omnino parendum esset.

Multi tamen, ad impediendam executionem dictarum litterarum apostolicarum, dicebant causas omnes in prima instantia spectare ad ordinarios, exceptis causis a Pontifice per speciale rescriptum committendis.

§ 2. Nihilominus nonnulli, beneficiis praedictis inhiantes, ac gratias praedictas eludere eorumque intrusiones et detentiones improbe tueri satagentes, executionem litterarum in forma brevis huiusmodi, et facultatem per eas ipsis executoribus attributam diversis dubiis et cavillationibus remorentur, et processus per eosdem executores desuper habitos et formatos ac inde secuta quaecumque, nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti esse neque attendi debere contendunt, sub praetextu quod in decreto sacri concilii Tridentini, sessione vigesimaquarta, capitulo

1 Cherub. legit *iulii* (R. T.). 2 Contra impedientes executionem litterarum apostolicarum vide Clementis VII const. XLVII, *Romanus*, tom. VI, pag. 163.

vigesimo, dispositum fuerit quod causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, exceptis his, quae iuxta canonicas sanctiones apud Sedem praedictam sunt tractandae, vel quas ex urgenti rationabilique causa iudicaverit Summus Pontifex Romanus, per speciale rescriptum Signaturae suae, eius manu propria subscribendum, committere aut avocare. Verum, cum decretum huiusmodi concilii concessionem praedictarum litterarum in forma brevis et illarum executionem nihil officiat, neque per illos causa seu instantia introducantur, sed mere executive procedi mandetur, litterae quoque in forma brevis, annulo Piscatoris munitae, non minoris sint efficaciae et auctoritatis, quam rescripta Signaturae Romani Pontificis, eius manu propria subscripta.

Ideo hic Pontifex declarat huiusmodi litterarum executionem impediri non posse ex praedictis.

§ 3. Nos, in his nostrae debitae declarationis cautelam adhibentes, ac provisorum praedictorum ius adversus dubia et cavillationes huiusmodi, aequitate et iustitia suadentibus, praeservare volentes, necnon praedictarum et quarumcumque litterarum in forma brevis super capienda possessione nomine Camerae huiusmodi, aut in favorem litterarum sub plumbo expeditarum, tam a praedecessoribus nostris quam nobis et dicta Sede hactenus concessarum, tenores, ac litis et causae, si quae desuper executae sint, statum et merita, nominaque et cognomina iudicum, executorum et collitigantium, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum provisorum aut aliorum nobis pro eis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac de mera nostra deliberatione, decernimus et declaramus per concessionem litterarum in forma brevis et sub annulo Piscatoris super capienda possessione quorumcumque beneficiorum dispositioni apostolicae reservatorum seu affectorum, Sedis et Camerae Apostolicarum nominibus apprehendenda, et eiusdem possessionis in favorem provisorum ab ipsa Sede de eisdem beneficiis, postquam litteras sub plumbo super provisionibus huiusmodi habuerunt expeditas, relaxatione, necnon assistentia ipsis provisis, litteras desuper sub plumbo expeditas habentibus, praestanda, et aliorum inibi expressorum executione facienda, quae mandata executiva sunt, et summariam dumtaxat causarum, propter quas illae emanarunt, cognitionem requirunt, decretis concilii huiusmodi non contraveniri, nihilque praeiudicii illis inferri, vel eorum formam in aliquo violari, neque id dici aut censeri, vel executionem litterarum earumdem propterea in aliquo suspendi sive remorari, aut facultatem litterarum executoribus concessam impediri; sed executores ipsos et ab eis deputatos subexecutores, facultates sibi per easdem litteras, ut praefertur, concessas, uti, frui, gaudere, et contra illis non parentes ad declarationem incursus poenarum et censurarum in eisdem litteris in forma brevis contentarum, ac invocationem brachii saecularis procedere; ac alia omnia et singula in eisdem litteris contenta, illarum tamen forma servata, facere et exequi libere et licite potuisse et posse; necnon processus desuper habitos et formatos, habendosque et formandos, ac inde secuta et sequenda quaecumque, firma, valida et efficacia fuisse et esse et fore, suosque integros et plenarios effectus sortiri debere in omnibus et per omnia.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel invalidari nullatenus posse.

Decretum irritans.

§ 5. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et com-

missarios, quacumque auctoritate fungentes, etiam Palatii Apostolici auditores et sanctæ Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contravenientium poenae.

§ 6. Districtius inhibentes, in virtute sanctae obedientiae, omnibus et singulis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existentibus, et quavis, etiam episcopali, archiepiscopali vel alia maiori dignitate, et ecclesiastica, etiam cardinalatus honore fulgentibus, et quavis saeculari potestate fungentibus, ne decreto et declarationi nostris praedictis, quovis quaesito colore, directe vel indirecte, contravenire audeant vel praesumant.

Executorum deputatio et facultates.

§ 7. Et nihilominus universis et singulis nostris et dictae Sedis nunciis ac locorum ordinariis eorumque officialibus, quatenus ipsi et eorum singuli, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte provisorum et executorum et subexecutorum praedictorum seu quarumcumque aliarum personarum in praemissis potestatem [1] habentium vel alicuius ex eis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, praedictos provisos et executores et subexecutores seu alios in praemissis interesse habentes, eorumque singulos, decreto, declaratione, inhibitione et aliis praemissis pacifice frui et gaudere, ac praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, quos illa concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari. Non permittentes aliquem desuper contra illarum tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

[1] Cherub. et Matth. legunt *interesse* (R. T.).

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Exemplorum fides.

§ 9. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca, ubi opus fuerit, deferre, volumus et dicta auctoritate decernimus quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum [1], sub annulo Piscatoris, die x iulii, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 iulii 1574, pontif. anno III.

[1] Matth. habet *S. Marcum* (R. T.).

XXX.

Iurisdictio et facultates S. R. E. cardinalium protectorum collegii Germanici in Urbe [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pro nostri muneris officio aequum est providere ut qui in scholis bonarum disciplinarum [2] operam dant a perturbationibus, quantum potest, liberentur.

Iurisdictio cardinalium protectorum collegii cognoscendi eius causas summarie etc.

§ 1. Quocirca, collegium Germanicum pridem a nobis in Urbe nostra institutum, in quo non minus quam centum pueros, ex universa Germania septentrionalibusque illi adiacentibus regionibus colligendos, liberalibus scientiis ac disciplinis, necnon sacris canonibus et theologia instrui atque erudiri volumus, et ad illorum sustentationem redditus annuos decem millium aureorum ipsi collegio perpetuo attribuimus, speciali privilegio prosequi volentes, motu proprio, venerabilibus fratribus nostris Ioanni Ostiensi Morono, et Alexandro Praenestino episcopis, Farnesio, ac dilectis filiis nostris Marco S. Georgii ab Altaemps, et Ptolomaeo S. Agathae Comensi, ac Ludovico S. Onuphrii titulorum Madrucio nuncupatis, presbyteris cardinalibus, eiusdem collegii protectoribus et defensoribus a nobis constitutis, ac eorum cuilibet, omnes et singulas causas civiles, criminales et mixtas dicti collegii, illiusque collegialium, scholarium, rectorum, magistrorum, œconomorum, advocatorum, procuratorum aliorumque ministrorum et officialium pro tempore existentium, collegium praedictum illiusque res, iura, actiones et bona concernentes dumtaxat, tam active quam passive, per se ipsos aut quemlibet ipsorum vel eorum aut cuiuslibet ipsorum auditorum seu auditores aut alium vel alios, qui eis videbuntur, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, necnon manu regia, nullaque tela iudiciaria servata, sed sola facti veritate inspecta, atque etiam omni et quacumque appellatione remota, audiendi, cognoscendi, decidendi et fine debito terminandi, vel etiam delegandi, et et ad hunc effectum quoscumque citandi; ac quibus et quoties inhibendum fuerit, etiam sub poenis pecuniariis et aliis eorum arbitrio ac, in subsidium iuris, censuris ecclesiasticis, inhibendi, ceteraque omnia in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi et exequendi, liberam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus facultatem.

§ 2. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac stylo Palatii et Romanae Curiae; necnon quorumcumque tribunalium Urbis praedictae, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem tribunalibus et curiis illorumque iudicibus, etiam eiusdem Palatii auditoribus, ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia similibus, aut alias quomodolibet, in genere vel in specie, ac alias concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per Derogatio contrariorum.

1 De institutione et privilegiis eius attende in constit. XXI, *Postquam*, pag. 52. 2 Deest forte *studio* aut quid simile (R. T.).

clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides danda transumptis, et sanctio poenalis.

§ 4. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*, etiam impressis, manu notarii publici dictique collegii secretarii subscriptis, et sigillo communi eiusdem collegii munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra illud ac alias ubicumque opus fuerit, adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.* Si quis autem hoc attentare, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, idibus iulii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 iulii 1574, pontif. anno III.

XXXI.

Iurisdictio inquisitorum haereticae pravitatis in eos qui, ad ordinem presbyteratus minime promoti, missas celebrant et poenitentiae sacramentum ministrant.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Officii nostri partes sedulo praestare tenemur ut dubia, quae variis doctorum opinionibus hinc inde diversa sentientium agitantur, et ad iurisdictionem sanctissimi Officii Inquisitionis haereticae pravitatis pertinent, nostrae declarationis oraculo (prout ratio ipsa suadere videtur) dilucidentur, ut nulla cuiquam dubitandi occasio in posterum relinquatur.

Dubium an qui non sunt in ordine presbyteratus et missas celebrant etc. ab inquisitoribus haereticae pravitatis puniri possint.

§ 1. Ad aures nostras siquidem nuper pervenit multos esse qui publicent an contra eos qui, in sacro presbyteratus ordine non constituti, missas celebrare et confessiones ac absolutionem impartiri ausi fuerint, per Officium sanctissimae Inquisitionis haereticae pravitatis in Hispaniarum regnis institutum et illius inquisitores procedendum vel etiam animadvertendum sit, ac hi, qui talia patraverint, per inquisitores praedictos puniri debeant. Nam, etsi multorum sententia affirmetur praedictum delictum ab inquisitoribus plectendum esse, hisce praesertim temporibus, quibus haeretici temere audent proferre vel saeculares eorum sacramentorum ministros esse posse, non desunt tamen hi qui contrariae adhaerent opinioni, unde plerumque per eorumdem regnorum inquisitores diversa feruntur in huiusmodi causis suffragia.

Declaratio quod possint.

§ 2. Nos itaque, ut omnis difficultas dubitatioque tollatur, animadvertentes eos, qui presbyteratus ordine non sunt insigniti, et se in administrandis dictis sacramentis ingerunt, facto catholicam veritatem impugnare, quae solos presbyteros ministros eorumdem sacramentorum constituendo, illis dumtaxat, quibus eadem munera congruere existimavit, committi voluit, eorum qui, in presbyteratus ordine non constituti, missas celebrant, ac confessiones, ut praefertur, audiunt, cognitionem et punitionem etiam ad Inquisitionis Officium et inquisitores ante dictos pertinere, ita ut, huiusmodi delicti ratione, adversus eos inquirere, procedere, ac culpabiles re-

pertos punire, Officium et inquisitores praedicti valeant, apostolica auctoritate, praesentium tenore, perpetuo declaramus et definimus.

Ita et non aliter iudicetur. § 3. Et ita ab omnibus et singulis ordinariis et delegatis iudicibus, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Quibuscumque non obstantibus. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon iuribus municipalibus, legibus regionum [1] praedictorum, pragmaticisque sanctionibus, ac statutis et consuetudinibus civitatum et locorum quorumcumque dictorum regnorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis forsan per nos ac quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quibusvis verborum formis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia seu de apostolicae potestatis plenitudine, vel ad supplicationem regum, ducum et aliorum principum concessis et confirmatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDLXXIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 augusti 1574, pontif. anno III.

1 *Regnorum*, Cherub. (R. T.).

XXXII.

Confirmatio et innovatio constitutionum Romanorum Pontificum, ne alumina infidelium ad christianorum partes importentur 1.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et facti series. § 1. Muneris nostri debito incumbit ut, quae a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, pro christianae reipublicae utilitate, statuta et decreta fuerunt, ea rata et firma manere atque ab omnibus diligenter observari curemus. Quocirca, cum felicis recordationis Iulius II, Paulus III, Iulius etiam III et Pius IV, praedecessores nostri, prohibuerint ne infidelium alumina ad christianorum regiones et loca adveherentur et importarentur, gravissimis censurarum, anathematis, amissionis bonorum aliisque, contra inobedientes eorumve socios, fautores et auxiliatores, propositis poenis, idque propter iustas rationes et causas fecerint, nos, volentes quae ab ipsis antecessoribus ita sancita fuerunt ad debitum effectum perduci, omnes eorum hac de re editas litteras et constitutiones, tenore praesentium, approbamus et innovamus eisdem censuris et poenis; ac omnibus christifidelibus, cuiuscunque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, praecipimus et interdicimus ne adversus praescripta agendo, alumina ipsa infidelium ad christianorum partes quovis modo audeant importare, aut importantibus praebere consilium, auxilium vel favorem.

Confirmatio et approbatio constitutionum praedecessorum Pontificum hac de re editarum.

Derogatio contrariorum. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; statutisque et consuetudinibus, etiam municipalibus, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis personis, publice vel privatim, sub quibuscumque tenoribus et formis, concessis, approbatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 3. Ut autem praesentes litterae in omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, manu notarii publici subscriptis *etc.*

Clausulae comminatoriae. § 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, praecepti, interdicti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, idibus septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 septemb. 1574, pontif. anno III.

XXXIII.

De aedificiis et iure congrui, ac iurisdictione et facultatibus S. R. E. camerarii et magistrorum viarum Urbis [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Quae publice utilia et decora esse huic almae Urbi ratio ipsa atque usus docuit, ea privatis cupiditatibus ac commodis praeferenda censemus.

Causa huius constitutionis. § 1. Cum itaque felicis memoriae Pius Papa V, praedecessor noster, nonnullas per felicis recordationis Sixtum IV, Leonem X et Pium etiam IV, similiter praedecessores nostros, ad ornatum Urbis editas constitutiones, una cum decreto Camerae Apostolicae de inquilinis in emptionibus domorum praeferendis, tamquam iuris communis correctorias, et quae, nimis late a iudicibus interpretatae, causam iniuriae quamplurimis pauperibus inferendae praeberent, duobus editis scriptis, quorum solam signaturam sufficere voluit, motu proprio abrogasset et ad viam iuris communis reduxisset, dilecti filii S. P. Q. R., abrogationem et reductionem huiusmodi aegre ferentes, initio pontificatus nostri et alias persaepe, publico decreto a nobis enixe postularunt supplices ut litteras praefatas Pii V, uti decori publico ac multorum civium commoditati infensas, tollere, pro nostro erga hanc almam Urbem paterno amore, dignaremur. Quam rem dum nos diutius differimus, plurimorum eamdem ob causam querimonias expostulantium substinuimus, quin etiam intelleximus publicum ipsius Urbis ornatum differri, et magnifica aedificia iampridem inchoata, propter nimiam quorumdam cupiditatem, interrupta pendere, plurimosque ea de causa aedificandi consilium abiecisse. Quibus malis, quo minimo civium nostrorum ac curialium detrimento fieri possit, mederi cupientes, cum etiam in litteris Sixti ac Leonis et Pii quarti huiusmodi multa addenda et minuenda ac alias animadversione digna appareant, opportunum arbitrati sumus, omnibus praedictis Sixti, Leonis et Piorum litteris antiquatis et abrogatis, quae ab illis ad publicum Urbis illiusque districtus ornatum, aëris salubritatem ac privatorum

[1] Hoc officium in Urbe antiquissimum reintegravit Martinus V in constit. XV, *Etsi in cunctarum*, tom. IV, pag. 716; et eius iurisdictionem ampliavit Sixtus IV in constit. XXV, *Et si de*, tom. V, pag. 275; Leo X in constit. XX, *Inter*, ibid., pag. 655; ac Pius IV in constit. CXX, *Inter*, tom. VII, pag. 386. Pius V omnes eorum dispositiones ad terminos iuris reduxit in constitutione CXC, *Ad hoc nos*, ibid., pag. 910. Idcirco iste Pontifex dictum officium innovat, et facultates iurisdictionemque praescribit, ampliat et declarat.

etiam commoditatem provide tunc ordinata fuerant, ea magis commoda his temporibus ratione moderata, simulque ea, quae nos de novo statuenda duximus, constitutione complecti omnia, ne publicum bonum ac decus iacere diutius pateremur.

Abrogatio constitutionum ap. circa disposita in hac constitutione, et facultas camerarii et magistrorum cogendi dominos locorum ad ea vendendum pro viis et locis publicis dirigendis;

§ 2. Itaque dictas ac quascumque alias praedecessorum litteras, quatenus ad aliquod eorum, quae his nostris litteris continebuntur, pertinent, deque aliquo eorum statuunt aut disponunt, antiquantes et abrogantes atque penitus revocantes et tollentes, de potestatis nobis tributae plenitudine, statuimus quod qui pro tempore fuerint S. R. E. camerarius atque aedificiorum et viarum Urbis magistri, quacumque Urbis parte necessarium atque utile fore cognoverint, possint, pro viis, areis, plateis aliisque locis publicis, sive veteribus dirigendis et ampliandis, sive novis ducendis et constituendis, cogere dominos domorum et locorum quorumlibet, tam ecclesiasticos quam saeculares, quacumque dignitate praeditos, ut vendant conservatoribus aut syndico eiusdem Urbis domos et loca, quae camerarius et magistri praedicti ad id necessaria duxerint, sive illa domini ipsi habitent, sive aliis locare soliti sint, pretio a magistris praedictis statuendo.

Domosque dirutas, areas, aliaque loca vacua existentia penes vias publicas claudend.

§ 3. Ubi vero aliquas ruinas esse perceperint locave aperta viis publicis haerentia, ne lacerae atque inhabitatae domus interruptaque spaciis interiacentibus viarum septa Urbi deformitatem atque incommoditatem afferant, curent ipsi camerarius et magistri eas celeriter sarciri. Itaque quoscumque dominos, sive directos sive utiles, domorum dirutarum vel arearum aliorumve locorum vacuorum secus vias publicas iacentium, gravibus poenis propositis, brevique ipsorum arbitrio praefinito tempore, cogant domos dirutas vel areas aliave loca huiusmodi ab eis possessa muro saltem claudere, murumque ipsum ad eam altitudinem, quae proxima aedificia proximosque muros aequet, vel ad aliam, quam ipsi praescripserint, attollere. Eamque ob causam iidem camerarius et magistri, si ipsis visum fuerit, interdicant interim inde dominis exactionem, ac conductoribus, si qui forte fuerint, solutionem pensionum seu canonum aut censuum, easque faciant in huiusmodi opus ipsosmet conductores impendere, quas cum conductores ita impenderint, domini acceptas ferre debeant; cum vero impendere iussi neglexerint, opus quod in tempore, iuxta huiusmodi praescriptum, factum non fuerit, sua ipsi impensa perficient. Quod si vel nulli sint conductores, vel pensiones interea temporis debitae satis operi non sint, neque tamen domini possidentes domos dirutas aut areas locave aperta huiusmodi sic clauserint, ex tunc, praefinito tempore elapso, si utiles tantum domini sint, ab utili eorum dominio omnique iure, quod inde eis competebat, cecidisse intelligantur, locaque ipsa ad directos dominos libere, cum onere tamen illa ita claudendi, devoluta sint eo ipso; si vero etiam directum dominium, sive per proxime dictam devolutionem sive alias habeant, liceat praedictis camerario et magistris, postquam sic praefinitum ipsis dominis tempus defluxerit, tum exigendis propositis poenis, tum aliis, crescente contumacia, etiam gravioribus et saepius incutiendis, eos plectere; tum vero etiam captis ex aliis illorum bonis pignoribus, eisque per subhastationem de more distractis, pecuniam cogere, unde murus et praescriptum opus omnino perficiatur; vel si hac quoque ratione non profecerint, loca eadem, modo domini ipsi illa incolant [1], propositis ad hoc semel vel pluries edictis, quibuscumque personis illa novis aedificiis instaurare, vel saltem sic clau-

1 *Illa non incolant* legit Cherub. (R. T.).

dere volentibus locare, aut in emphyteusim, etiam ad longum tempus vel ad unius aut plurium personarum sive successivarum sive nominandarum vitas atque etiam perpetuo, concedere, vel etiam vendere, aut alias alienare pro pensione aut canone aut pretio quod reperiri poterit, ita quidem ut ex pluribus hoc casu oblatoribus, si quis rei particeps aut consors fuerit, is prae omnibus obtineat, nisi forsan et ipse in claudendo negligens fuerit; praeter hunc autem, vicini ceteris et, inter vicinos, qui magis indiget, vel qui vicinus est a pluribus partibus; inter ceteros vero, qui plus quique ad maiorem Urbis ornatum aedificare voluerit praeferatur, iudicio eorumdem camerarii et magistrorum.

Aedificantes possint muro propinquo uti, soluto pretio;

§ 4. Pro privatis autem aedificiis similiter aut novis construendis aut veteribus ampliandis, liceat cuicumque quovis muro sibi propinquo libere uti, eique tigna, lapides aliamque materiam aedificii sui totumque ipsum aedificium iniungere et annectere, etiam si murus is ad vicinum suum totus pertineat, persoluto tamen eiusdem muri dimidio pretio, ad eam aestimationem, quam duo periti, quorum singulos singulae partes elegerint; vel, illis discordibus, ipsi viarum magistri declaraverint.

Viculosque intermedios eorum domibus adiungere;

§ 5. Et si inter duas domos viculus forte sive intercapedo trium circiter, ut solet, palmorum intersit, liceat ei qui primus in altera earumdem domorum aedificare coeperit, habita tamen ab ipsis magistris licentia, totum sibi viculum, nullo persoluto pretio, occupare ac domui suae adiungere, domumque ad vicini murum producere, muroque, ut supra dictum est, communiter uti.

Vicinos etiam cogere ad eis vendendum loca vicina aliis locata vel etiam ab eis habitata, aucto pretio ad duodecimam vel quintam partem.

§ 6. At si quis domum, fundum solumve habens, ibi aedificari voluerit, illi camerarius et magistri praefati cogant vendi domos aliaque loca eidem domui, fundo, solo vicina, quae eorum domini non incolunt, sed locare solent, quaeque iidem camerarius et magistri huiusmodi aedificio utilia et necessaria putaverint, pretio tamen aucto duodecima eius parte ultra aestimationem modo praedicto faciendam. Et nihilominus, si aedificium ipsum insigne futurum sit; eique perficiendo aliqua domus, etiam a domino habitata, vel hortus aliusve locus muris clausus opportunus cohaereat, eo casu (dummodo aedificium iam coeptum sit, idque a duobus saltem lateribus cohaereat domui, horto vel loco huiusmodi, illiusque aestimationem quadruplo sit excessurum) cogant dominum, etiam sic habitantem, ut domum, hortum vel locum vendat, aucto tamen dicto pretio ad quintam eius partem, dataque ipsi domino sex mensium dilatione post factam venditionem, quo interim ibidem permanens aliam sibi habitationem parare possit.

Domini domus partim dirutae ob ornatum Urbis cogant vicinos contiguos, domus non habitantes, eis vendere. Et si plures sint domini, electio datur ei, qui minorem iacturam passus est vel qui domum suam sarsit.

§ 7. Praeterea, cum, ob ducendam sive dirigendam viam, vel ob aliud opus publicum, aliqua pars alicuius domus, quam dominus sine ulla fraude tunc habitaret, mandato dictorum magistrorum diruta fuerit, unde domus habitationi domini incommoda efficiatur, ut familiam non capiat, si iuxta illam fuerit alia domus annua pensione vel alias locari solita, cuius coniunctione huiusmodi incommoditati subveniri possit, ut id fiat, cogant eam domino domus dirutae, si ibi deinceps habitaturus sit, vendi pretio quod supradicto modo aestimatum fuerit. Quod si diversorum dominorum domus huiusmodi iacturam passae locari solebant, non autem habitari, alio ipsorum dominorum petente, cogatur alius domum suam sic dirutam vel excisam vendere, constituto pretio ad aestimationem praedictam, hac tamen distinctione habita, ut detur optio illi, qui minorem iacturam in sua passus fuerit, an ipse velit aliam e-

mere. Quin etiam, si quis post huiusmodi ruinas, propter publicum aliquod opus factas, propriam domum, ea de causa aliqua parte dirutam vel excisam, quam ipse habitare solebat, sarserit, eique alia domus similem passa iacturam contigua sit, quam dominus similiter habitans intra tempus a magistris praefinitum neque sarserit neque muro clauserit, sed deformem reliquerit, velitque is, qui suam sarsit, truncam illam sibi contiguam suae coniungere et aedificare, ac propterea pretio ut supra dictum est aestimando, et amplius addita eiusdem pretii quinta parte, emere, cogatur eius dominus, licet habitans, ita vendere.

Vendere volentes fundos, debent viciuis intimare, ipsique ac emptores iurare venditionem esse veram, alioquin vicini retrahunt infra annum a die scientiae 1.

§ 8. Sed et cum aliqua domus sive fundus aut solum, volente sua sponte domino, vendendum erit, teneatur venditor perquirere a vicinis, quotquot erunt, qui rem aliquam immobilem illi contiguam habuerint (etiam si se empturos nullo modo antea professi sint) an aliquis eorum velit rem vendendam emere, eisque pretium atque omnia pacta et conditiones, quibus cum alio vere omnique procul fictione contraxit, intimare; perquisitio autem et intimatio fiat per unum ex cursoribus seu mandatariis personaliter quidem, si reperti fuerint; sin autem duorum cursorum seu mandatariorum diligentia reperiri commode non poterint, fiant domi dimissa copia; absentibus autem ab Urbe, docto extraiudicialiter et summarie coram eisdem camerario et magistris eos abesse, fiant per publicum edictum, locis, quibus in Urbe consuetum est, assignandum [2]. Quibus ita factis, iurent tam venditor quam emptor, apud acta notarii dictorum magistrorum, venditionem de huiusmodi re, iam factam et intimatam, esse veram, et in ea eiusque pretio non intercessisse dolum vel fraudem aut simulationem aliquam.

Vicini autem, quibus venditiones intimatae fuerint, si emere voluerint, debent hoc declarare etc. 1.

§ 9. Post haec si vicini praedicti se eisdem pretio ac pactis et conditionibus empturos non deliberaverint et ibi aedificaturos non promiserint, praesentes scilicet intra quindecim dies; absentes vero intra triginta a die praestitorum huiusmodi iuramentorum: rursus tam praesentes quam absentes, intra alios quindecim dies ab huiusmodi declaratione et promissione, si fiat, omnia, iuxta ea quae in venditione intimata continebuntur, non praestiterint, pretiumque, si quod in illa solutum fuerat, non persolverint, et de aedificando ibi ad certam summam certumque tempus, ac sub certa poena, prout ab eisdem magistris praescriptum fuerit, se non obligaverint, illis posthabitis, venditio cuicumque alii facta maneat et rata sit. Qui vero intra utrumque dictorum terminorum praedicta impleverit, ei, ceteris exclusis, venditio sic fieri debeat. At si perquisitio et intimatio ita factae, iuramentaque ita praestita non fuerint, quaecumque venditio de ea domo sive solo, cuicumque alii facta, nullum ius emptori tribuat, et quoad illum pro infecta sit, quamdiu vicini intra annum a die quo illam resciverint, se opposuerint. Siquidem aliquo ipsorum intra dictum annum petente, seque, ut praedictum est, obligante ad aedificandum, et pretium emptori (si is illud accipere, et emptioni suae renunciare, ac ratione illius, prout camerarius et magistri mandaverint, cavere voluerit) restituente, alioquin pretium ipsum deponente, venditio ei facta censeatur, et perinde ex illa in rei possessione inducatur, expulso inde dicto primo emptore, ac si cum eo et ad eius commodum celebrata esset; rescivisse autem, quoad hoc attinet, intelligatur,

1 Imo debent intimare etiam inquilino, ut mox sequitur. 2 Fortasse *affigendum* (R. T.).

1 Imo inquilini praeferuntur vicinis nolentibus aedificare, ut mox sequitur.

quocumque modo perceperint, vel hoc solum, rem scilicet fuisse venditam, licet neque pretium neque alias conditiones aut qualitates perceperint, post dictum vero annum maneat prima venditio, neque hac de causa a quoquam amplius impetretur.

Simulatoresque, huiusmodi venditione, pœnas hic expressas incurrant.

§ 10. Ceterum eo casu quo perquisitio et intimatio praedictae fient, si in illa venditione aliqua simulatio, praesertim circa pretium augendum, admissa fuerit, tum venditio nulla sit, tum simulatores ipsi alter re, alter pretio privati sint, ipsumque pretium ipsaque res Camerae Apostolicae applicentur eo ipso. Et praeterea iidem simulatores poenis falsi, et, si iuraverint, etiam periurii, puniantur.

Inquilinis etiam intimatio præfata fieri debet, et ipsi praestare tenentur codtent. in venditione, non autem ædificare; vicini autem eis præferuntur, si ædificare velint;

§ 11. Eadem omnia et in inquilino locum habeant, cum domus, volente domino, venalis erit, videlicet ut etiam ipsius domus inquilino, si quis erit, perquisitio et intimatio fiant modo praedicto; ipseque, si emere voluerit, tum intra eosdem terminos, tum deinceps eadem faciat, quae vicini facere debent, excepta dumtaxat oblatione et obligatione de aedificando. Etenim inter inquilinum et vicinos ea sit distinctio ut, volentibus aedificare vicinis, inquilini nulla ratio habeatur, sed tantum vicinorum. At illis non promittentibus aedificare, inquilino, etiam si aedificaturus non sit, idem ius in emptionem competat, quod vicinis, si aedificare vellent, secundum praedicta competeret.

Vicinis pluribus concurrentibus, quis præferendus.

§ 12. Verumtamen quando in singulis casibus praedictis, sive coactae sive spontaneae venditionis, duo vicini fuerint, quorum aedificiis vendenda res opportuna existat, et propterea illam sibi quisque ex hac constitutione vendi postulet, is obtineat, qui magis illa indiguerit; aut si uterque aeque indigeat, inter utrumque dividatur, quatenus utrique commoda portio tribuatur. At si huiusmodi portiones utrique fuerint inutiles, tota illi detur, cuius aedificio a pluribus partibus vel alias magis adhaeserit. Si vero alteri tantum divisio inutilis futura sit, nihil illi, sed tota alteri detur. Quod si nulla fuerit aedificantium indigentia, is praeferatur qui magis fuerit vicinus; vel, in vicinitate pari, is qui plus quique ad maiorem Urbis ornatum, iudicio eorumdem camerarii et magistrorum, aedificare voluerit.

Ædificare volentes in re stabili in emphyteusim etc. concessa, obtineant a camerario et magistris viarum liberationem, præstita alia re stabili eiusdem pretii et redditus, cum oneribus quæ erant in re sic liberata.

§ 13. Praeter supradictos autem vicinitatis casus, si quis domum aliumve fundum aut solum in emphyteusim aliumve titulum, perpetuo vel ad unius aut plurium personarum vitam, pro annuo canone aliave responsione, concessum habeat, ibique aedificare velit, liceat eisdem camerario et magistris, eo petente, domum, fundum aut solum huiusmodi ab eius directi domini, licet nolentis, proprietate, dominio ac iure, nec non a canonis seu responsionis praestatione eximere et liberare, alia re stabili prius constituta, pretii, commoditatis, redditus ac bonitatis saltem paris, quae loco illius liberata sit quoad omnia, et ad eumdem directum dominum, ratione proprietatis, dominii, devolutionis et alias cuiuscumque iuris et oneris, eisdem modo et forma, pertineat, quibus illa pertinebat; translato quoque ad istam huiusmodi canone sive responsione, cum augmento quintae illius partis, et insuper, praestita idonea cautione, et etiam facta per illum, qui aedificaturus est, obligatione omnium suorum bonorum, tum quod res in quam facta est huiusmodi translatio libera est, tum etiam de evictione in ea forma, qua in Urbe praestari solet.

Vineæ aut canneta intra milliaria tria ab Urbe existentia et locari solita vendenda sunt vicinis habentibus ibi vineas maiores et nobiliores.

§ 14. In rusticis quoque praediis, ut illorum nitori, ad honestam in illis hominum commoditatem salutaremque sive animi sive corporis refectionem, aliqua ratione consulatur, illud observetur ut qui vineas aut canneta intra tria ab Urbe milliaria sive partiariis colonis aliqua parte

fructuum sive aliis pecunia solent locare, cogi possint eadem vendere, pretio aestimando, ut supra dictum est, et amplius duodecima eiusdem pretii parte, iis qui prope illas vineas possident, quas colunt sua impensa, dummodo emptorum vineae sint non solum maioris pretii et mensurae, sed magis etiam et cultae et aedificiorum structuris conspicuae, hisque omnibus illa tantopere superent, ut magna inter utraque adsit inaequalitas, iudicio eorumdem camerarii et magistrorum. Non possint autem cogi ut partem tantummodo earum vendant.

Prædiola decem rubrorum intra XII milliaria ab Urbe existentia, et maioribus prædiis contigua vel ea intersecantia, vicinis vendenda sunt.

§ 15. Ii vero qui usque ad duodecim ab Urbe milliaria habent praediola mensurae decem dumtaxat vel pauciorum rubrorum, quas linguas seu pedicas dicunt, contigua maioribus aliorum praediis quae casalia appellantur; item ii quoque, ex quorum casalibus similes linguae seu pedicae eiusdem mensurae in aliorum intra idem spatium duodecim milliarium constituta casalia excurrunt eaque intersecant, ut a duobus ut minus lateribus linguae ipsae a vicinis casalibus circumdentur, cogi possint, sive ipsi colant sive aliis locent, illas vendere, constituto pretio ad aestimationem de qua supra dictum est, adiectaque eiusdem pretii quinta parte.

Declaratio quod dispositio circa venditiones prædictas, sponte vel coacte faciendas, locum habeant etiam in bonis ad pia loca spectantibus aut subiectis fideicommisso.

§ 16. Quaecumque autem supra statuta sunt, tum de urbanis tum de rusticis praediis aut sponte aut coacte vendendis, vel etiam a directis dominis liberandis, ea locum habeant omnino, sive praedia ipsa sint ecclesiastica, et ad quascumque ecclesias et basilicas, etiam dictae Urbis, etiam patriarchales, aut cuiusvis Ordinis monasteria et, etiam Mendicantium, domos aliaque loca religiosa, necnon hospitalia, etiam nationum aut regularium militiarum, sodalidatesque aut confraternitates ceteraque pia loca pertinentia, dummodo neque contigua ecclesiis, monasteriis, hospitalibus religiosisque ac piis locis huiusmodi, neque intra illorum septa consistant, sive sint privatarum personarum cappellæ et oratoria vel domus aut loca servandae hospitalitati destinata, modo hospitalitas inibi iam neque exerceatur actu neque amplius exerceri debeat, sive sint laicalia et cuicumque fideicommisso, substitutioni, successioni vel dispositioni obnoxia, et tam haec laicalia quam illa ecclesiastica, eorum, qui illa reliquerunt seu dederunt, ultima vel alia voluntate alienari prohibita, ac quocumque onere gravata.

Facultas camerarii et magistrorum, et forma procedendi in casibus in quibus, recusat quis vendere aliqua bona iuxta formam huius constitutionis;

§ 17. Sed quoties casus evenerit, quo res aliqua hac constitutione vendi debeat, si is ad quem pertinet eam vendere, bis monitus a camerario et magistris, cum assignatione convenientis termini ad veniendum, id recusaverit vel malitiose distulerit, tunc camerarius et magistri, vice ac nomine recusantis vel differentis, rem ipsam vendant, cum promissionibus, obligationibus, renunciationibus, pactis, etiam poenalibus, et clausulis consuetis, pretiumque quod inde cum eius augmento proveniet, apud aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam deponant. Deinde, si res ecclesiastica erat, vel etiam si laicalis, sed quod sciatur fideicommisso similivi dispositioni subiecta alienarive prohibita aut onere gravata, antequam emptor eius possessionem assequatur, pretium ipsum totum in aliquorum bonorum immobilium emptionem utiliter convertatur, cavente de evictione etiam ipso emptore, et ad id omnia bona obligante, denturque bona inde empta domino rei venditae. Quo facto, venditio rei illius nequaquam rescindi aut etiam impugnari possit, praetextu quarumvis obstantium dispositionum, sive etiam in utilitatem ecclesiae aut loci vel personae cuiusquam. Et insuper res illa vendita libera sit et exempta ab omnibus huiusmodi disposi-

tionibus, prohibitionibus et oneribus, eaque ad bona, in quae illius pretium conversum est, sint translata. Et exinde bona ipsa dictae venditae rei loco remaneant, eisdemque prorsus dispositionibus, prohibitionibus et oneribus subiaceant, quibus illa subiacebat, sintque nihilominus de evictione illius emptori obligata eo ipso.

Et procedendi etiam quando quis consensit vendere iuxta hanc dispositionem.

§ 18. Sin autem res vendita neque ecclesiastica erat neque eiusmodi vinculis obnoxia habebatur, et qui eius dominus fuerat venditioni ita factae consentire velit, ac fideiussores de evictione praestare, pretium illi solvatur. Quod si huiusmodi fideiussores praestare noluerit vel etiam non potuerit, emantur ex ipso pretio, arbitrio eorumdem camerarii et magistrorum, vel loca montium non vacabilium, vel alia bona immobilia, de quorum evictione idoneis fideiussoribus sit cautum, eaque dicto domino tradita sint loco similis cautionis pro re vendita, donec aliter emptori idonee caveatur; et interim vendi aut alias alienari nullo modo possint. Verum usquequo pretium, vel ex pretio alia res empta, ut praefertur, domino tradatur, pensio, quae ex ipsius rei venditae locatione percipi solebat vel percipi verisimiliter potuisset, eidem ab emptore persolvatur.

Facultas eorumdem praescribendi tempus ad aedificandum, atque summam ibi exponendam a volentibus uti favore huiusce constitutionis ex causa aedificandi.

§ 19. Curent etiam camerarius et magistri ut quisquis, per causam aedificandi, huius constitutionis favore uti voluerit, ei ante omnia, consideratis tum ipsius tum loci qualitatibus, summam, quam aedificando, ut minimum, impendere, ac tempus quo inchoasse quoque perfecisse debeat, propositis quas voluerint poenis, praescribant, isque ad praescriptum huiusmodi promittat, et se bonaque sua omnia arctissime obliget, subiturus omnino poenas ipsas nisi promissa praestiterit, omni purgatione morae ex quocumque iure et etiam canonica aequitate competenti penitus sublata. Et nihilominus compellendus ab eisdem camerario et magistris, vel promissa perficere, vel quae propterea emit, et etiam illis vicina, quorum occasione emit, et in quibus se aedificaturum proposuerat, loca et domos aliis aedificare volentibus, iusto pretio, sicut supradictum est, aestimando, absque ullo augmento, vendere.

Qui emerunt bona vigore dictarum litterarum Sixti IV, Leonis X ac Pii IV, et aedificare promiserunt, debeant ea adimplere infra sex menses.

§ 20. Sed ne aliquorum impunitas, qui, ut accepimus, beneficio litterarum Sixti et Leonis ac Pii quarti, dum illae vigerent, abusi, domos et loca ex illarum dispositione acquisita, infabricata adhuc retinent, aliis admittendi similia audaciam praebeat, iidem camerarius et magistri illos omnes, qui a viginti annis citra loca aliqua ex dictarum litterarum dispositione emerunt, seque in illis aedificaturos promiserunt nec praestiterunt, cogant ea omnia, quae tunc facere debebant, intra spatium sex mensium a die praecepti eis hac de re faciendi, implere, alioquin poenas praemissas ab iis exigant omnino. Et praeter illas, loca eadem dominis quibus ablata fuerunt, si ipsi velint, eodem pretio, quod tunc solutum fuit, restitui, vel illis nolentibus, aliis, qui ibi aedificaturi sint, pretio, ut supradictum est, aestimando, vendi compellant.

Applicatio locis piis poenarum incurrendarum ob contraventiones.

§ 21. Ceterum poenae omnes, quas incurrent, qui adversus constitutionem hanc seu camerarii et magistrorum pro ipsius constitutionis executione mandata vel decreta admiserint, piis locis dictae Urbis ita applicatae sint, ut illi ex ipsis locis irrevocabiliter debeantur, pro quo primum poenae ipsae post illarum incursum petitae fuerint, ad quam petitionem, lapsis ab huiusmodi incursu triginta diebus, nisi dicti camerarius et magistri illas iam pro eorum debito exegerint, quilibet in dicta Urbe vel in Romana Curia iudex ad illarum exactionem indesinenter procedat, donec eidem loco vere et integre

persolutae fuerint. Nullo autem dictorum locorum petente, noster in Urbe vicarius, eas de manu dictorum camerarii et magistrorum acceptas, vel, eis ab ipso interpellatis negligentibus, ab eorum debitoribus exactas, inter dicta loca, iuxta eorum indigentiam, arbitrio suo distribuat.

Facultas camerarii et magistrorum procedendi summarie etc. pro executione supradictorum.

§ 22. Nos enim, ad supradicta omnia et singula faciendum et exequendum, inque illis et pro illius summarie, simpliciter et de plano, solaque veritate inspecta, ac manu regia, etiam ex officio procedendum, plenariam, expeditam liberamque auctoritatem et potestatem camerario scilicet in ecclesiasticas, eidemque et magistris viarum praedictis in laicas, ac quoad poenas praedictas vicario ac singulis Urbis vel Curiae iudicibus huiusmodi, in quascumque personas, de eadem potestatis plenitudine, praesentis constitutionis auctoritate, tribuimus et demandamus.

Decretum irritans.

§ 23. Decernentes eadem omnia et singula quae supra statuta sunt, si quando in aliquo casu de eorum sensu controversia continget, in eam partem interpretanda esse, quae ad Urbis ornatum magis facere videbitur; ac semper et ubique, sive in iudicio sive extra iudicium, favorabilia censeri. Et ita ab omnibus iudicibus, etiam Palatii Apostolici auditoribus et cardinalibus, sublata quavis aliter interpretandi et iudicandi potestate, interpretari et iudicari debere; et si secus fiat, fore irritum et inane.

Clausulae derogatoriae.

§ 24. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Symmachi et Pauli II de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; legibus etiam imperialibus; dictaeque Urbis atque ecclesiarum, monasteriorum et locorum religiosorum sive piorum, Ordinumque, quorum bona huiusmodi fuerint, statutis et consuetudinibus; necnon, testantium voluntatibus aliisque dispositionibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis et locis eorumque superioribus, capitulis et conventibus, seu populo Romano aliisque quibuscumque concessis, et quibusvis aliis Sedis Apostolicae indulgentiis, per quae praesentium executio, et per eas tributae iurisdictionis explicatio posset quomodolibet impediri vel retardari; quibus omnibus, eorum tenores pro plene et integre expressis habentes, de potestatis plenitudine praedicta, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimoquarto, kalendis octobris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 octobris 1574, pontif. anno III.

XXXIV.

Conceditur facultas deputatis principatus Cataloniae, nunc et pro tempore existentibus, percipiendi distributiones quotidianas in absentia [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii sollicitudo nos admonet, et Apostolicae Sedis benignitas persuadet ut votis illis gratum praebeamus assensum, per quae ecclesiasticarum personarum quarumlibet, praesertim ecclesiasticae libertati assidue invigilantium, valeat opportunitatibus provideri.

Facti series.

§ 1. Dudum siquidem, pro parte deputatorum et auditorum computorum generalis principatus Cataloniae, felicis recordationis Eugenio Papae IV, praedecessori nostro exposito quod, cum ad guberna-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tionem, protectionem et tuitionem immunitatum et libertatum, necnon utilitatem communem et bonum regimen eiusdem principatus, personae sex numero, duae videlicet ecclesiasticae et reliquae saeculares, quae in civitate Barchinonensi moram trahentes, et in domo ad hoc ibidem ordinata certis diebus insimul convenire tenebantur, quarum tres deputati, et reliqui tres auditores computorum erant, singulis trienniis eligi consuevissent; et personae ecclesiasticae sic dictae, quae etiam quandoque pontificali et abbatiali sive alia dignitate fungebantur, pro eo quod, gubernationi, protectioni et tuitioni huiusmodi insistendo, ab ecclesiis, monasteriis, quibus praeerant, et beneficiis ecclesiasticis, quae obtinebant, absentes existerent, iuxta ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum eorumdem diversa statuta, consuetudines et ordinationes, illorum fructibus, redditibus et proventibus seu aliquibus eorum portionibus privarentur; ac propterea eidem praedecessori, pro ipsorum deputatorum et auditorum parte, humiliter supplicato ut super eo providere de benignitate apostolica dignaretur; idem praedecessor, attendens quod dictae personae ecclesiasticae non minus consulebant publicae quam privatae utilitati, quodque gubernationi, protectioni et tuitioni principatus huiusmodi, ac praesertim Ecclesiastici Status, insistebant fideliter et devote; ac propterea personas ecclesiasticas praedictas condigno favore prosequi cupiens, eisdem et pro tempore deputato et auditori ecclesiasticis eorumdem computorum, et eorum cuilibet, ut, deputationi et auditioni computorum huiusmodi, tam in dicta civitate quam alibi insistentes, fructus, redditus et proventus omnium et singulorum ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum praedictorum per eos pro tempore obtentorum, ipsorumque fructuum, redditaum et proventuum portiones cum ea integritate libere perpetuo percipere valerent, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis, monasteriis ac beneficiis personaliter residerent, et ad residentiam in eisdem interim minime tenerentur, nec ad id a quoquam inviti valerent coarctari, auctoritate apostolica, de speciali gratia, indulsit, proviso tamen quod ecclesiae, monasteria ac beneficia huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis; et deinde piae memoriae Clemens Papa VII, etiam praedecessor noster, indultum huiusmodi eadem auctoritate approbavit et innovavit, prout in suis et dicti Eugenii praedecessoris litteris desuper confectis plenius continetur.

Causa constitutionis edendae.

§ 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum deputati et auditoris ecclesiasticorum computorum principatus huiusmodi petitio continebat, ipsi, ratione deputationis et auditionis computorum huiusmodi, propria domicilia quaecumque, etiam valde remota, derelinquere, et ad dictam civitatem se transferre, et ibidem per triennium moram trahere; ac, ut statum suum decenter iuxta dignitatis officii huiusmodi exigentiam tenere valeant, magna expensarum onera de necessitate subire cogantur, et fructus beneficiorum illarum partium plerumque adeo tenues existant, ut ex illis, absque distributionibus quotidianis, commode sustentari, et onera antedicta perferre non valeant, pro illorum parte nobis fuit humiliter supplicatum ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Deputato et auditori ecclesiast. principatus Cataloniae facultatem concedit percipiendi distributiones quotidianas, etiamsi absentes fuerint.

§ 3. Nos igitur, attendentes quod eorum absentia, qui reipublicae causa absunt, illis non debet esse damnosa, et propterea ipsos deputatos et auditores ecclesiasticos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicatio-

nis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem et pro tempore existentibus deputato ac auditori ecclesiasticis, ut deinceps, triennio praescripto durante, non solum fructus, redditus et proventus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum praescriptorum, sed etiam iura, obventiones et emolumenta quaecumque ac distributiones quotidianas, etiam solis praesentibus et divinis officiis interessentibus dumtaxat dari et per eos lucrari solita, cum ea integritate, cum qua illa perciperent, si omnibus divinis officiis tam diurnis quam nocturnis interessent, percipere libere et licite valeant; ita quod super integra perceptione huiusmodi, per locorum ordinarios seu quosvis alios quomodolibet molestari, impediri vel perturbari, aut aliqua etiam minima parte distributionum praestantem propter absentiam huiusmodi privari nequeant, dicta apostolica auctoritate, tenore praesentium, de speciali gratia indulgemus. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores praesentium litterarum.

§ 4. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Amerino et dilectis filiis Barchinonensi ac Gerundensi ecclesiarum archidiaconis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum deputati et auditoris ecclesiasticorum pro tempore existentium seu alterius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos et eorum alterum, dicto triennio durante, indulto praedicto pacifice gaudere, ac iuxta illius tenorem eis et ipsorum procuratoribus, eorum nomine, etiam distributiones quotidianas integre ministrari. Non permittentes eos per locorum ordinarios et dilectos filios ecclesiarum capitula et monasteriorum conventus seu quoscumque alios contra huiusmodi indulti nostri tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores per censuras et poenas ecclesiasticas et alia remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suæ dioecesis ad iudicium evocetur; seu ne iudices a Sede praescripta deputati, extra suam civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, et in concilio generali edita de duabus diaetis, ac aliis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon ecclesiarum, etiam in quibus saecularia, et monasteriorum aliorumque regularium locorum, etiam in quibus regularia beneficia huiusmodi forsan fuerint, seu a quibus ipsa regularia beneficia dependere contigerit, et Ordinum, quorum illa extiterint, iuramento, confirmatione ap. vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam si de illis observandis, et non impetrandis litteris ap. contra ea aut

etiam ab alio vel aliis impetratis seu alias quovis modo concessis non utendo, fuerit ab eis praestitum hactenus, vel imposterum praestare contigerit iuramentum. Necnon privilegiis, indultis et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis et monasteriis illorumque praelatis, capitulis, conventibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ac omnibus illis, quae Eugenius et Clemens praedecessores praefati in suis litteris praefatis voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque. Aut si locorum ordinariis ac capitulis et conventibus praefatis aut quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede concessum seu imposterum concedi contingat quod distributiones quotidianas divinis officiis non interessentibus ministrare minime teneantur; et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Clausula comminatoria.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, indulti, decreti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, kalendis octobris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 octobris 1574, pontif. anno III.

XXXV.

Ut deputati nunc et pro tempore existentes principatus Cataloniae se immiscere possint in criminalibus [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et causa constitutionis edendae.

§ 1. Romanum decet Pontificem personarum sibi fidelium et devotarum, praesertim publicae utilitati iugiter insistentium, precibus libenter annuere, illasque favoribus prosequi opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum deputatorum et auditorum computorum generalis principatus Cataloniae nobis nuper exhibita petitio continebat quod, licet ad gubernationem, protectionem et tuitionem immunitatum et libertatum, necnon utilitatem communem et bonum regimen dicti principatus, personae sex numero, duae videlicet ecclesiasticae et aliae quatuor saeculares, quarum tres *deputati* et reliquae tres *auditores computorum* nuncupantur, singulis trienniis eligi consueverunt, et personae sic electae in civitate Barchinonensi, trien-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

nio huiusmodi durante, continuo commorari, et in certis diebus in domo ad hoc designata insimul convenire teneantur, ut in causis omnibus eorum iurisdictionem non nisi coniunctim valeant quoquomodo exercere; sententiae quoque super deputatorum et auditorum protectorum [1], tam ecclesiasticorum quam saecularium, nominibus proferantur. Nihilominus, quando de causis criminalibus agitur, deputatus et auditor ecclesiastici, ne aliquam propterea contrahant irregularitatem, ab aliorum deputatorum et auditorum saecularium consessu recedant, et sententiae super causis criminalibus huiusmodi saecularium deputatorum et auditorum praedictorum nominibus dumtaxat proferantur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, in causis criminalibus praedictis ipsorum deputatorum et auditorum saecularium munus in hoc tantum consistat, ut causas ipsas certis eorum accessoribus, iustitia mediante, terminandas committant, et postmodum accessores eorumdem relationes audiant, sententiasque desuper ab eisdem accessoribus dictatas et subscriptas, ipsorummet auditorum et deputatorum saecularium nominibus, faciant publicari; et si modernis et pro tempore existentibus deputato et auditori ecclesiasticis concederetur quod etiam ubi de causis criminalibus praefatis tractatur, absque conscientiae scrupulo seu alicuius irregularitatis incursu, cum aliis interesse valerent, et quod sententiae illorum etiam nomine proferri seu publicari deberent statueretur, ex hoc profecto inter eosdem deputatos et auditores aequalitas servaretur, nec imposterum eorum tribunal, prout hactenus, quasi claudicans appareret; personarum item ac rerum ecclesiasticarum auctoritati atque conservationi, cum deputatus et auditor ecclesiastici praedicti libertati ecclesiasticae potissimum invigilent, amplius consuleretur; quare pro parte omnium deputatorum et auditorum praefatorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 3. Nos igitur, deputatos et auditores praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisq. sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concedimus et indulgemus ut deputatus et auditor ecclesiastici praedicti, praesentes et futuri, in perpetuum, etiamsi pontificali aut alia ecclesiastica dignitate praediti, ac etiam in sacris ordinibus constituti sint vel fuerint, in causis criminalibus praedictis cum aliis deputatis et auditoribus saecularibus praedictis, etiam si exinde membrorum mutilationes seu quaevis aliae ultimi supplicii poenae subsequantur, absque conscientiae scrupulo, seu inhabilitatis vel irregularitatis aut alicuius poenae incursu, licite interesse valeant. Quodque sententiae desuper ferendae omnium deputatorum et auditorum, tam saecularium quam ecclesiasticorum, praedictorum nominibus deinceps omnino proferantur, dummodo ipsi deputatus et auditor ecclesiastici a voto in his debeant abstinere.

Conceditur ut deputatus et auditor ecclesiastici adesse possint cum ceteris deputatis saecularibus in causis criminalibus, absque conscientiae scrupulo; a voto tamen se abstineant.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac ecclesiarum, etiam in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis et indulti infringere, aut ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare prae-

Clausulae comminatoriae.

[1] Forte legendum: *Sententiae quoque super causis civilibus deputatorum et auditorum praedictorum* (R. T.).

sumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, kalendis octobris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 octobris 1574, pontif. anno III.

XXXVI.

Statuitur ut quicumque in ecclesiis regnorum Hispaniarum inservientes, etiamsi iuxta novum missale et breviarium missas et alia divina officia celebraverint, fructus et distributiones quotidianas pro celebratione alicuius specialis festivitatis relictas lucrari valeant, cum diversis aliis ordinationibus [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et facti series.

Significavit nobis nuper charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, a pluribus fidelibus varias celebrationes festivitatum in honorem diversorum sanctorum et sanctarum Dei, prout unicuique suggessit devotio, in ecclesiis regnorum Hispaniarum et illis adiacentibus insularum institutas fuisse, emolumentis pro distributionibus quotidianis inter eos, qui, divinis obsequiis in eisdem ecclesiis mancipati, officio in eorumdem sanctorum honorem celebrando interfuissent, dividendis ad id constitutis; ex quibus forsan pleraeque festivitates ex nuper editi breviarii ac missalis praescripto celebrari non debent; necnon per plures etiam reges vel alios saeculares principes aut ecclesiae Dei praelatos, non solum pro similibus festivitatibus sanctorum, quae missali et breviario praedictis minime continentur aut nequaquam in eis comprehensae sunt, quibusdam in ecclesiis celebrandis, quosdam redditus legatos et etiam pro distributionibus, ut praefertur, verum etiam relictos fuisse in alicuius insignis victoriae memoriam, pro gratiis Deo agendis; quandoque idem factum fuisse, prout bonae memoriae Franciscus Ximen, dum vixit, S. R. E. cardinalis, arce de Oran tunc capta; idemque Philippus rex bello navali prope Corinthiacum sinum insigni victoria de Turcis proximis annis reportata, instructissimaque eorum classe, dextera Domini faciente virtutem, pene deleta, in ecclesia Toletana inter alia fieri curarunt; quae festivitates cum, ut praefertur, ex praescripto breviarii et missalis novissime editorum non celebrentur, apud nonnullos dubitandi occasionem subortam esse an divina officia, illaque iuxta nuper editi missalis et breviarii formam, celebrantes de eo Sancto, quem celebrare bona sua relinquentes voluerunt, ut prius fructus et distributiones dicta de causa constitutas lucrentur, et iidem ecclesiarum praedictarum servitiis adscripti illas tuta conscientia consequi et percipere valeant, et an dictarum victoriarum pro Christi nomine tot laboribus et sanguinis effusione consecutarum commemoratio aliquo modo retineri possit.

Facultas conceditur ut fiat commemoratio eius festivitatis aut Sancti pro quorum celebratione distributiones atque fructus fuerunt relicti.

§ 1. Nos igitur, auctoritatem nostram in praemissis interponendam esse, Philippo rege praedicto id vehementer desiderante, existimantes, etiamsi iuxta novum missale et breviarium missae et alia divina officia celebrabuntur, quicumque in dictis ecclesiis deservientes fructus et distributiones quotidianas, pro celebratione alicuius specialis festivitatis relictas, ut antea dum festivitates iuxta pias voluntates fidelium celebrabantur, secura conscientia lucrari, exigere et levare, easdemque in suos usus et utilitatem convertere valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus; eisdemque, ut de eodem Sancto pro

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

quo officium fuisset ex voluntate fidelium celebrandum, in missa conventuali celebranda, commemorationem per congruam orationem, iuxta nuper editi missalis formam, facere possint, facultatem impartimur.

Commemoratio quomodo facienda sit et quo in loco.

§ 2. Praeterea statuimus quod in ecclesiis, in quibus dotes per reges, principes aut praelatos vel alios quoscumque, pro festis in breviario aut missali non comprehensis celebrandis, constitutae fuerunt, ut praefertur, quod de ea festivitate in dicta ecclesia, in qua illa instituta fuerit, dumtaxat, et non extra illam, commemoratio fieri possit post orationem diei tam in officio quam in missa occurrente, vel post missam diei cantare aliam missam de huiusmodi festo votivo seu dotato; ubi vero de partis victoriis erit agendum, si in illa die occurrat festum duplex, de ipso festo duplici officium et missa fient, et nona lectio legatur de ipsa victoria, et de illa fiet commemoratio, tam in officio quam in missa, per antiphonas et versiculos suos et orationem de gratiarum actione; si autem in ipsa die occurrat festum simplex vel semiduplex vel feria, totum officium et missa fient de ipsa victoria, prout hactenus de illo facere soliti erant, cum commemoratione Sancti simplicis vel semiduplicis ac etiam feriae, si de illis erit de quibus, dum occurrit festum, commemoratio facienda est.

Ad alia non esse obstrictos qui eiusmodi festa celebrare debent, praeter ea quae praesentis constitutiones declarat.

§ 3. Decernentes per praesentes administratores, capitula, dignitates vel personatus in dictis ecclesiis obtinentes, illarumque canonicos, beneficiatos et alias personas quascumque dictarum ecclesiarum, quocumque nomine nuncupatarum, ad alium, quam ut praescriptum est, recitandi modum, et ritum ac morem observandum minime teneri, nec ad id per aliquos, etiam si devolutionis bonorum poena, testamentis, legatis, codicillis aliisque quibuscumque dispositionibus ad favorem ecclesiarum illorumque ministrorum factis, adiecta esset, si in eis contenta non adimpleverint, per aliquos, etiam locorum ordinarios vel quavis alia auctoritate fungentes, cogi vel compelli posse, ac praesentes litteras ullo umquam tempore revocari vel immutari valeat, sed semper perpetuo firmas et validas existere; et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; necnon, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane.

Clausulae.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac voluntatibus eorum, qui ad favorem singularum ecclesiarum praedictarum de bonis suis disposuerunt, quas ad effectum praesentium, quatenus opus sit, commutamus; necnon litteris felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, in breviario et missali, ac clausulis ipsismet breviariis et missali praeinsertis; necnon omnibus in eis contentis prohibitionibus et clausulis derogationibusq.; ac in provincialib. et synodalib. conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; ac quarumcumque ecclesiarum praedictarum, forsan iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dilectis filiis capitulis aliisque superioribus et personis concessis et confirmatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus.

Fides transumptorum.

§ 5. Ut autem praesentes litterae omnibus, quos illae quomodolibet respiciunt, innotescant, illarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII octobris, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 octobris 1574, pontif. anno III.

XXXVII.

Privilegium doctorum Romanorum publice legendi in quacumque facultate in generali Studio almae Urbis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Causa const. Cupientes universos almae Urbis nostrae origine civium filios ad bonarum litterarum cognitionem et doctrinam, pro communi et publica utilitate, dictaeque Urbis ornamento et honore, paterna caritate et Sedis Apostolicae munificentia atque liberalitate allicere, ut ipsis et etiam ceteris ad virtutem calcar honorificum et fructuosum addatur; motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia ac de mera nostra liberalitate, dilectis filiis senatui et populo Romano.

Doctores ex patre et avo Romae natis ad legendum in hoc Studio admittantur. § 1. Quod ex nunc deinceps et perpetuis futuris temporibus omnes et singuli adolescentes et iuvenes doctores, ex patre et avo Romae natis, Romani, et excedentes vigesimum secundum suae aetatis annum, qui in Studio seu gymnasio publico dictae Urbis in quacumque facultate pro tempore legere voluerint, ad lecturam huiusmodi, facta tamen prius per eos, coram dilectis filiis nostris S. R. E. cardinalibus super eodem Studio seu gymnasio deputatis ac illius rectore et reformatoribus pro tempore existentibus, una lectione, admitti debeant, cum salario vigintiquinque scutorum quolibet anno pro unoquoque, qui, ut praefertur, legere voluerit, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et elargimur. Necnon eisdem doctoribus, ut praefertur, qui in eodem gymnasio munus legendi subibunt, dictum salarium annuum vigintiquinque scutorum ipsis et eorum cuilibet, debitis et consuetis in eodem Studio seu gymnasio temporibus, ac de et ex eiusdem Studii seu gymnasii redditibus, proventibus, vectigalibus et aliis emolumentis universis per eos, ad quos spectat et pro tempore spectabit, persolvendum, motu et auctoritate similibus, constituimus et assignamus; ipsosque ad lecturam huiusmodi recipi et admitti, et salarium eis et eorum singulis persolvi debere, ut praefertur, decernimus.

§ 2. Mandantes propterea dilectis filiis conservatoribus Camerae dictae Urbis, ac rectori et reformatoribus dicti Studii seu gymnasii, praesentibus et futuris, aliisque omnibus et singulis, ad quos id quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, quatenus praesentes nostras litteras recipiant et admittant ac inviolabiliter observent, et ab omnibus, quos ea quomodolibet concernunt et concernent, observari mandent et faciant; necnon doctoribus legentibus huiusmodi de dicto salario, debitis, ut praefertur, temporibus, annuatim respondeant, et etiam faciant ab aliis responderi realiter et cum effectu. Et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Executorum deputatio

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac Studii seu gymnasii necnon Urbis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis superioribus et personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac Derogatio contrariorum.

[1] Huius Studii erectionem et alia quae ipsum concernunt vide in Bonif. VIII const. XX, *In supremae,* tom. IV, pag. 166; et Leonis X const. IV, *Dum suavissimos,* tom. V, pag. 568.

cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili ac consistorialiter et alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XII octobris MDLXXIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 octobris 1574, pontif. anno III.

XXXVIII.

Erectio ecclesiae Burgensis in metropolitanam [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Universis orbis ecclesiis, Eo disponente qui cunctis imperat, et Cui etiam [2] obediunt, meritis licet insufficientibus, praesidentes, in circuitu agri dominici oculos nostrae mentis vigilis more pastoris levamus, inspicientes quid ecclesiarum ipsarum statui et decori maxime conveniat, et divino fulti praesidio Illius, qui cuncta ex sua benignitate ad fidelis populi sui salutem disponit, ad ea, quae ad dignitatem et statum ecclesiarum huiusmodi augendum pertinent, officii nostri partes libenter convertimus, praesertim ubi catholicorum regum preces id exposcunt, nosque in Domino idem conspicimus expedire.

Laus recitatae ecclesiae. § 1. Cum itaque ecclesia Burgensis Sedi Apostolicae immediate subiecta, de iure patronatus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, cui dilectus filius noster Franciscus tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis Paceco de Toledo nuncupatus, ex dispensatione apostolica, praeest, ceterarum omnium eius partis regni Castellae, quae vetus appellatur, antiquissima et nobilissima, et cleri dignitate ac numero, et dioecesis amplitudine praestare noscatur; itidemque civitas sua dicti regni caput et Camera Regia vocata, dictaque dioecesis illustrium virorum copia maxime insignes sint, apud quos etiam verae religionis cultus, et summa in Romanos Pontifices dictamque Sedem observantia omni tempore emicuit.

§ 2. Nos, ad utramque meritis honoribus augendam et promovendam adducti, piis quoque supplicationibus praedicti Philippi regis excitati, post habitam cum fratribus nostris maturam deliberationem, de eorum consilio atque apostolicæ potestatis plenitudine, ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis Dei, et universalis Ecclesiae exaltationem, Pampilonensem et Calaguritanensem ecclesias, quae de simili iure patronatus praedicti Philippi regis sunt, earumque civitates et dioeceses, cum omnibus et quibuscumque earum territoriis et terminis, ac dilectos filios earum singularum clerum et populum universum, cum suis collegiatis, parochialibus et aliis ecclesiis, necnon monasteriis utriusque sexus, ceterisque beneficiis et officiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, necnon hospitalibus, domibus, collegiis et locis religiosis quibuscumque, a provincia Caesaraugustanensi, cui metropolitico iure subsunt, tenore praesentium, perpetuo dividimus et separamus; et ab archiepiscopi pro tempore existentis ac dilectorum filiorum capituli Caesaraugustanensis su- Divisio ecclesiarum Pampilonen. et Calaguritan. a iurisdictione archiepis. Caesaraugustanensis.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium. [2] Legimus *omnia* (R. T.).

perioritate, potestate, subiectione, visitatione, correctione ac omni et quacumque alia iurisdictione, necnon a solutione iurium quorumcumque ratione iurisdictionis, subiectionis et legis metropoliticae, ita ut ipse aut sui in praedictis se post hac interponere non audeant quoquomodo seu praesumant, etiam perpetuo eximimus et liberamus.

Erectio ecclesiae Burgensis in metropolitanam, cui subiicit

§ 3. Ac dictam ecclesiam Burgensem in metropolitanam ecclesiam, et sedem episcopalem Burgensem in archiepiscopalem, archiepiscopalisque et metropolitani praesulis sedem et provinciae caput, pro uno deinceps archiepiscopo, qui pallii et crucis usum, aliorum archiepiscoporum more, habeat, omnibusque aliis insignibus archiepiscopalibus, necnon privilegiis, honoribus et praerogativis archiepiscopis debitis et concessis gaudeat, prædicto iure patronatus ad ipsam ecclesiam Burgensem dicto Philippo regi salvo remanente, similiter perpetuo erigimus et instituimus, ac nomine, titulo et honore archiepiscopali et metropolitano decoramus.

Ecclesias Pampilonen. et Calaguritan.

§ 4. Praeterea ecclesiae Burgensi praedictae Pampilonensem et Calaguritanensem civitates et dioeceses pro sua metropolitana provincia; ac Pampilonensem et Calaguritanensem ecclesias modernosque et pro tempore existentes illarum praesules, pro suis et pro tempore existentis archiepiscopi Burgensis suffraganeis, qui, tamquam membra capiti, eidem archiepiscopo Burgensi iure metropolitico subsint; provinciae quoque Burgensis praedictae clerum et populum universum, pro eorumdem ecclesiae et archiepiscopi Burgensis provincialibus, quorum singulorum causae et querelae ad dictum archiepiscopum Burgensem iuxta sacrorum canonum statuta referantur, concedimus et assignamus. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Pampilonensis et Calaguritanensis necnon Caesaraugustanensis ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ecclesiis illarumque praesulibus et administratoribus ac capitulis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de simili apostolicae potestatis plenitudine, consistorialiter ac de fratrum eorumdem consilio, ac alias quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, de consilio et potestatis plenitudine similibus, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae comminatoriae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis, declarationis, concessionis, assignationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, XI kalendas novembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 octobris 1574, pontif. anno III.

XXXIX.

Confirmatio et extensio constitutionis Bonifacii VIII editae contra dantes aliquid vel promittentes vel recipientes pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ab ipso pontificatus nostri principio, quam maxime possumus, enitimur atque contendimus ut domus et Curia nostra sordibus expurgetur.

Bonif. octavus excommunicavit dantes vel recipientes. § 1. Cui salubri consilio incumbens, felicis recordationis Bonifacius Papa VIII excommunicavit et anathematizavit omnes clericos, religiosos et laicos utriusque sexus, sive familiares Curiae, sive undecumque alios, qui aliquod pactum facerent, seu quid parvum vel magnum promitterent *etc.* [1]

Hic Pontifex const. confirmat et ad fautores extendit. § 2. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, ut plerique, cupiditate improbi quaestus, potentiorum suffragationibus adnixi, huiusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes, turpissime nundinentur; alii alios, quos gratia praestare arbitrantur, donis pollicitationibusque ambiant; quidam etiam se talium operam atque industriam pretio et muneribus quaesiisse affingant. Quae cum pessima sint, et Curiae praedictae existimationem gravissime offendant, in eos qui talia agunt animadvertendum fore arbitrati, constitutionem praedictam, cum suis censuris et poenis omnibus, innovamus, easdemque omnes extendimus ad audentes qualecumque horum facinorum, quae adscripsimus, dantesque illis et aliis supradictis auxilium, consilium vel favorem.

Aliasque poenas imponit; § 3. Quin etiam eos omnes omni beneficio et officio ecclesiastico et saeculari, sive temporali sive perpetuo, ipso iure privamus ac privatos esse declaramus; et praeterea infamiae subiectos perpetuo, ac inhabiles ad illa et alia esse volumus. A quibus etiam, prout quaeque res erit, tales poenae exigantur, ut [1] ceteris sint exemplo.

Revelantibus eas condonat. § 4. Illis tamen qui rem adhuc incognitam complicesque ac fautores et socios retexerint, impunitas concedatur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, nonis novembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 nov. 1574, pontif. anno III.

XL.

Quod subcollectores et commissarii nuntii apostolici in regno Neapolitano, eius dumtaxat iurisdictioni subiaceant, in causis criminalibus contra eos promovendis.

Gregorius Papa XIII dilecto filio magistro Antonio Saulio, utriusque Signaturae nostrae referendario, moderno et pro tempore existenti in regno Neapolitano nuncio et collectori nostro generali.

Exordium. Cupientes, pro nostri officii cura, indemnitati dilectorum filiorum Camerae nostrae Apostolicae ministrorum, ne illi molestiis, litibus vel incommodis fatigentur, quantum cum Deo possumus, opportune providere, motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

1 Residuum praetermittimus, quia est in tomo IV, pag. 126.

1 Cherub. legit *quae* loco *ut* (R. T.).

Privilegium fori pro subcollectoribus et commissariis nuntii apostolici in regno Neapolis.

§ 1. Quod omnes et singulae causae, nunc motae et pro tempore movendae, quorumvis praetensorum excessuum, criminum et delictorum per quoscumque subcollectores et commissarios, tam generales quam particulares, in quibuslibet provinciis et civitatibus et dioecesibus istius regni Neapolitani, per te et pro tempore isthic existentem nostrum et Sedis Apostolicae nuncium et collectorem generalem deputatos commissorum, a te et pro tempore existente nuncio solum, non autem a quibusvis aliis iudicibus, etiam locorum ordinariis, deinceps in futurum, non modo durante eorum officio, sed etiam post ipsum dimissum, donec vixerint, audiri, cognosci et decidi possint et debeant. Aliisque iudicibus et locorum ordinariis, ne in illis sese, quovis praetextu seu quaesito colore, intromittere quoquomodo ullatenus audeant vel praesumant, districtius inhibemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 2. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Facultas nuntii in contravenientes.

§ 3. Quocirca tibi et pro tempore existenti nuncio, contradictores quoslibet et rebelles, etiamsi episcopali aut archiepiscopali dignitate fungentes fuerint, sub interdicti ingressus ecclesiae ac suspensionis a divinis, quoad episcopos et archiepiscopos; quo vero ad inferiores, sub pecuniariis arbitrio vestro declarandis et applicandis poenis; et demum sub sententiis et censuris ecclesiasticis, et per alia iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendi, brachiumque saeculare ad hoc, si opus fuerit, invocandi, ceteraque ad id necessaria faciendi, mandandi et exequendi, plenam et liberam per easdem praesentes, facultatem concedimus et potestatem.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium forsan concessis et confirmatis, quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis, alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV ianuarii MDLXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 ian. 1575, pontif. anno III.

XLI.

Reformatio
curiae de Sabellis, marescalli almae Urbis.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Dum recte administrandae ubique iustitiae rationes omnes bene constitutas et cupimus et pro nostro munere veterique studio, quo possumus, enitimur, haud postrema esse debet minorum huius Urbis tribunalium cura, in quibus quicquid delinquitur eo deterius contingit quo pauperiores afficit, quibus in re tenui et acrius ex iniuria damnum et difficilius remedium afferri solet.

Causa reformationis.

§ 1. Dum igitur nuper officium marescallatus Sedis Apostolicae dilecto filio nobili viro Bernardino de Sabellis, marescallo dictae Sedis, concesserimus, volentes eidem officio non minus de legum praestantia, quam de viri solertia esse prospectum, ut in illius curia de Sabellis nuncupata, tum iudicia tum cetera ad id munus pertinentia, ad iusti et recti normam directa, sine sorde peragantur, infrascripta haec, quorum aliqua pridem a Iulio II et Paulo IV felicis recordationis, praedecessoribus nostris, licet prudenter constituta, iam in usu non erant, ibi deinceps inviolate servanda perpetuo statuimus et ordinamus atque etiam innovamus.

Iudex gratuito deputetur,

§ 2. Iudex ibi ius dicturus gratuito a marescallo deputetur; adeo ut neque iudici dare, neque marescallo accipere propter hoc quidquam liceat, etiam mutui aliove nomine, quavis de causa, vel ante vel post deputationem, etiam auctoritate sive praetextu cuiuscumque consuetudinis aut etiam indulti a Sede Apostolica concessi; illa enim improbamus, hoc autem revocamus expresse.

Et ad annum, et ex rationabili causa ad biennium,

§ 3. Deputatio vero fiat ad annum dumtaxat, quo finito, finitum etiam sit eius iudicis officium, nisi propter aliquam rationabilem causam [1] omnino non excedat, semel tantum fieri possit.

Syndicatuique stare caveat.

§ 4. Antequam incipiat exercere officium, caveat idoneis fideiussoribus de stando syndicatui. Finito officio, etiamsi nec querelatus nec requisitus fuerit, offerat se syndicatui coram gubernatore Urbis et auditore Camerae; illi vero quadraginta diebus syndicatum absolvant, iudicemque, prout iure faciendum erit, vel liberent vel condemnent et puniant; quod si intra dictorum dierum numerum non fecerint, camerarius S. R. E., qui tunc erit, duos viros deputet, qui intra alios viginti dies huiusmodi syndicatum peragant. Lapsis autem dictis terminis, pro absoluto habeatur.

[1] *Causam prorogandum visum fuerit; sed prorogatio alium annum omnino* etc. Ita cum Cherub. legimus (R. T.).

Commentariensis, capitanei ac executoris officia non vendantur nec locentur.

§ 5. Commentariensis et capitanei necnon executoris eiusdem curiae munia per idoneos et fidos ministros gerantur, et neque vendantur neque locentur ullo modo, neque quicquam pro illis habendis aut exercendis, quovis nomine et praetextu, solvatur sive respondeatur; qui aliquid solverint sive responderint, officio privati sint et publice fustigentur.

Notarii sint duo tantum.

§ 6. Notariorum officia ibi duo tantummodo habeantur, duoque soli notarii sint, neque hic numerus aliquo praetextu augeri umquam possit.

Iudex non cognoscat causas pro quibus statuta est poena corporalis,

§ 7. Ceterum de causis criminum capitalium, item de illis criminibus, pro quibus poena corporis afflictiva vel iure vel statutis vel bannimentis a maioribus magistratibus promulgatis est imposita, neque marescallus neque iudex ab eo deputatus cognoscant.

Neque alias, si alibi sit praeventum;

§ 8. Sed de aliis minoribus delictis, nisi iam in alio tribunali iudicium de illis finitum aut prius coeptum fuerit, cognoscere possit.

Significationesque non concedat.

§ 9. Numquam tamen salvum conductum aut significationem, ut vocant, vel in levissimis delictis et praetextu cuiusvis dependentiae, concedant, nisi forte reus data fideiussione relaxatus esset; aliter concessum vel concessam ceteri iudices non servent.

Fiscus citetur in causis criminalibus eiusdem curiae.

§ 10. In quacumque autem causa criminali, quae in hac curia coepta fuerit, citetur procurator fisci in omnibus illis terminis et actis, in quibus solet in aliis curiis Urbis citari.

Poenarum solutiones adnotentur.

§ 11. Praeterea in quacumque causa ibi coepta proferatur omnino sententia, sive absolvendo sive condemnando. Et si quae solutiones poenarum in eadem curia recipientur, scribantur in libro ad hoc ordinato, singulisque solutionibus subscribat ipsemet reus, vel si is nesciverit, ipsius procurator vel alius in causa defensor.

Appell. detur,

§ 12. In civilibus vero causis, a grava-

In causis civilibus, ad A. C. minibus in dicta curia illatis appelletur ad auditorem.

Tributum non exigatur ab inhonestis mulieribus. § 13. Postremo exactiones illas, quae a mulieribus inhonestis singulis annis singulisque sex mensibus aut alias, sub nomine tributi, fieri solebant, omnino prohibemus, proposita marescallo illas attentanti poena privationis officii ipso facto incurrenda.

Clausulae derogatoriae. § 14. Non obstantibus dictae curiae, etiam longissimi et immemorabilis temporis, observantia; ac confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus et stylo; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illi vel pro tempore existenti marescallo ex quavis causa concessis, et etiam saepius confirmatis; quibus omnibus, illorum tenores hic pro integre expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, sexto kal. februarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 ian. 1575, pontif. anno III.

XLII.

Prohibitio appellandi per religiosos Ordinis S. Francisci de Observantia a praelatis eiusdem Ordinis ad tribunalia saecularia, vel mutandi ordinationes ministri generalis; permissioque habendi recursum ad ipsum ministrum vel protectorem aut Romanum Pontificem [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Quoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, ut ea, quae ausu temerario ab ecclesiasticis, praesertim regularibus, personis plerumque attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compescamus et removeamus.

Causa huius prohibitionis. § 1. Idcirco cum, referente dilecto filio fratre Christophoro de Capite Fontium, fratrum Minorum de Observantia Ordinis S. Francisci generali ministro, non sine animi nostri molestia, nuper intellexerimus nonnunquam quosdam religiosos et religiosas Ordinis sui huiusmodi, Dei timore postposito et suae professionis immemores, ut in eorum malefactis et inobedientia se diutius confoveant, ab iis, quae per praelatos eiusdem Ordinis, etiam guardianos sive provinciales vel commissarios ab ipso generali ministro pro tempore deputatos, acta sunt et decreta, ad tribunalia saecularia appellare, et ad ea temere confugere.

Appellandi a praelatis huius Ordinis ad saecularia tribunalia prohibitio. § 2. Auctoritate apostolica, tenore praesentium, praecipimus et inhibemus, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua non nisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, necnon privationis perpetuae officiorum per eos obtentorum, et inhabilitatis ad illa et alia quaecumque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis, tam activae quam passivae, eo ipso incurrendis poenis, ne quis provincialis aut alius, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis, Ordinis huiusmodi religiosus aut religiosa ad ipsa tribunalia saecularia, quovis praetextu aut quaesito colore, ut praefertur, appellare, vel illa propterea quoquomodo adire audeant vel praesumant, sed si se a praelatis suis gravari praetendant, ad generalem ministrum ipsius Ordinis seu illius protectorem aut vice-protectorem in Romana Curia, vel ad nos sive Romanum Pontificem successorem nostrum, supremum in Ecclesia Dei iudicem, sicut antiquitus semper consuetum fuit, recursum

1 Alia de hoc Ordine attende in Leonis X const. XXVII, *Ite*, tom. V, pag. 692.

habeant, unde illis brevi manu iustitia ministrabitur.

Contravenientium eorumque fautorum poenae.

§ 3. Declarantes nihilominus non modo eosdem religiosos et religiosas contrafacientes in dictas poenas incidere, verum etiam eorum quomodolibet directe vel indirecte fautores et consultores illas quoque incurrere.

Et resistentium commissariis missis provincias visitandis.

§ 4. Praeterea sub poenis praedictis prohibemus ne quis provincialis aut guardianus vel cuiuscumque alterius gradus religiosus aut religiosa eiusdem Ordinis, ab ipso ministro generali missis pro visitandis provinciis commissariis resistere, nec eis se opponere aut contradicere seu se rebellem exhibere, ipsos quacumque de causa vel quaesito colore non recipiendo, audeat neque debeat.

Facultas ministri generalis mittendi commissarios.

§ 5. Volentes eumdem ministrum generalem, quotiescumque sibi expedire videbitur, quos voluerit commissarios ad quascumque sui Ordinis utriusque familiae provincias, quibusvis consuetudinibus ac statutis per quaslibet personas in contrarium factis non obstantibus, libere mittere posse.

Ministri provinciales non mutent ordinata ab ipsis commissariis.

§ 6. Insuper, quia, ut etiam accepimus, aliquando nonnulli ministri ex visitatis provinciis per commissarios ad hoc ab ipso generali ministro deputatos, quae a dictis commissariis recte et salubriter ordinata et gesta fuerunt rescindere, mutare aut contemnere solent, sub omnibus et singulis poenis supradictis expresse prohibemus ne quisquam ab eisdem commissariis facta et ordinata mutare, alterare aut pervertere sine expressa licentia et permissione ipsius ministri generalis, qui solus ea mutare valeat, ullo modo praesumant. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis et firmatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, *etc.*, die octava aprilis MDLXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 aprilis 1575, pontif. anno III.

XLIII.

Declarat concessiones, gratias, privilegia etc. concessa et concedenda, tam in genere quam in specie, militiis de Spatha, de Calatrava et Alcantara, in Castellae et Legionis regnis, ad militias de Spatha et de Avis Portugalliae extendi, inhaerendo vestigiis Nicolai V et Iulii II ac Pauli III, praedecessorum, cum deputatione iudicum etc. [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ex Apostolicae Sedis, in qua, meritis licet insufficientibus, divina disponente clementia, constituti sumus, benignitate procedit ut super eis, quae personis sub regulari habitu contra Christi nominis aemulos, pro ortodoxae fidei ampliatione et conservatione, continue militantibus per eiusdem Sedis clementiam circumspectam pro tempore concessa reperiuntur, an ad alias eiusdem professionis extendantur personas, ambiguitatis scrupulos pro tempore exercentes [2] declarationis nostrae ministerio delucidemus, ac in his Prooemium.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium. 2 Forsan *exorientes* (R. T.).

officii nostri partes favorabiliter impartiamur.

Militiae regulares in Portugallia.

§ 1. Sane charissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugalliae et Algarbiorum rex illustris, qui militiarum Sancti Iacobi de Spatha, Sancti Augustini de Avis Cisterciensium Ordinum regni Portugalliæ magnus magister seu perpetuus administrator per Sedem Apostolicam deputatus existit, tam suo quam dilectorum filiorum magistrorum conventus, priorum, commendatorum, praeceptorum, fratrum, militum et aliorum religiosorum ac personarum militiarum praedictarum nominibus, nobis nuper exponi fecit quod, licet ex diversis Romanorum Pontificum, et praesertim felicis recordationis Nicolai V et Iulii II et Pauli III, praedecessorum nostrorum, privilegiis et concessionibus praedictae militiae, in eodem regno adversus Mauros aliosque fidei catholicae hostes antiquitus per Sedem praedictam sulubriter institutae, illarumque tunc et pro temp. existentes magistri, conventus, priores et commendatores, praeceptores, fratres seu administratores et milites eorumque singuli, necnon personae et loca, domus et ecclesiae militiarum earumdem, perpetuis futuris temporibus omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, concessionibus, indultis, libertatibus, conservatoriis, indulgentiis, exemptionibus, honoribus, litteris apostolicis et aliis gratiis magistris seu administratoribus, conventibus, prioribus, commendatoribus, praeceptoribus, fratribus et militibus eiusdem Sancti Iacobi et de Alcantara militiarum in Castellæ et Legionis regnis institutarum, et quovis modo ab ipsis Romanis Pontificibus et Sede praedicta concessis et in posterum concedendis, et quibus illi utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere possent quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere, ac si eis, in quem concessae fuissent; et loco iudicum in litteris apostolicis regnorum Castellae et Legionis militiis huiusmodi pro tempore concessis deputatorum, alios iudices, in dignitate tamen ecclesiastica similiter constitutos, in dicto regno Portugalliae, qui eamdem potestatem haberent quam iudices in eisdem litteris deputati habebant seu habere possent quomodolibet in futurum, deputare liberè et licite possent et valerent.

Causa constitutionis edendae.

§ 2. Nihilominus a nimium forsan scrupulosis locorum ordinariis eiusdem regni Portugalliae certis praetensionibus dubitari contingit eædem litterae, per piae memoriae Pium Papam quintum, etiam praedecessorem nostrum, sub datum quinto idus ianuarii, pontificatus sui anno primo, procurante charissimo in Christo filio Philippo rege catholico, qui militiarum in Castellae et Legionis regnis institutarum huiusmodi perpetuus administrator per eamdem Sedem deputatus existit, concessae, privilegiorum, indultorum, conservatoriarum et aliarum gratiarum ipsis militiis regnorum Castellae et Legionis concessorum praedictorum praeservatione et innovatione, militiis regni Portugalliae et Sebastiano regi et pro tempore existentibus magnis magistris, conventibus, prioribus, commendatoribus, praeceptoribus, fratribus, militibus, personis, ecclesiis, domibus, locis, bonis, possessionibus, iuribus et iurisdictionibus militiarum regni Portugalliae huiusmodi suffragari, et illis gaudere possint vel debeant: et exinde effectus litterarum Pii praedecessoris huiusmodi, quoad regni Portugalliae militias illarumque singulas personas praedictas, frequenter impeditur et retardatur; militiaeque regni Portugalliae et illarum personae huiusmodi saepenumero gravamina, iniurias et incommoda substinent, in earum detrimentum, ac privilegiorum, indultorum et facultatum sibi concessorum praedictorum laeisonem.

Militia S. Iacobi de Spatha eadem est in regnis Hispaniarum et Lusitaniae.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, magistri, conventus, priores, commendatores, praeceptores, fratres, milites et aliae personae eiusdem Sancti Iacobi de Spatha, sive in Legionis, Castellae et Aragonum, sive in Portugalliae seu Algarbiorum regnis constituti sint, eiusdem professionis existant, et sub eisdem regularibus institutis militent, neque alia inter eos differentia, quam quod in diversis regnis consistunt, fore dignoscatur; ac praemissa in favorem ipsius militiae de Spatha et de Avis, in quem concessa appareat; et neutiquam conveniens videatur ut militiae praedictae, etiam si in diversis regnis institutae, diverso iure fulciri aut inniti debeant, praesertim quod fere semper in omnibus et per omnia per alios Romanos Pontifices praedictos aequiparata fuerint; ac propterea idem Sebastianus rex nominibus praedictis nobis humiliter supplicari fecit quatenus ambiguitatis praedictae scrupulos, antequam altius irrepant ac iurgiorum et litigiorum materiam parturiant, declarationis nostrae ministerio submovere, et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Omnia privilegia militiis regularibus in regnis Hispaniarum concessa ad easdem militias in regno Lusitaniae extendit;

§ 4. Nos igitur qui, praeter commune debitum, quo ex apostolatus officio ceteris fidelibus debitores existimus, militias regni Portugalliae illarumque personas huiusmodi eo specialius paterna dilectione complectimur, quae, pro tuitione praedictae fidei eiusque propagatione atque praesidio, contra immanissimos christiani nominis hostes, Mauros scilicet et alias barbaras nationes, cum proprii effusione cruoris et vitae periculo, continue decertare facti evidentia cognoscimus; eumdemque Sebastianum regem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolib. innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eorumdem Nicolai, Iulii et Pauli, praedecessorum praedictorum, vestigiis inhaerentes, omnemque dubitationem in praemissis removere volentes, necnon omnium et singul. privilegiorum, concessionum, indultorum, conservatoriarum et aliarum gratiarum, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praedictam eisdem militiis, tam in Legionis et Castellae quam Portugalliae regnis praedictis institutis, illarumque magnis magistris seu administratoribus, conventibus, prioribus, commendatoribus, praeceptoribus, fratribus, militibus et personis praedictis, ac desuper confectarum et dictarum Pii praedecessoris litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, praerogativas, immunitates, exemptiones, libertates, facultates, indulgentias, conservatorias, indulta et alias gratias militiis Castellae et Legionis regnorum huiusmodi, ac praedicto Philippo regi et pro tempore existentibus administratoribus, conventibus, prioribus, commendatoribus, praeceptoribus, fratribus, militibus et aliis personis ecclesiasticis, domibus, locis, bonis, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus militiarum in Castellae et Legionis regnis institutarum huiusmodi, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem eamdem hactenus quomodolibet, tam in genere quam in specie, concessa et in posterum concedenda, eisdem modo et forma, quibus concessa sunt et in posterum concedentur, ad militias regni Portugalliae ac Sebastianum regem et pro tempore existentes magnos magistros seu administrator., conventus, priores, commendatores, praecepto-

res, fratres, milites, personas ecclesiasticas, domos, loca, bona, possessiones, iura, iurisdictiones militiarum in regno Portugalliae institutarum huiusmodi extendi, et illa eis in omnibus et per omnia, et pariter, pariformiter et aeque principaliter, absque ulla prorsus differentia, ac si militiis regni Portugalliae et Sebastiano regi ac pro tempore existentibus magnis magistris seu administratoribus, conventibus, prioribus, commendatoribus, praeceptoribus, fratribus, militibus, personis ecclesiasticis, domibus, locis, bonis, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus militiarum regni Portugalliae huiusmodi specifice et expresse concessa fuissent et concederentur, perpetuo suffragari, ac illis uti, potiri; necnon, loco iudicum in privilegiis et aliis litteris apostolicis regnorum Castellae et Legionis militiis huiusmodi pro tempore concessis deputatorum, dilectos filios cappellanum maiorem praedicti regis et successorum regum Portugalliae, archidiaconos Polevenza, Bracharensis et Elborensis ecclesiarum nunc et pro tempore existentes in dicto regno Portugalliae, qui eamdem potestatem habeant quam iudices in eiusd. litteris et privilegiis deputati habent seu habere poterunt quomodolibet in futurum, deputatos esse; nec desuper per praedictos ordinarios seu alios, cuiuscumque gradus, status, conditionis, ordinis, præeminentiae et qualitatis existentes etiam cardinalatus honore fulgentes, molestari, perturbari aut inquietari posse; ipsasque militias regni Portugalliae, illarumque singulares personas in eodem et statu, in quo militiae regnorum Castellae et Legionis illarumque personae huiusmodi quomodolibet existunt et pro tempore reperientur, etiam perpetuo conservari debere; et ita intentionis praedictae praedecessorum fuisse et etiam nostrae esse et perpetuo fore, apostolica auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

§ 5. Et nihilominus, pro potiori cautela, eadem omnia et singula privilegia, praerogativas, exemptiones, facultates, indulgentias, conservatorias, indulta et alias gratias eisdem modo et forma, quibus militiis Castellae et Legionis regnorum earumque superioribus et personis huiusmodi, ut praefertur, concessa sunt et in posterum concedentur, ad militias regni Portugalliae illarumque superiores et personas huiusmodi similiter perpetuo extendimus, illaque eis, auctoritate et tenore praedictis, modo tamen et forma in litteris Pii V praedecessoris huiusmodi contentis, concedimus et indulgemus. *Eadem omnia privilegia pro potiori cautela de novo concedit.*

§ 6. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari posse, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, comprehendi; sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis ac cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; ac ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. *Clausulae.*

§ 7. Quocirca venerabili fratri episcopo Amerino et dilectis filiis cappellano maiori praedicti Sebastiani regis moderno et pro tempore existenti et archidiacono Elborensi per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte praedicti regis moderni et pro tempore existentium magni magistri seu ad- *Deputatio executorum.*

ministratoris, conventuum, priorum, commendatorum, praeceptorum, fratrum, militum, personarum, ecclesiarum, domorum, locorum, bonorum, possessionum, iurium, iurisdictionum militiae regni Portugalliae huiusmodi seu alicuius eorum desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra litteras huiusmodi et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac singulos, quos eædem litteræ concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac militiarum prædictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; necnon quibusvis declarationibus, inhibitionibus et decretis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expresso habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 9. Volumus autem quod privilegiorum, indultorum et aliarum gratiarum praedictarum ac etiam praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MDLXXV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 8 iunii 1575, pontif. anno IV.

XLIV.

Revocatio licentiarum et indultorum quibuscumque mulieribus concessorum ingrediendi monasteria cuiuscumque Ordinis regularium; prohibitioque utendi eiusmodi licentiis pro casibus necessariis concedendis, praeterquam ipsis necessitatibus urgentibus; et declaratio quod praelati monialium, in casibus necessariis, et paucis comitati religiosis, ingredi possint.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ubi gratiae et indulta ab hac Sede concessa successu temporis incommodum afferre noscuntur, expedit illa salubri praesidentis consilio submoveri.

Revocatio licentiarum ingrediendi monasteria monialium et virorum Ordinis cuiuscumque.

§ 1. Proinde sanctimonialium quieti et tranquillitati consulere, ac omnia, quae illas a spiritualium rerum cogitatione et exercitio avocant, impedimenta tollere, periculaque et scandala ab eis removere cupientes, auctoritate praesentium, revocamus et abolemus omnes et quascumque licentias ac facultates ingrediendi monasteria, domus et loca monialium, ac etiam virorum quorumvis Ordinum, quibusvis, etiam comitissis, marchionissis,

ducissis et aliis, cuiuscumque status et conditionis mulieribus, ac etiam omnes et quascumque licentias ingrediendi monasteria, domos et loca ipsarum sanctimonialium quibuscumque viris, etiam eiusdem status et dignitatis, tam a praedecessoribus nostris, quam etiam a nobis et Sedis Apostolicae legatis aut aliis ex quibusvis quantumcumque urgentibus causis, sub quibuscumque tenoribus, et etiam derogatoriarum derogatoriis, revocatorum restitutoriis aliisque efficacioribus clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, atque ad imperatoris, regum, reginarum aliorumve principum contemplationem vel supplicationem concessas, confirmatas et etiam iteratis vicibus renovatas. Cassamusque et annullamus litteras desuper confectas et processus habitos per easdem.

Prohibitio et poenae monasteria ingredientium vigore licentiarum.

§ 2. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, super qua a nemine nisi a Romano Pontifice (praeterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impetrari[1], ne, ipsarum licentiarum praetextu, monasteria huiusmodi quovis modo ingredi audeant.

Poenae religiosorum eos admittentium.

§ 3. Abbatissis vero necnon abbatibus, conventibus ac aliis monasteriorum utriusque sexus superioribus et personis, quocumque nomine vocentur, districte praecipimus, sub eadem excommunicationis poena necnon privationis dignitatum, beneficiorum et officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ne in monasteria, domos et loca sua, quemquam, praetextu huiusmodi licentiarum et facultatum, ingredi faciant vel permittant.

Prohibitio utendi licentiis in casibus necessariis concedendis, nisi ipsae necessitates urgeat.

§ 4. Quin etiam, sub eisdem poenis ipso facto incurrendis, prohibemus atque interdicimus omnibus et quibuscumque personis ecclesiasticis et saecularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque, etiam Mendicantium, regularibus, ne, praetextu licentiarum ab episcopis vel superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto concilii Tridentini tribuitur, ne monasteria ipsa monialium pro libito, sed necessitatibus urgentibus dumtaxat[1], praesumant.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; monasteriorumque et Ordinum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis eorumque superioribus praedictis, ac aliis quibuscumque per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, concessis et confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis; quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Quoniam autem difficile esset praesentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem fidem in iudicio et extra illud ubique locorum adhiberi, quae adhiberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, idibus iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 13 iunii 1575, pontif. anno IV.

1 Cherub. et Matth., *impertiri* (R. T.).

1 *Ingredi, neve moniales, sub eisdem poenis, illos aliter admittere praesumant.* Ita laudati (R. T.).

Sequitur declaratio dictae constitutionis quoad praelatos monialium.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Causa constitutionis.

Dubiis, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo quod optima primum ratione concilium sanxit Tridentinum, deinde in constitutione felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, nonis iulii, pontificatus sui anno tertio, atque item nostra idibus iunii, pontificatus nostri anno quarto editis, fuit provisum ne cui in posterum, nisi in casibus necessariis septa monasteriorum monialium ingrediendi concederetur licentia; a nonnulis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quae alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito suae voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius servare debeant ipsi quoque regulam a concilio praescriptam.

Declaratio quod praelati monasteriorum monialium in casibus tantummodo necessariis ea ingredi possint.

§ 1. Nos, omnem haesitationis materiam tollere, et viam scandalis praecidere, ac sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore, auctoritate apostolica, declaramus praelatos omnes tam saeculares quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria praedicta ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, et a paucis, iisque senioribus ac religiosis personis, comitati. Quocirca universos et singulos episcopali seu maiori ac etiam cardinalatus dignitate praeditos, necnon quorumvis Ordinum abbates, priores, ministros et alios quoscumque superiores regulares harum serie monemus ut facultate huiusmodi, qui eam habent, praeterquam in casibus, ut praefertur, necessariis, neutiquam utantur.

Contravenientium poenae.

§ 2. Quod si contrafecerint, eadem auctoritate apostolica statuimus atque decernimus, qui pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu ecclesiae interdictos; pro secunda, a munere pontificali et a divinis suspensos; ac deinceps ipso facto absque alia declaratione, excommunicatos existere; regulares vero omni officio ac ministerio privatos excommunicationi similiter subiacere.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in generalibus et provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis ecclesiis earumve praelatis aut Ordinibus, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus decretis, quovis modo concessis, approbatis et innovatis, etiam si illis caveretur expresse quod nemo interdici, suspendi vel excommunicari posset per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, quibus eorumque totis tenoribus, per inde ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Quoniam vero difficile esset *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDLXXXI, pontificatus nostri anno X.

XLV.

Ecclesiam Sancti Nicolai de Praefectis de Urbe de novo in parochialem praeficit [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissa nos ad-

1 Ex Bullar. Ord. Praedic., tom. VIII, pag. 334.

monet et inducit ut circa statum ecclesiarum quarumlibet prospere dirigendum sollicite intendentes, quae per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ex causis tunc apparentibus, interdum concessa sunt, si ecclesiis ipsis et illarum personis incommodo sint non mediocri, ac cultus divini salutisque animarum iacturam inducant, in ea parte revocemus, et ad pristinum et debitum statum reducamus, aliasque desuper disponamus, prout personarum, rerum et locorum conditionibus pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Facti series et sinopsis constitutionis S. Pii V.

§ 1. Dudum siquidem ecclesia tunc parochialis Sancti Nicolai de Praefectis nuncupata, regionis Campi Martii de Urbe per resignationem dilecti filii Brancadori Tornaboni de Petriculo, olim ipsius rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus felicis recordationis Pii Papae quinti, praedecessoris nostri, ad effectum sibi de canonicatus et praebenda ecclesiae S. Laurentii in Damaso, etiam de Urbe, quos dilectus filius Robertus Fontana, olim ipsius ecclesiae Sancti Laurentii canonicus, tunc obtinebat, pro ipsa ecclesia S. Nicolai provideretur, nec aliter, sponte et alias libere factam, et per eumdem praedecessorem admissam vacantem, idem praedecessor, ex certis tunc expressis causis, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, curam omnimodam parochianorum iusque et exercitium parochiale universum a dicta ecclesia per suas litteras perpetuo abdicavit, illaque ac dilectos filios universos et singulos eiusdem ecclesiae S. Nicolai tunc parochianos utriusque sexus ad ecclesiam S. Laurentii in Lucina similiter de Urbe, quae etiam tunc parochialis existebat, parum inde remotam et alioquin capacem, transtulit, et in parochianos adscripsit, ac iussit illos ad eam tranisre ac per dilectos filios illius archipresbyterum, rectorem et ceteros ad quos id spectaret eos in suos recipere, ita ut deinceps illi aeque ac ceteri dictae ecclesiae S. Laurentii in Lucina parochiani haberentur, et in eos omnia iura et officia parochialia exercere deberent; ecclesiam vero Sancti Nicolai huiusmodi, etiamsi sub titulo presbyteri cardinalis eiusdem ecclesiae Sancti Laurentii in Lucina existeret, et ab eo vel alio et quocumque loco dependeret, nomine, titulo et denominatione rectoris et ecclesiae parochialis in ea perpetuo suppressis et extinctis; ipsaque ecclesia S. Nicolai, omni prorsus cura, titulo et dependentia vacua et expedita remanente, cum illi forsan annexis, ac omnibus et singulis aedibus, bonis, proprietatibus, possessionibus, censibus, iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis suis domui Sanctæ Sabinae pariter de Urbe, Ordinis fratrum Praedicatorum de Observantia nuncupatorum provinciae Lombardiae, ac dilectis filiis illius priori et fratribus per eos pro domo sui Ordinis habendam, regendam et possidendam, ac iuxta ipsius Ordinis ritus et mores reformandam et administrandam perpetuo donavit, concessit et assignavit, ac etiam ipsi domui perpetuo appropriavit, ita quod liceret eisdem priori et fratribus, per se vel alium seu alios, corporalem possessionem ecclesiae Sancti Nicolai et annexorum necnon proprietatum, possessionum et aliorum praedictorum, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, ac eidem ecclesiae S. Nicolai in divinis deservire, illiusque ac dictorum annexorum fructus, redditus et proventus in eius et dictae domus commodum ac utilitatem convertere, dilecti filii [1], tunc sui, Iudicii tituli eiusdem ecclesiae S. Laurentii in Lucina aut alterius presbyteri cardinalis vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, inhibitione sub censuris et poenis contra quoscumque praemissorum executionem

1 Deest forte *nostri* (R. T.).

quovis quaesito colore impedientes et molestantes, ac irritanti aliisque diversis decretis desuper adiectis, prout in ipsis litteris plenius continetur.

Causa constitutionis edendae.

§ 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum olim parochianor. eiusdem ecclesiae S. Nicolai petitio continebat, praefata ecclesia S. Laurentii in Lucina adeo suae parochiae, praesertim post translationem huiusmodi, limites extenderit, ac tot parochianorum cura illi immineat animarum, ut illius archipresbyter et ministri curae huiusmodi exercitio ea, qua vellent ac deceret, diligentia incumbere non valeant, si ipsa ecclesia S. Nicolai, prout ante translationem huiusmodi habebat, proprium deinceps haberet rectorem, qui populum suae curae commissum diligenter custodiret, ex hoc profecto cura huiusmodi commodius et diligentius exerceretur, necnon alia parochialia tam Sancti Laurentii in Lucina quam S. Nicolai ecclesiis huiusmodi incumbentia onera facilius supportarentur. Quare pro parte eorumdem olim parochianorum dictae ecclesiae S. Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum quatenus ipsos eidem ecclesiae Sancti Nicolai adversus litteras praedictas restituere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Derogatio constitutionis S. Pii V et restitutio iuris paroch. ecclesiae S. Nicolai de Praefectis.

§ 3. Nos igitur, qui circa animarum curam prospere et fructuose exercendam eo impensius officii nostri partes interponimus, quanto illa ceteras omnes superat et excellit, eosdem olim parochianos dictae ecclesiae Sancti Nicolai et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, abdicationem curae parochianorum et translationem universi iuris et exercitii parochialis ac suppressionem extinctionemque nominis rectoris ac denominationis et effectus parochialis, nec non, quoad hoc tantum, litteras huiusmodi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus viribusque omnino evacuamus, ac pro nullis et infectis viribusque vacuis haberi et censeri; cetera vero in suo robore remanere volumus; necnon ecclesiam Sancti Nicolai et illius rectorem pro tempore existentem et, qui antea fuerunt, parochianos huiusmodi, adversus abdicationem, translationem, suppressionem et extinctionem ac litteras prædictas, in pristinum et eum, in quo, antequam illae emanarent, quomodolibet erant, statum, auctoritate et tenore praedictis, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus in omnibus et per omnia, perinde ac si abdicatio, translatio, suppressio et extinctio praedictae numquam factae extitissent.

Iurium parochialium omn. in pristinum restitutio.

§ 4. Decernentes ecclesiam Sancti Nicolai praedictam de cetero, ut prius ante abdicationem, translationem, suppressionem et extinctionem huiusmodi existebat, parochialem ecclesiam et, qui antea fuerunt, illius parochianos pariter existere, nec illi propter praemissa aliquid detractum seu in aliquo quomodolibet derogatum, aut dictae ecclesiae Sancti Laurentii in Lucina aliquid propterea acquisitum censeri posse aut debere; ac ecclesiam Sancti Nicolai praedictam eiusque parochianos, qui ante abdicationem, translationem, suppressionem, extinctionem prædictas erant, regi et gubernari; eisdemque parochianis sacramenta omnia, quae ad rectorem, qui antea erat, de iure vel consuetudine spectabant, per unum ex fratribus

dictae domus Sanctae Sabinae ad hoc idoneum, per praefatum priorem pro tempore deputandum, et a dilecto filio nostro in alma Urbe et illius districtu vicario generali approbandum, administrari.

Clausulae. § 5. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Rom. Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus praemissis et nostra de non tollendo iure quaesito, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon ecclesiae Sancti Laurentii in Lucina et domus ac Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam Iudice et aliis aliarum ecclesiarum, sub quibus forsan dicta ecclesia Sancti Nicolai consistit, presbyteris cardinalibus, quam priori et fratribus ac Ordini praedictis, illorumque superioribus et personis ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantib. et aliis decretis, in genere vel in specie, tam per praefatum Pium quam alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos, etiam motu, scientia et potestate similibus, etiam consistorialiter, de fratrum nostrorum consilio, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Conclusiones. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, revocationis, irritationis, annullationis, evacuationis, voluntatis, restitutionis, repositionis, reintegrationis decretorum et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, nono kalendas iulii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 23 iunii 1575, pontif. anno IV.

XLVI.

Ordinationes a collegio physicorum necnon a collegio aromatariorum Urbis observandae, eorumque in prima, et auditoris Curiae causarum Camerae Apostolicae in secunda instantia iurisdictiones.

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Cum officio pastorali incumbat gregem sibi commissum, secundum iuris tramites ac etiam iuxta facti exigentiam, vigili cura gubernare, ac abusus et pravas corruptelas introductas, litesque et controversias, ex quibus maxime resultant dispendia partium et totius populi damnum maximaque iactura, non sine vitae periculo, pro viribus tollere; acceperimus autem inter collegium medicorum almae Urbis nostræ et collegium aromatariorum,

circa modum visitationis apothecarum, iurisdictione, poenarum applicatione ac rebus aliis diu controversum fuisse, et quotidie hinc inde querelae ad aures nostras deferantur.

Prima difficultas effectum non sortita,

§ 1. Ac volentes has controversias et differentias omnino et in perpetuum extinguere, vivae vocis oraculo, dilecto filio nostro Francisco tituli S. Mariae in Porticu Alciato, ac bonae memoriae Ioanni Paulo tituli Sancti Pancratii presbyteris cardinalibus ab Ecclesia nuncupatis, ut tam collegium medicorum, quam collegium aromatariorum, ac separatim et in contradictorio, audirent, iura ipsa viderent, nobisque referrent; et cum pluries hoc fecissent, et deinde, re imperfecta, ab eadem Urbe dictum Ioannem Paulum cardinalem recedere contigisset, in locum illius similis memoriae Iulium S. Theodori diaconum cardinalem de Aquaviva nuncupatum deputavimus, qui simul cum praedicto Francisco cardinali differentias praedictas et iura medicorum et aromatariorum audiverunt et cognoverunt, nobisque retulerunt, et, relatione facta, quaedam capitula ab ipsis concepta motu proprio confirmavimus et observari mandavimus, prout in schedula dicti motus proprii, manu nostra signata, sub Datum videlicet Romae apud Sanctum Petrum, kalendis decembris, pontificatus nostri anno II, apparet.

Postrema difficultas, nunc firmata,

§ 2. Cumque deinde pro parte collegii medicorum praedictorum iterum fuerit supplicatum super novis rationibus et iuribus audiri, nos, ut omnis materia et occasio conquerendi et reclamandi in perpetuum tolleretur, commisimus eidem Francisco et Iulio cardinalibus ut medicorum et aromatariorum collegia iterum audirent; et cum differentiae iam fere sopitae essent, ab humanis, sicut Altissimo placuit, dictus Iulius cardinalis decessit; unde nos, cupientes has differentias quanto citius terminari, commisimus dicto Francisco cardinali informato, ut iterum (si opus esset) audiret collegium medicorum et deinde nobis referret; qui Franciscus cardinalis, iterum de novo medicorum et aromatariorum collegiis huiusmodi auditis, nobis retulit medicos et aromatarios huiusmodi ad infrascripta capitula convenisse et concordasse, videlicet.

Super aromatariorum punitione, si aromatariae non approbati exerceant;

§ 3. Quod nemini liceat artem aromatariam, magistri institoris sive apothecae praepositi aut quovis alio nomine ac titulo, exercere, nisi antea a protomedico eiusque consiliariis et ab aromatariorum consulibus examinatus probatusque fuerit; qui secus fecerit, vigintiquinque ducatorum poena mulctetur; eaque de re soli protomedicus et consiliarii eius in suo solo tribunali, vocatis etiam aromatariorum consulibus, inquirant, procedant, cognoscant, decidant, puniant; sed in singulis actibus cum dictorum consulum aromatariorum consilio; quod si a protomedico et consiliariis non probabitur, tunc recta via ad pro tempore existentem causarum Curiae Camerae Apostolicae generalem auditorem, pro eius decisione, eatur, et deciso eo articulo in quo protomedicus et consiliarii non probabunt consilium consulum aromatariorum, revertatur in reliquis cognitio et decisio ad ipsos solos protomedicum et consiliarios, qui in aliis sequentibus actibus idem observare teneantur.

Patentium expeditione;

§ 4. Patentes autem approbationis iuxta stylum et solitum fient.

Aromatariorum coercitione, quando ex simplicibus composita medicamenta conficiunt, non servata forma hic tradita;

§ 5. Nullus aromatarius ex simplicibus composita medicamenta conficiat, eadem vigintiquinque ducatorum poena proposita, nisi prius simplicia huiusmodi inspecta et probata sint a protomedico et consiliariis, aut certe ab aliis idoneis personis protomedici iussu, praesente etiam uno aliquo ex collegii medicis, qui semper interesse debeat, donec omnis inspectio absolvatur. Qui contrafecerit, in eum pro-

tomedicus et consiliarii inquirant et animadvertant de consilio consulum aromatariorum, servata forma et modo expresso in proximo praecedenti capitulo, et non alias, aliter nec alio modo. Quod si protomedicus et consiliarii simplicia inspicere, aut alios ad hanc inspectionem, ut supra, deligere rogati, praetermittent, mulctentur arbitrio collegii medicorum; quod si iterum, lapso triduo, rogati negligant, liceat aromatariis solis sua composita facere.

Visitatione aromatariarum;

§ 6. Protomedicus semel, iterum ac saepius in eodem anno, et deinde quoties id expedire iudicaverit, per se aut per alios a se eligendos, ut supra dictum est, una cum consulibus aromatariorum, omnia simplicia et composita medicamenta inspiciet, eaque ostendere aromatarii sine recusatione debeant, ut quae proba et idonea videbuntur probari possint; quae vero tamquam mala et vitiosa reiiciantur, ea in capitulo legitimo die, quo ius dicetur, publice comburantur, iique apud quos inventa fuerint, luant poenas contentas in motu proprio felicis recordationis Pauli IV, praedecessoris nostri, cui nolumus in hac parte derogare. Qui non obtemperaverit, a protomedico et consiliariis, de consilio consulum aromatariorum, servata semper forma, de qua in primo capitulo, et non alias, ut supra, eadem poena coerceatur, ut multis incommodis et periculis, quae facile oriri possint, occurratur.

Venditione medicamentorum

§ 7. Nulli aromatario liceat rem medicinalem in medicamentum redactam, elective evacuantem, neque scamoneatam aut valde opiatam vendere, donare aut ullo modo cuiquam viro vel mulieri capiendam dare, nisi id ei verbo aut scripto imperarit medicus physicus, qui ex alicuius probati collegii auctoritate doctor aut licentiatus aut denique is sit, cui in Urbe medicinam exercere sit permissum. Qui deliquerit, a protomedico et consiliariis eius eadem poena puniatur.

Rerumque venenatarum;

§ 8. Nemini venena aut res venenatas dent, nisi eis constet, ad quem usum expetantur. Qui contrafecerit, eadem vigintiquinque ducatorum poena, protomedici et consiliariorum sententia, mulctetur.

Libro receptarum;

§ 9. Librum habeat, in quo diligenter medicinas omnes a medicis imperatas, quas vulgo *receptas* vocant, nec usquam alibi describat. Qui secus fecerit, a protomedico et consiliariis quinque ducatorum poena plectatur.

Rebus retinendis

§ 10. Res omnes, quae usu quotidiano et more ad medicinam pertinent, aromatarii in suis apothecis habeant atque asservent; quaenam vero res illae sint, protomedicus et collegium medicorum et et consules aromatariorum declarabunt, easque in indice notatas et descriptas singulis aromatariis dabunt. Teneantur autem aromatarii infra mensem a die declarationis huiusmodi, sive intra aliud certum tempus, protomedici et consiliariorum suorum arbitrio praefiniendum, res illas sibi, sive parce sive copiose, pro cuiusque facultate, emere. Qui neglexerint, decem ducatorum poenam subeant, deque eo protomedicus et consiliarii de consilio consulum aromatariorum, et servata forma, de qua in primo capitulo, et non alias, ut supra, cognoscant et puniant, citent, inquirant, procedant, seu cognosci, puniri, citari, inquiri et procedi ac alia faciant, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna.

Vendendisque;

§ 11. Ne cui det aromatarius rem medicinalem a medico praescriptam, nisi ad pondus, quod quidem in pagella, quam *receptam* dicunt, diserte expressum sit, rem ipsam appendet. Delinquenti protomedicus et consiliarii quinque ducatorum poenam irrogent.

Pretio rerum artis aromatariae praescribendo;

§ 12. Singulis annis protomedicus, consiliarii et consules aromatariorum, coram dictae Camerae praesidentibus, rebus artis aromatariae certum pretium constituant, ne quis de iniusto pretio iure queri possit; quod si quo minus id fiat per consules steterit, quivis ex ipsis, et quoties in eo peccavit, ducatos vigintiquinque pendat poenae nomine. Cognitio autem constitutionis pretii ad protomedicum et consiliarios, de consilio consulum aromatariorum, servata semper forma de qua in primo capitulo, et non alias, aliter nec alio modo, pertineat; animadversio autem in consules ad solum protomedicum et eius consiliarios, a quibus si consules se gravari putaverint, adeant dictum auditorem Camerae, qui quod iuris erit praecipiat exequatur.

Societate inter medicos et aromatarios interdicta;

§ 13. Neque medico sive physico sive chirurgo cum aromatario, neque aromatario cum medico societatem ullo modo inire liceat; qui aliter fecerit, vigintiquinque ducatorum poena a collegio medicorum, si medicus fuerit; si vero aromatarius, a consulibus aromatariorum afficiatur.

Appellatione a taxatione pretii;

§ 14. Si in rebus medicinalibus a taxatione consulum eorumque calculis appellatum sit, et protomedicus et revisores, ex forma constitutionum artis aromatariorum, adeantur; qui si discordes intra se fuerint, de eo dictus auditor cognoscat et decidat.

Medicinis subministrandis ab aromatariis;

§ 15. Nulli physico, nulli chirurgo aut cuivis alteri medicinam aut rem ad medicamentum pertinentem cuipiam, praeterquam ex iusta aliqua causa a protomedico et eius consiliariis in scriptis probanda, vendere liceat, nisi prius ea res in aromataria sit consignata, et per ipsum aromatarium subministrata. Qui secus fecerit, a collegio medicorum, si medicus fuerit; si vero aromatarius vel extraneus, ab aromatariorum consulibus vigintiquinque ducatorum poena plectatur.

Protomedici visitatione aromatariorum;

§ 16. Protomedicus, per se aut per alium a se electum, uno praeterea aliquo ex medicorum collegio adhibito, ut supra explicatum est, quoties ei libuerit, etiam extra ordinationem, apothecas aromatariorum visitare, inspicere et perquirere libere quidem possit; nihil vero, absque consiliariis et consulibus aromatariorum, damnare aut improbare possit; liceat ei tantum, arbitratu suo, quae voluerit obsignare, et ne quisquam iis utatur interdicere, quoad ipsius protomedici et consiliariorum iudicio, de consilio, ut supra, consulum, de tota re definiatur, servata forma de qua in primo capitulo, et non alias, aliter nec alio modo.

Librorum aromatariorum fide;

§ 17. Quod autem ad fraudum occasiones tollendas facit, aromatariorum libris ultra tres annos fides in iudiciis ne habeatur, nisi aut instrumentum publicum aut syngrapha exhibeatur, quae fidem faciat, quaeque cum nominibus et rationibus in eisdem libris descriptis consentiat, aut certe constet de diligentia ab aromatariis infra dictum tempus adhibita adversus debitores ob causas in libris notatas, planumque sit per debitores ipsos stetisse quo minus solverent, aut aliter aromatariis caverent, ut postremo nomina et partitae, ut appellant, in libris descriptae, a debitoribus recognitae, eorumdem subscriptione comprobentur, non obstante dispositione dicti Pauli et aliorum forsan praedecessorum contrarium determinante.

Consulum aromatariorum iurisdictione;

§ 18. Quivis, etiam ecclesiasticus, quantum ad medicamenta et cetera ad artem aromatariam spectantia, consulibus aromatariorum subiectus sit, atque apud illos et non alibi querelae de huiusmodi rebus habeantur et decidantur, servatis servandis. Hi vero, ex praescripto statutorum tam dictae Urbis quam artis suae, cognoscant et procedant.

Moratoriarum prohibitione;

§ 19. Nemo, cuiusvis conditionis sit, ob res medicinales et aromatarias solutionis dilationem, quam notoriam [1] aut cinquinam vocant, impetrare possit.

Visitatione aromatariarum extra Urbem,

§ 20. Quotiescumque ad visitandas tabernas aromatarias, quae extra Urbem sunt, medicus ex Urbe mittendus erit, ne is forsan artis aromatariae imperitum sibi comitem adiungat, protomedicus, qui visitatoris designandi ius obtinet, urbanis aromatariis id denuntiet, atque ab eis exquirat habeant ne aliquem peritum et idoneum hominem, qui medico illi in huiusmodi visitationis munere comes et minister esse velit; quo invento, protomedicus utrisque eam visitandi provinciam delegabit, curabitque aromatario viaticum competens praestari; quod si aromatarii negligentes ea in re fuerint, solus protomedicus hunc etiam eligat. Si autem protomedicus non adnunciaverit, in vigintiquinque ducatorum a syndicis, tempore syndicatus, poena mulctetur.

Medico ad visitandum aromatarias destinato;

§ 21. Medicus vero ad visitandum destinatus, singulas apothecas et officinas aromatarias, non ficte aut fallaciter, sed vere visitet atque inspiciat, et debitis poenis puniat, idque se fecisse, testimonio publico allato, doceat; si contrafecerit, protomedici et consiliariorum communi decreto, vigintiquinque ducatorum poenam subeat; quae poena pro numero apothecarum, quas non inspexerit, toties ab eo exigatur.

Poenarum exactione ac ratione,

§ 22. Ut autem pecuniae, quae ab iis qui his decretis non obtemperaverint poenae nomine exigetur, ratio constet, singulis annis a protomedico et consulibus unus depositarius ex aromatariis coniunctim eligatur, penes quem pecunia omnis ex huiusmodi mulctatione collecta deponatur, eique ex poenis exigendis certum stipendium, protomedici et consulum arbitrio, statuatur, ita tamen ut antea de reliqua summa restituenda idoneam cautionem praebeat. Is autem in fine cuiuslibet anni, de poenis exactis protomedico et consuli aromatariorum rationem reddat. Duo autem libri rationum fiant, quorum alter apud protomedicum, alter vero apud consules sit.

Earumque partitione,

§ 23. In partiendis vero poenis et mulctis, quae ex delictis et contraventionibus urbanorum aromatariorum sive alias et ex quacumque causa, etiam extra visitationem, a quibuscumque exigerentur, piae memoriae Pii Papae V, etiam praedecessoris nostri, motus proprius servetur, qui datus est die duodecima augusti, pontificatus sui anno quinto. Ita videlicet ut quarta pars medicorum collegio attribuatur, reliquae hospitali S. Laurentii in Miranda, non obstante altero posteriore eiusdem Pii V motu proprio, quo pecuniae omnes poenae nomine colligendae, domui dicti hospitalis attribui videbantur.

Earumdemque applicatione;

§ 24. Si ex cuiusvis accusatione aut denunciatione aliquem ex aromatariorum vel medicorum numero adversum haec decreta deliquisse constiterit, tunc ex integra summa, qua reus mulctabitur, quarta pars a protomedico et consiliariis eidem accusatori aut denunciatori statim adiudicetur; quod reliquum erit, a depositario conservetur, ut in fine anni, inter collegium medicorum et hospitale aromatariorum, ratione paulo ante dicta dividatur.

Cognitione quoque ac declaratione transgressionum;

§ 25. Cognitio et declaratio an aliquis adversus supradicta decreta deliquerit et in poenam inciderit necne eiusque poenae exigendae iussio ad eos solos et in ea forma pertineat, quibus in ipsis singulis capitulis decretorum expressis verbis definitum est; quoties autem his decretis protomedico et eius consiliariis, de consilio consulum aromatariorum, ut supra, aliquod mandatum est, ita semper intelligatur ut tam in inquirendo quam in procedendo, citando, cognoscendo, declarando, decidendo et puniendo et in

1 *Moratoriam*. Cherub. (R. T.).

quoscumque alios actus similes faciendo, ipsorum consulum aromatariorum consilium petere teneantur; quod si protomedicus et consiliarii minus probaverint, neque cum iis consenserint, tunc eatur recta ad auditorem praedictum, qui manu regia, omni et quacumque appellatione remota, cognoscat et decidat, et deinceps servetur forma supra in primo capitulo expressa.

A. C. iurisdictione;

§ 26. Idem auditor his omnibus decretis exequendis praesit, ac quibus in rebus solis protomedico et consiliariis cognoscendi et decidendi puniendique facultas, absque alio consilio consulum aromatariorum, data est, liceat aromatariis, si quando se iniuste laedi conquerantur, coram eodem auditore de eorum iniuriis agere, qui pariter manu regia, omni et quacumque appellatione remota, eos audiat, et, prout iuris erit, praecipiat et exequatur, et quos calumniose conquestos esse repererit arbitrio suo mulctet; mulctasque hac ex causa exactas physicorum collegio et hospitali praedicto in totum applicet.

Conventus protomedici et consiliariorum.

§ 27. onsules aromatariorum ex eorum decretorum facultate cum protomedico et consiliariis de re aliqua in consilium venire debent, protomedici domum adeant quoties ab eo fuerint vocati, facta prius praecedenti die intimatione, quod si venire neglexerint, protomedicus et consiliarii absque consulibus omnia agere et decernere possint.

Supplicatio pro Papae approbatione.

§ 28. Quare, pro parte medicorum et aromatariorum praedictorum, nobis fuit humiliter supplicatum ut capitulis praedictis, pro illorum subsistentia firmiori, robur apostolicæ confirmationis adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Approbatio Papae.

§ 29. Nos igitur eosdem medicos et aromatarios illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac statum et merita causarum huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dicta statuta et decreta, de medicorum et aromatariorum praedictorum consensu, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus; ac illa inviolabiliter, in perpetuum et singulis futuris temporibus, per protomedicum et collegium medicorum ac consules et collegium aromatariorum, pro tempore existentes, et alios quoscumque inviolabiliter observari; processusque et acta quaecumque in causis huiusmodi facta cassari et annullari; ac medicis et aromatariis perpetuum silentium imponi et impositum esse volumus, prout cassamus et silentium imponimus.

Clausula sublata etc.

§ 30. Et ita tam per dictum auditorem et eius in civilibus locumtenentem pro tempore existentem, quam etiam per alios quoscumque iudices, etiam Rotae auditores ac S. R. E. cardinales, decerni et iudicari debere; irritumque et inane si, secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae praeservativae.

§ 31. Et ita perpetuae scientiae et voluntatis incommutabilis nostrae esse dicimus, neque has nostras litteras de subreptionis vel obreptionis vel intentionis nostrae fraudatae vel alio quopiam vitio notari, impugnari, revocari, moderari vel annullari posse; et quoties illas annullari, moderari, revocari, impugnari

vel notari contigerit, toties in pristinum statum repositas, reintegratas et restitutas esse; et illis nullatenus derogari, nisi constiterit de trina derogatione separata, intercedente uno anno inter unam et aliam etiam consistorialiter, et accedente consensu amborum collegiorum, et cum insertione praesentium, volumus et mandamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 32. Non obstantibus rescriptis felicis recordationis Iulii III et Pauli IV ac Pii V et aliorum praedecessorum nostrorum; ac capitulis factis per quondam Caesarem Brancatium et cardinalem de Salviatis; dictaeque Camerae decretis vel confirmationibus seu declarationibus; statutis dicti collegii medicorum, etiam iuramento et auctoritate apostolica confirmatis, quorum tenores et formas, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, consuetudinibus et usibus quibuscumque; quibus omnibus et singulis, ad effectum praesentium dumtaxat, derogamus et derogatum esse intendimus ac praecipimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima iulii, millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 iulii 1575, pontif. anno IV.

XLVII.

Dismembratio provinciae Fluvii Ianuarii ab ecclesia S. Salvatoris Brasilii, et erectio in vicariam perpetuam [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

In supereminenti militantis Ecclesiae specula, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, ad universa orbis loca ac provincias, praesertim, omnipotentis Dei misericordia, per catholicos reges et principes ab infidelibus et barbaris nationibus recuperata et acquisita, aciem nostrae meditationis reflectimus; utque in locis ac provinciis ipsis plantetur, et plantata confirmetur radicitus christiana religio, eorumque incolae et habitatores, propriorum prælatorum assistentia et regimine suffulti, proficiant semper in fide, et quod in temporalibus sunt adepti, non careant in spiritualibus incremento, opem et operam libenter impendimus efficaces, prout eorumdem regum exposcit devotio, nosque, locorum et rerum circumstantiis mature pensatis, ad fidei ortodoxae conservationem et propagationem, animarumque salutem et profectum conspicimus in Domino salubriter expedire.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis sane nuper fecit charissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugalliae et Algarbiorum rex illustris, quod alias, cum inter ceteras provincias progenitorum suorum auspiciis repertas et acquisitas, ac sub eius temporali dominio reductas, provincia Brasilii, in partibus occidentalibus consistens, longe lateque se extenderet, illiusque incolae et habitatores, divinae legis expertes, absque aliqua fidei ortodoxae institutione viverent; praedicti progenitores pio affectu moti, ac desiderantes in dicta provincia Brasilii, Illius gloriosissimi nominis cultum, Cuius est orbis terrarum et plenitudo eius ac universi qui in eo abitant, propagari, et incolas praedictos ad lucem veritatis perduci, totque animas Deo lucrifieri, non sine gravium expensarum et sumptuum mole, ad provinciam Brasilii huiusmodi, pro gentilium et aliorum infidelium ad dictam fidem conversione et ad Apostolicae Sedis obedientiam reductione, ac humani generis Redemptoris agnitione et veneratione, diversos religiosos, et praesertim presbyterorum regularium Societatis Iesu

[1] Ex Regest in Secret. Brev.

personas vitae exemplo et morum honestate insignes, multa quidem doctrina et lectione praeditos, transmiserunt, et inibi Dei cultum ac ministros ecclesiasticos paulatim introduci, necnon ecclesias, monasteria, collegia et alia pia loca aedificari et fabricari, ac illa paramentis et ornamentis ecclesiasticis fulciri, et tandem in sinu Omnium Sanctorum, *Baia de todos los Santos* nuncupato, partium Brasilii huiusmodi, unam cathedralem ecclesiam sub invocatione S. Salvatoris nuncupatam, de iure patronatus praedicti Sebastiani regis, ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, existentem, et ad praesens pastoris solatio destitutam, sub certis modo et forma tunc expressis, apostolica auctoritate, erigi et institui, ac eidem ecclesiae sic erectae certum tunc expressum oppidum pro civitate, et sinum Omnium Sanctorum huiusmodi necnon provinciam seu partem terrae Fluvium Ianuarii nuncupatam, oramque in dictis partibus Brasilii, tam versus partem septentrionalem quam meridionalem, ac alias consistentia loca et terras pro dioecesi, ipsarumque civitatis et dioecesis incolas et abitatores pro clero et populo concedi et assignari etiam procurarunt.

Causa constitutionis edendae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in dictis partibus Brasilii, benedicente Domino, oppida, loca et terræ, illorumque incolae et habitatores huiusmodi tam christiani quam gentiles ita multiplicasse noscantur ut episcopus Sancti Salvatoris pro tempore existens, ob ipsius dioecesis per duo millia et septingenta milliaria se extendentis amplitudinem, frequentissimorum ac longe lateque dissitorum locorum et terrarum copiam, necnon provinciae seu partis terræ Fluvii Ianuarii huiusmodi distantiam, marisque incommoda ac difficilem et dispendiosam navigationem, piratarumque illic discurrentium periculum, curae, regimini et administrationi sui gregis in partibus Fluvii Ianuarii huiusmodi consistentis, prout eius pastorali officio incumbit, commode, nec sine incolarum et habitatorum alterius partis suae dioecesis, videlicet sinus Omnium Sanctorum huiusmodi, salutis dispendio et ipsius vitae periculo, intendere nequeat; ac exinde incolae et habitatores Fluvii Ianuarii huiusmodi nec fidei doctrina nec pie vivendi praeceptis commode instrui; aut si quid deliquerint, facta haud corrigi ab episcopo suo possint; illorumque multitudo copiosa ministrorum numero, specialisque pastoris, qui eos spirituali et coelesti pabulo personaliter pascat et reficiat, illorumque animarum saluti, ac in his, quae ad divini cultus fideique catholicae conservationem et incrementum necessaria et proficua esse dignoscuntur, specialiter intendat, assistentia et regimine, ne ob eiusdem pastoris carentiam et penuriam, quod tanta cura seminatum fuit, inter tot tribulos et spinas suffocetur et intereat, non parum indigere dignoscantur, si dioecesis ipsa in duas partes divideretur, eiusque rei causa tota provincia seu pars terrae Fluvii Ianuarii et exinde usque ad terminos et limites quibus gubernium temporale eiusdem Fluvii Ianuarii extenditur, ab ecclesia et dioecesi Sancti Salvatoris huiusmodi penitus separaretur et dismembraretur, illaque sic separata et dismembrata in vicariam seu administrationem spiritualem Fluvii Ianuarii nuncupandam, pro uno vicario seu administratore in spiritualibus Fluvii Ianuarii nuncupando, qui inibi omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam et quasi episcopalem iurisdictionem tam in foro interiori quam exteriori haberet et exerceret, erigeretur et institueretur, ex hoc profecto provincia Fluvii Ianuarii huiusmodi felicioribus proficeret incrementis, illiusque cleri et populi praedictorum saluti,

ac dictae fidei profectui et exaltationi, divinique cultus incremento, ac tot incommodis et animarum periculis opportune consuleretur. Quare idem Sebastianus rex nobis humiliter supplicari fecit quatenus eamdem provinciam seu partem terrae Fluvii Ianuarii ab ecclesia et dioecesi Sancti Salvatoris huiusmodi perpetuo separare et dismembrare, ac inibi vicariam seu administrationem praedictam erigere et instituere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio provinciae Fluminis Ianuarii in vicariam perpetuam.

§ 3. Nos igitur, qui Dei cultum et illius incrementum ac provinciarum salubrem directionem, cum animarum christifidelium salute et spirituali consolatione, intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae eius genitricis Virginis Mariae totiusque curiae coelestis honorem, et ipsius fidei catholicae exaltationem, eam dioecesis Sancti Salvatoris partem, in qua provincia seu pars terrae Fluvii Ianuarii huiusmodi consistit, ut praefertur, cum illius territorio, oppidis, villis, locis, necnon clero, populo et personis ac monasteriis, ecclesiis, collegiis et piis locis ac beneficiis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ab ecclesia S. Salvatoris et dioecesi praedictis perpetuo separamus et dismembramus, et ab omni subiectione, iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione et potestate pro tempore existentis episcopi Sancti Salvatoris eiusque vicariorum et officialium, ac a solutione quorumcumque iurium eidem episcopo et dilectis filiis capitulo dictae ecclesiae Sancti Salvatoris per clerum, populum et personas Fluvii Ianuarii huiusmodi, ratione subiectionis, iurisdictionis, superioritatis aut visitationis, etiam dioecesis; ita quod de cetero praedictus episcopus Sancti Salvatoris aliquam iurisdictionem spiritualem, praeterquam in his quae sunt ordinis, demptis inferius expressis, in oppida, terminos, territoria, villas et loca, ac clerum, populum, personas, monasteria, ecclesias et pia loca necnon beneficia sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa, exercere; nec eadem beneficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis providere aut alias disponere; fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta per eum in Fluvio Ianuarii illiusque terminis, territoriis, oppidis, villis et locis praedictis, ratione visitationis aut legis dioecesis, percipere nullatenus possit, dicta auctoritate, etiam perpetuo, eximimus et totaliter liberamus; ipsamque provinciam Fluvii Ianuarii sic separatam et dismembratam in vicariam seu administrationem spiritualem provinciae Fluvii Ianuarii nuncupandam, et pro uno presbytero saeculari vel cuiusvis Ordinis regulari vicario seu administratore in spiritualibus provinciae Fluvii Ianuarii nuncupando, in theologia seu decretis graduato, vel alias, praevio examine seu iudicio deputatorum senatus mensae regiae, conscientiae et Ordinum militiarum, in quo complures viri, tam saeculares quam regulares, litterarum scientia moribusque et virtute insignes reperiuntur, habiles et idonei ad alios docendum, approbato, ac per ipsum Sebastianum et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum regem perpetuis futuris temporibus, etiam hac prima vice, libere, nullius ad id requisito consensu, etiam ad tempus sibi benevisum, deputando et constituendo.

Facultates vicarii in praedicta provincia.

§ 4. Qui, deputationis et constitutionis huiusmodi vigore, absque alia Romani Pontificis vel episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis aut cuiusvis alte-

rius confirmatione, approbatione, commissione, licentia vel consensu, curam, regimen et administrationem provinciae Fluvii Ianuarii ac cleri ac populi tam christiani quam gentilis, necnon oppidorum, terrarum et locorum in illius districtu, limitibus et terminis praedictis consistentium habere, ac inibi praedicare et praedicari facere, gentilesque praedictos ad orthodoxæ fidei cultum convertere, et conversos in eadem fide instruere et confirmare, eisque Baptismi gratiam et Confirmationis sacramentum impendere, ac tam illis sic conversis quam aliis omnibus fidelibus in provincia Fluvii Ianuarii ac illius oppidis, terris, villis, locis, territoriis, districtu, limitibus et terminis praedictis pro tempore degentibus, et eo declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia munia, non autem ea quae sunt ordinis, ut praefertur, ministrare et administrari etiam facere et procurare; ac quaecumque beneficia ecclesiastica sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa, et quae antea ad ipsius episcopi Sancti Salvatoris collationem, provisionem, institutionem seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, iure tamen patronatus Sebastiano et pro tempore existenti regi praedicto ad ipsa beneficia ex privilegio apostolico vel alias quomodolibet competente semper salvo et illaeso remanente, conferre et de illis disponere, et in eis instituere; calices, campanas, vestimenta, corporalia et alia paramenta et ornamenta ecclesiastica conservare et benedicere; ecclesias, coemeteria et loca ecclesiastica, sanguinis et seminis effusione sive alias quomodolibet polluta vel profanata, aqua per ipsum benedicta reconciliare; ipsasque ecclesias et loca sub eius districtu comprehensa ac illorum personas visitare; ac in illorum statum, regimen, statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores, delicta et disciplinam, tam in capite quam in membris, inquirere; necnon, evangelicae et apostolicae doctrinae sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis et institutis inhaerendo, et prout occasio rerumque qualitas exegerit, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione ac etiam ex integro editione indigere cognoverit, reformare, mutare, corrigere, punire et etiam de novo condere; necnon beneficiales matrimonialesque et quascumque alias ecclesiasticas et civiles, et ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes causas, motas et inchoatas ac interim movendas, cum earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, audire, decidere et fine debito, prout iuris fuerit, terminare; seu causas ipsas alii vel aliis idoneis, modo et forma praedictis, ac cum simili vel limitata potestate pariter audiendas, decidendas et terminandas, delegare; ac denique plenam, meram et omnimodam spiritualem et ecclesiasticam ac ordinariam iurisdictionem, tam in foro interiori quam exteriori, habere; et eam ac omnia et singula alia, quae pro tempore existens episcopus Sancti Salvatoris in illis partibus hactenus habere, gerere et exercere debuit, potuit et consuevit, similiter et pariformiter, nullaque prorsus differentia, exceptis tamen iis quae, ut dictum est, sunt ordinis, prout divini cultus augumento ac ipsorum cleri et populi animarum saluti expedire cognoverit, gerere, exercere, facere et exequi cum omnibus et singulis aliis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, iurisdictionibus, præeminentiis, favoribus, gratiis, indultis, quibus in de Ormuz et Mozambica ac Cofola necnon Moluco aliisque provinciis et locis erectae administrationes, et illarum pro tempore deputati administratores, similiter ordinariam, ut praefertur, iurisdictionem inibi ha-

bentes, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere potuerunt et poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras nullo unquam tempore, ex quavis causa, etiam ex eo quod illa dicta ecclesia Sancti Salvatoris pastoris solatio destituta, nec ei curatore deputato, vel alias interesse habentibus minime vocatis, de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari vel impugnari, aut in ius vel controversiam vocari, aut contra illas restitutionem in integrum, reductionem ad terminos iuris aut quodvis aliud gratiae vel iustitiae remedium impetrari posse, causamque vel causas, propter quas praemissa concessa fuerunt, minime verificari, aut ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam eis in toto vel in parte derogantibus vel obviantibus, etiam a nobis et dicta Sede quomodolibet pro tempore emanatis nullatenus comprehendi; sed semper validas et ab illis prorsus exceptas, et quoties illae emanabunt, aut sub eis quovis modo comprehendi viderentur, toties in pristinum et eum, in quo, antequam illae emanarent, statum, erant restituas et plenarie reintegratas ac denuo concessas esse et censeri; et ad hoc, ut sub illis non comprehendantur, vim validi et efficacis contractus inter nos et dictam Sedem ac Sebastianum et pro tempore existentem regem praedictum initi et stipulati, obtinere, et omni tempore suos plenarios et integros effectus sortiri; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis et quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; nec non dictae ecclesiae Sancti Salvatoris, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac fundatione, erectione et institutione; privilegiis quoque et indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae Sancti Salvatoris et illius praesuli pro tempore existenti ac praedictis capitulo et aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter vel alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio facienda esset, eorum tenores ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

In iis quae sunt ordinis ab episcopi S. Salvatoris iurisdictione provinciam praelatam declarat non esse exemptam.

§ 7. Volumus autem, statuimus et ordinamus quod clerus et populus aliique incolae et habitatores, tam sub per praesentes erecta Fluvii Ianuarii quam de cetero earumdem praesentium vigore erigendis vicariis seu administrationibus praedictis comprehensi et comprehendendi, in his quae sunt ordinis, ut prae-

fertur, ad praedictum episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem, habitis tamen a suis vicariis seu administratoribus ad id litteris dimissorialibus, recurrere teneantur. Quodque Fluvii Ianuarii et alii praesentium vigore pro tempore deputati vicarii seu administratores, ratione personarum suarum dumtaxat, visitationi, correctioni, superioritati et iurisdictioni praedicti episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis subsint; et a sententiis diffinitivis tantum, aut vim diffinitivarum habentibus, et quarum gravamen per appellationem a diffinitiva reparari nequeat, per episcopos, vicarios seu administratores aut eorum officiales pro tempore latis, appellationes ad eumdem episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causae per eum cognosci, decidi et fine debito, prout iuris erit, terminari possint.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX iulii MDLXXV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 iulii 1575, pontif. anno IV.

XLVIII.

Tollit censuras et poenas in litteris Pii V contentas contra agitantes tauros in Hispaniarum regnis, quoad laicos et milites, dummodo in sacris non sint, et agitationes taurorum diebus festis non fiant [1].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Causa constitutionis. § 1. Exponi nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus quod, licet felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, periculis fidelium occurrere volens, per suam constitutionem, omnibus principibus christianis ceterisque personis in ea expressis, sub excommunicationis et anathematis et aliis censuris ac poenis prohibuit ne in eorum locis spectacula, ubi taurorum aliarumque ferarum et bestiarum agitationes exercentur, fieri permitterent, aut illis quomodolibet interessent, prout in eadem constitutione latius continetur; nihilominus idem Philippus rex, regnorum suorum Hispaniarum utilitate motus, quae ex agitatione taurorum huiusmodi provenire solita erat, nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos, ipsius Philippi regis nobis in hac parte humiliter porrectis supplicationibus inclinati, excommunicationis, anathematis et interdicti aliarumque ecclesiasticarum sententiarum et censurarum in ipsius Pii praedecessoris constitutione contentas poenas, in eisdem Hispaniarum regnis, quoad laicos ac fratres milites tantum quarumcumque militiarum, etiam praeceptorias et beneficia ipsarum militiarum pro tempore obtinentes, dummodo dicti fratres milites sacris ordinibus initiati non fuerint, et agitationes taurorum festis diebus non fiant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, tollimus et amovemus; praemissisque aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Proviso tamen per eos, ad quos spectabit, ut exinde alicuius mors, quoad fieri poterit, sequi non possit. Poenas a Pio V in taurorum agitatores latas abrogat.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV augusti MDLXXV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 25 augusti 1575, pontif. anno IV.

---

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

XLIX.

Reintegratio licentiarum et facultatum fratrum et militum hospitalium et militiarum, tam S. Iacobi de Spatha, quam de Calatrava, et etiam de Alcantara, testandi et disponendi de eorum bonis [1].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentiae et benignitatis proprium est, ubi aequitas suadet ac catholicorum vota exposcunt, quae generaliter a praedecessoribus suis statuta sunt, moderari, illaque interdum tollere, quae facultatem testandi et disponendi de bonis, quae sub regulari habitu militiarum degentes personae possident, adimunt.

Pius V facultatem testandi militum S. Iacobi de Spatha, de Calatrava et de Alcantara revocavit 2.

§ 1. Licet enim felicis recordationis Pius V, praedecessor noster, per suam perpetuo valituram constitutionem, inter alia, omnes et quascumque licentias et facultates testandi et alias quomodolibet disponendi, et ad certam quantumvis modicam summam et quantitatem, de rebus, fructibus et bonis immobilibus, mobilibus et semoventibus, inter alios, ad magistros, priores, praeceptores, milites, fratres et personas militiarum et hospitalium videlicet Sancti Iacobi de Spatha, de Calatrava et Alcantara militiarum Hispaniarum, ratione praeceptoriarum, hospitalium et beneficiorum ecclesiasticorum, etiam saecularium, et aliorum Ordin. regularium, ac pensionum, fructuum quorumcumque provenientibus, necnon facta usque tunc, non tamen effectum sortita, vigore licentiarum et facultatum praedictarum testamenta et alias dispositiones huiusmodi, etiam si per easdem licentias et facultates disponeretur quod dimidia vel alia pars rerum et bonorum praedictorum militiis, hospitalibus, domibus et locis, unde illa provenirent, vel aliis piis locis relinquerentur, revocaverit et aboleverit, decernens testamenta, donationes et alias dispositiones, quas, praetextu privilegiorum, facultatum, dispensationum et indultorum praedictorum sic revocatorum, ac contra dictarum litterarum tenorem per quoscumque, etiam apostolica auctoritate, fieri, vel factas prosequi contigerit, tamquam subreptitie extortas, nullius prorsus roboris vel momenti esse, nec per eas ius aut titulum, etiam coloratum, cuiquam acquiri posse, et alias prout in eiusdem praedecessoris litteris latius explicatur.

Philippus Hispaniarum rex, huic Pontifici exponit revocationem hanc dictis militiis damnosam esse, et supplicat pro opportuna provisione.

§ 2. Nihilominus carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, Sancti Iacobi de Spatha, de Calatrava et de Alcantara militiarum perpetuus administrator, apostolica auctoritate deputatus, animadvertens plerosque ex militibus militiarum praedictarum pro fide catholica tuenda et conservanda arma induere, et ei rei plerumque perpetuam operam (ut veros Christi athletas decet) navare; alios vero gravibus negociis pertractandis esse distentos, et ex earumdem militiarum stabilimentis aut etiam apostolicis indultis, libere uxores ducere posse, et in habitu militari, quamdam religiosorum imaginem referre, nihilque hominibus, praesertim militibus praedictis, gratius evenire posse intelligens quam ut libera eis sit de bonis, quae viventes possident, tam in ultima voluntate (quando amplius velle non possunt) quam alias, disponendi tributa potestas, propterea nobis humiliter supplicari fecit ut ex consueta Sedis Apostolicae benignitate opportune circa praemissa providere dignaremur.

Qui Pontifex dat facultatem testandi.

§ 3. Nos igitur commodis militum militiarum praedictarum, quibus idem Philippus rex praeest, consulere, ac Phi-

1 Vide de eiusmodi militiis in Adriani VI constitutione IV, *Dum intra*, tom. VI, pag. 13. 2 Vide Pii V const. CXII, *Sacrosanctum*, tomo VII, pag. 709.

lippi regis voluntati hac in parte satisfacere volentes, constitutionisque praedictae seriem, ac si de verbo ad verbum insereretur praesentibus, pro expressa habentes, illam necnon omnes illius effectus, quoad hoc ut Sancti Iacobi de Spatha et de Calatrava et de Alcantara prioribus, praeceptoribus et aliis ipsarum militiarum obtinentibus beneficia, et quovis nomine nuncupatis militibus, quaecumque licentiae et facultates testandi et alias quomodolibet disponendi de rebus, fructibus et bonis mobilibus, immobilibus et semoventibus, ut praefertur, suffragentur, eædemque licentiae et facultates in posterum valeant, ac perpetuam roboris firmitatem obtineant, suosque effectus plene sortiantur penitus et omnino, apostolica auctoritate, tenore praesentium, tollimus et abolemus.

Testamentaque eorumdem, quorum causa integra est, plenarium effectum sortiri decernit.

§ 4. Necnon testamenta et alias dispositiones, in vim licentiarum, facultatum et consuetudinum praedictarum iam condita, disposita et ordinata, quae, prædicta edita constitutione, iuxta testatoris vel disponentis voluntatem effectum minime sortiri potuerunt, et quorum causa adhuc integra est, et medio hoc tempore nihil novi acciderit adversus eiusdem constitutionis dispositionem, omniaque et singula, quae in ea continentur, in eum, in quo, antequam a dicto Pio praedecessore constitutio praedicta edita fuisset, quomodolibet erant, statum restituimus et reponimus et plenarie reintegramus; suosque plenarios et integros effectus, impedimentis omnibus sublatis quae ex dicta constitutione provenerunt, sortiri debere volumus, statuimus et ordinamus; omnesque et singulas earumdem trium militiarum militibus praesentibus et futuris testandi et alias disponendi de bonis prædictis concessas facultates et consuetudines, potiori pro cautela, approbamus et firmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Clausula sublata.

§ 5. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices ordinarios earumdem militiarum et delegatos et quoscumque alios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), ubique iudicari et definiri debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, tam per dictum quam per quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos, sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine concessis, etiam iteratis vicibus approbatis; quibus omnibus, etiam si de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio aut quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDLXXV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 6 octobris 1575, pontif. anno IV.

L.

Quod praelati Ordinis fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum benedicere possint vasa, vestimenta et ornamenta ecclesiastica [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Exposcit pastoralis officii cura nobis ex alto commissa, ut singulorum christifidelium, praesertim sub suavi Religionis iugo Altissimo famulantium, votis rationi non contradicentibus favorabiliter annuamus.

Causa huius concessionis. § 1. Sane pro parte dilecti fratris Francisci Bochet, in theologia magistri, Parisiensis, Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum vicarii generalis, in Romana Curia residentis, nobis nuper exhibita petitio continebat quod, licet dilecti provinciales, vicarii et ministri praedicti Ordinis in Hispaniarum regnis consistentes, qui triennales dumtaxat existunt, casulas, tunicas, albas et mappas et alia vestimenta et ornamenta ac etiam vasa ecclesiastica ad divinum officium peragendum necessaria ac solita et consueta benedicendi a Sede Apostolica licentiam habeant; nihilominus provinciales, vicarii et ministri Ordinis praedicti in Galliis, Flandria ac provincia Provinciae, aliisque Galliarum regnis et dominiis consistentes, qui ad vitam eligi et deputari consueverunt, eadem licentia hactenus minime usi sunt, nec in futurum, absque speciali indulto nostro, uti possunt; cuperet idem Franciscus sibi ac provincialibus et aliis vicariis et ministris eiusdem Ordinis, in Galliis, Flandria et provincia Provinciae huiusmodi aliisque Galliarum regnis et dominiis nunc et pro tempore existentibus, licentiam praedictam per nos concedi. Quare nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio facultatis de qua in rubrica. § 2. Nos igitur, honestis eiusdem Francisci postulatis grato concurrentes affectu, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac licentiae huiusmodi et litterarum desuper expeditarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Francisco ac aliis vicariis generalibus, provincialibus et ministris dicti Ordinis, in Galliis, Flandria et provincia Provinciae huiusmodi, aliisque Galliarum regnis et dominiis nunc et pro tempore existentibus, casulas, tunicas, albas, zonas, mappas, corporalia et alia quaecumque ornamenta ac vasa ecclesiastica (illis tamen exceptis quibus sanctum chrisma applicandum est) benedicendi, iuxta tenorem licentiae vicariis, ministris et aliis praedictis regnorum Hispaniarum concessae tantum, licentiam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus; illamque ad eosdem Galliae, Flandriae Provinciaeque huiusmodi ac aliorum Galliarum dominiorum et regnorum vicarios, provinciales et alios praedictos, nunc et pro tempore existentes, etiam perpetuo, extendimus et ampliamus; ipsosque, ut de cetero illa uti, frui et gaudere libere et licite valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si illis principaliter eadem licentia, apostolica auctoritate, concessa fuisset, decernimus.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon o-

[1] De hoc Ordine vide in Innocentii III constit. XVII, *Operante*, tom. III, pag. 133.

mnibus illis quae in litteris eiusdem licentiae expressa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDLXXV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 octobris 1575, pontif. anno IV.

LI.

Professio orthodoxae fidei a Graecis emittenda [1].

Sanctissimus dominus noster dominus Gregorius, etc.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet.

Forma professionis fidei.

§ 1. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Artic. I.

§ 2. Credo etiam, suscipio atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica synodus Florentina super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definivit et declaravit, videlicet quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione, procedit. Cum id quod sancti doctores Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Graecos quidem, causam, secundum Latinos vero, principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Cumque omnia quae Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, praeter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum *Filioque* explicationem, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Artic. II.

§ 3. Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.

Artic. III.

§ 4. Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse

Artic. IV.

[1] De materia Graecorum vide in Innocentii IV const. XXXV, *Sub catholicae*, tom. III, pag. 580.

eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae istituta. Illorumque animas, qui, post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

§ 5. Item, sanctam Apostolicam Sedem Artic. v. et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.

§ 6. Insuper profiteor ac recipio alia Artic. vi. omnia, quae ex decretis sacrae oecumenicae generalis synodi Tridentinae, sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei Symbolo, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur.

§ 7. Apostolicas et ecclesiasticas tra- Artic. vii. ditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

§ 8. Item, sacram Scripturam, iuxta Artic. viii. eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

§ 9. Profiteor quoque septem esse vere Artic. ix. et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium: illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

§ 10. Receptos quoque et approbatos Artic. x. Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto.

§ 11. Omnia et singula, quae de pec- Artic. xi. cato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

§ 12. Profiteor pariter in missa offerri Artic. xii Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate, D. N. Iesu Christi; fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia trasubstantiationem appellat.

§ 13. Fateor etiam sub altera tantum Artic. xiii specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi.

§14. Constanter teneo purgatorium esse Artic. xiv. animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Artic. XV. § 15. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam.

Artic. XVI. § 16. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Artic. XVII. § 17. Sanctam catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici. B. Petri apostolorum principis successori ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

Artic. XVIII. § 18. Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina synodo, tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia et schismata atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reiicio, anathematizo et abiuro.

Iterata sponsio. § 19. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo

Iuramentum. § 20. Voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

LII.

Quod liceat fratribus et monialibus Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo bona etiam stabilia, pro necessitate vel utilitate monasteriorum, alienare [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex incumbenti nobis apostolicae servitutis officio, ad ea libenter animum nostrum convertimus, per quae religiosam vitam ducentibus personis, quae assiduos labores pro fide catholica constanter tuenda et defendenda sustinent, inter quas familia fratrum Ordinis gloriosissimae Dei Genitricis semperque virginis Mariae de Monte Carmelo iure enumerari potest, commodis et utilitati opportune consulatur.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt fratres dicti Ordinis quod saepenumero accidit ut pro aliqua urgenti necessitate vel utilitate monasteriorum, domorum et locorum dicti Ordinis, tam virorum quam mulierum, illorum bona alienare vel permutare expediret, ac quandoque contingit ut conditio semel oblata, si praetermittatur, maximam afferat iacturam, praeterquam quod difficile admodum existit, pro singulis faciendis permutationibus et aliis contractibus, ad Sedem Apostolicam recurrere, ac id non sine fratrum ipsius Ordinis molestia fieri potest. Quare iidem fratres nobis humiliter supplicare fecerunt ut in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Ordo Carmelitarum supplicat Papae pro provisione alienandi sua bona, occurrente aliqua necessitate vel utilitate.

§ 2. Nos, ipsos fratres et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem fratribus ut ex nunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, fratres et moniales dicti totius Ordinis Carmelitarum, omnium et quorumcumque monasteriorum domorum et locorum eiusdem Ordinis, ubilibet nunc et pro tempore consistentium, libere et licite possint et valeant quaecumque bona stabilia et immobilia seu quasi Hic ideo Pontifex dat Ordini facultatem alienandi bona, etiam stabilia, sine aliqua Sedis Apost. vel alterius licentia.

[1] Alia, quae hunc Ordinem respiciunt, indicavi tibi in Honorii III constit. LXXVIII, *Ut vivendi*, tom. III, pag. 415.

stabilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis et valoris, et in quocumque loco existentia, eorumdem monasteriorum, domorum et locorum, vendere, alienare et permutare pro precio, pactis, modis et formis hinc inde conveniendis, licentiam et facultatem apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus; proviso tamen quod praemissa omnia fiant pro commoditate vel utilitate ipsorum monasteriorum, domorum et locorum, et quod consensus duarum partium ex tribus partibus fratrum vel monialium ipsius monasterii, domus vel loci, cuius dicta bona erunt, accedat et interveniat, absque alia a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus aut Sede Apostolica vel illius de latere legatis seu nunciis aut etiam locorum ordinariis petenda vel obtinenda licentia seu confirmatione.

Dummodo alienationes fiant pro commoditate vel utilitate monasteriorum, et accedat consensus duarum ex tribus partibus fratrum vel monialium loci, et consensus vel ratificatio generalis 1.

§ 3. Ita tamen quod, loco consensus Sedis Apostolicae, dilectus filius prior generalis dicti Ordinis nunc et pro tempore existens, et diligenter examinata et re evidenter utili comprobata, habeat, prout sibi ex nunc perpetuo concedimus, potestatem ratificandi huiusmodi permutationes et alienationes ac contractus; sicque, ubi talis ordo non fuit servatus, concessio, venditio, alienatio ac contractus desuper aliter facti, nulli et invalidi nulliusque roboris ac momenti existant, et donec praedictus prior generalis modo praedicto non ratificaverit, possessio remaneat et remanere intelligatur penes ipsos fratres seu moniales dicti monasterii seu domus aut loci permutantis et alienantis, ac ita in praemissis perpetuo declaramus et decernimus. Et nihilominus, ex nunc prout ex tunc et e contra, postquam permutationes alienationesque necnon contractus, servatis enarratis, pro tempore facti et per dictum priorem generalem ratificati fuerint, ut praefertur, seu consensus eiusdem prioris generalis intervenerit, easdem permutationes et alienationes ac contractus et deinde sequuta quaecumque, necnon instrumenta et scripturas desuper pro tempore confecta, approbamus et confirmamus ac perpetuae firmitatis robur obtinere debere statuimus.

Utilitas autem et necessitas probata sit assertione dictarum duarum partium fratrum vel monialium alienantium 1.

§ 4. Decernentes, quod ad utilitatem seu commoditatem monasteriorum, domorum et locorum praedictorum, assertione duarum partium ex tribus partibus fratrum vel monialium illius loci, cuius bona erunt, postquam ratificatio facta fuit, illas et illa necnon praesentes et in eis contenta, validas et efficaces, ac valida et efficacia in perpetuo fore, necnon ab omnibus observari debere; ipisque et cum eis contrahentes praedictos super praemissis et inde sequutis quibuscumque, per quoscumque, quavis auctoritate, quomodolibet molestari vel impediri non posse; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores huius concessionis deputat;

§ 5. Quocirca venerabili fratri episcopo Maceratensi, et dilectis filiis causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, et Cancellariae Apostolicae regenti, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte eorumdem fratrum Carmelitarum vel monialium aut alicuius eorum super his fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem praesentes et in eis contenta quaecumque ab omnibus, quos illa

1 Imo requiritur quod fiat investimentum, ut hic infra ad finem.

1 Ad hoc, vide quod hic infra sequitur ad fin.

concernunt, integre et inviolabiliter observari. Non permittentes eos aut eorum aliquem desuper contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulas contrariorum derogatorias apponit;

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et piæ memoriæ Symmachi ac Pauli Papæ secundi, prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, vel alienatis recuperandis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, monasteriorum, domorum et Ordinis praedictorum statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, et irritantibus ac aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Alienationes non antea fieri permittit, quam repertum sit investimentum utilius Ordini;

§ 7. Volumus autem quod, si ad alienationem bonorum stabilium, ex causa maioris utilitatis aut alia ratione suadente, deveniendum erit, alienationes bonorum ad monasteria et domus eiusdem Ordinis spectantium non antea fiant, quam cum reperta fuerint bona eisdem monasteriis et domibus utiliora, in quibus pretium rerum huiusmodi alienatarum unico contractu, realiter et cum effectu, investiatur vel convertatur; alias alienatio ipsa sit ipso iure nulla.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, etiam impressis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die tertia februarii MDLXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 3 februarii 1576, pontif. anno IV.

LIII.

Facultas ordinario Hispalensi in perpetuum ut tamquam loci ordinarius in casibus ad iurisdictionem ordinariam pertinentibus; in aliis vero Officium Inquisitionis concernentibus, adhibitis inquisitorib. Hispalensibus, absolvere possit ab omnibus peccatis, etiam haeresis etc., ac in pristinium restituere; necnon

sacerdotibus captivis licentiam baptizandi pueros a matribus oblatos, dare possit etc. [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Hispalensi Gregorius Papa XIII.

Venerabilis frater, salutem et ap. benedictionem.

Exordium. Officii nostri partes exequimur cum poenitentibus, qui, misera infidelium servitute oppressi, a fide catholica desciverunt, illico pietatis ianuam reseramus.

Causa edendae constitutionis. § 1. Nuper siquidem exponi nobis fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod, postquam plerique forsan utriusque sexus christiani, diversis temporibus in Maurorum et Turcarum potestatem redacti, fidem catholicam deseruerunt et ab illa apostatarunt, nonnulli etiam masculi se circumcidi passi fuerunt, habitumque infidelium pubblice gestando, uti Mauros et infideles se gesserunt; aliqui autem se Mauros esse asseverarunt; nonnulli ex eis, tacti dolore cordis intrisecus, eorum peccati poenituisse, divinamque misericordiam in eo implorasse; inter quos aliqui ad christianos sacerdotes eis in locis in eadem captivitate retentos, pro absolutionis beneficio obtinendo, ac ut sanctae Romanae Ecclesiae et illius gremio reconcilientur, recurrerunt; alii autem publice se christianos esse profitentes, Maurorum habitu palam derelicto, nunquam intentionis eorum fuisse infidelium sectam sequi dixerunt; id vero quod eo usque ab eis extrinsecus demonstratum fuerit, causa petiendae libertatis factum fuisse dixerunt, ut aliquando ad christianorum loca accedere, et se in libertatem revocare possent; quorum sermone infideles indignati, ut ferreis manubiis et compedibus revinctos, in tetros detrudunt carceres pessimeque afficiunt; demum aliqui in infirmitate et articulo mortis constituti, corde christianos se fuisse et esse affirmant, neque umquam animo a fide catholica avertisse aut de ea male sensisse dicunt.

§ 2. Omnes igitur praedicti poenitentes in captivitate redempti, per praedictos sacerdotes sanctae matri Ecclesiae, extra quam nulla salus, reconciliari, et ab excessibus et delictis ab eis commissis, de quibus corde contrito et ore eisdem sacerdotibus confessi fuerunt, per confessionis et poenitentiae sacramentum absoluti, et ad sanctissimae Eucharistiae et aliorum Ecclesiae sacramentorum participationem restitui instanter postulant; his accedit quod nonnullae mulieres, quae animo et corde Christi fidem colere dicunt, natos suos eisdem sacerdotibus baptizandos offerunt, curantque eosdem natos ab eisdem sacerdotibus baptismatis aqua, more Romanae Ecclesiae, ablui. Quare dictus Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis ac aliis casibus similibus, qui iam acciderunt, vel in posterum, donec vixerit, evenire poterunt, eorum captivorum animarum saluti prospiciendo, ex consueta Sedis Apostolicae benignitate opportune providere dignaremur. Apostatae poenitentes a quibus absolvendi.

§ 3. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac etiam eorumdem captivorum miseriae et infirmitati more pii patris compatiendum esse censentes, fraternitati tuae, de cuius prudentia et probitate plurimum in domino confidimus, et cuius eximiam fidem atque integritatem optime cognitam habemus, ut tamquam loci ordinarius, quoad casus tam expressos quam qui postmodum evenerint, ad ordinarii iurisdictionem spectantes et pertinentes; quo vero ad casus qui Officium S. Inquisitionis respiciunt, adhibitis praesentibus et qui pro tempore fuerint inquisitoribus eiusdem archiepiscopatus, eosdem, qui tam praedictos errores, exces- Facultates concessae ordinario Hispalen. pro lapsis a fide.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

sus et crimina commiserint, quam in alios, fidem catholicam corde vel facto deserendo vel alias quomodolibet ab illa pro tempore apostatando, inciderint, se humiliter et pura mente, cordeque sincero et contrito, ac cum certo proposito ab illis et aliis similibus in posterum abstinendi et alias integre peccata sua fidelibus sacerdotibus, si eorum copiam habere potuerint, confessi fuerint, ab eisdem erroribus, criminibus et excessibus, etiamsi in illos semel vel bis aut etiam pluries relapsi fuerint, et propterea notam requirerent magis specialem; necnon a quibusvis excommunicationis, etiam maioris, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, tam a iure communi quam per quascumque apostolicas, provinciales et synodales constitutiones, ac ab homine, contra quoscumque talia vel similia excessus, errores et crimina, etiam praedictis graviora, committentes, inflictis et illatis seu inferri comminatis, per te vel alios, quos ad id tu quandocumque expedire cognoveris, semel vel pluries ac quoties tibi quomodolibet opportunum fore videbitur, deputandos, iniuncta eis pro modo culpae salutari poenitentia, pro qualitate factorum, arbitrio tuo, ac quoad casus, qui Officium Inquisitionis concernunt, inquisitorum praedictorum adhibito consilio, absolvendi, sanctaeque matri Ecclesiae reconciliandi, et ad illius gremium constituendi; ac quascumque poenas propter eadem delicta incursas remittendi; omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eos eorumque filios et descendentes quomodolibet contractam absolvendi; eosque in pristinum et eum, in quo, antequam praemissa committerent, erant, statum restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi; ac eisdem sacerdotibus captivis per te, quando tibi visum fuerit, in genere vel in specie subdelegandis, ut ubi non fuerint proprii sacerdotes, pueros a matribus oblatos iuxta Ecclesiae ritum et morem baptizandi, habita tamen prius promissione a matribus infantium eos in fide catholica educandi et quamprimum fieri poterit in ecclesia sistendi, ut ibi caeremoniae et ritus ab eadem Ecclesia in Baptismo ordinati suppleantur, amplam et liberam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur.

Pro aliis casibus.

§ 4. Necnon tibi, quando et quoties, ut praefertur, expediens esse iudicaveris, ut non solum in praedictos casus et eventus, tamquam loci ordinarius in casibus ordinariae iurisdictionis, quam etiam in aliis, qui pro tempore occurrerint, ad Sanctissimae Inquisitionis Officium prædictum pertinentibus, adhibitis dicti archiepiscopatus inquisitoribus, ut praefertur, de opportuno tam absolutionis quam alio remedio eisdem captivis, pro eorum animae salute, providere, ceteraque omnia et singula, tam in praemissis quam aliis casibus, qui evenient, necessaria et opportuna facere et exequi, et ad ea facienda et exequenda quoscumque quandocumque subdelegare libere et licite valeas, auctoritate et tenore praedictis, indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis; legibus Regni, pragmaticisque sanctionibus in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis haben-

tes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus et apostolica auctoritate decernimus quod transumpto praesentium litterarum, sigillo alicuius praelati ecclesiastici munito, et manu notarii publici subscripto, eadem fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDLXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 febr. 1576, pontif. anno IV.

LIV.

Iurisdictio et facultates praefecti annonae Urbis et totius Status Ecclesiastici.

Gregorius Papa XIII, motu proprio, etc.

Exordium.

Inter ceteras pastoralis officii nostri curas, quibus assidue premimur, libenti illam fovemus animo, per quam in Statu nostro Ecclesiastico annona et abunde inveniri et communi haberi precio possit, nostrique ex hoc subditi, quoad fieri possit, subleventur.

Deputatio Andreæ Spinolae praefecti annonae, cum facultatibus et privilegiis consuetis, et maxime infrascriptis.

§ 1. Quare, cupientes insignem probitate et experientia virum, qui, prout res expostulat ipsa, nos adire quotidie, cuncta ad annonam huiusmodi pertinentia collaturus, commode possit, de dilectorum tamen filiorum Cameræ nostræ Apostolicæ clericorum praesidentium numero iuxta antiquam hactenus observatam consuetudinem, praeficere; ac de fide, probitate, integritate, prudentia et multiplici rerum gerendarum experientia dilecti filii Andreæ Spinolae, in utraque Signatura nostra referendarii dictaeque Camerae clerici praesidentis, nobis affatim perspectis, plurimum in Domino confisi, sperantesque ea, quae eius curae demandaverimus, omni cum laude gesturum et executurum fore; motu simili *etc.*, eumdem Andream, frumentariae annonae almae Urbis et reliqui Status nostri Ecclesiastici generalem praefectum, ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum, cum honoribus, oneribus, facultatibus et auctoritatibus, iurisdictione, privilegiis, exemptionibus et praerogativis solitis et consuetis, ac dilecto filio nostro Caesari Brumano, tunc eiusdem Camerae clerico praesidenti et dictae annonae nuper praefecto, et quibusvis aliis ad huiusmodi praefecturae officium annonae hactenus deputatis quomodolibet in hunc usque diem concessis, apostolica auctoritate, harum serie, approbantes et ratificantes, omnia et quaecumque per eum hactenus gesta, facta et ordinata hucusque, de novo constituimus, facimus et deputamus.

Facultas cogendi quoscumque ad notificandum eorum frumenta et legumina,

§ 2. Dantes illi in praemissis omnibus et singulis plenam facultatem et auctoritatem, tam in praefata alma Urbe quam quibusvis aliis nobis et S. R. E. mediate vel immediate subiectis provinciis, civitatibus, oppidis et locis, frumenta ac legumina, cuiusvis generis seu speciei, annotandi et describendi, seu annotari et describi faciendi; ac universas et singulas utriusque sexus personas, cuiusvis status, gradus, ordinis, dignitatis et præeminentiae existentes, eidem S. R. E. mediate vel immediate subiectas, tam ecclesiasticas quam saeculares, etiam si personae saeculares huiusmodi ducali, marchionali et comitis vel alia maiori, ecclesiasticae vero, episcopali, archiepiscopali, patriarchali [1] vel alia maiori dignitate seu dignitatibus praefulgeant, ac etiam si cardinalatus fungantur honore, vel etiam maiores

[1] Cherub. addit *primatiali* (R. T.).

existant, ad veram frumentorum et leguminum, quae ipsos tempore desuper publicandorum edictorum seu bannimentorum habere continget, quantitatem, etiam in scriptis medio iuramento denunciandum; quarum denunciationum notulam etiam ad dilect. filium Aloysium cardinalem Cornelium, necnon et pro tempore camerarium nostrum, deferri volumus, sub censuris ecclesiasticis ac pecuniariis, necnon manifestæ rebellionis læsæque maiestatis, ac dominiorum et aliorum bonorum suorum confiscationis, aliisque eius arbitrio imponendis et applicandis, ceterisque poenis, etiam quibusvis eidem Andreæ videbitur, etiam per publicum edictum in locis sibi benevisis affigendum vel alias publicandum, monendi et requirendi.

Et prohibendi ne illa asportentur de loco ad locum sine eius licentia,

§ 3. Eisque ne frumenta et legumina huiusmodi extra dictum Statum Ecclesiasticum, neque de loco ad locum, etiam loca eiusdem Status, sine eiusdem Andreæ licentia asportare ullo modo audeant, sub similibus poenis inhibendi; inobedientes seu contravenientes quoslibet in censuras et poenas praedictas incidisse et incurrisse declarandi, aggravandi et reaggravandi, invocato etiam auxilio brachii saecularis; necnon executiones quaslibet, tam reales quam personales, fieri mandandi.

Fraudesque desuper committentes coercendi,

§ 4. Praeterea quoscumque in præmissis fraudes committentes vel alias noxios et delinquentes mulctandi, ac quibusvis etiam ultimi supplicii vel aliis corporis afflictivis poenis condemnandi; et seu ipsos ac praedictos inobedientes seu non parentes a quibusvis censuris et mulctis, ac, ut praefertur, afflictivis, etiam ultimi supplicii, poenis absolvendi et liberandi, desuperque cum eis concordandi et accordandi, componendi et transigendi, ac quascumque sibi benevisas concordias, compositiones et transactiones faciendi.

Frumenta quoque et legumina undique cogendi et emendi pro pretiis sibi benevisis,

§ 5. Item, quascumque frumentorum et leguminum huiusmodi quantitates cogendi; ac emptionis et mutui vel alio quovis titulo pro preciis et modis, de quibus sibi videbitur, acquirendi: proptereaque quasvis pecuniarum summas mutuo vel aliter capiendi; ac super praemissis omnibus et singulis cum quibusvis mercatoribus et aliis personis quibuslibet conventiones et partitas quascumque, etiam cum quorumvis donativo, cum mutuantibus donandorum [1] promissione et donatione, faciendi; ac desuper contractus et instrumenta quaelibet, cum pactis, conditionibus, capitulis et clausulis sibi benevisis celebrandi et ineundi; ac pro illorum observatione praefatam Cameram et omnia illius bona, praesentia et futura, in quavis, etiam pleniori ipsius Camerae forma, obligandi.

Ministros desuper deputandi cum salariis ab eo declarandis,

§ 6. Necnon quoscumque commissarios, officiales et ministros opportunos aut alias sibi benevisos deputandi; et hactenus quomodolibet deputatos revocandi et removendi, prout nos harum serie quoscumque commissarios, officiales et ministros super huiusmodi frumentorum negocio hactenus, etiam per nos, quomodolibet deputatos revocamus et removemus; eorumque provisiones et salaria declarandi; eisque illas et illa, ac aliis, quibus opus fuerit, quasvis pecuniarum summas et quantitates, ex frumentorum et leguminum huiusmodi venditione conventionibusque seu partitis ineundis vel alias huiusmodi rei frumentariae negocio quomodolibet provenientes, solvi et exbursari mandandi; omnesque et singulos quarumvis civitatum annonæ præfectorum a nobis hactenus quomodolibet deputatorum ministros, quovis nomine nuncupatos, quos circa huiusmodi annonae negocium se quomodolibet ingessisse constabit, ad sibi seu a se deputandis de a se gestis et administratis rationes et computa reddendi, et reliqua, si quae sint, restituendi, per similes censuras et poenas aliaque iuris et facti remedia opportuna

[1] *Dandorum*, Cherub. (R. T.).

cogendi et compellendi, cogique et compelli faciendi.

Ceteraque omnia necessaria et opportuna faciendi.

§ 7. Ac denique cetera omnia et singula ad huiusmodi rei frumentariae negocium quomodolibet pertinentia gerendi, exercendi et exequendi; ac edicendi seu edici et proclamari faciendi necessaria et opportuna, quaeque omnes clerici praesidentes Camerae huiusmodi, dum simul coadunati et congregati ipsam Cameram faciunt et repraesentant, facere, gerere, exercere et exequi, ac edicere seu edici et proclamari facere possit et valeat: unumque vel plures loco sui cum simili vel limitata potestate substituendi et eius arbitrio removendi.

Officiales Status et alii omnes obediant praefecto.

§ 8. Mandantes propterea dilectis filiis camerario et thesaurario generali nostris necnon clericis praesidentibus dictae Camerae ceterisque ad quos spectat et in futurum spectabit, ut has nostras in praefata Camera admittant, et in illius libris describi et registrari faciant, desuperque patentes litteras et alias scripturas opportunas expediant et expediri mandent, auctoritate nostra et Sedis Apostolicae; et legatis de latere eorumque vicelegatis, ac tam dictae Urbis quam aliarum provinciarum, civitatum et locorum nobis et S. R. E. mediate vel immediate subiectorum quorumcumque gubernatoribus, locatenentibus, praetoribus, vicariis et aliis quovis nomine nuncupatis officialibus et iustitiae ministris, necnon communitatibus et universitatibus, eorumque magistratibus et personis publicis et privatis, in virtute sanctae obedientae et sub indignationis nostrae poena, etiam strictius inhibendo, ne eumdem Andream aut eius pro tempore ministros, in praemissis vel aliis ad dictum rei frumentariae negocium pertinentibus, ullo modo vel contemptu [1] impediant vel remorentur aut molestent; immo eius et et eorum nomine requisiti, illi et illis desuper opportune faveant et assistant, eiusque et eorum mandata, edicta seu proclamationes aut alias ordinationes exequi mandent et faciant realiter et cum effectu.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus, etiam apostolicis; necnon statutis et reformationibus, etiam iuramento *etc.* roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolic., etiam eisdem personis et earumdem Urbis, civitatum, provinciarum, oppidor. et locorum populis, communitatibus seu universitatibus, necnon tam ecclesiasticis quam saecularibus ceterisque supra designatis et aliis quibusvis personis, etiam super extractione frumentorum et leguminum, etiam per Sedem Apostolicam et Cameram praefatam, in genere vel in specie, tam ex causa onerosa, ac sub quibuscumque tenoribus et formis ac alias quomodolibet concessis et concedendis; quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis *etc.*, eorum tenores *etc.*, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse harum serie latissime derogamus, illaque adversus praemissa nullatenus suffragari posse seu debere decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 10. Decernentes praesentium nostrarum solam signaturam sufficere, et ubique, in iudicio et extra, in Romana Curia et extra, plenam fidem facere, regula contraria non obstante; seu, si eidem Andreae videbitur, desuper litteras, etiam per breve nostrum, etiam cum omnium et singulorum praemissorum pleniori specificatione et expressione, ac quarumcumque scripturarum desuper necessariarum ad verbum, si videbitur, insertione, aliisque clausulis et cautelis necessariis et opportunis, adeo quod contraria quaecumque prorsus tollantur et non obstent, simul vel separatim, expediri posse.

1 Legimus cum Cherub. *obtentu* (R. T.).

Fides transumptorum.

§ 11. Ipsarumque praesentium et etiam dictarum litterarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Papae subscriptio.

Placet, motu proprio. U.

Die VII maii MDLXXVI admissa fuit in Camera Apost., et per RR. PP. DD. clericos registrari mandata, quam ego not. infrascriptus in lib. Divers., fol. 39, registravi.

LV.

Quod religiosi et personae Societatis Iesu ad publicas processiones accedere non cogantur [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quaecumque sacrarum Religionum instituta offendere, et illarum personarum functiones et salutaria ministeria retardare noscuntur, nostrum nos incitat officium de medio removere.

Haec Societas et eius instituto non cogitur ire ad publicas processiones.

§ 1. Sane, licet, sicut accepimus, dilecti filii praepositus generalis et alii presbyteri religiosi Societatis Iesu, ab illius primaeva erectione, a Sede hac Apostolica iuxta divinae vocationis directionem emanata et per nos etiam confirmata, ad divinum officium privatim tantum et non in communi seu in choro recitandum teneantur; ac, propter ipsius Societatis tam multa collegia et seminaria, quae specialem postulant instituti religiosi modum, necnon ministeriorum illius amplitudinem ac difficultatem et in ecclesia Dei utilitatem, ex antiqua consuetudine iam inde ab huiusmodi erectione recepta, observatum, decretoque etiam generalis eorum congregationis desuper edito, ne ad publicas supplicationes seu processiones quivis ex illius personis accederet, nisi ubi propter haereticorum vel gentilium conversionem aut alias expediens esse pro tempore existens generalis ipsius Societatis praepositus iudicaret, ordinatum fuerit.

Ordinarii tamen cogebant vigore concilii Trid., sess. XXV, cap. XIII.

§ 2. Nihilominus nonnulli locorum ordinarii, forsan concilii Tridentini auctoritate et decreto moti, dictos presbyteros ad supplicationes praedictas procedere nuper coegerunt, non sine illorum functionum ac ministeriorum retardatione.

Hic modo Pontifex, iustis de causis, eam eximit ab huiusmodi supplicationib. publicis.

§ 3. Nos igitur, qui praefatos presbyteros et religiosos dictae Societatis a studiis, lectionibus, praedicationibus, confessionibus audiendis et aliis verbi Dei ministeriis ac pietatis operibus, quibus continue laudabiliter incubuerunt et incumbere non desistunt, quavis ex causa, distrahi nolumus; considerantes in Ecclesia Dei non deesse alios Ordines Religionum, qui vel ex instituto, vel absque propriarum functionum impedimento, supplicationibus huiusmodi interesse, aliaque publica divina officia exercere sancte continenterque valeant, in praemissis opportune providere, ipsosque praepositum, presbyteros et eorum singulos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad dictorum praepositi et presbyterorum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, praepositum ac omnes et singulos presbyteros ac religiosos et personas alias omnes dictae Societatis, ubique locorum existentes, ab interessentia supplica-

1 Alia de hac Societate vide in constit. XXXI Pauli III, *Regimini*, tom. VI, pag. 303.

tionum seu precum aut processionum huiusmodi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo eximinus et liberamus.

Nulli igitur eam desuper molestent.

§ 4. Districtius inhibentes quibusvis locorum ordinariis, etiam patriarchali vel archiepiscopali dignitate, ac etiam cardinalatus et legationis Sedis Apostolicae honore praefulgentibus, et aliis personis, quacumque auctoritate fulgentibus, ne modernos et pro tempore existentes praepositum et alios presbyteros et religiosos Societatis huiusmodi ad processionibus praefatis interessendum, quavis occasione, causa seu quovis praetextu, ingenio vel colore, directe vel indirecte, mediate vel immediate, cogere, aut eos desuper praemissis molestare, perturbare vel inquietare, seu molestari, perturbari aut inquietari facere audeant vel praesumant seu permittant.

Executorum et defensorum Societatis deputatio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus aut officialibus generalibus, et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, necnon abbatibus, prioribus præpositis, decanis, archidiaconis, canonicis et capitulis ac aliis, ad quos id quomodolibet spectat et spectabit, per easdem praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum praepositi, presbyterorum et religiosorum Societatis huiusmodi vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo non ultra tres diaetas quis vigore praesentium ad iudicium trahatur, et aliis apostolicis, necnon in generalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI iulii MDLXXVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 iulii 1576, pontif. anno V.

LVI.

Quod confessores, in vim privilegiorum Cruciatae sanctae eligendi, neminem ab incursu et lapsu in haeresim absolvere possint.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Officii nostri partes sedulo praestare tenemur, ne gratiae et privilegia a Sede Apostolica ad animarum salutem emanata, in illarum detrimentum interpretentur aut extendantur.

§ 1. Nuper siquidem accepimus nonnullos curiosa et subtili magis quam vera

interpretatione praetendere, in vim privilegiorum Cruciatae sanctae ab eadem Sede concessorum eligendi confessores, qui a nonnullis criminibus et excessibus absolvere possint, a lapsu et incursu in haeresim absolvendi facultatem et auctoritatem saltem in foro conscientiae habere.

Declaratio, de qua in rub.

§ 2. Nos autem, omnem dubitandi occasionem in praemissis removendam esse existimantes, ne circa id ullo tempore haesitari contingat, motu proprio et ex certa nostra scientia, felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, ac nostrae intentionis nunquam fuisse vel esse, dictis confessoribus aliquo modo absolvendi ab incursu et lapsu in haeresim, quod crimen, uti ceteris gravissimum, speciali nota est dignum, facultatem concedere, nec illam per dictum praedecessorem et nos unquam concessam fuisse vel esse censeri; aut ipsis confessoribus dictorum privilegiorum auctoritate electis absolutionem impartiri licuisse neque in posterum licere; aut absolutiones, iam forsan eo casu sub datorum privilegiorum praetextu per confessores impensas nemini suffragari potuisse sive posse, auctoritate apostolica, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Facultas commissarii Cruciatae illam in vulgari idiomate redigendi etc.

§ 3. Et ut christifideles supradictae declarationis commodius notitiam habere possint, licentiam et facultatem concedimus commissario generali dictae Cruciatae illam de latino sermone in vulgari, iuxta linguam provinciae ubi publicatio ipsius Cruciatae facienda erit, redactam, una cum facultatibus dictae Cruciatae et per modum exceptionis, in suo loco, sive in totum sive ad partem imprimi posse facere, in contrarium facientibus quibuscumque non obstantibus.

Fides transumptorum.

§ 4. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus et dicta auctoritate decernimus quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii apostolici subscriptis, et sigillo dicti commissarii seu alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 sept. 1576, pontif. anno V.

LVII.

De confraternitate Recommendatorum B. Mariae Virginis, Confalonis postea nuncupata, Romae, anno MCCLXIV, *a nonnullis patritiis Romanis instituta; ac de modo orandi, sive corona a S. Bonaventura eius confratribus praescripta, indulgentiarumque elargitione.*

Gregorius Papa XIII universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Pastoris aeterni, Qui non vult mortem sed conversionem peccatoris, vices, licet immeriti, gerentes in terris, christifideles singulos, praesertim piis sodalitatibus, ad caritatis et misericordiae opera exercenda, sub gloriosissimae Virginis Mariae nomine et vexillo institutis, adscriptos, ad devotionis sinceritatem erga Salvatorem et Dominum nostrum Iesum Christum, Cui, pro ipsis ab aeterna morte redimendis in ara crucis immolato, nulla condigna reverentia nullusque satis congruus honor ulla ratione posset umquam exhiberi, per amplius augendum, frequentesque et efficaces orationes sibi, tam pro eorum quam aliorum christifidelium, etiam defunctorum, animarum salute, devote ef- — Exordium.

fundendum, esca spiritualium alimentorum, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus, libenter invitamus, ut exinde, suorum abolita macula delictorum, promissae redemptionis fructum facilius consequi, et ad sempiternae gloriae beatitudinem feliciter pervenire mereantur.

Sodalitas Beatae Mariae Confalonis de anno MCCLXIV in Urbe instituta fuit, et a Pontificibus decorata diversis privilegiis;

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, superioribus temporibus, videlicet de anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, in alma Urbe nostra admodum insignis societas Regulae Recommendatorum eiusdem B. Mariae Virginis primo, et deinde Confalonis nuncupata, per nonnullos patritios Romanos et alios eximios ac egregios viros, ex revelatione ipsius B. Mariae Virginis, ut pie creditur, canonice instituta, ac insignibus et praeclaris privilegiis, indulgentiis aliisque peccatorum remissionibus per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros decorata.

Et quaedam corona, pro modo orandi a S. Bonaventura data fuit confratribus.

§ 2. Et inter cetera, pro illius felici directione, et animarum dilectorum filiorum ipsius societatis confratrum tunc et pro tempore existentium salute, eorumque devotionis incremento, et divini nominis ac eiusdem Beatae Mariae Virginis honore et gloria, per sanctum Bonaventuram, tunc in humanis agentem et Ordinis fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum professorem, pie statuta et ordinata, eisdem confratribus certa, facilis, commoda et omnibus pervia orandi et Altissimo preces effundendi ratio et forma, corona nuncupata, praescripta fuerit, videlicet quod ipsi confratres, loco horarum canonicarum, viginti quinquies Orationem Dominicam et toties salutationem Angelicam, cum versu incipiente *Gloria Patri*, in fine psalmorum recitari solito, necnon septies Orationem Salutationemque huiusmodi cum versiculo Defunctorum nuncupato, qui incipit *Requiem aeternam*, et eius responsorio recitare tenerentur.

Eisdemque sic orantibus variae indulgentiae concessae fuerunt.

§ 3. Ipsis autem confratribus sub huiusmodi forma pie orantibus varias indulgentias et peccatorum remissiones concessas fuisse, multorum fide dignorum testimonia a suis maioribus quasi per manus tradita et accepta comprobent. Ceterum, propter diuturni temporis huiusmodi lapsum illiusque varias calamitates ac iniurias, de concessionibus indulgentiarum et remissionum huiusmodi, aliter quam ut praefertur, non constet.

Hic modo Pontifex, ut illi ferventius d. formam orandi observent et aliis piis operibus ardentius studeant,

§ 4. Nos, cupientes ut ipsa societas, cuius confratres praedicti, ut etiam accepimus, in virginibus pauperibus nuptui singulis annis tradendis, missis et aliis divinis officiis in eorum oratorio celebrandis, aliisque piis operibus, non sine summo religionis et caritatis christianae fervore intenti, laudabiles effectus producere non cessant, et ad quam dilectus filius noster Alexander tituli Sanctae Mariae in Via presbyter cardinalis Sfortia nuncupatus, viceprotector, et Angelus Capranica, ac Hortensius Frangipanis, necnon Ioannes Dominicus Guelphus, et Valerius de Valle, patritii Romani moderni custodes eiusdem Societatis, dilecti filii, singularem gerunt devotionis affectum, prosperis incrementis iugiter proficiat, et in debita veneratione habeatur; ac non solum illius, sed etiam quarumcumque aliarum et nunc aggregatarum et deinceps aggregandarum societatum confratres pro tempore existentes, eo ferventius et libentius formam orandi huiusmodi cum devotionis incremento observent, et recitationi coronae praefatae intendant, quo exinde maioribus donis spiritualibus se refectos fore conspexerint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi:

Indulgentias hic enunciatas elargitur.

§ 5. Omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in confratres, tam Confalonis quam aliarum ei aggregatarum et aggregandarum societatum huiusmodi pro

tempore receptis, qui forma praescripta huiusmodi oraverint, et dictam coronam devote recitaverint, dominicis et aliis festivis, viginti; ceteris vero non feriatis diebus, decem annos de eis iniunctis vel alias quomodolibet debitis poenitentis, quo die praedictorum id fecerint, apostolica auctoritate, tenore praesentium, misericorditer in Domino relaxamus. Dictis vero confratribus in Nativitatis et Resurrectionis ac Pentecostes Domini nostri Iesu Christi ceterisque tam in illius quam eiusdem B. Mariae Virginis honorem celebrari solitis festivitatibus eamdem coronam etiam recitantibus, quo die festivitatum id fecerint plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus ore confessi et corde contriti fuerint, indulgentiam et remissionem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et elargimur. Declarantes eamdem indulgentiam assequi etiam illos ex confratribus praedictis, qui, eorum vita durante, singulis diebus, cessante legitimo impedimento, eamdem coronam similiter recitaverint, et in mortis articulo confessi et contriti decesserint; seu id facere nequeuntes, contritionis signa exhibuerint et ostenderint, vel ad minus ter in qualibet hebdomada eamdem coronam recitantes, et in illorum mortis articulo dictam coronam supra se habentes, sanctissimum nomen Iesu ore seu saltem corde invocaverint. Et insuper, ut animarum christifidelium, tam vivorum quam defunctorum, saluti per amplius consulatur, eisdem confratribus, nunc et pro tempore existentibus, ut coronam praedictam quadragesimalibus et aliis temporibus ac diebus, quibus in ecclesiis dictae Urbis et extra illius muros existentibus stationes sunt indictae, recitando, omnes et singulas indulgentias peccatorumque remissiones tam pro se quam per modum suffragii pro confratribus in Christi caritate defunctis, pro quibus illam recitaverint, consequantur, quas consequerentur, si eisdem temporibus et diebus ecclesias ipsas pro eisdem stationibus et indulgentiis deputatas personaliter visitarent. Et postremo, ut si ipsi confratres, pariter confessi et contriti, singulis secundis feriis cuiuslibet mensis, ac etiam die commemorationis defunctorum coronam ipsam cum versiculo et responsorio praedictis incipiente *Requiem aeternam*, genibus flexis, pro cuiuscumque confratris anima, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, pariter recitaverint, per huiusmodi recitationem anima ipsa, eorumdem Domini nostri Iesu Christi et beatissimae Virginis Mariae ac beatorum apostolorum Petri et Pauli aliorumque sanctorum meritis suffragantibus, a purgatorii poenis liberari valeat, eisdem auctoritate et tenore, etiam concedimus et indulgemus.

Clausulae praeservativae.

§ 6. Praesentibus litteris, quas sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarium revocationibus, limitationibus, suspensionibus ac aliis contrariis dispositionibus comprehendi, quavis, etiam dicta, auctoritate, etiam per nos et pro tempore existentes Romanos Pontifices successores nostros et Sedem Apostolicam, aut alias ex quacumque, quantumvis urgentissima ac necessaria, causa, etiam in favorem basilicae eiusdem Sancti Petri de Urbe, Cruciatae sanctae vel expeditionis contra infideles, ac etiam motu proprio et ex certa scientia, in genere vel in specie, et alias quomodolibet factis et emanatis, nullatenus umquam comprehensas; et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, ac de novo, etiam sub quacumque, etiam posteriori, data per pro tempore existentes ipsius societatis Confalonis custodes eligenda, concessas, restitutas et plenarie reintegratas esse, fore et censeri, ac confratribus et aliis praedictis suffragari debere decernimus, perpetuis futuris

temporibus valituris, etiam si societati et illius confratribus praedictis aliqua alia indulgentia, perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura, per nos vel Sedem eamdem concessa fuerit.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII octobris, millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 octobris 1576, pontif. anno V.

LVIII.

Quod pro Religione clericorum regularium Societatis Iesu ubique ecclesiae et domus aedificari possint, non obstante privilegio aliis Ordinibus concesso et concedendo, quod prope eorum loca nova monasteria constitui nequeant.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, Qui caritas est et Deus pacis, his in terris vices, licet immeriti, gerentes, ea quae pacis sunt, praesertim cum militantis Ecclesiae firmamentum omnisque filiae Sion decor in animorum coniunctione, pace et tranquillitate versetur, nosque unum in Christo corpus simus, pro nostri debiti officio, tamquam ipsius mystici corporis caput, quaerentes, litium quarumvis, quae fraternam dilectionem lacerant, maxime vero quae inter religiosas personas ventilantur, occasionibus obviamus, exortasque, quantum cum Deo possumus, consopimus.

Societatis Iesu multa sunt pia opera et fructus.

§ 1. Sane, ut accepimus, licet dilecti filii presbyteri venerabilis Societatis Iesu in vinea Domini, tamquam fructiferi palmites, in toto fere orbe, tam in continendis in via mandatorum christifidelibus, infirmis in fide consolidandis, aegrotisque sanandis, confractis alligandis, et abiectis reducendis, ovibus dispersis et lupis vespertinis leonumque famelicis catulis in devorationem expositis reclamandis et defendendis, quam etiam iis, quae extra ovile Christi sacrosanctique imperii nostri tutelam, sub ignorantiae iugo, in obscuris et tenebricosis lucis ac desertis per montuosas ac difficiles vias aberrant, convertendis, et ad nationes catholica religione imbutas, et ad immanes barbarasque divini cultus politicique ornatus ignaras gentes, ferino potius quam humano more viventes, sese extendentes, optimum et uberrimum fructum attulerint, et in dies maiori cum sollicitudine afferre, zizania extirpare, bonum semen revocare, plantare, terrasque incultas evangelico sulco ac ecclesiasticae disciplinae vomere eruderare non cessent.

Ideoque Paulus III eius institutum confirmavit 1.

§ 2. Ac dudum, propter ipsius Societatis tam utiles tamque necessarias functiones, quas tum in domibus per frequentem Poenitentiae et Eucharistiae sacramentorum administrationem et ad eorum frequentationem sectandam exhortationem praedicationemque et spiritualia exercitia ac alia verbi Dei ministeria, tum in collegiis per lectiones tam bonarum litterarum quam philosophiae etiam et theologiae ad iuventutem bonis moribus et litteris imbuendam, ex ipsius Societatis primaeva instituti erectione ac divina vocatione, magno Dei beneficio et Ecclesiae spirituali emolumento, exercet, felicis recordationis Paulus Papa tertius speciali privilegio, ut quaecumque domos, ecclesias et collegia aedificare, vel concessa recipere et inhabitare posset, indulserit.

Et etiam Iulius III 2.

§ 3. Et deinde piae memoriae Iulius, etiam Papa tertius indultum huiusmodi confirmaverit.

Pius IV concessit indultum.

§ 4. Et successive recolendae memoriae Pius quartus, praedecessores nostri, idem

1 Ut in constitutione XXXIII, *Regimini*, tom. VI, pag. 303. 2 Const. XI, *Exposcit*, t. VI, pag. 422.

indultum, etiam intra centum quadraginta cannas Ordinum Mendicantium, de novo concesserit.

Et Pontifex confirmavit.

§ 5. Nosque postremo, cum lis et causa seu controversia aut quaestionis materia desuper, occasione certae domus per ipsos presbyteros a dilecto filio comite de Orgaz Toleti emptae, concessionem eiusdem Pii praedecessoris confirmantes, emptionem dictae domus recte factam et in ea presbyteros ipsos habitare posse et debere declaraverimus, et alias prout in singulis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur.

Quia tamen Societas adhuc molestatur,

§ 6. Nihilominus praefati presbyteri a diversis dictorum Ordinum religiosis diversimode, vigore seu praetextu privilegiorum huiusmodi cannarum, adhuc, prout de facto, tam in Mexicana quam in Guaxicana novae Hispaniae civitatibus, non sine animi nostri displicentia, molestantur, immo et excommunicationis sententia interdum feriuntur, in christiani populi scandalum non modicum.

Hic Pontifex disponit ut sequitur;

§ 7. Nos igitur, attendentes dictam Societatem, quae, quamvis collegia habeat annexa, et haec redditus pro studentium necessitate habere possint, inter Mendicantium Ordinum Religiones, per sanctae memoriae Pium Papam quintum, similiter praedecessorem nostrum, per quasdam suas in forma brevis litteras, sub die septima mensis iulii, pontificatus sui anno sexto, expeditas, adscripta et declarata, ac privilegiorum Ordinum Mendicantium particeps effecta fuit, ex eius instituto et constitutionibus apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere non posse, sed incertis eleemosynis fideliumque largitionibus et subventionibus vivere, nec minus quam ceteros Mendicantes Ordines in excolenda vinea Domini assidue laborare, immo nec alios iuxta se domos et monasteria aedificare prohibere, neve ullum aut certe quam minimum praeiudicium aliis religiosorum monasteriis ex Societatis domorum, collegiorum et ecclesiarum vicinitate provenire, ex eo quod, propter diversam functionum et instituti rationem, Societas ipsa nec chori usum habet, nec ad funerales associationes accedit, nec defunctorum funera nisi rara, nulla item missarum vel sepulcralia stipendia, nullas sepulcrorum vel cappellaniarum fundationes, nullam denique prorsus eleemosynam, quae ad quodvis ipsius Societatis ministerium vel opus dirigi intelligatur, admittit. Ac, prout nostrum nos invitat officium, inconvenientibus huiusmodi obviare, ac scandala quaecumque et contentionum, praecipue inter religiosas personas, occasiones removere, necnon tam salubribus dictae Societatis ministeriis quae, pro eorum dignitate ac maiori fidelium fructu, in locis aptis, ubi maior seges et frequentior populi consuetudo viget, exerceri et ministrari debent, viam potius aperire quam impedimenta ulla obiici permittere volentes.

Privilegium cannarum quibuscumque Ordinibus concessum, respectu huius Societatis, revocat, non obstante nova concessione per eos obtinenda;

§ 8. Motu proprio ac de apostolicae potestatis plenitudine, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, eosdem presbyteros eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; ac supradictarum litterarum, necnon et aliorum Ordinum privilegiorum et in eis contentarum clausularum tenores, ac alia etiam forsan circa praemissa de necessitate exprimenda, praesentibus pro expressis habentes; ac privilegia dictorum Ordinum super non aedificatione infra dictas cannas, quoad

dictam Societatem tantum, suspendentes, revocantes ac invalidantes; silentium perpetuum quibusvis super praemissis aut eorum aliquo, vigore cuiusvis confirmationis aut ampliationis et de novo concessionis dictarum cannarum a Sede Apostolica, quomodolibet et pari motu, etiam consistorialiter, ac cum quibusvis praesentium derogationibus specifice factis obtentarum et in futurum obtinendarum, contra praesentium tenorem venientibus imponentes.

Et facultatem ecclesias et domos ubique fabricandi concedit;

§ 9. Eisdem presbyteris et Societati, ut quaecumque domos, collegia, ecclesias et alia aedificia erigere, ac per eos ubivis locorum erecta inhabitare; ac quaecumque loca, domos, ecclesias, oratoria et alia cuiuscumque structurae aedificia, sibi quomodolibet relicta vel oblata, recipere, acceptare, emere, possidere et retinere; ac in eis omnia et singula functiones, lectiones et ministeria, in aliis eiusdem Societatis domibus, collegiis, ecclesiis et aliis locis fieri et exerceri solita, habere, facere et exercere libere et licite possint et valeant, earumdem praesentium tenore, de speciali dono gratiae, concedimus et indulgemus. Eosque a quibusvis censuris et poenis, in illos praemissorum occasione forsan latis, absolvimus.

Privilegia Societatis omnia confirmat;

§ 10. Necnon indulta per Paulum, Iulium et Pium, praedecessores nostros praedictos, et nos eis, ut praefertur, concessa et confirmata, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, privilegiis, facultatibus, praerogativis et aliis gratiis, declarationibus, derogationibus aliisque quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis et clausulis, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Clausulas praeservativas apponit;

§ 11. Necnon oppositionem et contradictionem quorumcumque, quovis titulo, vigore, praetextu, colore, ipsis presbyteris praeiudicium afferre, ac praesentes litteras de obreptionis seu subreptionis vitio aut intentionis nostrae defectu notari vel impugnari, suspendi, revocari, annullari, invalidari aut ad viam iuris reduci, vel contra illas attentari non posse neque debere; sed illas perpetuo validas, efficaces et illibatas existere, et ubi aliquid contra eas extorqueri et obtineri contigerit, illas nihilominus in suo pleno et integro robore, absque eo quod desuper impetranda sit a Sede praedicta illarum confirmatio, restitutio, revalidatio vel nova concessio, permanere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, in posterum contigerit attentari, decernimus. Ac quasvis excommunicationis sententias, vigore talium privilegiorum cannarum, contra dictos presbyteros vel Societatem latas et ferendas, eos vel eorum aliquem nullatenus afficere posse declaramus.

Executores deputat;

§ 12. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per praesentes, pari motu, mandamus quatenus ipsi vel eorum quilibet, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte dictorum presbyterorum aut alterius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in premissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos decreto, confirmatione, indulto aliisque praemissis pacifice gaudere, ac easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque perpetuo inviolabiliter observari. Non permittentes eos super eisdem praemissis vel eorum aliquo, per quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, religiosos, seu locorum ordinarios, aut alios quoscumque iudices et personas, cu-

iuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant, et quacumque, etiam pontificali, regia vel alia auctoritate fungantur, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore vel ingenio, impediri, molestari, perturbari vel alias quomodolibet inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat;

§ 13. Non obstantibus praemissis ac piae memoriae Bonifacii Papae octavi, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo non ultra tres diaetas quis auctoritate praesentium ad iudicium trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; nenon dictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordinibus illorumque superioribus et personis etiam super non aedificandis ecclesiis, domibus, collegiis, et aliis aedificiis aliarum Religionum intra centum quadraginta cannas ab eorum coenobiis, conventibus vel monasteriis et domibus, ac aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, per quoscumque Romanos Pontifices concessis, confirmatis et innovatis, ac omnibus aliis quae nos et praedicti praedecessores nostri in singulis litteris praedictis voluimus non obstare. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non tamen per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores illorum, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu simili, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 14. Volumus autem et eadem auctoritate decernimus quod ipsarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae aut curiae ecclesiasticae vel etiam generalis praepositi ipsius Societatis munitis, in iudicio et alibi, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem presentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX octob. MDLXXVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 30 octobris 1576, pontif. anno V.

LIX.

Iurisdictio protomedici et collegii physicorum almae Urbis quoscumque medicos in ea medentes examinandi, et non repertos idoneos ab exercitio medicinae expellendi atque coercendi [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

In apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, divina dispositione

[1] Eiusdem collegii et protomedici auctoritatem in Urbe doctorandi et iurisdictionem causas ad artem spectantes cognoscendi habes in Iulii III constit. XXVI, *Meritis*, tom. VI, pag. 471.

constituti, ad ea nostrae considerationis aciem libenter dirigimus, per quae, provisionis nostrae auxilio, artis medicinae ministerium recte et fideliter exerceatur; et ne in eo nonnullorum imperitia errores in alterius iacturam fiant, nostri pastoralis officii partes libenter impartimur, prout, temporum qualitate pensata, id perspicimus salubriter expedire.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in Urbe nostra a diversis medicis et artem medicinae exercentibus, etiam publice doctoratis et privilegium doctoratus etiam a publicis et generalibus Studiorum Universitatibus habentibus, quamplurimi et gravissimi errores, medendo et artem medicinae exercendo, etiam in hominum perniciem et grave damnum, committantur, dum nempe dicti medici non admodum experti ea remedia et praesidia, quae non conveniunt, quinimmo contraria et diversa utcumque praescribantur, adhibeant et consulant, etiam interdum vel saepius experientiam et periculum dictae artis in rebus dubiis et ipsis incognitis, cum maximo et evidenti hominum vitae discrimine, faciendo.

Concessio iurisdictionis de qua in rubr.

§ 2. Nos, pro nostri pastoralis officii debito, huic gravi malo occurrere et in praemissis opportune providere volentes, dictorum filiorum protomedici et collegii physicorum dictae Urbis in hac parte supplicationibus inclinati, eisdem protomedico nunc et pro tempore existenti ac collegio physicorum dictae Urbis, in eadem Urbe omnes et singulos ac quoscumque artem medicinae exercentes, etiam medicos publice et in publicis gymnasiis vel Universitatibus quibuscumque doctoratos et promotos, exceptis tamen illis medicis qui, longo usu tam in stationibus medicorum sive collegiis habitis quam alias, in exercitio medicinae probi et periti communiter existimantur, ad se examini subiiciendum, et per interdictionem exercitii medicinae compellere, et per ipsum protomedicum et duos alios de eodem collegio examinare, et illos, quos ad medicinam exercendam non idoneos nec sufficientes repererint, exercitio medicinae huiusmodi in ipsa Urbe prorsus interdicere, seu ab ipso exercitio, ad tempus et donec et quousque, studio mediante, ad melius profecerint, suspendere; aut eis, ne dictam artem, nisi cum praesentia vel consilio alterius vel aliorum medicorum idoneorum, et a dictis protomedico et duobus de collegio huiusmodi approbatorum, ullatenus exercere audeant nec debeant prohibere. Ac in contrafacientes aut contradicentes quoslibet quasvis poenas ipsi collegio benevisas et arbitrio eiusdem collegii piis usibus applicandas infligere, illasque ab eis exigere, omniaque et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere et exercere libere et licite valeant ac etiam debeant, apostol. auctoritate, tenore praesentium, concedimus [1], sicque etiam perpetuo statuimus et ordinamus. Necnon eisdem protomedico et collegio, in et super praemissis omnibus et singulis, plenam, liberam, amplam et omnimodam facultatem, licentiam, potestatem et auctoritatem impartimur.

Inhibitio contra omnes impedientes.

§ 3. Ac etiam protomedicum et collegium huiusmodi eorumque deputatos et deputandos super praemissis omnibus et singulis ac illorum executione, per quoscumque, quavis auctoritate et quocumque quaesito colore, ingenio vel praetextu, quomodolibet molestari vel impediri non posse decernimus. Mandantes praeterea dictis medicis, qui, ut praefertur, non idonei nec sufficientes pro tempore reperti fuerint, ut, in virtute sanctae obedientiæ et etiam sibi per collegium praedictum comminandis et infligendis poenis, eiusdem collegii mandatis pareant et obediant.

1 Cherub. addit *et mandamus* (R. T.).

Officiales eis faveant, et huius constitut. quaerant observantiam.

§ 4. Necnon dilectis filiis Curiae causarum generali auditori, gubernatori, vicario et senatori ac conservatoribus Camerae dictae Urbis, ceterisque ius dicentibus, ecclesiasticis et saecularibus, quavis auctoritate fungentibus et functuris, ac iustitiae ministris dictae Urbis, et quibusvis aliis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, quatenus ipsi et eorum quilibet, eisdem protomedico et collegio in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, praesentes nostras recipiant et admittant ac inviolabiliter observent; et ab omnibus, ad quos spectat et spectabit, observari mandent et praecipiant; faciantque protomedicum et collegium huiusmodi praemissis omnibus pacifice et quiete uti, frui et gaudere; nec permittant eos per quemlibet, contra earumdem praesentium tenorem, quoquomodo molestari aut impediri; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas, etiam pecuniarias, aliaque opportuna iuris et facti remedia, quacumque appellatione remota, compescendo; ac censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac privilegiis doctoratus in medicina, dictis medicis, qui, ut praefertur, non idonei nec sufficientes pro tempore reperti fuerint, quomodolibet et etiam per quaecumque gymnasia, collegia et Universitates, etiam generales, ac etiam praevio rigoroso examine, etiam publice facto, concessis et concedendis; necnon quacumque praescriptione, etiam longissimi temporis, quo ipsi tales medici, etiam absque aliqua contradictione, medicati fuerint, et artem praedictam, etiam palam et publice, nemine contradicente, exercuerint; ac regula nostra de non tollendo iure quaesito, si opus sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus; dictaeque Urbis et quorumcumque gymnasiorum, collegiorum et Universitatum Studiorum, etiam generalium, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, legibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam illis eorumque superioribus et personis, ac etiam dictis medicis, qui pro tempore non idonei, nec sufficientes, ut praefertur, reperti fuerint, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et consistorialiter ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ac in posterum concedendis, confirmandis et innovandis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 6. Volumus insuper quod praesentium transumptis *etc.* — Fides exemplorum.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I novemb. MDLXXVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 1 nov. 1576, pontif. anno V.

LX.

Declaratio concordatorum inter Sedem Apostolicam et nationem Germanicam circa collationes beneficiorum ecclesiasticorum in mensibus reservatis [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quae in Ecclesiam Dei incommoda in- — Exordium.

[1] Ista concordata firmavit Nicolaus V in constitutione I, *Ad sacram*, tom. V, pag. 97.

ferunt, nostra nos expedit animadversione removere.

Nicolaus V statuit ordinarios posse disponere de beneficiis vacantibus in mensibus Sedi Apost. reservatis, nisi fuerit a dicta Sede provisum.

§ 1. Cum itaque, per litteras felicis recordationis Nicolai Papae quinti, nationi Germanicae, pro illius unione et concordia cum Sede Apostolica, inter alia, concedatur, ut quoties, aliquo vacante beneficio ecclesiastico in mensibus ianuarii, martii, maii, iulii, septembris et novembris, in quibus vacantium Germaniae beneficiorum ecclesiasticorum dispositio dictae Sedi specialiter reservata est, non apparuerit intra tres menses a die notae vacationis in loco beneficii quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc et non antea, ordinarius vel alius ad quem illius dispositio pertinet de illo disponere possit: et saepenumero contingat ut, antequam inquisitio, quam plerumque, etiam in concursu plurium, sive in partibus sive apud dictam Sedem, fieri oportet in vitam, mores et doctrinam eorum, quibus de dictis beneficiis per Sedem eamdem providendum est, compleri possit; aut antequam de ipsis provisionibus, seu de mandatis, quae ad inquisitiones et provisiones huiusmodi faciendas ab eadem Sede impetrantur vel motu proprio procedunt, litterae apostolicae conficiantur; vel etiam antequam mandata ipsa a iudicibus, ad quos directa sunt, recipiantur vel recepta expediantur; interdum quoque, litteris apostolicis expeditis et gratia purificata, seu mandatis praedictis receptis et inquisitione completa, antequam omnimoda executio perficiatur, propter diversa impedimenta, quae frequenter succedunt, tempus trium mensium, ex quo vacatio beneficii in loco ipsius nota est, expiret, ac proinde ordinarii locorum aut alii, ad quos talium beneficiorum dispositio, cessantibus apostolicis reservationibus, pertinet, lapso tempore praedicto, licet, priusquam illud laberetur, provisionis sive alterius dispositionis de illis a dicta Sede iam gratia facta fuerit (quod ipsum ad tribuendum et quaerendum ius satis superque esse certa iuris interpretatione frequenter declaratum est), illa tamen conferre contendant. Qua de causa multis religione et pietate insignibus, quando ii, post ostensum virtutis et doctrinae suae specimen atque inde emensos labores et sumptus, beneficiis potiri deberent, alii praeoccupatores, obtentu ordinariae collationis huiusmodi, contra adversantur.

Hic Pontifex modo declarat dictam constitutionem Nicolai V.

§ 2. Nos, indignum rati quod temporis mora, quam ad perscrutandum accuratius talium probitatem, industriam et alia requisita intercedere pro utilitate Ecclesiae necesse est, locum iniuriis aperiat; attendentesque verba praedicta *in loco beneficii* cum verbis *notae vacationis*, quae protinus antecedunt, coniungi, et ad illa dumtaxat referri, ac voluntatem concedentis sensumque concessionis et litterarum praedictarum sic esse ut dispositio beneficii intra tres menses a die notae vacationis a Sede praedicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum, re inter utriusque iuris interpretes iampridem controversa, summa ratione iudicatum apparet; vix enim est ut itineribus non modo infestis aut prohibitis, quod fere semper alicubi contingit, sed etiam expeditis, quis ex tam longinquis regionibus ad dictam Sedem profectus, et in ea ad expediendum negocium vel paulisper moratus, in easdem se recipere tanta temporis angustia possit. Quocirca, aequitate et iustitia suadentibus, praesentium auctoritate, declaramus concessionem Nicolai Papae et litteras praedictas locum omnino non habere, quod ordinarii aut alii collatores praedicti, post lapsum trium mensium ex die notae vacationis in loco beneficii, disponere possint de ullis beneficiis praedictis, alias sub concessione et litteris

praedictis comprehensis, extra Romanam Curiam in mensibus praedictis quoquomodo vacantibus vel vacaturis, de quibus intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem ac dictam Sedem qualiscumque gratia vel dispositio aut concessio facta fuerit. Ne tamen cuiquam licitum sit factam a Sede praedicta dispositionem huiusmodi in longum obtegere, illi, quibus deinceps gratiae huiusmodi concedentur, earum concessionum fidem et testimonium, intra tres menses a die notae vacationis in loco beneficii huiusmodi, vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficii loco publicare quoquomodo teneantur.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes omnes et quascumque dispositiones de dictis beneficiis ab eisdem collatoribus post significationem seu publicationem huiusmodi pro tempore factas, nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fore. Sicque, in quibusvis causis pendentibus et futuris iudicari debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his ab eisdem collatoribus aut quibuscumque aliis, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Inobedientium collatorum poena.

§ 4. Quod si forte quisquam collatorum praedictorum fuerit praesentium violator, eum a beneficiorum et officiorum collatione tamdiu suspendimus, donec ipse, veniam petens, restitutionis gratiam a Sede praedicta meruerit obtinere.

Exemplorum fides.

§ 5. Ceterum volumus ut praesentium transumptis *etc.*

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, kalendis novembris, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 1 nov. 1576, pontif. anno v.

LXI.

Vinea et vineola extra Portam Flaminiam collegio Germanico, pro recreandis scholaribus donantur [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Collegio Germanico a se instituto

§ 1. Quoniam collegium German., quod in Urbe pridem instituimus, divina favente clementia, magno iam refertum numero scholarium, in quibus sustentandis certos annuos redditus assignavimus, animadvertimus nullum scholaribus ipsis a nobis hactenus fuisse concessum locum, ubi partim studii assiduitate fessi, partim morbo debilitati paululum interdum recreari et vires recipere possint.

Vineam de qua in rubrica donat Gregorius.

§ 2. Nos igitur huic rei vineam extra Portam Flaminiam dictae Urbis, in loco *Pesaioli* nuncupato sitam, quae ab uno Bernardini Piscina, et ab alio civis Fontanelli Urbinaten. dilectorum filiorum, a reliquis vero duobus lateribus dicti *Pesàioli* et Portae Pincianae viis publicis terminatur, et ad Cameram nostram Apostolicam spectat, ab eaque iuste possidetur, opportunam existimantes; dictorumq. scholarium, quorum non minus pietatem et erga bonas artes amorem studiorumque frequentiam in dies magis augeri summa cum animi voluptate conspicimus, et commoditati et honestae hilaritati prospicere volentes; necnon dilectos filios modernos dicti collegii rectorem et administratorem ac scholares praedictos ac singulas eiusdem collegii personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio,

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et ex certa scientia nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vineam praedictam et illi continguam vineolam, quae viginti duas terrae petias insimul circa conficiunt, et super quibus, ut accepimus, census seu responsio annua quatuor barilium musti domui Sanctae Mariae Magdalenae Convertitarum dictae Urbis impositus seu imposita existit; necnon duo arundineta ad ipsam vineam pertinentia, quae uno seu una unius scuti auri in auro abbati; et altero seu altera censibus seu responsionibus annuis duorum scutorum similium priori et fratribus monasterii Sancti Laurentii extra muros praedictae Urbis, Ordinis Sancti Augustini canonicorum regularium, persolvendis, onerata reperiuntur, etiam si super illis lis coram quibuscumque iudicibus et inter quascumque personas, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus et singulis illorum membris, iuribus et pertinentiis universis, eidem collegio, salvis tamen censibus seu responsionibus huiusmodi, perpetuo, gratiose et liberaliter, in eiusdem collegii dotis augumentum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, donamus, concedimus, applicamus et appropriamus.

In iuribus Camerae Apostolicae super dictis vinea et vineola collegium substituit.

§ 3. Ipsumque collegium in omni iure et ad omne ius, quod eidem Camerae ex vinea, vineola, arundinetis ac iuribus praedictis vel ad illa quomodolibet competebat aut competere poterat, etiam quoad possessionem, dicta auctoritate substituimus et subrogamus, illaque in dictorum scholarium favorem transferimus, ita ut liceat rectori et administratoribus praedictis corporalem possessionem vineæ, vineolae et arundinetorum huiusmodi, per se vel alium seu alios eorum nominibus, propria auctoritate, absque spolii et attentatorum vitio, libere apprehendere et retinere, eorumque fructus, redditus et proventus ac emolumenta quaecumque colligere, exigere et levare, ac in suos, et eiusdem collegii usus convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

§ 4. Quod ut, sublatis omnibus impedimentis, liberius facere valeat, locationes et sequestra quaecumque super dictis vinea, vineola, arundinetis eorumque fructibus, etiam eiusdem Camerae nomine, aut pro eius interesse seu etiam mandato nostro facta et apposita, motu simili revocamus, relevamus et tollimus.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, etiam ex eo quod monialium, abbatis, prioris et fratrum praedictorum consensus requisitus non fuerit, vel intentionis nostrae aut alio quopiam defectu notari, argui aut in controversiam, ad quorumvis instantiam adduci, etiam restitutionis in integrum vel reductionis ad terminos iuris, aut alias quomodolibet revocari impugnarive posse; nec ex eo quod praemissa verificata non sint, aut quod ii, quorum interest, vocati non fuerint, easdem litteras per subreptionem obtentas censeri, et propterea viribus carere. Neque rectorem et administratores praedictos ad verificandum praemissa, vel ad probandum iura et titulos auctorum suorum coram quocumque ordinario aut delegato iudice compelli, nec ad huiusmodi praesentes litteras infra tres menses ab earum data in Camera registrandas vel insinuandas teneri, neque ob eam causam quod registratae insinuataeque non fuerint, nullas et irritas ac nullius momenti fore, neque denique rectori et administratoribus praedictis personarum mutationem opponi unquam valere.

Clausula sublata.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios, etiam causarum Palatii

Apostolici auditores et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane fore, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Huius bullae registratio in libris Camerae.

§ 7. Quocirca dilectis filiis sanctae Romanae Ecclesiae camerario, praesidentibus et clericis Camerae praedictae aliisque, ad quos id spectat, praecipimus, quatenus quamprimum ab eiusdem collegii procuratoribus fuerint requisiti, praesentes litteras in libris Camerae registrari ac describi, ac litteras patentes camerales desuper in ampla forma et gratis expediri faciant.

Deputatio executorum.

§ 8. Mandantes etiam venerabilibus fratribus nostris Ioanni Ostiensi sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Morono nuncupato, et Hieronymo olim Maceratensi, et Paulo nuper Pennensi et Andriensi episcopis, per praesentes, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris et administratorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, rectorem et administratores praedictos donatione, concessione, applicatione, appropriatione, substitutione, subrogatione, revocatione, relaxatione, decreto et aliis praemissis pacifice frui et gaudere; ac si opus fuerit rectorem et administratores praedictos vel eorum procuratorem, illius nomine, in corporalem possessionem vineae, vineolae et arundinetorum iuriumque et pertinentiarum praedictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductos, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem; facientes ipsis vel procuratori praedicto de vineae, vineolae et arundinetorum iuriumque et pertinentiarum praedictarum fructibus, redditibus et proventibus integre responderi; non permittentes eos vel procuratorem praedictum desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae diœcesis ad iudicium vocetur; seu ne iudices a Sede Apostolica deputati contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium non trahatur; necnon Simmachi, quae incipit *Non liceat Papae;* ac Pauli II necnon Pauli IV et Pii etiam IV et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac etiam nostris de rebus Ecclesiae non alienandis et alienatis recuperandis; necnon altera eiusdem Pii IV, praedecessoris, sub Datum videlicet octavo idus augusti, pontificatus sui anno sexto, qua etiam cavetur ut qui gratias seu concessiones aliquas Romani Pontificis, etiam praedictae Camerae interesse quovis modo concernentes impetraverint, easdem, intra tres menses a die illarum impetrationis, in eadem Camera praesentare, ibique registrari facere teneantur, alioquin,

dictis tribus mensibus elapsis, gratiae et concessiones huiusmodi nullae irritaeque censeantur et sint, ac nemini omnino suffragentur; et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae Camerae, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet, etiam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, ac cum quibuscumque declarationibus et decretis, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et espressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDLXXVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 20 nov. 1576, pontif. anno V.

LXII.

Indulgentia plenaria conceditur omnibus christifidelibus, qui processioni Sanctissimi Sacramenti interfuerint, ut in constitutione [1].

Gregorius Papa XIII universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Reddituri de commisso nobis grege dominico in extremo rationem, summis, ut tenemur, affectibus cunctos christifideles, quos a iustitiae tramite hostis humani generis saepe divertit, nostro piissimo Redemptori, qui non mortem, sed poenitentiam desiderat peccatorum, ab omni labe mundatos restituere, eosque sibi acceptabiles et bonorum operum efficere cupimus sectatores, ut ipsi, per grata et accepta Deo opera, Illius, qui misericordiarum Pater est, gratiam et misericordiam valeant facilius promereri.

Indulgentiae concessae christifidelibus, ut in constitutione,

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, processio Sanctissimi Sacramenti in ecclesiis Ordinis fratrum Praedicatorum provinciae Hispaniae dominica infra octavam Sanctissimi Sacramenti singulis annis fieri consueverit, nos, ut christifideles eo libentius devotionis causa dictae processioni intersint, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, dilecti etiam filii nostri Michaelis, tituli S. Mariae super Minervam presbyteri cardinalis, Alexandrini nuncupati, qui dictum Ordinem, dum in minoribus esset, expresse professus est, precibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne annuentes, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictae processioni, in ecclesiis praedictis, dicta die dominica infra octa-

1 Ex Bullar. Ord. Praed., tom. V, pag. 347.

vam Sanctissimi Sacramenti de mane faciendae, devote interfuerint, et ibi pias ad Deum preces pro sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, infidelium conversione, haeresum extirpatione, ac concordia inter christianos Principes confovenda et alias, prout unicuique suggeret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et elargimur, praesentibus ad viginti annos dumtaxat valituris.

Dummodo alia concessa non fuerit.

§ 2. Volumus autem quod, si dictae processioni interessentibus aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti.

Fides transumptorum.

§ 3. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse erit, deferri, decernimus quod transumptis praesentium, sigillo alicuius praelati ecclesiastici munitis, et manu notarii publici subscriptis, eadem fides ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimaquarta decembris MDLXXVI, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 14 dec. 1576, pontif. anno v.

LXIII.

Institutio collegii Graecorum in Urbe, pro scholaribus nationis Graecae pie alendis et instruendis, cum annuorum redditumm assignatione et indultorum concessione.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

In apostolicae Sedis specula, disponente Domino, meritis licet imparibus, constituti ad universarum gentium populorumque Christi fidem colentium salutem procurandam, ita nos esse agnovimus debitores, ut, non minus longe quam iuxta positis caritatis et vigilantiae nostrae studium impartientes, quod expedire censemus hucusque pro viribus exequamur.

Graeci imperio et scientia erant sublimes, sed ad praesens in maxima sunt calamitate et ignorantia, et a fide catholica deviarunt.

§ 1. Itaque, cum christiani orbis partes mentis nostrae oculis perlustramus, inter varias horum temporum aerumnas, ingens animum nostrum subit miseratio Graecae nationis, quae diu olim litterarum scientiarumque eruditionis praestantia et imperii floruit sublimitate, postea Turcarum subiecta tyrannidi, ad extremam fuit redacta calamitatem, et, quod miserrimum est, corporum servitutem secuta est captivitas animorum, quia in tantam scientiarum omnium ignorationem Graeciae populi devenerunt, ut vix ullus inter eos reperiatur, qui illas profiteri et alios docere possit; atque adeo omnes, qui episcoporum, presbyterorum alteriusque ecclesiastici ordinis gradum inter eos obtinent, foedissimis ignorantiae tenebris obvoluti, sacrae theologiae rudes, catholicorum dogmatum ignari, et ab orthodoxorum religionis semita et S. R. E. omnium matris et magistrae obedientia recedentes, in varios errores et schismata prolapsi sunt, et laicos in eamdem erroris foveam secum pertraxerunt.

Hic igitur Pontifex, volens eos ad salutis viam et lumen reducere, in Urbe collegium Graecorum erigit, cum assignatione redditumm;

§ 2. Quocirca, cupientes antiquam et celebrem nationem ab huiusmodi ignorantiae et errorum caligine ad veritatis lucem et salutis viam revocare, nullum ad id aptius remedium a nobis existimavimus posse adhiberi, quam si in alma hac Urbe nostra collegium erigatur, in quo pueri et adolescentes Graeci ex ipsa Graecia et aliis provinciis ac locis, ubi commorantur, conquisiti, alantur, et Graecis litteris, liberalibus disciplinis ac scientiis, sacra praesertim theologia, ecclesiasticis praeterea ritibus a viris probatae fidei et doctrinae sedulo instituantur, ut, postquam in catholicae fidei firmitate soli-

dati fuerint, et in huiusmodi studiis profecerint, ad eorum patriam et loca redeuntes, alii, qui monasticam vitam maluerint profiteri, ceteros monachos et religiosos catholice instruere, et ad monasticam disciplinam regularemque observantiam, a qua penitus declinasse videntur, iuxta sanctorum Patrum instituta, revocare studeant; alii autem qui in clerum adscribentur, nationis suae populis prodesse et praeesse, animarum curam exercere, verbum Dei sincere praedicare, populos ab erroribus et schismate removere, et ad salutarem orthodoxae fidei veritatem reducere possint; reliqui vero qui in laicali vita permanserint, publice per civitates aliorum Graecorum filios eiusdem fidei rudimenta et veritatem litterasque et artes liberales edocere, ac similiter in orthodoxae religionis cultu continere valeant; atque ita, divina favente gratia, sperari possit ut sana et integra fidei praedicatio et doctrina in ipsa Graecia et totius praeterea Orientis partibus aliquando restituatur, priscorumque gentis eiusdem Patrum lumina clarescant. Proinde, ad omnipotentis Dei gloriam, sanctae fidei catholicae exaltationem, animarum eorumdem Graecorum salutem, ac perpetuam ipsorum cum Ecclesia Romana unionem, motu proprio certaque scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, unum collegium Graecorum puerorum et adolescentum in eadem Urbe nostra, loco ad id statuendo, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus, eique dotis nomine centum scuta auri, ex nostris et Camerae Apostolicae pecuniis, donec aliter opportune provideatur, in singulos menses solvenda, assignamus. Praeterea, cum cathedralis ecclesia Chisamensis insulae Cretae certo modo vacaverit et vacet ad praesens, nos considerantes ecclesiam ipsam clero populoque Latino, exceptis paucis quibusdam canonicis, qui tamen ab immemorabili tempore, sive ob tenuitatem praebendarum sive alias ob causas, ibi numquam resederunt, sed Cydoniae ibi propinquae habitare soliti sunt, omnino carere, convenire iudicavimus subsidium aliquod collegio praedicto in substentationem scholarium ex huius ecclesiae fructibus applicare, donec, Deo dante, talis constitui possit episcopus, qui etiam clero et populo Graeco sacramenta et quae sunt pontificalis ordinis valeat ministrare. Quare omnes dictae Chisamensis ecclesiae fructus, redditus et proventus, omniaque iura, obventionies et emolumenta, exceptis ducentis scutis, annue administratori seu vicario, qui a nobis eidem ecclesiae deputabitur, persolvendis, et annua pensione [1] scutorum auri similium, quam venerabili fratri nunc episcopo Miloviensi, ut commodius substentari possit, assignari decrevimus, ipsi Graecorum collegio a nobis erecto, ad annos quindecim, eadem auctoritate apostolica, applicamus, attribuimus et assignamus, ita ut ab ipsius collegii procuratoribus, propria auctoritate, ea omnia exigi, percipi et levari, praediaque, domus et bona quaecumque locari, aliaque ad id opportuna et necessaria fieri possint.

Exemptionem a superioritate ordinariorum et aliorum concedit;

§ 3. Volumus autem idem collegium, illiusque rectores, oeconomos, magistros, praeceptores atque scholares pro tempore in eo existentes, et eorum domesticos, officiales et ministros, ipsiusque collegii bona mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, in dicta Urbe et extra ac alias ubique locorum consistentia, exempta esse ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis senatoris, conservatorum, reformatorumque dictae Urbis, necnon rectoris Studii generalis, vicarii Urbis et ordinariorum locorum aliorumve quorumcum-

1 *Centum* addunt Cherub. et Matth. (R. T.).

que iudicum et officialium in ipsa Urbe vel alias ubilibet constitutorum. Collegiumque ipsum, etiam propriis eius rebus et bonis cum ipso et eius nomine supradicta [1] contrahentes a solutione et exactione omnis et cuiuscumque pedagii, gabellae, bullettini, decimarum et cuiuscumque alterius, tam ordinarii quam extraordinarii, oneris, ex quacumque causa impositorum et imponendorum, eximimus et prorsus liberamus, ac sub beati Petri et Sedis Apostolicae atque nostra protectione suscipimus, nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus, ac liberos, immunes et exemptos declaramus.

Privilegia Studii Urbis eiusque doctorum elargitur;

§ 4. Eidemque quoque collegio et scholaribus rectoribusque et oeconomis, omnibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus Studium generale almae Urbis et illius rector doctoresque, in eo etiam actu legentes, quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt quomodolibet in futurum, ad eorum instar pari modo uti, potiri et gaudere valeant, in omnibus et per omnia, concedimus et indulgemus, illaque eis communicamus.

Officialibus observantiam demandat praedictorum;

§ 5. Necnon senatori, conservatoribus, reformatoribus, rectorique et aliis iudicibus, officialibus et personis praedictis, ac pro tempore existenti S. R. E. camerario praesidentibusque et clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis commissariis ad exactionem decimarum et aliorum onerum praefatorum pro tempore deputatis, ne quarumcumque litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum praetextu, collegium, scholares, rectores, oeconomos, officiales et ministros praedictos seu eorum aliquem in praemissis quovis modo molestent seu molestari permittant districtius inhibemus.

Scholares ad gradus promovendi tribuit facultatem;

§ 6. Et praeterea regentibus ac superioribus dicti collegii, cum assistentia tamen cardinalium protectorum, qui pro tempore fuerint, sive alicuius eorum, vel de ipsorum consilio et expresso consensu, illos, quos in dicto collegio et alibi per debitum tempus studuisse, ac scientia et moribus idoneos esse repererint, ad baccalariatus, licentiaturae doctoratusque et magisterii gradus, servata forma concilii Viennensis, iuxta Universitatis eiusdem Urbis consuetudinem seu alias, promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi; quodque sic promoti facultates, quibus studuerunt, legere et interpretari, ac de eis disputare, et quoscumque gradui seu gradibus huiusmodi concernentes actus exercere, ac omnibus et singulis gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedicta seu aliis Universitatibus et alibi, iuxta illius et aliarum Universitatum huiusmodi consitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti, de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint et debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa Universitate iuxta consuetudinem et mores praedictos suscepissent, concedendi et indulgendi liberam, eadem auctoritate, tribuimus facultatem.

Protectores collegii deputat.

§ 7. Insuper, ut ipsius collegii conservationi bonoque regimini, tam in his quae ad institutionen et disciplinam, quam quae ad victum et vestitum aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, dilectos filios nostros Iacobum S. Mariae in Transtyberim Sabellum, et Guglielmum S. Laurentii in Panisperna Sirletum, ac Iulium Antonium S. Bartholomaei in Insula Sanctae Severinae titulorum presbyteros, nec non Antonium S. Mariae in Cosmedin diaconum Carafam, nuncupatos cardinales, eiusdem collegii protectores et defensores constituimus et

1 Deest forsan *auctoritate* (R. T.).

deputamus, quorum consilio et ope supradicta et alia quaecumque ad eosdem in collegio admittendos scholares retinendosve spectantia agant, statuant et ordinent. Dantes eisdem et pro tempore existentibus protectoribus plenam et liberam facultatem et auctoritatem, pro salubri directione et conservatione dicti collegii illiusque bonorum et rerum ac iurium, tam spiritualium quam temporalium, oeconomos, advocatos, procuratores aliosque ministros et officiales in eo deputandi amovendique, et alios eorum loco sufficiendi; ordinationesque et statuta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et concilio Tridentino non repugnantia, faciendi et edendi, eaque cum visum fuerit, revocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de novo condendi, quae, postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde haberi volumus ac si auctoritate apostolica approbata et confirmata essent, illaque ab omnibus rectoribus, magistris, scholaribus aliisve personis in collegio servientibus et ministrantibus inviolabiliter observari; ac iuxta eorumdem dispositionem a quibusvis iudicibus, sublata eis quavis aliter iudicandi facultate, iudicari ac definiri debere; et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; et dictae Urbis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem senatori, conservatoribus, reformatoribus, camerario, Universitatibus ac earum collegiis, rectoribus et personis aliisque praedictis, necnon praefatae Urbi et populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, idibus ianuarii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 13 ianuarii 1577, pontif. anno v.

LXIV.

Declaratio quod spolia regularium extra claustra vagantium spectant ad R. Cameram Apostolicam, iuxta constitutiones Pauli III et aliorum praedecessorum.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Officii nostri partes sedulo praestare tenemur ut dubia, quae, ab aliquibus falso sub praetextu vel nimis subtiliter excitata, in Camerae nostrae Apostolicae praeiudicium tendunt, declaratione nostra dilucidentur.

Pius IV 1 ad terminos iuris et sacrarum constitutionum reduxit bullam xxiii Pauli IV 2, in qua applicaverat bona regularium degentium extra claustra monasteriis, in quibus illi primo professi fuerant.

§ 1. Nuper accepimus quod, etsi felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, constitutionem et quaecumque in illa continerentur per piae memoriae Paulum Papam IV, etiam praedecessorem nostrum, contra apostatas editam, per quam, inter cetera, decrevit bona quaecumque mobilia et immobilia, ac census, redditus et proventus, iura et actiones per regularem Ordinem professos, extra claustra suorum regularium locorum, etiam de licentia suorum superiorum, degentes, tempore quo extra claustra huiusmodi fuissent acquisita, etiam si acquisitiones huiusmodi ab ipsis pro-

1 Const. IX, tom. VII, pag. 27. 2 Tom. VI, pag. 538.

fessis ex redditibus beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura vel sine cura, per eos obtentorum seu detentorum, aut ex propria industria seu artificio, mercatura vel ex testamento sive successione ab intestato quorumvis consanguineorum, affinium vel amicorum suorum aut quorumcumque aliorum factae essent, non fisco aut Camerae Apostolicae, sed Religioni aut monasteriis, in qua seu quibus primo professi fuissent, eo ipso applicata fuisse et censeri debere, ad iuris et sacrarum constitutionum formam reduxerit.

[Sed ex constitutionem Pauli III ista spolia spectabant ad Cameram. At multi contrarium dicebant.]

§ 2. Necnon praefata bona regularium extra claustra, ut praefertur, degentium, sive Mendicantium sive non Mendicantium, aut militiarum professorum, etiam si loca et canonicales portiones aut dignitates in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis cuiusvis Ordinis regularis, obtinuerint, ac episcopali, archiepiscopali, patriarchali, primatiali vel quavis alia praefulserint dignitate, post eorum obitum, ad camdem Cameram Apostolicam, et iuxta constitutionem felicis recordationis Pauli Papae III, super spoliis, sub datum videlicet tertio nonas ianuarii, pontificatus sui anno tertio, promulgatam, legitime spectent et pertineant, idque per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos, dum collector generalis ad recuperandum spolia regularium specifice deputatus fuit, aperte demonstratum extiterit, ac in possessione illa exigendi ac recuperandi eadem Camera merito semper fuerit; nihilominus nonnulli, vano sub dictae constitutionis Pauli IV, praedecessoris praefati, praetextu, contrarium aliquando asserere non dubitarint.

[Ipse Pontifex declarat bona eorumdem ad Cam. Apostol. spectasse et spectare pleno iure, iuxta bullas Pauli III et aliorum praedecessorum.]

§ 3. Nos omnem circa praedicta dubitandi occasionem dimovere, simulque, aequitate et iustitia suadentibus, eiusdem Camerae indemnitati, ne in dies molestiis et incommodis afficiatur, consulere volentes, praesentium auctoritate, declaramus res et bona quaecumque per dictos regulares extra claustra ecclesiarum, monasteriorum, domorum et quorumcumque regularium locorum degentes, quocumque iure et actione, sive ex causa testati sive intestati, acquisita et in posterum acquirenda, vel ad eos delata, in quibusvis provinciis, dominiis, regnis et locis consistant, nisi iidem, ad quos illa spectaverint, sufficienti fuerint testandi aut de illis disponendi facultate suffulti, eaque legitime usi fuerint, ad eamdem Cameram pleno iure pertinuisse et spectare; ac bona quaecumque eorumdem sub spoliorum nomine comprehensa per ipsam Cameram, eiusque nomine a quibuscumque illa quandoque occupantibus et detinentibus recuperari ac vindicari potuisse et posse, ac iuxta Pauli III et aliorum praedecessorum nostrorum litteras eadem Camera Apostolica in huiusmodi bonis spolia noncupatis vere universaliter succedere, quod ipsa Camera prae ceteris haeredibus et successoribus ampliori est privilegio munita, cuique merito magis favendum est, dum in eam rerum et bonorum dominium ac possessio, nulla traditione praecedente, transeat, in quacumque bonorum et spoliorum, sive ad saeculares sive ad regulares, dum viverent, spectantium successione, quibuscumque in rebus sive pecuniis illa consistant, etiam si nominatim aut alia speciali nota illa designanda essent, quae ad eamdem Cameram iure spoliorum pertinuerunt et pertinebunt in posterum, omni prorsus fictione penitus cessante, ius et nomen veri haeredis in eisdem spoliis habere, illiusque naturam sortiri, ac veri haeredis privilegiis et iuribus in quibuscumque bonis, pecuniis, iuribus et actionibus uti antehac potuisse et nunc posse; idque eorumdem praedecessorum ac nostrae etiam intentio-

1 Tomo VI, pag. 317.

nis semper fuisse et esse auctoritate praesentium declaramus.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices in quibusvis causis, etiam per appellationem aut alias pendentibus et futuris, ac in quacumque causa vel instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; necnon quiquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executor deputatur thesaurarius generalis.

§ 5. Mandantes dilecto filio magistro Ludovico Tabernae, notario et thesaurario, necnon spoliorum ad dictam Cameram pertinentium in universa Italia collectori generali nostro, eiusque in dictis officiis successoribus, quatenus praesentem nostram declarationem et in ea contenta quaecumque inviolabiliter observari curet et faciat, non permittendo eamdem Cameram contra illius seriem, quacumque ratione vel causa, aut quovis quaesito colore vel ingenio, directe vel indirecte, molestari aut perturbari; contradictores quoslibet et rebelles, per opportuna iuris et facti remedia, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo; necnon legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon ecclesiarum et Ordinum vel militiarum, cuius illae fuerint, monasteriorumque vel regularium locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis earumdem ecclesiarum praesulibus, capitulis, ac monasteriorum regulariumque locorum conventibus, illorumque Ordinibus, superioribus et personis, necnon civitatibus, provinciis, dominiis et regnis, in quibus bona vel pecuniæ collocatae, aut illarum redditus percipiendi forsan fuerint, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, et ad favorem Religionis concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio aut quævis alia expressio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis et indulgentiis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; quæ, quoad hoc, volumus eis nullatenus suffragari.

Fides transumptorum.

§ 7. Ceterum praecipimus praesentium exemplis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDLXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 21 ianuarii 1577, pontif. anno V.

LXV.

Nonnullae ordinationes et statuta congregationis Cassinensis, alias Sanctae Iustinae de Padua, Ordinis Sancti Benedicti, circa officium diffinitorum et aliorum, qui præesse debent regimini eiusdem congregationis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Commissum nobis ex alto regendae militantis Ecclesiæ ministerium, coadiuvante Domino salubriter exequi cupientes, circa illa versari libenter nos oportere credimus, per quæ Ordinum quorumlibet religiosarumque congregationum prospero statui felicique directioni rite consulatur. Quo fit ut, si noxia quædam in illis, tam circa vitae regularis observantiam quam debitam in suorum praelatorum electionem, offendamus, illa, ne in Ordinum et congregationum ipsarum detrimentum et iacturam latius serpant, per solertis nostrae provisionis remedium, ita resecare studeamus ut deinceps singularum regularium personarum singulis suis muneribus pure et laudabiliter intendentium omnis ambitus dignitatis et præeminentiæ suspicione semota, sui instituti conservandi studium, Religionis item zelus ac devotionis fervor, mores denique probati ceteris fidelibus transeant in exemplum, ac exinde gratus omnipotenti Deo famulatus accrescere dignoscatur. Quod, ut facilius succedat, aliqua congregationum et Ordinum huiusmodi statuta, consuetudines et privilegia diversis diversa ratione temporibus emanata, interdum augere, moderari ac alias condere consultissimum fore sumus arbitrati.

Causa constitutionis edendae. § 1. Nos itaque, animadvertentes quod a felicis recordationis Eugenio Papa IV, praedecessore nostro, dilectis filiis diffinitoribus congregationis Cassinensis, alias Sanctae Iustinae de Padua, Ordinis Sancti Benedicti, ratione sui diffinitoriatus officii, tanta est attributa potestas ut ipsi statuta et constitutiones condere et ordinare, necnon de ipsius congregationis monasteriis, prioratibus et locis eorumque bonis, ad ipsius tamen congregationis utilitatem, disponere, ac eos ex illis monachis, quos ad id idoneos iudicaverint, in abbates et priores pro tempore vacantium monasteriornm et prioratuum eligere, et pro libito eorum voluntatis, etiam absque aliqua causae cognitione, eos a regimine et administratione monasteriorum et prioratuum huiusmodi, quibus praefuerint, absolvere, destituere et amovere, aliaque multa in eiusdem Eugenii praedecessoris desuper confectis litteris expressa facere possint; quodque a piæ memoriæ Adriani Papae VI, etiam praedecessoris nostri, in hunc usque diem abbates ipsi diffinitores non aliter quam morte perempti a suo diffinitoriatus officio removentur; sicque congregatio ipsa, veluti iisdem perpetuis administrata rectoribus, continuo gubernatur.

Officiorum perpetuitas noxia. § 2. Hinc sicut diffinitores, pro sua huiusmodi perpetuitate conservanda, factionibus aliisque malis artibus uti ab omnibus facillime iudicetur; nam ubi, qui semel abbates, diffinitores sunt electi, abbatum aliorum vitia dissimulando, et si quæ ab aliis in medium proferantur, ea tuendo, illos ita sibi devincire nituntur, ut ipsi vota sua non solum sibi semper deferant, sed alios etiam, ut idem faciant, hortentur, rogent ac praesentent, utpote qui amicos sic certos errorumque suorum fautores ac defensores perpetuos in capitulis generalibus habituros certo sciant, sicque congregationis ipsius constitutionibus diffinitores huiusmodi superiores si vel solutos existimantes, ambitione aut dominandi aviditate adducti, prave potius imperare velle videntur, quam regularibus statutis obtemperare.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Damna quae inde sequuntur.

§ 3. Praeterea, nonnullorum monasteriorum ex quibusdam provinciis satis iustae querelae audiuntur, quod, licet ipsorum abbates non minus quam exteri ad diffinitoriatus officium debite et salubriter exercendum apti esse videantur, ac perinde atque aliarum provinciarum monasteria dictae congregationis onera sustineant, ab huiusmodi tamen diffinitorum officiis segregentur et excludantur electione; aut si forsitan quempiam ex eis eligi contingat, is paris perpetuitatis praetextu fretus, sic monasteriis illius provinciae dominatur, ut in eis nihil, nisi quod ipse solus arbitratur, fieri aut exequi possit; quodque abbates, priores, decani, cellerarii et novitiorum magistri, non pro monasteriorum utilitate vel decentia, sed, personarum meritis nusquam attentis, pro abbatum diffinitorum huiusmodi libera et forsan depravata voluntate, deputantur. Hinc fit ut discordiæ, seditiones et odia inter eiusdem congregationis monachos et personas oriri, ac proinde monasteria ipsa male administrari saepenumero contingat, in gravem totius Ordinis et congregationis iacturam, vilipendium perniciosumque exemplum.

Perpetuitatem tollit officii diffinitoriatus.

§ 4. Nos igitur, perpetuitatem in diffinitoriatus officio congregationis huiusmodi, veluti praedictorum malorum radicem hucusque abusu quodam et corruptela diutius, quam par exstitit, observatam, penitus abrogare et amputare, ac nimiæ aviditatis notam prorsus tollere, immo concordiam et unitatem inter monachos ipsos stabilire et confovere, necnon dictae congregationis salubriori directione providi pastoris more consulere volentes, motu proprio, non ad alicuius ipsius congregationis vel alterius pro ea nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, quaecumque privilegia, litteras, constitutiones, consuetudines et indulta, etiam apostolica, et praesertim dicti Eugenii, Leonis etiam decimi et Adriani sexti, praedecessorum, hactenus super eadem quomodolibet emanata, quoad ea dumtaxat quæ his praesentibus, in toto vel parte, aliqua ratione contrariari videbuntur, primitus et ante omnia revocando, moderando et alterando, haec, quæ sequuntur, perpetuis futuris temporibus irrevocabiliter observanda, statuta et ordinationes facimus atque condimus.

Unus pro quolibet monasterio ad biennium definitor.

§ 5. In primis videlicet quod deinceps officium diffinitoriatus capituli generalis dictae congregationis, elapso biennio, vacet; ita ut qui superiori capitulo generali diffinitores fuerint, duobus immediatis subsequentibus capitulis diffinitores eligi non possint; ac unus tantum et non plures, dictum Ordinem in eodem monasterio professi simul in eodem capitulo diffinitores esse valeant.

Qui nequit esse eodem anno visitator.

§ 6. Quoniam autem ipsi diffinitores etiam visitatores creari possunt, ac se ipsos quodammodo eligentes in officio et administratione totius congregationis, ratione sui visitationis officii, per annum perseverare velle videntur, et accidere posset ut ipsi diffinitores et visitatores, pro creandis abbatibus et prioribus, aliisque ipsius congregationis illiusque monasteriorum officiis demandandis, inter se convenirent et paciscerentur, adeo ut huiusmodi visitatorum electio, non ad congregationis et Religionis profectum, sed diffinitorum implendam cupiditatem, facta videri posset. Idcirco, quod de cetero, qui in uno capitulo fuerit diffinitor, illo anno visitator esse non possit.

Et vicissim.

§ 7. Deinde, cum officium ipsum visitatoris pro monasteriorum reformatione et morum correctione institutum esse noscatur, ne hominum malitia, quod plerumque fit, illud ad proprii affectus executionem, et ad captandos animos abbatum pro electione diffinitoriatus, vitia dissimulando, traducere possit, quod in posterum

qui superiori anno visitatores fuerint deputati, proxime subsequenti capitulo in diffinitores eligi non possint.

Visitatoribus propria munia in scriptis tradantur.

§ 8. Ut autem visitatores ipsi officium sibi commissum diligentius exequantur, nec de ignorantia se valeant quomodolibet excusare, quod diffinitores capituli generalis singulis annis tradant binis quibuscumque visitatoribus cedulam, in qua descripta sint non solum ea, quæ de visitatoribus dictae congregationis constitutiones mandant observari, sed etiam alia, quæ diffinitores tam in genere quam in specie ac particulari cuiusque monasterii decentiae et utilitati expedire iudicaverint, ad hoc ut de his omnibus tam diffinitores ipsi quam infrascripti conservatores ab eisdem visitatoribus, adimpleto eorum visitationis officio, possint exquirere.

Diffinitores non sint ab omni superioritate immunes;

§ 9. Et ne contingat ut quibus Regula dicti Ordinis et congregationis illorumque constitutionum custodia atque executio commissa est, cum in maxima sint potestate, nisi ex aliis pendeant, ipsi etiam quandoque leges egrediantur, dissimulent, solvant, obliviscantur et ignorent; ne ullus ita auctoritate ceteris praestare se putet, ut aliquid temere contra Regulam et Ordinem huiusmodi audere, et constitutiones omnibus propositas impune violare possit; atque diffinitores officia sua diligentius exequantur; ceterique abbates omnes Regulæ et constitutionum omnium scientiam et cognitionem ampliorem acquirant, cum earum rationem alii sint reddituri, alii vero exacturi.

Conservatoribus rationem reddant gestorum.

§ 10. Quod, electis et renunciatis diffinitoribus capituli generalis, singulis annis eligantur ab ipsis abbatibus, de eorum numero, his exemptis qui superiori capitulo diffinitores et illo anno visitatores extiterint, tres, in quos plura convenerint suffragia, quos conservatores Regulae et constitutionum dictae congregationis appellari, ac locum immediate post diffinitores in capitulo generali habere volumus, qui superiorum diffinitorum et visitatorum acta diligenter perpendant, scilicet an iuxta Regulam et dictae congregationis constitutiones, secundum Dei timorem ac animarum salutem et Religionis profectum, omnia administraverint; quibus, rite inspectis, suam desuper sententiam in scriptis redigant, et singuli iam propria manu confirment et subscribant, in quibus si aliqua reprehensione digna invenerint, pro qualitate culpae expressa causa, in reos poenas decernant; illorum autem sententiam praesidens, dum absolvitur capitulum generale, coram omnibus legat, et quae desuper opportuna fuerint exequatur.

Definitores quomodo eligendi.

§ 11. Insuper, ut diffinitores et visitatores ex abbatum, abbates vero ex priorum, et priores ex decanorum numero eligantur; quod postea diffinitores aut visitatores quempiam ad quamcumque dignitatem seu officium promovere aut proponere nequeant, nisi promovendi ipsi a sex visitatoribus, qui tribus annis continuis bene monasteria visitaverint, in quibus dicti promovendi habitabant, eo munere seu dignitate vel officio digni fuerint iudicati.

Procuratoris generalis officium

§ 12. Hinc enim efficitur ut omnes cuiuscumque gradus monachi studiosius in officio persistant, dum reprobari quisque in mandandis oneribus turpius dedecet, quam praeteriri; tandem, ut conservatores praedicti eo liberius ac maiori cura et sollicitudine officio suo fungantur, quo illius rationem sibi reddendam fore perspexerint, praeterquam quod a diffinitoribus et conservatoribus sequentis capituli erunt iudicandi, quod dilectus filius modernus et pro tempore existens dictae congregationis procurator generalis, in virtute sanctae obedientiae, ac privationis suæ procurationis officii, necnon inhabilitatis ad illud et alia quæcumque ipsius congregationis dignitates, gradus et officia dein-

ceps obtinenda, aliisque gravioribus arbitrio nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis infligendis poenis, si aliquos ex conservatoribus praefatis sui muneris oblitos praemissorum observationem negligere vel executioni debitae non demandare animadverterit, eos, quantocius fieri poterit, nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti, vel ipsius congregationis cardinali protectori denunciare omnino teneatur et debeat.

Contravenientium poenae.

§ 13. Districtius inhibentes singulis abbatibus, diffinitoribus, visitatoribus, conservatoribus, procuratoribus, prioribus, decanis ac aliis quibuscumque ipsius congregationis monachis, quacumque dignitate, gradu vel praeeminentia fungentibus, ne, sub indignationis nostrae, necnon excommunicationis latae sententiae, quam contrafacientes eo ipso incurrere volumus, ac praedictis privationis et inhabilitatis et aliis, etiam gravioribus, nostro et Romani Pontificis arbitrio huiusmodi infligendis poenis, audeant sive praesumant, quovis praetextu seu colore vel ingenio, directe vel indirecte, per se vel alium seu alios, voluntati, ordinationibus et statutis per praesentes factis, in aliqua, etiam quantumvis minima, sui parte contravenire, aut illorum observationem differre, seu revocationem vel annullationem aut moderationem aliquo unquam tempore procurare. Quinimo districte praecipiendo mandamus eisdem quatenus illa, uti salubria ac ad felicem prosperumque suae congregationis statum tendentia, recipiant, observent et penitus executioni debitae demandent.

Clausulae praeservativae.

§ 14. Decernentes statuta et ordinationes per nos, ut praefertur, facta et condita, praesentesque litteras, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, a nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris, quacumqne ratione, causa vel intuitu, ac etiam imperatoris, regum et aliorum principum instantia et consideratione, pro tempore emanatis, comprehendi; illisque per quascumque litteras apostolicas, ac etiam quasvis clausulas, generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias efficacioresque et insolitas clausulas, ac etiam irritantia decreta sub quacumque verborum expressione in se continentes, derogari aut derogatum esse vel censeri nullatenus posse seu debere, nisi earumdem praesentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et causa urgens ac sufficiens expressa, et per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus dictae congregationis capitulo generali, illiusque diffinitoribus, visitatoribus, conservatoribus et aliis monachis legitime intimatae fuerint, ac exinde appareat Romanum Pontificem illis expresse derogare velle; et aliter factae revocationes, derogationes, suspensiones vel alterationes nemini suffragari; ac diffinitores, visitatores, conservatores, abbates et alii congregationis monachi huiusmodi eisdem litteris derogatoriis, revocatoriis ac suspensionem vel alterationem inducentibus, et decretis super illarum processibus, necnon executoribus et subexecutoribus, eorumque mandatis et monitionibus parere minime teneri, sed eis firmiter resistere, et huiusmodi litterarum revocatoriarum seu derogatoriarum executionem impedire, nec ratione resistentiae huiusmodi censuris ecclesiasticis per eosdem executores et subexecutores innodari posse.

Clausula sublata.

§ 15. Et sic, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices ordinarios et commissarios, quavis auctoritate fungentes, et causarum Palatii Apostolici auditores seu eorum locumtenentes, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari

et diffiniri debere; irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 16. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac Ordinis et congregationis praedictorum illorumque monasteriorum et locorum singulorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordini et congregationi singulisque monasteriis et locis, necnon abbatibus, diffinitoribus, visitatoribus et aliis monachis praedictis, tam per eosdem Eugenium, Leonem et Adrianum, quam alios Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, aut etiam contractus seu quasi, vel alias quomodolibet et ex quibusvis causis, etiam motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, necnon cum quibusvis efficacissimis et insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam iteratis vicibus, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, ac quocumque tempore longissimo, etiam forsan immemorabili, observatis.

§ 17. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, a supradicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 18. Ceterum, quia difficile foret has nostras ad singula quaeque loca, ubi opus esset, deferri, volumus quod illarum exemplis, manu cardinalis protectoris aut alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut etiam eiusdem congregationis praesidentibus subscriptis, sigilloque eiusdem procuratoris sive personae ecclesiasticae aut praesidentis huiusmodi obsignatis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus, si exhiberentur, adhibenda esset.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII februarii, millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 feb. 1577, pontif. anno V.

LXVI.

Revocatio cuiusdam legis seu consuetudinis super honore tuendo, ex quo homicidia nascuntur in regnis Aragonum, Valentiae ac principatu Cataloniae et comitatibus Rossilionis et Ceritaniae, cum poenis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Humani generis hostis acerrimus sic aliquando mentes hominum excaecat, ut ab odiis et inimicitiis ad caedes et homicidia committenda eos impellat, cruentaque corporum morte salutem animarum in extremam perniciem seu discrimen adducat.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Infestam consuetudinem exponit, quae constitutionis huius causa.

§ 1. Volentes igitur huic tam apertae diabolicae fraudi quibus possumus rationibus occurrere, et ex christianorum oculis iniectam erroris caliginem dimovere, cum accepimus in regnis Aragoniae et Valentiae, ac principatu Cataloniae, necnon comitatibus Rossilionis et Ceritaniae aliquos illarum partium incolas et habitatores privatam sibi adstruere legem non dubitasse; et tam illius vigore, quam pessimae consuetudinis, quae inibi invaluit, praetextu, asseratur licite ipsis, praesertim si nobiles fuerint, ubicumque agitur de mundano, quod dicunt, honore tuendo aut reparando vel iniuria propulsanda, ab amicitia discedere, inimicitiasque et factiones inter se, et, ut ibi dici solet, bandositates exerceri, satellites et varii generis armatos homines ducere et privatim habere, amicos et necessarios ad arma excitare, damna vicissim hostiliter quoquomodo inferre, in grave animarum suarum periculum et praeiudicium plurimorum.

Quamcumque legem aut consuetudinem tollit, quae ea de re observetur.

§ 2. Nos, animo revolventes praemissa valde abominanda et detestanda esse, et, quod peius est, huius detestandae rei occasione et alios quamplurimos sicarios et praedones evadere, qui dum a potentioribus factionum capitibus, qua quis potest maiori manu et numero, privatis odiis inimicitiisque exercendis foventur, et alias in diversas alias caedes et latrocinia ac sacrilegia aliaque crimina prorumpunt; hac nostra perpetuo valitura constitutione, quamcumque legem, quae super praemissis statuit, et consuetudinem, quae pro lege forsan observatur, tamquam a religione et christiana pietate omnino alienam, penitus explodimus, damnamus, tollimus, abrogamus et abolemus, ac a dictis regnis, principatu et comitatibus penitus exulare iubemus.

Qui consilium sive auxilium impertiti fuerint, eamdem poenam luant.

§ 3. Sancimusque omnes et singulos, etiam duces, principes, marchiones, comites, barones, alios dominos temporales et quoscumque alios dictorum regnorum, principatus et comitatuum, qui, pro sui vel amici aut propinqui, consanguinei vel cuiusvis alterius iniuria vindicanda, inimicitias, simultates, bandositates nuncupatas, exercere praesumpserint, et praemissorum occasione satellites et armatos homines evocare, aut apud se, vel in terris et dominiis, vel domibus suis aut alibi, publice vel occulte, alere, recipere aut retinere vel fovere ausi fuerint; quique necessarios, consanguineos, affines et amicos in factionem et partes suas contra aliquem vel aliquos excitaverint; omnesque, qui eadem fecerint aut illis causam dederint, et qui arma pro praemissis quomodolibet sumpserint; quique super his rebus alteri consilium, auxilium vel favorem praestiterint, auctoresque et suasores fuerint; necnon eos, qui, sub praetextu abusus huiusmodi, aliquem provocaverint, vel illi quomodolibet vim intulerint, quique eam praetensam legem aut consuetudinem licitam et non omnino damnatam esse asseveraverint; ac eos omnes, qui in dictis partibus, cum armis homicidia et latrocinia et alia scelera committendo, seu vias infestando, inveniri contigerit, excommunicationi, anathemati, maledictioni aeternae, interdicto omnibusque aliis censuris et poenis ecclesiasticis, eo ipso et absque alia declaratione incurrendis, omnino esse subiectos, ac a Corporis Christi unitate, qui auctor est pacis et concordiae, omnino praecisos, eorumque absolutionem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, praeterquam in mortis articulo, reservamus.

Poena excommunicationis.

§ 4. Et si personae huiusmodi ecclesiasticae fuerint, etiam omnibus et singulis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus et ad quae ius eis competit, [1] necnon quascumque pensiones annuas et illorum loco fructuum reservationes, illis

1 Forte add. *privati existant* (R. T.).

apostolica auctoritate reservatas, concessas et assignatas, cessare, expirare ipso facto; ac eos, qui ad illarum solutionem tenentur, ad illas persolvendas aut praestandas minime teneri, nec propterea aliquas censuras aut poenas in litteris apostolicis huiusmodi reservationum contentas incurrere, similiter eo ipso et absque alia declaratione privamus, et ad illa et alia in posterum obtinenda inhabiles existere, necnon illa, tamquam per privationem huiusmodi vacantia, per alios a nobis et Sede Apostolica impetrari posse decernimus.

Ecclesiastica carere sepultura decernit.

§ 5. Ii vero qui ex causis praedictis pugnaverint et occisi fuerint perpetuo ecclesiastica careant sepultura; ac eosdem omnes, qui, dictae pravae consuetudinis praetextu aut alias, inimicitias ac bandositates praedictas exercere, et eos omnes, qui his de causis arma sumere ausi fuerint, aut quidquam contra praesentium litterarum auctoritatem commiserint, poenas contra pugnantes in duello vel locum ad monomachiam concedentes, aut alias circa idem singulare certamen committendum et illi interessendo delinquentes, per concilium Tridentinum latas et irrogatas, incurrere omnino declaramus.

Clausulae.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices et ordinarios et delegatos, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere; irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Publicationis praeceptum.

§ 7. Praecipimusque omnibus et singulis venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque ecclesiarum praelatis, quacumque auctoritate et dignitate fulgentibus, etiamsi sanctae Romanae Ecclesiae cardinales fuerint, in virtute sanctae obedientiae, ac sub interdicto ingressus ecclesiae, cui praefuerint, ac suspensionis a regimine et administratione eiusdem ecclesiae, illiusque fructuum perceptione, pontificalium exercitio, aliisque arbitrio nostro incurrendis et moderandis poenis, quatenus praesentes litteras et in eis contenta quaecumque in eorum necnon singulorum parochialibus ecclesiis, ubi id necessarium esse iudicaverint, ut moris est, publicent seu publicari faciant, auctoritate nostra, et diligenter observari curent.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 9. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, volumus quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Pubblicationis modus.

§ 10. Ac ne aliqui ex praemissorum ignorantia excusari possint, volumus quod eorum transumpta, etiam, ut praedicitur, impressa, et in singulis cathedralium et metropolitanarum ecclesiarum regnorum, principatus et comitatuum praedictorum valvis affixa, verae et realis intimationis vim et effectum sortiantur, ac omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde afficere, ac si personaliter singulis intimatae fuissent.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDLXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 15 feb. 1577, pontif. anno V.

LXVII.

Confirmatio gratiarum et privilegiorum archihospitali S. Spiritus in Saxia de Urbe concessorum, quatenus concilio Tridentino et sacris canonibus non sint contraria, illorumque communicatio inter omnia loca Ordinis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Si inter praecipuas virtutes, quas theologicas dicimus, caritas principem locum obtinet, iactis fidei et spei fundamentis, ut huius virtutis effectus, qui insignes nobis ante oculos obversantur, ac praesertim in archihospitali nostro Sancti Spiritus in Saxia de Urbe elucent, dum in cuiusvis generis languentes, vulneratos infirmosque curando, infantibus expositis alendis, puellis nubilibus in matrimonium collocandis, summo christianae pietatis studio officia exercentur, illa non solum eo in archihospitali conservari, verum etiam in dies augeri summa ope curandum nobis est, eamque ob causam facile induci patimur ut his, quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, et ad eius archihospitalis, et ab illo dependentium locorum decus et ornamentum et pauperum subventionem concessa sunt, apostolicae firmitatis robur adiiciamus, aliasque desuper disponamus, prout in Domino conspicimus expedire.

Innocent. III erexit in Urbe hospitale S. Spiritus, et Sixtus IV illud ampliavit, ut in constit. cit. in nota ad rubricam.

§ 1. Dudum siquidem Innocentius Papa tertius, qui dictum archihospitale fundavit et instituit, ac deinde successive plerique Romani Pontifices praedecessores nostri, inter quos Sixtus Papa quartus idem archihospitale maxime auxit, cupiens illud ac eius bona et iura perpetuo conservari, defendi et protegi, idem archihospitale illiusque praeceptoriam, quae conventualis aut caput aliarum praeceptoriarum hospitalis et Ordinis praedictorum existit, et a qua omnes aliae praeceptoriae per fratres eiusdem archihospitalis teneri solitae dependent, ac personas, quæ eius curam gerunt, ab eodem archihospitali dependentes praedictas praeceptorias, prioratus, oratoria, ecclesias, cappellas, membra, grangias ac in eis respective institutas et rectas confraternitates illarumque confratres variis indulgentiis, etiam plenariis, facultatibus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, etiam per solam signaturam aut vivae vocis oraculo, in genere et in specie, tam per viam communicationis sive extensionis privilegiorum, quibuscumque, tam Mendicantium quam non Mendicantium, Ordinibus concessorum, ornarunt et decorarunt ac locupletarunt; illaque antea concessa confirmarunt et approbarunt, ad omnia loca praedicta ab ipso archihospitali dependentia extenderunt et ampliarunt, et alias prout in singulis dictorum praedecessorum litteris desuper confectis plenius continetur.

Confirmat hic Pontifex indulgentias et privilegia dicti hospitalis cum clausula quatenus sint in usu et sacris canonibus et conc. Trid. non contraria;

§ 2. Cum autem ea firmius subsistere ac maiorem vim et robur obtinere noscantur, quo sæpius fuerint apostolica auctoritate communita, propterea dilectus filius Theseus Aldrovandus, modernus eius archihospitalis praeceptor, nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis eiusdem Thesei praeceptoris honesto desiderio satisfacere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, gravium onerum, quae dicto archihospitali incumbunt, dum facultas redditusque omnes in pauperum miserabiliumque subventionem erogantur, rationem habendam esse censentes, et propterea nedum privilegia et facultates et alia eidem archihospitali et ab eo dependentibus locis, illorumque personis

[1] Privilegia vide in Sixti IV const. XXVI, *Religionis*, tom. V, pag. 289. Et cetera quae hospitale respiciunt, vide in Innoc. III const. XL, *Inter*, tom. III, pag. 189.

ac quibusvis, intuitu dicti archihospitalis, concessa conservanda, verum etiam, quantum cum Deo nobis licet, augenda esse existimantes; ac quarumcumque indulgentiarum, privilegiorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, indultorum et cuiusvis generis gratiarum, cum quibusvis, clausulis et decretis, tam per dictos quam quoscumque Rom. Pontifices, quibusvis praedictis ac aliis forsan rationibus, concessarum tenores, et prout illa concernunt, omnia et singula in eis contenta praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, omnia et singula privilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, libertates, indulgentias, peccatorum remissiones, concessiones et indulta supradicta et alia quæcumque, sive dicto archihospitali sive eius praeceptori, ac ab eodem archihospitali dependentibus prioratibus, praeceptoriis, oratoriis, cappellaniis, membris, grangiis et locis, necnon illorum respective ministris et officialibus, ac tam in dicto archihospitali quam alibi institutis confraternitatibus et confratribus, quandocumque et qualitercumque concessa, indulta et approbata, quatenus sint in usu ac sacris canonibus et concilio Tridentino non contraria, ex certa nostra scientia, denuo, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque perpetuæ et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac praesentis scripti patrocinio communimus; omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; eademque omnia et singula, quæ per dictos praedecessores concessa fuerunt, prout per illos concessa, indulta et elargita extiterunt, quatenus, ut praefertur, sint in usu, adversus quascumque contrarias dispositiones restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

§ 3. Illaque omnia et singula dicto archihospitali aut in eo institutae confraternitati aut quibusvis certis et signatis locis dumtaxat forsan concessa, universis et singulis, quæ ab eodem archihospitali dependent, prioratibus, praeceptoriis, ecclesiis, cappellaniis, hospitalibus, oratoriis, eremitoriis, grangiis, membris et locis ac confraternitatibus illarumque confratribus, et quæ illis in vim privilegiorum praedictorum iam fuerunt et in posterum uniri contigerit, illorumque ministris ac servientibus communicamus, concedimus et impartimur, eademque omnia ad illa extendimus et ampliamus. *Locisque omnibus dicti Ordinis communicat.*

§ 4. Decernentes praesentes litteras, sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus aut derogationibus similium gratiarum, indulgentiarum, concessionum et aliorum quorumcumque nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse censerique debere; ac de subreptionis vitio seu intentionis defectu notari aut impugnari non posse, sed validas semper et efficaces existere, ac perpetuo suffragari. *Clausulæ praeservativae.*

§ 5. Sicque et non aliter, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. *Decretum irritans.*

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris sacri collegii sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium decano, ac Cancellariae Apostolicae regenti, et causarum Curiae Camerae Apostolicae auditori generali, nunc et pro tempore existentibus, per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecum- *Executorum deputatio et facultates.*

que, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Thesei et pro tempore dicti archihospitalis praeceptoris aut aliorum, in praemissis ius et interesse quomodolibet habentium vel dependentium, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra Theseum et pro tempore praeceptorem praedictum et alios quoscumque confirmatione, approbatione aliisque praemissis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari et inquietari. Contradictores quolisbet et rebelles ac praemissis non parentes; per sententias, censuras et poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias; censuras et poenas incurrisse declarando, necnon etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae. § 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur, ac piae memoriae Pii Papae V, praedecessorum nostrorum, revocatione dictarum indulgentiarum, cum clausula *manus adiutrices porrigentibus*, quas, dempta ea clausula, nec alias, suffragari volumus, in provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon aliorum hospitalium, monasteriorum, ecclesiarum, etiam cathedralium vel metropolitanarum, tam Mendicantium quam non Mendicantium Ordinum, confraternitatum piorumque locorum quorumcumque statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, stabilimentis, usibus et naturis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem vel alicui eorum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio ac ex simili scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam forsan consistorialiter, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 8. Ceterum, quia difficile foret *etc.* Transumptorum fides.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv martii MDLXXVII, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 15 martii 1577, pontif. anno v.

LXVIII.

Parochia Sancti Salvatoris ad Turrim Militum de Urbe unitur parochiæ Sancti Quirici [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, ad ea libenter intendi-

[1] Ex Bull. Ordinis fratr. Praedic. tom. VII, pag. 191.

mus, per quæ ecclesiarum omnium, praesertim curam animarum habentium, commodo et utilitati valeat salubriter provideri.

Beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam reservatio.

§ 1. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, apud Sedem Apostolicam tunc vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Cum itaque postmodum parochialis ecclesia Sancti Salvatoris ad Turrim Militum de Urbe, per liberam resignationem dilecti filii Matthiæ Baroccio de Cento, nuper ipsius ecclesiæ rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud Sedem eamdem vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illa praeter nos rite disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis.

Matthaeus de Simonettis supplicat pro unione de qua in rubrica.

§ 2. Et sicut exhibita nobis nuper, pro parte dilecti filii Matthæi de Simonettis, perpetui vicarii parochialis ecclesiæ Sancti Quirici, etiam de Urbe, petitio continebat, si dicta ecclesia Sancti Salvatoris, quæ ruinam minatur et pene destructa est, et illius fructus adeo tenues existunt, ut ex eis illius rector vivere et onera illi incumbentia sustinere minime potest, dictae ecclesiæ Sancti Quirici illiusque perpetuæ vicariæ perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, et cura animarum dilectorum filiorum parochianorum dictae ecclesiæ Sancti Salvatoris ab eadem abdicaretur, illaque dicto Matthæo et pro tempore existenti vicario dictae ecclesiæ Sancti Quirici perpetuo demandaretur, ex hoc profecto tam ecclesiæ S. Salvatoris quam curae parochianorum huiusmodi salubrius consuleretur, pro parte Matthæi et Matthiæ praedictorum nobis humiliter supplicatum quatenus eamdem ecclesiam Sancti Salvatoris dictae ecclesiæ S. Quirici seu vicariæ perpetuo annectere, unire et incorporare, ac curam praedictam ab eadem ecclesia Sancti Salvatoris abdicare, illamque dicto vicario demandare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Annuus valor uniendorum beneficiorum.

§ 3. Nos igitur, qui dudum, inter alia, voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest; ipsosque Matthæum et Matthiam a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon dictae ecclesiæ Sancti Quirici seu vicariæ fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem praesentibus pro expresso perpetuo habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ecclesiam Sancti Salvatoris huiusmodi, cuius fructus, redditus et proventus triginta quatuor ducatorum auri de Camera, secundum extimationem praedictam, valorem annuum, ut dictus Matthæus asserit, non excedunt, sive praemisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque personae seu per similem resignationem dicti Matthæi vel cuiusvis alterius de illa, in Romana Curia sive extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII, praedecessoris nostri, quæ incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, etiamsi tanto tempore

vacaverit, quod eius collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsaque ecclesia S. Salvatoris dispositioni apostolicæ specialiter vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio hac vice ad nos pertineat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eidem ecclesiæ Sancti Quirici seu illius perpetuæ vicariæ, apostolica auctoritate, tenore praesentium, unimus, annectimus et incorporamus, et curam praedictam ab eadem ecclesia Sancti Salvatoris abdicamus, illamque dicto Matthæo et pro tempore existenti ipsius ecclesiæ S. Quirici rectori seu perpetuo vicario demandamus, ita quod liceat Matthæo præfato, per se vel alium seu alios, corporalem possessionem ecclesiæ S. Salvatoris iuriumque et pertinentiarum praedictorum, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus et proventus in suos et dictae ecclesiæ Sancti Quirici usus et utilitatem convertere, cuiuscumque licentia desuper minime requisita.

Unio ecclesiae S. Salvatoris, ut in constitutione.

§ 4. Ne vero dictus Matthias nimium dispendium patiatur ex resignatione huiusmodi, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, eidem Matthiæ fructus, redditus et proventus dictae ecclesiæ Sancti Salvatoris, una cum usu, utilitate et libera administratione domorum et aliorum bonorum ad eamdem ecclesiam Sancti Salvatoris spectantium et pertinentium, quoad vixerit, exceptis sex barilibus vini ex redditibus ipsius ecclesiæ S. Salvatoris dicto Matthæo per eumdem Matthiam annis singulis persolvendis, ipsius Matthæi ad id expresso accedente consensu, auctoritate et tenore praesentium, reservamus, concedimus et assignamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes nostras praesentes litteras, etiam ex eo quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, seu alias ex quavis causa, de subreptionis, obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae defectu notari vel impugnari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere, suumque plenarium effectum sortiri; sicque in praemissis ab omnibus, quacumque auctoritate et dignitate fulgentibus, censeri et observari debere; nec non, prout est, irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§ 6. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Amerino, et dilectis filiis nostro in alma Urbe vicario generali, ac Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Matthæi et Matthiæ praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illiusque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra Matthæum unione, annexione et incorporatione, ac Matthiam praedictos reservatione fructuum, redditum et proventuum huiusmodi, iuxta praesentium continentiam et tenorem pacifice gaudere et frui, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores dicta auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta; ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi casibus a iure permissis fieri prohibentis, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque.

§ 8. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in dicta Urbe speciales vel generales dicta Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem et inde sequuta quaecumque ad dictam ecclesiam Sancti Salvatoris volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficior. aliorum, præiudicium generari; et quibusvis aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem litteris mentio specialis; seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

In contravenientes minatio.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, abdicationis, demandationis, reservationis, concessionis, assignationis, decreti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, nono kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 23 aprilis 1577, pontif. anno v.

LXIX.

Facultas instituendi confraternitates sanctissimi Corporis Christi in regno Franciae, cum indulgentiarum elargitione 1.

Dilecto filio Christophoro de Capite Fontium, Ordinis fratrum Minorum de Observantia ministro generali.

Gregorius Papa XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas erigendi confraternitates pro cultu augendo erga sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.

§ 1. Ut erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum omnium gratiarum fontem ubilibet, praesertim in Gallia, ubi, ob excitatas, humani generis hoste instigante, haereses ac bellicos tumultus, divinus cultus admodum refrixit, christifidelium excitetur devotio, illaque in dies magis augeatur, tibi, de cuius religionis zelo ac probitate plurimum in Domino confidimus, et qui ad propugnandam fidem catholicam, quam de dicto etiam Sacramento, tum in scribendis libris, tum in concionibus de eo ad specialem Galliam habitis, multum hactenus laborasti, ut in quibusvis civitatibus et ecclesiis parochialibus, per ipsam Galliam constitutis, quas ad id habere devotionem compereris, confraternitates sub eiusdem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti invocatione erigere et instituere; necnon, postquam erexeris et institueris; una cum consilio confratrum, qui in dictis confraternitatibus conscribentur, quaecumque statuta et ordinationes licita et onesta circa earum bonam directionem et tranquillum statum condere, et condita, prout expediens fuerit, mutare, et alia de novo edere valeas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem concedimus.

Indulgentiae concessae confratribus confratriam intrantibus;

§ 2. Praeterea ipsarum confraternitatum, ut praefertur, instituendarum augumento et profectui, animarumque sa-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

luti consulere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui aliquam ex confraternitatibus praefatis ingredientur, die eorum ingressus, si contriti et confessi communicaverint; necnon confratribus ipsis et eorum singulis, qui contriti et confessi ter in vita et amplius in festo Corporis Christi seu illius octava communicaverint, ac in mortis articulo constituti, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargimur.

SS. Sacramentum associantibus;

§ 3. Atque eisdem confratribus, qui sanctissimum Sacramentum huiusmodi, dum ad infirmos deferetur, devote associaverint, seu, legitimo impedimento detenti, associari fecerint, centum dies; ipsisque confratribus, qui processionibus et divinis officiis per praedictas confraternitates celebrandis interfuerint, etiam centum dies.

Et mulieribus sororibus;

§ 4. Insuper mulieribus sororibus confraternitatum ipsarum, quibus, propter honestatem aut aliquod impedimentum, extra domum vagari non licet, si quoties signum campanae audiverint, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, genibus flexis, recitaverint, similiter centum dies.

Visitantibus altare SS. Sacramenti;

§ 5. Praeterea eisdem confratribus utriusque sexus confraternitatum, ut praefertur, instituendarum, visitando altare eiusdem sanctissimi Sacramenti, et inibi septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam, pro exaltatione sanctae Romanae Ecclesiae ac haeresum extirpatione, officium recitando in diebus, in quibus stationes in ecclesiis in Urbe et extra illam existentibus habentur, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, si ea die illam ecclesiam in Urbe et extra eam visitarent, in qua ipsa statio habetur.

Et certis anni diebus;

§ 6. Rursus eisdem confratribus altare seu locum, in quo Sacramentum praefatum custodietur, visitantibus et orantibus, sexta quaque feria, centum dies; singula vero die in Coena Domini, eisdem confratribus vere poenitentibus et confessis, septem annos et totidem quadragenas; in tertia vero dominica cuiuslibet mensis, et in feria quinta maioris hebdomadae ad altare praefatum Eucharistiam pie suscipientibus, decem annos et totidem quadragenas; eisdem confratribus, qui dictum Sacramentum in processione singulo quoque tertio dominico die cuiuslibet mensis associaverint, etiam centum dies.

Omnibus Christi fidelibus

§ 7. Deinde omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui singula quaque sexta feria cuiuslibet hebdomadae altare confraternitatum sanctissimi Sacramenti huiusmodi devote visitaverint, et ibi pias ad Deum preces effuderint, decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis et eorum cuilibet poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Derogatio contrariorum, et fides transumptorum

§ 8. Contrariis non obstantibus quibuscumque praesentibus, quarum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo suo vel alicuius alterius in dignitate ecclesiastica constitutae personae munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi volumus, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDLXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 maii 1577, pontif. anno V.

LXX.

Iurisdictio S. R. E. cardinalis archipresbyteri et iudicis causarum capituli canonicorum et aliarum personarum sacrosanctae Lateranensis ecclesiae [1].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Cum, sicut accepimus, saepe contingat dilectos filios capitulum, canonicos, beneficiatos, clericos, cappellanos, cantores, sacristas, ministros et alias personas ecclesiae Lateranensis pro suis, ratione archipresbyteratus, et dictae ecclesiae negociis, rebus et bonis, per diversa tribunalia distrahi, et exinde variis sumptibus et expensis et molestiis defatigari.

Avocatio quarumcumq. causarum tangentium ecclesiam, capitulum etc. S. Io. Lateran., coram quocumque iudice Ro. C. vertentium.

§ 1. Nos, cupientes eorum indemnitatibus hac in parte opportune providere, ac illorum intuitu personas ipsas a similibus sumptibus, expensis et molestiis eximere, ac favore prosequi gratiae specialis, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas causas civiles et beneficiales, spirituales, profanas, meras et mixtas ac etiam criminales, inter ipsosmet capitulum, canonicos, beneficiatos, clericos, cappellanos, cantores, sacristas, ministros et personas huiusmodi, earumque litium consortes seu quomodolibet ab eis causam habentes, in Romana Curia, coram quibuscumque iudicibus, ordinariis vel delegatis, seu executoribus quavis auctoritate fungentibus, etiam almae Urbis vicario, gubernatore, senatore et conservatoribus ac aliis iudicibus, necnon Camerae Apostolicae clericis, causarum Curiae eiusdem Camerae seu Palatii Apostolici auditoribus, vel eorum locatenentibus, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, super quibuscumque bonis, etiam emphyteuticis, censibus, canonibus, responsionibus, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, actionibus, creditis, debitis, pecuniarum summis et aliis rebus capitulum et ecclesiam huiusmodi tangentibus, etiam in vim cameralium et aliarum quarumcumque obligationum, etiam cum iuramento et quibuscumque renunciationibus factarum, in prima vel secunda aut alia ulteriori instantia indecisas pendentes, in eisdem statu et terminis in quibus reperiuntur, ab ipsis iudicibus ad suos harum serie avocamus.

Deputatio archipresbyteri eiusdem ecclesiae ad audiendum omnes causas ipsius ecclesiae et capituli summarie etc.

§ 2. Illasque etiam, quatenus de novo inchoandas, et quascumque alias similes vel dissimiles causas civiles et beneficiales, seu spirituales et profanas, meras et mixtas, ac etiam criminales, citra tamen poenam sanguinis et corporis afflictivam, quas de cetero, perpetuis futuris temporibus, inter capitulum, canonicos et singulos alios praedictos ac eorum quemlibet, litis consortes et causam habentes praedictos, super bonis, censibus, responsionibus, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, actionibus, creditis pecuniarum summis, obligationibus, etiam cameralibus, ceterisque rebus praedictis, etiam in actis causarum huiusmodi latius deductis et deducendis, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et annui valoris, et illorum occasione moveri et exoriri contigerit, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, dilecto filio Marco tituli Sancti Georgii in Velabro presbytero car-

1 Hanc basilicam Gregorius XI et Pius V et alii ceteris Urbis et orbis ecclesiis maiorem esse declarant, ut in ipsius Gregorii XI const. IV, *Super*, tom. IV, pag. 534; et Pii V const. CXLVII, *Infirma*, tom VII, pag. 794.

dinali Altemps nuncupato, et aliis pro tempore existentibus archipresbyteris dictae ecclesiae, tam coniunctim quam divisim, per se seu vicarium seu vicarios ad id ab eis deputatos seu deputandos, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sed sola facti veritate inspecta, et, quatenus opus sit, executive et manu regia, absque terminorum substantialium et alicuius telae iudiciariae observatione, sine confectione regestri seu extractus, etiam singulis diebus et horis, ac etiam quarumcumque feriarum, praeterquam in honorem Dei indictarum vel indicendarum, temporibus, audiendas, cognoscendas, decidendas et fine debito terminandas committimus et mandamus.

Facultas eiusdem in Curia et extra citandi et inhiben., et inobedientes coercendi;

§ 3. Sibique dictas partes respective sua, communiter vel divisim, interesse putantes, etiam in executione citationis seu citationum desuper decernendarum nominandos, in dicta Curia vel extra, docto tamen, etiam extraiudicialiter, de non tuto accessu, citandi; ac quibus et quoties oportuerit, sub censuris ecclesiasticis et pecuniariis poenis, suo arbitrio moderandis et ampliandis, etiam per simile edictum inhibendi; et in eventum non paritionis, poenas et censuras praedictas incurrisse declarandi, aggravandi, reaggravandi; ac brachii saecularis auxilium invocandi; vel, loco sententiae seu sententiarum per eum ferendarum, mandatum seu mandata executiva in forma solita et consueta decernendi; illudque et illa ac quicquid per eum iudicatum fuerit exequendi; expensas quascumque taxandi et moderandi.

Canonicosque et alios ab excom. absolvendi;

§ 4. Necnon capitulum, canonicos et alias dictae ecclesiae personas ab excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis, simpliciter vel ad cautelam, prout iustum fuerit, absolvendi.

Et fatalia prorogan., et adversus lapsum restituendi;

§ 5. Necnon adversus lapsum temporis et fatalium, si necesse fuerit, restituendi; et quatenus lapsa non sint, eorum arbitrio prorogandi.

Attentata revocandi etc.;

§ 6. Attentataque et innovata quaecumque, prout iuris fuerit, revocandi; omniaque alia et singula in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi.

In appellationum causis, non obstantib. feriis, procedendi.

§ 7. Necnon iudici seu iudicibus, coram quibus causas huiusmodi, per viam appellationum a sententiis dictae ecclesiae latis interpositarum introduci contigerit, dictis feriis indicendis, ac modo et forma praemissis, ad illarum totalem et celerem expeditionem procedere possint, plenam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem et auctoritatem concedimus et elargimur.

Ab archipresbytero causae avocari non possint, nisi a Pontifice, illo citato.

§ 8. Decernentes causas huiusmodi a dicto cardinali et pro tempore archipresbytero existente vel eius vicario praedicto nullo unquam tempore avocari posse, et quascumque illarum avocationes nullius roboris vel momenti fore, nisi illae per speciale rescriptum, nostra vel pro tempore existentis Romani Pontificis manu signatum, etiam cum praesentium litterarum de verbo ad verbum facienda insertione, motu simili, vocatis et citatis Marco cardinali et pro tempore existente archipresbytero et capitulo praedictis, factae fuerint.

Decretum irritans.

§ 9. Irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae rogatoriae.

§ 10. Non obstantibus feriis et aliis praemissis, ac regula Cancellariae Apostolicae prohibente mandata executiva alias quam sub plumbo expediri; necnon aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; stylo Palatii et aliarum dictae Urbis curiarum et tribunalium; ac Universitatum, collegiorum et locorum statutis et consuetudinibus iuramento roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illorumque iudicibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque effi-

cacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, vel alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII iunii MDLXXVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 iunii 1577, pontif. anno VI.

LXXI.

Erectio eremitorii del Tardon *in monasterium Ordinis S. Basilii, eiusque et aliorum monasteriorum d. Ordinis in regnis Hispaniarum aggregatio eidem Ordini, cum privilegiorum concessione.*

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Cogit muneris apostolici ratio de omnium religiosorum statu nos esse sollicitos, atque eorum curam suscipere diligentem, qui, reiectis mundi delitiis et illecebris, antiquorum sanctorum Patrum exemplo, in solitudines concesserunt, ieiuniis, orationibus et coelestium contemplationi assidue insistentes, ut, cum talium numerum alicubi auctum intelligimus, ipsorum vitam et mores, sub certa alicuius approbatae Regulae norma, ad Dei gloriam et eorumdem salutem provide dirigamus.

Matthaeus de la Fuente certam religiosam vitam degit, et multi eum secuti sunt.

§ 1. Ad nostram siquidem pervenit notitiam quod, cum viginti abhinc vel circiter annis quondam Matthaeus de la Fuente Halmiruete, Toletanae dioecesis, dum soli Deo placere studeret, una cum duobus vel tribus sociis in eremum *del Tardon*, Cordubensis dioecesis, se recepisset, et in ea proprio labore victum parans, pauperem vitam duceret, nonnulli alii eius exemplo et religiosae vitae fama commoti, saeculi curis posthabitis, eamdem vivendi rationem amplexi sunt, et se illi socios adiunxerunt; ipsum praeterea Matthaeum per loci ordinarium ad sacros et presbyteratus ordines fuisse promotum.

Qui, habita notitia constit. CXVII Pii V, quae est in tomo VII, pag. 725, Regulam S. Basilii professi sunt;

§ 2. Et licet eremi cultores inter se distinctas cellulas inhabitarent, eos tamen consuevisse ad eumdem Matthaeum, tamquam eorum patrem et superiorem, a quo in via Domini instruerentur, recurrere, statutisque horis in quodam oratorio ad pie orandum simul convenire, ac sub dicti Matthaei voluntaria obedientia degere, huncque vivendi morem eo usque fuisse servatum, donec ad eorum notitiam constitutio felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, deducta fuit, qua sancitum est, ab iis, qui in congregationibus sub obedientia voluntaria viverent, quorum habitus a presbyteris saecularibus esset distinctus, prout ipsorum erat, professionem omnimo esse emittendam, electa ab ipsis una, sub qua degerent, ex Regulis approbatis.

Et domos in ipso eremo habitare coeperunt, monachorum more vivendo, et divina conventualiter recitando, et necessaria ad victum propriis laboribus parando.

§ 3. Nam, postquam idem Matthaeus et socii constitutionis huius certiores facti fuerunt, Regulam S. Basilii, eorum vivendi instituto, ut censuerunt, magis accommodatam, ad cuius praescriptum Altissimo pium exhiberent in habitu humilitatis obsequium, delegerunt. Et deinde Matthaeus, professionem iuxta dictam Regulam emittere volens, presbyterum ex suis sociis eremitis, in cuius manibus profiteretur, suo arbitrio elegit, et in eius manibus tria vota, iuxta Regulam praedictam, quantum in se fuit, professus est. Reliqui vero omnes eremitae in dicti Matthaei manibus similem professionem emi-

serunt et, derelicto cellularum usu, in domos apud eremum *del Tardon*, ut praefertur, et Vallis de *Galleguillos*, Hispalensis dioecesis, propriis eorum manibus ad monasterii formam constructas clausuraque munitas, numero quadraginta et ultra demigrarunt, ut religiosorum et monachorum more viverent, prout de praesenti vivunt; horasque canonicas in choro, et missas conventualiter, quemadmodum in aliis monasteriis fieri consuevit, iuxta Romanum usum celebrarunt; necessariaque ad vitam propriis manuum laboribus, iuxta eorum institutum, parando, nec eleemosynas petierunt nec oblatas acceperunt.

Ipseque Matthaeus abbatis munere functus fuit. Eoque mortuo, Didacus Vidal abbas creatus fuit.

§ 4. Religiosisque in praedictis locis sic, ut praefertur, redactis, idem Matthaeus in utrisque domibus, quasi illae in monasteria iam erectae essent, nonnullorum, qui periti habebantur, consilium sequutus, abbatis munere, donec vixit, sine canonica provisione functus fuit, et post eius obitum, credentes religiosi praedicti monasteria veri et legitimi abbatis regimine esse destituta, alium religiosum ex eorum numero, videlicet dilectum filium Didacum Vidal, in eiusdem Matthaei locum elegerunt.

Quia tamen eorum professio nulliter emissa erat, et dicta eremitoria non erant erecta in monasteria Ordinis.

§ 5. Cum autem iidem eremitae praedictam professionem in manibus eius, qui illam recipiendi facultatem non habebat, emiserint, eademque professio nulla et invalida reddatur, ac *del Tardon* et Vallis de *Galleguillos* domus et eremitoria huiusmodi in monasteria Ordinis S. Basilii adhuc canonice erecta non fuisse nec esse constet.

Ideo hic Pontifex in monasteria erigit, et in illis dignitatem abbatialem et alia officia instituit;

§ 6. Nos, dictorum eremitarum statui opportune consulendum esse existimantes, ipsosque et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis christianae propagationem praedicta *del Tardon* et Vallis de *Galleguillos* eremitoria seu domos in monasteria dicti Ordinis S. Basilii, cum suis ecclesiis et conventibus, necnon mensis, sigillis, arcis aliisque omnibus insignibus ad id requisitis et consuetis, ac in singulis dignitatem abbatialem, administrationes et officia in aliis monasteriis ipsius Ordinis haberi solita, pro abbatibus et monachis ad iustum numerum conventus, monasticum cultum et regularem disciplinam ibidem observaturis, perpetuo erigimus et instituimus. Ac illis sic erectis eorumque mensis bona, census, actiones et iura omnia suarum cuiusque domorum seu eremitoriorum sic in monasteria erectorum perpetuo applicamus et appropriamus.

Illisque dat facultatem Eucharistiam in eorum eccles retinendi, et alia officia celebrandi, iuxta Missale et Breviarium nuper restituta;

§ 7. Ac ipsorum monasteriorum sic erectorum abbatibus, conventibus in suis quisque ecclesiis praedictis sanctissimum Eucharistiae sacramentum cum debitis honore et reverentia habendi et retinendi; missas et alia divina officia latina lingua, secundum consuetudinem seu ritum Romanae Ecclesiae, et iuxta Breviarium et Missale Romanum ex decreto concilii Tridentini novissime restituta, et iussu praedicti Pii Papae edita, donec aliud Sedi Apostolicae expedire videbitur, celebrandi, recitandi et cantandi licentiam tribuimus.

Monasteriaque praedicta et alia in regnis Hispaniarum construenda subicit Ordini S. Basilii, et sub protectione Sedis Apostolicae recipit, et ab omni ordinariorum iurisdictione liberat.

§ 8. Ipsaque sic erecta monasteria *del Tardon* et de *Galleguillos*, ac etiam monasterium S. Mariae de Oviedo eiusdem Ordinis S. Basilii, Giennensis dioecesis, a fel. rec. Pio Papa IV erectum et institutum, et a nobis, per nostras litteras in forma brevis, monachis eiusdem Ordinis in Italia existentibus, sub unius abbatis seu praesidentis generalis in toto Ordine eligendi

obedienta, subiectum ac perpetuo coniunctum, et quaecumque alia monasteria eiusdem Ordinis S. Basilii in Hispaniarum regnis in posterum construenda et erigenda, dicto Ordini S. Basilii, sub obedentia futuri et pro tempore existentis abbatis seu vicarii generalis eiusdem Ordinis, aggregamus, annectimus et incorporamus; eademque sic erecta et erigenda monasteria, eorumque abbates et monachos sub immediata nostra et Sedis Apostolicae protectione recipimus; illaque et illos ab omni ordinarii iurisdictione, auctoritate et potestate eximinus penitus et liberamus.

Eadem monasteria constituant inter se unam provinciam nuncupandam Hispaniarum, in qua provinciale capitulum fiat quolibet triennio.

§ 9. Ita tamen ut tam *del Tardon* et *Galleguillos,* quam de Oviedo et alia in dictis regnis sub eadem Regula in futurum construenda et erigenda monasteria, ut praefertur, postquam constructa et erecta fuerint, unam faciant et inter se constituant provinciam Hispaniarum nuncupandam, in qua provinciale capitulum unoquoque triennio per abbates et monachos, a conventibus singulorum monasteriorum suorum deputandos, celebretur; et in eo unus visitator eligatur, qui, cum primum electus fuerit, eo ipso apostolica auctoritate confirmatus censeatur, nulla alia requisita confirmatione, nisi eidem capitulo abbatem vel vicarium eiusdem Ordinis generalem contigerit praesidere vel esse praesentem, cuius auctoritate eo casu omnino debeat confirmari; dictaeque provinciae monachi secundum Regulam eiusdem Sancti Basilii, quam profitentur, de cetero vivere.

Habituque nigro monachi utantur.

§ 10. Atque ut monachi praedicti *del Tardon* et de *Galleguillos* in habitu cum reliquis dicti Ordinis monachis, etiam in Italia existentibus, conveniant, loco habitus grisei seu brunei coloris, cuiusmodi in praesentiarum gerunt, monasticum habitum nigrum, prout etiam alias monachis dicti monasterii de Oviedo per dictas nostras litteras concessimus, deferre; et ita in posterum reliqui omnes eiusdem Ordinis et provinciae monachi futuri, eodem habitu regulari uti debeant.

Privilegia quoque Ordinis Sancti Basilii et Cassin. congregationis concedit.

§ 11. Praeterea eisdem ac provinciae Hispaniarum monasteriis quibuscumque, ac aliis membris et locis ab ea dependentibus, illorumque abbatibus, praelatis, monachis et personis omnia privilegia, indulta, immunitates, praerogativas, exemptiones, libertates, gratias et indulgentias Ordini S. Basilii praedicti, necnon congregationi Montis Cassini alias Sanctae Iustinae de Padua, Ordinis S. Benedicti, tam per nos quam per alios Romanos Pontifices praedecessores nostros Sedemque praedictam, alias in genere vel in specie quomodolibet concessa (quatenus usu recepta sint, et concilii Tridentini decretis aliisque sacris canonibus et ipsius Ordinis S. Basilii institutis non adversentur), concedimus et elargimur.

Monachi celebrent quanto citius capitulum provinciale;

§ 12. Ac insuper, ut eadem monasteria feliciter in via Domini dirigantur, praedictorum omnium monasteriorum dictae provinciae conventibus et monachis praecipimus ut quamprimum provinciale capitulum eorumdem monasteriorum provinciae Hispaniarum celebrent, in quo usque ad numerum viginti, eorum abbates et conventuum discreti seu procuratores et monachi habitu vel professione in eisdem monasteriis, tam de Oviedo quam *del Tardon* et de *Galleguillos*, antiquiores, donec tot monasteria dicti Ordinis S. Basilii in eadem provincia erecta fuerint, quot illorum abbates et conventuum discreti seu procuratores in eodem capitulo congregandi eumdem numerum viginti constituant, conveniant.

Visitatoremque ad triennium eligant ex monachis provinciae Hispaniarum.

§ 13. Atque in eo ex monachis eiusdem provinciae unum, quem magis ad id habilem et idoneum duxerint eligendum, in eorum visitatorem ad triennii tempus, et, eo completo, successive in provinciali capitulo, tertio quoque anno, ut praemittitur, celebrando, eligant.

Visitatoris provinciae Hispaniar. facultates.

§ 14. Qui omnem in quibuscumque monasteriis praedictae provinciae iurisdictionem habeat et exerceat, ipsorumque monasteriorum monachos tam in capite quam in membris visitet, corrigat et reformet, salva semper et reservata dicti abbatis seu vicarii eiusdem Ordinis generalis pro tempore existentis, etiam in praemissis, obedentia, auctoritate et superioritate; ac capitulis provincialibus huiusmodi praesit et electioni abbatum, quorum munus etiam triennale erit, per monachos singulorum monasteriorum faciendae, assistat, vel ad assistendum electioni huiusmodi alium ex dictae provinciae monachis specialiter deputet.

Visitator, abbates et ceteri dictae provinciae subiecti sint abbati seu vicario generali Ordinis.

§ 15. Praedictus autem visitator provinciae Hispaniarum huiusmodi, necnon monasteria, abbates, monachi et personae dictae provinciae Hispaniarum praedicto abbati seu vicario generali universi Ordinis Sancti Basilii in Italia, pro tempore eligendo, constituendo vel deputando, subiecti existant et ab eo dependeant. Ita ut idem abbas seu vicarius generalis pro tempore existens, tam in dictum eiusdem provinciae Hispaniarum pro tempore visitatorem, quam in praedicta et alia omnia eiusdem provinciae erecta et erigenda monasteria, abbates, priores et alios praelatos ac monachos et personas pro tempore existentes, plenam et omnimodam iurisdictionem, auctoritatem et superioritatem habeat; dictumque visitatorem, monasteria, abbates, priores et praelatos ac monachos et personas, tam in capite quam in membris, visitare, corrigere et reformare, simul vel ad partem, valeat; ipsique visitator, abbates, priores et praelati ac monachi et personae dicto abbati seu vicario generali pro tempore existenti tamquam membra capiti subiaceant, eiusque monitis et mandatis, in praemissis et aliis omnibus, omni prorsus appellatione, reclamatione et recursu postpositis, parere, obedire; illumque, cum ad eos vel dicta monasteria divertere, seu pro visitatione huiusmodi aut alias accedere contigerit, honorifice et benigne recipere et pertractare teneantur.

Visitator convenire debet in electione abbatis generalis etc.;

§ 16. Idemque visitator provinciae Hispaniarum in eiusdem abbatis generalis electione pro tempore facienda ac aliis rebus ad universum Ordinem S. Basilii pertinentibus, pro quibus pertractandis aliarum provinciarum visitatores et superiores evocabuntur, convenire debeat.

Et habet vocem activam et passivam.

§ 17. Ac in electione abbatis generalis huiusmodi idem visitator activam et passivam vocem habeat.

In capitulo provinciali fieri possint ordinationes concilio Tridentino et Ordinis constitutionibus et sacris canonibus non contrariae.

§ 18. Necnon eidem visitatori et aliis in capitulo provinciali congregatis, tam hac prima vice quam in posterum singulis trienniis, quaecumque statuta et ordinationes, licita et honesta, sacris canonibus ac praedicto concilio Tridentino dictique Ordinis regularibus institutis ac generalibus illius ordinationibus et constitutionibus non contraria, condendi; et, postquam condita fuerint, illa in toto vel in parte, iuxta rerum et temporum qualitates, mutandi, reformandi; illaque in toto vel in parte tollendi et abrogandi; aliaque de novo statuendi, quae tamen ab abbate seu vicario dicti Ordinis generali et, in eius defectu, a S. R. E. cardinali eiusdem Ordinis protectore, qui tunc erit, approbari debeant, licentiam et facultatem concedimus.

Degentes in dictis eremitoriis, si professionem Ordinis S. Basilii emittere voluerint recipiantur in monachos;

§ 19. Ceterum personis eremitoriorum seu domorum *del Tardon* et de *Galleguillos*, sic in monasteria erectorum, et earum statui quamprimum consulendum esse rati, dilectis filiis praedictis S. Mariae et S. Benedicti Hispalensis, Ordinis eiusdem S. Benedicti, monasterior. abbatibus per apostolica scripta mandamus ut ipsi vel alter eorum illos singulos in monachos et in fratres suorum quemque monasteriorum *del Tardon* et de *Galleguillos* admit-

tant, et ab eis professionem regularem dicti Ordinis S. Basilii, si illam sponte emittere voluerint, recipiant, facientes eos sincera ibi in Domino caritate tractari.

Et post annum professionem emittant. § 20. Sed et eos, qui in praedictis domibus seu eremitoriis *del Tardon* et de *Galleguillos*, sub voluntaria obedientia, per annum et ultra iam permanserint, statim ubi praesentium notitiam habuerint, ad profitendum, ut praefertur, omnino teneantur; quod ut faciant praecipimus per praesentes.

Exemptio a decimis. § 21. Postremo, animadvertentes eosdem *del Tardon* et de *Galleguillos*, post praetensam professionem in dicti Matthaei manibus sic, ut praefertur, emissam, pro vere professis habitos fuisse, decernimus et declaramus illos, iuxta exemptiones ac privilegia Ordinis S. Basilii vel alias concessa, ad solutionem decimarum frugum et animalium ac aliarum rerum, quae ex suarum manuum labore a die professionis praetensae huiusmodi usque ad haec tempora collegerunt, ac in posterum usque ad novae professionis tempora colligent vel administrabunt, minime teneri, nec obligatos fuisse aut esse, nec ad id per locorum ordinarios aut alios quoscumque, ad quos decimarum earumdem collectio spectat, cogi sive compelli posse.

Decretum irritans. § 22. Irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quin etiam eos universos et singulos a solutione praedicta absolvimus et liberamus.

Executorum deputatio et facultates. § 23. Quocirca venerabili fratri nostro patriarchae Alexandrino et dilectis filiis archidiacono Hispalensi ac abbati Sanctae Fidei in ecclesia Granatensi per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte praedictorum et aliorum, quorum interest, intererit aut interesse poterit, aut praesentes litterae quomodolibet concernunt, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis assistentes, faciant auctoritate nostra easdem litteras et quaecumque in illis continentur firmiter observari. Non permittentes eos vel eorum aliquem desuper a quibuscumque indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per iuris et facti remedia opportuna, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis servandis processibus, illos sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 24. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, Clausulae derogatoriae. de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac Ordinis praedicti illiusque monasteriorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus habenda esset mentio specialis, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque

contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides exemplorum. § 25. Volumus autem praesentium exemplis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 25 maii 1577, pontif. anno VI.

LXXII.

Absolvit regem Portugalliae et alias personas deputatas a quibusvis censuris et poenis ob commercia cum saracenis ac infidelibus habita, et merces ad eos delatas; ac ei et successoribus suis, innovando indulta super hoc a Martino, Eugenio et Calixto concessa, facultates elargitur licentiam concedendi subditis in futurum cum eisdem infidelibus commercium habendi [1].

Carissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliae et Algarbiorum regi illustri Gregorius Papa XIII.

Carissime in Christo fili, sal. et ap. benedictionem.

Facti series. § 1. Exponi nobis fecisti quod alias, postquam felicis recordationis Calixtus Papa III, praedecessor noster, vestigiis similis recordationis Martini V et Eugenii IV, Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, inhaerendo et ex certis tunc expressis causis, bonae memoriae Alphonso, Portugalliae et Algarbiorum regi tunc in humanis agenti, eiusque successoribus eorumdem regnorum regibus pro tempore existentibus, ac ab eis deputandis seu quibus id duxissent committendum personis quibuscumque, ut cum quibusvis saracenis et infidelibus de quibuscumque rebus et bonis ac victualibus emptiones facere; necnon quoscumque contractus inire, transigere, pacisci et mercari et negotiari; ac merces quascumque ad ipsorum saracenorum et infidelium loca, dummodo ferramenta, lignamina, funes, naves seu aliquarum armaturarum genera non essent, deferri; ea dictis saracenis et infidelibus vendere; aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria vel opportuna facere, gerere et exercere, absque alicuius spiritualis vel temporalis poenae incursu, possent et valerent apostolica auctoritate concesserat et indulserat.

Causa constitutionis edendae. § 2. Tu, post concessionem et indultum huiusmodi, pro eorumdem regnorum et aliorum tuorum dominiorum vastissimo maris Oceani tractu ex magna eorum parte se protendentium bono publico, ac castellorum et populorum ditioni tuae temporali subditorum utilitatibus commoditatibusque procurandis et necessitatibus sublevandis, plerosque incolas et habitatores dictorum regnorum et dominiorum, ac etiam Anglos et forsan alios alienigenas, cum saracenis et infidelibus praedictis ac etiam diversis aliarum nationum a fide catholica aberrantium hominibus mutua commercia exercere, et eius rei causa, illos ad caput de Guer et alia in partibus Africae, tuae conquistae dicta auctoritate subiectis, consistentia loca transigere, eosque vicissim ad regna et dominia praedicta venientes recipere, commeatusque, merces et alias res ad communem vitae usum pertinentes ultro citroque vendere et emere permisisti, eisque per te et alias ad id a te deputatas personas licentiam desuper concessisti.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

§ 3. Et licet ex mutuis commerciis praedictis non modica rerum penuria in dictis regnis et dominiis sublevetur, communique utilitati et commoditati consulatur, nec huiusmodi commercia sine vassallorum et subditorum praedictorum damno et incommodo intermitti possunt; tamen, quia per te et personas deputatas praedictas, etiam ante concessionem licentiarum huiusmodi, forsan intellectum fuerat Anglos praedictos ad partes saracenorum et infidelium huiusmodi arma et alia prohibita deferri solitos et delaturos esse, dubitas tam te quam personas deputatas praedictas, ex concessionibus licentiarum huiusmodi, excommunicationis ac alias censuras et poenas, in similia perpetrantes a iure vel sacris sanctionibus aut alias promulgatas, incurrisse, beneficioque et usu concessionis et indulti praedictorum eo ipso privatos fuisse et esse.

§ 4. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu bellum iamdiu adversus saracenos et alios infideles praedictos, pro illis a partibus Africae et aliis conquistae regni Portugalliae subiectis locis propulsandis et expugnandis, ac religionis christianae finibus dilatandis, a tuis progenitoribus coeptum et etiam per te continuatum, ex tua erga religionem ipsam devotione magno cum fervore prosequi intendas, et ad id commercia praedicta plurimum opportuna fore noscantur, tam tuo quam personarum praedictarum nominibus, nobis humiliter supplicari fecisti quatenus tibi statuique tuo ac eisdem personis deputatis, pro vestrarum respective conscientiarum securitate, de absolutionis beneficio, et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris forsan incursis. § 5. Nos igitur, qui non solum salutem, sed etiam utilitatem ac commoda quaerimus singulorum, huiusmodi supplicationibus inclinati, te et singulas personas deputatas praedictas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, etiam temporalibus, per te et dictas personas deputatas forsan incursis, et excessibus huiusmodi, in utroque foro, auctoritate apostolica, tenore praesentium, absolvimus et totaliter liberamus; ipsasque poenas tibi et singulis personis praedictis remittimus ac condonamus, ac omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam exinde forsan contractam penitus abolemus; teque et singulas personas huiusmodi in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet eratis, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus. ut in constitutione.

Indultorum, quae alias hac de re concessa fuerant, confirmatio. § 6. Et nihilominus concessiones et indulta quaecumque, tam a Martino et Eugenio ac Calixto praedictis, quam aliis quibuscumque Romanis Pontificibus similiter praedecessoribus nostris, super praemissis commerciis exercendis, pro tempore existentibus Portugalliae et Algarbiorum regibus et ab eis deputatis et deputandis personis huiusmodi concessa, singulasque eorumdem praedecessorum desuper confectas litteras ac in illis contenta quaecumque confirmantes et approbantes, illasque innovantes, maiestati tuae tuisque successoribus, dictorum regnorum regibus pro tempore existentibus, et personis ad id a te seu ab eis deputandis, ut de cetero, quotiescumque expediens fore iudicaveris vel ipsi iudicaverint, incolis et habitatoribus praedictis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et nationis fuerint, ad caput de Guer huiusmodi et ceteras Africae partes, etiam belli tempore, commercii causa, se transferendi, ac ibidem commeatus, merces, victualia et quascumque alias res, non tamen in litteris die Coenae Domini legi solitis prohibitas, deducendi, trans-

Receptio rerum, ut in bulla Coenae Domini.

vehendi et trasportandi, ac ultro citroque vendendi, seu pro aliis mercibus et rebus quibuscumque permutandi, aut alias distrahendi; necnon emptionis et venditionis, pactionis, transactionis, distractionis, mercaturae, negotiationes et quoscumque alios contractus, a iure tamen alias non prohibitos, exercendi; ceteraque in his et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna tantum faciendi et pertractandi licentiam concedere libere et licite, absque conscientiae scrupulo, aut aliquarum censurarum seu poenarum spiritualium vel temporalium, aut peccati seu transgressionis incursu, possis et valeas, ipsique successores tui ac deputandae personae huiusmodi possint et valeant; nec tibi aut illis seu incolis aut habitatoribus praefatis in culpam vel noxam imputari debeat, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratia, indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac apostolicis necnon, in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, prohibitionibus editis et decretis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Satisfactio iniungitur adimplendo poenitentiam a confessario imponendam.

§ 8. Volumus autem quod tu et singulae personae praedictae, quae absolutionem huiusmodi gaudere voluerint, poenitentiam, quam idoneus et ab ordinario approbatus confessor, ad id per te et singulas personas praedictas eligendus, propter praemissa tibi et eis duxerit iniungendam, adimplere teneatis et personae ipsae teneantur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDLXXVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 29 iulii 1577, pontif. anno VI.

LXXIII.

Erigitur in Urbe collegium ecclesiasticum Adolescentum Neophytorum [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Vices Eius nos, licet immeriti, gerentes in terris, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, nostram in omnes partes apostolicae sollicitudinis curam et charitatis affectum ita debemus extendere, ut non modo haereticorum et schismaticorum ab orthodoxae fidei semita aberrantium resipiscentiam, sed eorum etiam, qui, in infidelitatis tenebris ambulantes, misere pereunt, praesertim iudaeorum, conversionem veramque salutem exoptare, ac totis viribus quaerere non cessemus.

Institutio praedicationis diebus sabbati ad Hebraeos.

§ 1. Hoc sane animo nos iampridem singulis diebus sabbati in certo oratorio in alma Urbe iudaeis Christum Salvatorem nostrum, olim antiquis eorum patribus ac prophetis promissum, annunciari et praedicari iussimus; quo factum est ut nonnulli ipsorum, superna eis gratia et misericordia affulgente, illuminati, Christi fidem susceperint et baptizati sint, et nunc etiam frequenter tam dicti iudaei quam alii, abnegata mahumetica impietate, quam sequebantur, eadem gratia inspirante, baptizentur.

Causa constitutionis et erectionis collegii Neophytorum.

§ 2. Proinde fidei christianae propagatione et incremento huiusmodi, quantum possumus, incumbentes, atque tam saluti et eruditioni eorum puerorum et adolescentum, qui ex iudaeorum, turcarum et maurorum similiumque mahumetanorum genere nuper ad Christi fidem conversi sunt et in dies, Deo iuvante, convertentur, prospicere, quam etiam providere volentes ut ex eis prodeant operarii ad opus Evangelii idonei, qui in ipsa

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Urbe ceterisque Italiæ locis, atque adeo in omnibus terrarum orbis partibus, in quibus iudæi et infideles degunt, christianae fidei mysteria, etiam propria illorum lingua, sive Hebræa sive Arabica, explicare, docere et praedicare possint et valeant, nihil opportunius esse censuimus quam proprium collegium ad eosdem instituendos erigere; ad Dei igitur omnipotentis gloriam, sanctaeque fidei christianæ exaltationem, in eadem alma Urbe et loco ad id eligendo, unum collegium ecclesiasticum, Adolescentum Neophytorum vocandum, motu proprio, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, erigimus et instituimus, quod quidem pro duabus partibus constet ex iis, qui a iudaismo; pro tertia vero, ex illis qui a mahumetismo recedentes, sive Turcae sive Mauri sive alterius cuiusvis nationis, christianam fidem recenter amplexi sunt, vel saltem, eis non existentibus, ex parentibus neophytis procreati sint; ipsique collegio, donec de aliis redditibus a nobis sufficienter fuerit provisum, sustentationis causa et dotis nomine, centum aureos ex nostris et Camerae Apostolicae seu mensa Datariatus pecuniis in singulos menses solvendos assignamus.

Designatio redditus.

§ 3. Volumus autem idem collegium illiusque rectores, œconomos, magistros, praeceptores atque scholares pro tempore in eo existentes, et eorum domesticos, officiales ac ministros, ipsiusque collegii ac illorum bona mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis in dicta Urbe et extra ac alias ubique locorum consistentia, exempta esse ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis senatoris, conservatorum reformatorumque dictae Urbis, necnon rectoris Studii generalis, vicarii Urbis et cuiusvis ordinarii locorum aliorumve quorumcumque iudicum et officialium, in ipsa Urbe vel alias ubilibet constitutorum; ipsumque collegium et eos in propriis eorum rebus et bonis cum ipsis contrahentes a solutione et exactione quorumcumque (ut vocant) pedagii, gabellae, bollettini, decimarum et cuiusvis alterius, tam ordinarii quam extraordinarii, oneris, ex quacumque causa impositorum et imponendorum, eximimus ac prorsus liberamus, ac sub Beati Petri et Sedis Apostolicae atque nostra protectione suscipimus et collocamus, nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus, ac liberos, immunes et exemptos declaramus.

Privilegia concessa famulantibus aliisque eiusdem collegii.

§ 4. Eidem quoque collegio, scholaribus, rectoribus et oeconomis, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus Studium generale almae Urbis et illius rector doctoresque in eo etiam actu legentes quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ad eorum instar et pari modo uti, potiri et gaudere valeant in omnibus et per omnia, concedimus et indulgemus, illaque eis communicamus.

§ 5. Necnon senatori, conservatoribus, reformatoribus rectorique et aliis iudicibus, officialibus et personis praedictis, ac pro tempore existenti S. R. E. camerario, praesidentibus et clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis commissariis ad exactionem decimarum et aliorum onerum praefatorum pro tempore deputatis, ne, quarumcumque litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum praetextu, collegium, scholares rectores, oeconomos, officiales et ministros praedictos seu eorum aliquem in praemissis quavis modo molestent seu molestari permittant, districtius inhibemus.

§ 6. Et praeterea regentibus et superioribus dicti collegii, cum assistentia

Facultas conferendi scientiarum gradus

regentibus et superioribus eiusdem collegii concessa.

tamen cardinalium protectorum, qui pro tempore fuerint, seu alicuius eorum, vel de ipsorum consilio et expresso consensu, illos, quos in dicto collegio et alibi per debitum tempus studuisse, ac litterarum scientia et moribus idoneos esse repererint, ad baccalaureatus, licentiaturae doctoratusque et magisterii gradus, servata forma concilii Viennensis, iuxta Universitatis eiusdem Urbis consuetudinem seu alias promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi; quodque sic promoti, facultates, in quibus studuerint, legere et interpretari, ac de eis disputare, et quoscumque gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere; ac omnibus et singulis gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedicta seu aliis Universitatibus et alibi, iuxta illius et aliarum Universitatum huiusmodi constitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti, de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere possint ac debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa Universitate, iuxta consuetudines et mores praedictos, suscepissent, concedendi et indulgendi, liberam eadem auctoritate damus facultatem et potestatem.

Protectorum designatio.

§ 7. Ut vero ipsius collegii conservationi bonoque regimini, tam in his quæ ad institutionem et disciplinam, quam quæ ad victum, vestitum aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, dilectos filios nostros Gulielmum Sirletum Sancti Laurentii in Panisperna, et Iulium Antonium S. Bartholomæi in Insula S. Severinae titulorum presbyteros, necnon dilectum filium Philippum Vastavillanum S. Mariæ Novae diaconum, S. R. E. cardinales, eiusdem collegii protectores constituimus ac deputamus, quorum consilio et ope supradicta et alia quaecumque ad eosdem in collegio admittendos scholares retinendosve ac dimittendos spectantia agantur, statuantur et ordinentur; dantes eisdem et pro tempore existentibus protectoribus plenam et liberam facultatem et auctoritatem, pro salubri directione et conservatione dicti collegii illiusque bonorum et rerum ac iurium, tam temporalium quam spiritualium, oeconomos, advocatos, procuratores aliosque ministros et officiales in eo deputandi amovendique, et alios eorum loco sufficiendi, ordinationesque et statuta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et concilio Tridentino non repugnantia, faciendi et edendi; eaque, cum visum fuerit, revocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de novo condendi, quae, postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde haberi volumus ac si auctoritate apostolica approbata et confirmata essent; illaque ab omnibus rectoribus, magistris, scholaribus aliisque personis in collegio servientibus et ministrantibus inviolabiliter observari, ac iuxta eorumdem dispositionem a quibusvis iudicibus, sublata eis quavis aliter iudicandi facultate, iudicari et diffiniri debere; et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

§ 8. Volumus quoque ut idem collegium non teneatur ad praesentandum et registrari faciendum has litteras in Camera Apostolica, prout constitutione felicis recordationis Pii Papae IV, praedecessoris nostri, octavo idus augusti, anno VI sui pontificatus edita, cautum est; sed perinde valere, ac robur et firmitatem suam obtinere ac si tempore ab ipsa constitutione praescripto in eadem Camera praesentatae ac registratae fuissent. Contrariorum derogatio.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae Urbis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis,

statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem senatori, conservatoribus, reformatoribus, camerario, Universitatibus ac eorum collegii rectoribus et personis, aliisque praedictis, necnon praedictae Urbi ac populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibuscumque clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Decretum irritans.

§ 10. Nulli ergo liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, assignationis, voluntatis, exemptionis, liberationis, susceptionis, collationis, subiectionis, declarationis, concessionis, indulti, communicationis, inhibitionis, dationis, constitutionis, deputationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, kalendis septembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 sept. 1577, pontif. anno VI.

LXXIV.

Clerici regulares congregationis Sancti Pauli Decollati, absque licentia eius praepositi generalis, ad alium quemcumque Ordinem, praeter Cartusianum, transire nequeunt [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

In specula supremae dignitatis, dispositione divina, meritis licet insufficientibus, constituti, inter multiplices curas, quibus rerum negociorumque varietatibus obruimur, ad ea, ex debito pastoralis officii nobis commissi, sollicite nos intendere decet, per quæ personæ religiosae in regularis vitae ac ecclesiasticae disciplinae norma, coadiuvante Domino, salubriter conservari valeant, et quae his contraria esse noscuntur, per nostrae providentiae studium penitus evellantur.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum praepositi generalis et clericorum regularium congregationis S. Pauli Decollati, Barnabitarum nuncupatorum, petitio continebat quod, licet ipsi ad animas pretiosissimo Domini Iesu Christi sanguine redemptas eidem Domino lucrifaciendas semper dictae congregationis religiosos, ab eorum adolescentia, bonis moribus ac litteris imbuere omni ratione studuerint, et ea in re nullis umquam sumptibus neque laboribus pepercerint; nihilominus nonnulli ex dictis religiosis, ob scientiam per eos congregationis praedictae auspiciis acquisitam, tumidiores effecti, immemoresque officii sui ac beneficiorum ab ipsa congregatione acceptorum, cum primum in litteris ita versati et eruditi reperiuntur, ut et proximorum saluti et dictae congregationi adminiculo esse possent, libertatem appetentes, tamquam ingrati filii, congregationem ipsam, ad effugiendam obedientiam et observantiam, quæ in ea arctissime custodiuntur, sub arctioris vitæ praetextu, deserunt, ac, quod gravius est, etiam ipsius congregationis personas, ritus et mores maledictis insequentes, alios quoque variis multisque laxioris vitae pollicitationibus subvertere non cessant. Quare, pro parte praepositi et clericorum praedictorum, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus incommodis huiusmodi occurrere, aliasque in praemissis oppor-

[1] Huius congregationis institutionem et alia eam tangentia vide apud Clementem VII, constit. XLV, *Vota*, tom. VI, pag. 160.

tunc providere de benignitate apostolica dignaremur.

Prohibitio transeundi ad alios Ordines, excepto Cartusiano, etc.

§ 2. Nos igitur, qui religiosos quoslibet in suis regularibus institutis laudabiliter continere omni studio affectamus, praepositum et clericos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus, ac sub excommunicationis sententia, per contrafacientes, eisque consilium, auxilium vel favorem praestantes, ipso facto incurrenda, et a qua, præterquam in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice vel ipsius congregationis praeposito generali pro tempore existente absolvi non possint, districte praecipiendo interdicimus quod de cetero nullus dictae congregationis religiosus, cuiuscumque conditionis, sive clericus sive laicus fuerit, ipsam congregationem, post vota per eum secundum illius institutiones emissa, praetextu cuiusvis indulti ab eodem Romano Pontifice pro tempore existente, seu illius maiori pœnitentiario aut aliquo Sedis Apostolicae nuncio vel legato, etiam de latere, impetrati vel impetrandi, absque speciali et expressa pro tempore existentis praepositi praedicti licentia desuper obtenta, exire, aut ab ea recedere, etiam ob frugem melioris vitae aut strictioris observantiae aut alio quaesito colore, ad quemvis alium, etiam Minorum vel aliorum fratrum Mendicantium aut Cisterciensium vel S. Benedicti aut aliorum monachorum, Ordinem transire, vel etiam per superiores Ordinum et monasteriorum huiusmodi (Cartusiensi Ordine dumtaxat excepto) recipi seu admitti possit seu praesumat.

Forma transeundi praescribitur.

§ 3. Quodque is qui pro tempore ab ipsa congregatione ad Cartusiensem vel, de licentia praedicta, ad alium Ordinem huiusmodi transire voluerit, ad Cartusiensem videlicet infra tres menses, a die quo ab ipsa congregatione recesserit; ad alium vero Ordinem huiusmodi, infra tempus ei a pro tempore existente praeposito praedicto praefigendum, accedere, ac illorum monasteria seu domos et loca actu ingredi. Et si in eis permanere noluerit aut non possit, absque ulla mora, ad dictam congregationem redire teneatur.

Pœnae contravenientibus infliguntur.

§ 4. Et nihilominus, si quis ex clericis dictae congregationis animo indurato contrarium tenere praesumpserit, vel a dicta congregatione, post emissionem votorum huiusmodi, absque licentia praedicta, exire, et in saeculo vel alio, etiam regulari, loco degere praesumpserit, liceat praefato generali seu aliis dictae congregationis praepositis et superioribus eosdem transgressores et exeuntes tamquam apostatas, etiam invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, ad dictam congregationem revocare, eosque capere et carcerare ac debitis pœnitentiis subiicere. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores huius constitutionis deputatio et facultates.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus nostris patriarchae Alexandrino et archiepiscopo Mediolanensi ac archipresbytero ecclesiae Mediolanensis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte praepositi et clericorum praedictorum fuerint requisiti,

solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, ac praepositum et clericos praefatos illis omnibus pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per praedictas ac alias sententias, censuras et pœnas ecclesiasticas ceteraque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras ac pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis omnibus derogatur. § 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suæ diœcesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices, qui a dicta Sede deputati fuerint, contra quoscumque procedere, vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus diætis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diætas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus; necnon quorumcumque monasteriorum, hospitalium, militiarum et Ordinum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac exemptionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis restitutionibus, praesentationibus ac mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam intuitu, consideratione et ad supplicationem imperatoris, regum, ducum aliorumque principum, necnon S. R. E. cardinalium, et de illorum consilio ac matura deliberatione prius habita, seu etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine concessis, confirmatis ac etiam multiplicatis vicibus innovatis, quorumcumque tenorum existant, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 7. Ceterum, quia difficile foret *etc.* Exemplis fides datur.
Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, idibus septembris, pontificatus anno VI.

Dat. die 13 septem. 1577, pontif. anno VI.

LXXV.

Prohibitio sal exterum mercandi in locis Sedis Apostolicae mediate et immediate subiectis.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex incumbenti nobis apostolicae servitutis officio, ad ea libenter intendimus per quæ subditorum nostrorum commoditati, et Camerae Apostolicae indemnitati opportune consulatur:

Causa huius constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, quantitas salis, quod in salinis civitatis nostrae Curiæ, ob necessariam dilectorum filiorum illius civium et incolarum sustentationem, quotannis conficitur, et a

Camera Apostolica certo convento pretio emi consuevit, adeo aucta sit, ut nonnisi congrui temporis spatio distrahi possit; et ex hoc, nisi remedium opportunum adhibeatur, vel ipsos cives et incolas ab ulteriori eiusdem salis fabrica, non sine gravi eorum dispendio, cessare, vel ipsam Cameram pecuniarum recuperatione, quas pro dicto pretio erogat, frustrari oporteat.

Prohibitio mercandi sal exterum in locis S. R. E.

§ 2. Nos, cupientes, ut par est, non solum eorumdem civium et incolarum, quos paterna benevolentia prosequimur, verum etiam indemnitati eiusdem Camerae opportune prospicere; ac felicis recordationis Iulii Papae III, praedecessoris nostri, vestigiis inhaerentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, quod de cetero in civitatibus, terris et locis sanctae Sedi Apostolicae immediate subiectis, nulli prorsus locorum universitati, collegio, communitati vel privatis personis, quavis dignitate, etiam archiepiscopali, cardinalatus vel maiori, ecclesiastica vel laicali, fulgentibus, sal exterum, et illud praesertim quod ab oris Dalmatiae seu orientalibus vel meridionalibus et aliis mundi regionibus advehitur, in publicos vel privatos usus mercari liceat, et sub excommunicationis latae sententiæ, et quoad communitates aut universitates, mille, et quoad reliquas privatas personas et collegia personarum ecclesiasticarum, centum ducatorum auri de Camera, et amissionis salis exteri huiusmodi, Camerae praefatae applicandorum, ipso facto per quemlibet contravenientem et pro qualibet contraventione incurrendis pœnis, auctoritate apostolica, tenore præsentium, statuimus et ordinamus.

Executorum deputatio et facultates.

§ 3. Mandantes dilectis filiis legatis, praesidentibus et gubernatoribus provinciarum et illorum locatenentibus, ac locorum gubernatoribus et aliis officialibus, ad quos pertinebit, in virtute sanctae obedientiae, ut statutum et decretum nostra huiusmodi inviolabiliter observari faciant, contemptores et inobedientes per opportuna facti et iuris remedia compescendo.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diætis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, tam generalibus quam provincialibus; necnon, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet concessis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 5. Volumus autem atque decernimus quod praesentium transumptis, manu alicuius Camerae Apostolicae notarii subscriptis, et sigillo dilecti filii nostri et S. R. E. camerarii munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII decemb., millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 17 dec. 1577, pontif. anno VI.

Sequitur extensio paecedentis constitutionis.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Affertur constitut. praecedens.

Alias emanarunt a nobis litterae tenoris subsequentis, videlicet: Ex incumbenti *etc. ut supra.*

Declaratio et extensio dictae prohibitionis.

§ 1. Cum autem mentis ac voluntatis nostrae fuerit non modo immediate, sed etiam mediate nobis et Apostolicae Sedi subiectos, in praeinsertis litteris comprehendi; idcirco, motu proprio et certa nostra scientia similibus, tenore praesentium, decernimus et declaramus etiam mediate

nobis et dictae Sedi subiectos in dictis litteris fuisse comprehensos, easque etiam ad hoc validas et efficaces fuisse, esse et fore; ac illos, qui post earum datam hactenus quomodolibet eis contravenerunt, et ex nunc in futurum contravenient, pœnas praedictas incurrisse et incurrere in omnibus et per omnia, perinde ac si in eisdem litteris de mediate et immediate subiectis specialis, specifica et expressa mentio facta fuisset. Sicque ab omnibus censeri et iudicari debere; necnon irritum et inane quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae. § 2. Non obstantibus omnibus, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum. § 3. Volumus etiam quod praesentium transumptis, manu notarii Camerae Apostolicae subscriptis, et sigillo nostri et sanctæ Romanae Ecclesiae camerarii munitis, plena ubique fides adhibeatur, ac si originales litterae exhiberentur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDLXXXII, pontificatus nostri anno XI.

LXXVI.

Prohibitio extrahendi de locis Status Ecclesiastici triticum, hordeum, legumina, animalia et omnis generis fruges et frumenta, etiam ex bonis ecclesiasticis collecta; vel impediendi illa afferentes ad Urbem; aut ea emendi, praeterquam pro usu suo suarumque familiarum unius anni; necnon revocatio licentiarum et indultorum extrahendi, etiam ex causa onerosa concessorum.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Volentes pro nostra pastorali sollicitudine providere ut ea, quae communem vitae usum et sustentationem concernunt, in Statu nostro Ecclesiastico, honesto pretio habeantur, vestigiis quoque felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, inhaerentes.

§ 1. Motu proprio et ex certa scientia nostra, omnibus et singulis communitatibus, universitatibus ac personis, tam laicis quam ecclesiasticis, etiam quorumvis Ordinum regularibus, cuiusvis status, conditionis et ordinis existentes, etiam archiepiscopali et episcopali vel alia maiori dignitate fulgentibus, ac etiam baronibus, domicellis et dominis temporalibus Status nostri Ecclesiastici ac Sanctae Sedi Apostolicae immediate subiectis, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae ac excommunicationis latae sententiae poenis, tenore praesentium, inhibemus ne, quovis praetextu, directe vel indirecte, cuiusvis generis frumenta, blada et legumina atque animalia quaecumque extra Statum Ecclesiasticum extrahere et asportare audeant seu praesumant. Eos vero qui contra inhibitionem nostram huiusmodi commiserint, ultra praedictas, etiam amissionis frumentorum, bladorum, leguminum et animalium praefatorum, necnon quinque scutorum pro qualibet salma frumenti, bladorum et leguminum huiusmodi, et duorum scutorum pro quolibet capite animalis, poenas, fisco et Camerae nostrae Apostolicae applicandas, ipso facto incurrere volumus ac decernimus. Prohibitio extrahendi frumenta etc.

§ 2. Mandantes dilectis filiis Aloysio tituli S. Marci presbytero cardinali Cornelio nuncupato, nostro et S. R. E. camerario, necnon magistro Andreæ Spinolae, dictae Camerae clerico et annonae praefecto, quatenus ipsi praecipuam in praemissis curam habentes, praesentes nostras litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, quos illa concernunt, firmiter observari executionique Executorum deputatio et facultates.

debitae demandari, necnon in provinciis, civitatibus, terris et locis Status Ecclesiastici praefati, ubi opus fuerit, publicari et notificari curent, ac ad exactionem poenarum praedictarum, quacumque appellatione remota, quibusvis opportunis iuris et facti remediis procedant et procedi faciant. Contradictores ac praemissorum executionem quomodolibet impedientes per praedictas et alias pecuniarias ac sibi visas poenas, etiam omni appellatione cessante, compescant. Super quibus omnibus aliisque circa ea necessariis et opportunis plenam et liberam per easdem praesentes ipsis concedimus facultatem.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon statutis, consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis communitatibus, universitatibus ac personis quibuscumque, etiam, ut praefertur, qualificatis, etiam motu simili vel alias quomodocumque et qualitercumque concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides exemplorum.

§ 4. Volumus autem praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDLXXVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 18 decemb. 1577, pontif. anno VI.

Sequitur latior prohibitio extrahendi frumenta etc. extra Statum Ecclesiasticum, et impediendi afferentes illa ad Urbem, et emendi ultra usum unius anni, et renovatio indultorum.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter multiplices nobis ex alto commissi pastoralis officii curas, ad eam libenter intendimus, per quam in Statu nostro Ecclesiastico annonae abundantia habeatur, et subditi nostri in rerum humano victui necessariarum copiosa affluentia late vivant, neque illarum penuria opprimantur. Quod ut fiat, experientia rerum magistra docente, id maxime necessarium esse cognovimus ut ne ipsa annona e Statu nostro praedicto extrahatur, utque ad almam Urbem nostram undique libere afferatur, neque afferentibus ullum impedimentum praestetur, neque aliqui, propriis commodis studentes, contra publicam utilitatem de his rebus monopolia facere valeant, omni studio provideamus.

Prohibitio extrahendi, ut in rubrica.

§ 1. Idcirco nos, pro nostri officii debito, in praemissis opportune providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac matura deliberatione, quod nulli nobis et S. R. E. mediate vel immediate subiecti, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant, etiam si barones, domicelli, comites, marchiones vel duces et domini temporales, aut episcopi, archiepiscopi, patriarchae, vel etiam S. R. E. cardinales extiterint, sub excommunicationis maioris ac laesae maiestatis criminis, dominiorum et bonorum suorum confiscationis, feudorum amissionis et quorumvis privilegiorum suspensionis et aliis, etiam pecuniariis, arbitrio nostro imponendis et applicandis, ac etiam in publicis edictis et proclamatibus per praefectos annonae pro tempore tam hactenus editis et emissis quam in futurum edendis et emittendis, quae

nos ex nunc, prout ex tunc, apostolica auctoritate approbamus et confirmamus, contentis censuris et poenis, triticum, hordeum, legumina ac omnis generis frumenta et fruges, etiam ex bonis ecclesiasticis collecta, a terris et locis dicti Status nostri Ecclesiastici, absque expressa nostra et a nobis obtenta in scriptis et manu nostra signata licentia, extrahere vel extrahi facere.

Prohibitio impediendi, et in rubrica;

§ 2. Nullique ex praedictis eorum subditos et vassallos aut alias quascumque personas, quominus triticum, hordeum, legumina, frumenta et fruges praefata, a quibusvis locis eis subiectis, quovis praetextu, etiam moliturae aut cuiusvis alterius oneris solutionis, ad almam Urbem nostram afferant, prohibere, aut per se vel alium seu alios directe impedire audeant; quin potius illis sic afferentibus omnem opem et favorem praestent.

Emendi ultra usum unius anni.

§ 3. Ac insuper nulli aliquam tritici, hordei, leguminum, omnisque generis frumentorum et frugum quantitatem, nisi pro suo suarumque familiarum unius anni dumtaxat usu, emere valeant; et contrafacientes poenas incurrisse declarentur et aggraventur ipso facto, statuimus atque decernimus.

Deputatio et facultates executoris.

§ 4. Mandantes dilecto filio Aloysio tituli S. Marci presbytero cardinali Cornelio nuncupato, nostro et S. R. E. camerario, ac dictae annonae praefectis, ut contra eos, qui statuto et decreto nostro huiusmodi in aliquo contravenerint, manu regia et nulla tela iudiciaria servata, procedant, ac eos poenas praedictas incurrisse declarent, aggravent, interdicant, et brachium saeculare in eos adhibeant.

Licentiae, etiam ex causa onerosa, revocantur.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis, litteris ac gratiis apostolicis, eisdem personis ac civitatibus, terris et locis ac quibusvis aliis per Cameram aut per nos et praedecessores nostros, in genere vel in specie, etiam ex causa onerosa, ac sub quibuscumque tenoribus et formis forsan concessis, confirmatis et saepius innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, latissime derogamus, et ad effectum praedictum ad beneplacitum nostrum suspensa esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicandi.

§ 6. Et ut praemissa omnia ad notitiam omnium deducantur, ne aliquis de his ignorantiam praetendere possit, volumus quod praesentes litterae per aliquos Curiae nostrae cursores ad basilicae Principis apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae valvas et in acie Campi Florae affigantur; et cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa remaneant. Mandantes quoque legatis, vicelegatis, gubernatoribus et aliis dictorum locorum officialibus quatenus praesentes publicent et publicari faciant. Et quod earum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I maii MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

LXXVII.

Exemptio Religionis clericorum regularium Societatis Iesu a solutione et praestatione decimarum et aliorum onerum quorumcumque [1].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissa nos admonet ut nostrae provisionis efficiatur ministerio quod ea, quae religiosis quibuslibet, praesertim sub sacratissimi nominis Iesu, totius humani generis Redemptoris, vexillo, ad illius honorem et gloriam, proximorumque spiritualem profectum, ac orthodoxae fidei defensionem et propagationem in terris militantibus, ab Apostolica Sede provide concessa reperiuntur, sublatis quibuslibet impedimentis, suos, ut par est, debitos effectus perpetuis futuris temporibus sortiantur.

Constitutionis causa.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Everardus Mercurianus, *etc.* [2].

Pius IV exemptionem PP. Pauli III ampliavit [3].

§ 2. Et successive piae memoriae Pius Papa quartus, etiam praedecessor noster, exemptionem ac, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, litteras ipsius Pauli praedecessoris desuper confectas, necnon inde secuta quaecumque, per suas litteras ex certa scientia confirmaverit, approbaverit et etiam plenarie innovaverit; ac, pro potiori cautela, universam Societatem praedictam, omniaque et singula eius domos, etiam probationis, et collegia, ubilibet consistentia, praesentia et futura, eorumque personas, fructus, redditus, proventus, etiam bonorum ecclesiasticorum, saecularium et regularium quorumcumque, illis pro tempore unitorum, aliasque res et bona quaecumque a quibusvis decimis, etiam papalibus, praedialibus, personalibus, quartis, medietatibus et aliis fructuum partibus, subsidiis, etiam caritativis, et aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriae, ac alias quomodolibet, etiam ad imperatorum, regum, ducum et aliorum principum instantiam, pro tempore impositis, etiam si in illorum impositione caveretur quod nulla prorsus exemptio cuiquam adversus illa suffragaretur: ita quod Societas eiusque domus, etiam probationis, collegia, fructus, res et bona praefata semper ab illis absque declaratione desuper facienda, excepta essent et esse censerentur, perpetuo liberaverit et exemerit, prout in singulis litteris praedecessorum huiusmodi plenius continetur.

Sed dubium faciebat quod non erat derogatum cap. Nuper de decim.

§ 3. Nihilominus, quia in illis nulla de constitutione recolendae memoriae Innocentii Papae tertii, similiter praedecessoris nostri, in concilio generali super decimis edita, quae incipit *Nuper*, expressa et specifica mentio facta, nec ei specialiter et expresse derogatum fuit, idem praepositus dubitat singulas litteras praedictas de subreptionis seu nullitatis vitio notari, ac Societati illiusque domibus, collegiis et personis minus utiles reddi, aut illa super exemptione huiusmodi molestari vel perturbari posse temporе procedente.

Hic ideo Pontifex camdem exemptionem iterato concedit et ampliat.

§ 4. Nos igitur, qui votivum ipsius Societatis profectum sincero paternae caritatis affectu libenter amplectimur, eisdem Societati illiusque domibus, etiam probationis, collegiis et personis, ne propterea dictarum litterarum frustrentur effectu opportune providere volentes; ipsumque praepositum et singulares per-

1 Istam exemptionem iam concesserat Paulus III in constitutione LXV, *Licet*, tom. VI, pag. 394, et etiam Pius IV hic relatus. Sed iste Pontifex eam declarat et ampliat. Cetera autem de hac Societate notata sunt in eiusdem Pauli III constitutione XXXIII, *Regimini*, ibidem, pag. 303.
2 Omittitur haec narrativa, quia ipsa bulla est in loco citato in nota ad rubricam. 3 Eius bullam non posui, uti hic sufficienter relatam.

sonas Societatis huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon singularum litterarum praedictarum veriores tenores, ac quarumcumque litium et causarum super praemissis iam forsan motarum statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, ac titulos et iura eorum, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ipsius praepositi supplicationibus in hac parte inclinati, volumus, ac Societati illiusque domibus, etiam probationis, collegiis et personis praedictis eadem auctoritate concedimus quod singulae litterae praedictae, cum exemptionis ceterisque omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis, processusque habiti per easdem ac inde secuta quaecumque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant; et eis, quibus concessæ existunt, perpetuo suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si in illis de constitutione Innocentii praedecessoris et sacri concilii generalis huiusmodi specifica et expressa mentio facta, eique specialiter et expresse derogatum fuisset, prout nos eidem constitutioni, ad effectum praemissum, specialiter et expresse, harum serie derogamus. Decernentes ita in quibuscumque causis, pendentibus et futuris, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus litis pendentiis, si quae sint, et aliis praemissis; ac Innocentii praedecessoris et seu generalis concilii huiusmodi aliisque apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac omnibus illis, quae in singulis litteris praedictis expressum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fidem transumptis tribuit.

§ 6. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I ianuarii MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 ianuarii 1578, pontif. anno VI.

LXXVIII.

Confirmatio gratiarum, exemptionum atque indulgentiarum congregationis fratrum Iesuatorum S. Hieronymi.

Gregorius Papa XIII.
Dilecti filii, salutem et ap. benedictionem.

Causa huius constitutionis.

Spectatus, qui in castitatis, paupertatis et obedientiae praeceptis diligenter et exacte custodiendis in vobis elucet, Religionis zelus, quo duce, coelestis beatitudinis assidua contemplatione, sive corporis afflictione sive orationis sanctae studio contra humani generis adversarium vos communitis, nos inducunt ut his, quae a praedecessoribus nostris ad vestrae congregationis decus, commodum et ornamentum ac animarum salutem concessa sunt, apostolicae firmitatis robur adiiciamus, aliasque desuper disponamus, prout in Domino conspicimus expedire.

Martinus V hanc congregationem approbavit.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Martinus Papa quintus, praedecessor noster, vestrae congregationis, quae tunc essent et in posterum forent, personas, oratoria, domos atque loca, constructa et construenda, ubicumque forent constituta, cum personis, iuribus et pertinentiis necnon possessionibus, rebus et bonis sub Sedis Apostolicae protectione suscepit.

Alii Pontifices alias gratias ei dederunt.

§ 2. Ac deinde piae memoriae Eugenius Papa quartus, Nicolaus quintus, Pius secundus, Sixtus quartus, Innocentius octavus, Alexander sextus, Iulius secundus, Leo decimus, Adrianus etiam sextus, Clemens septimus, Paulus tertius et Iulius etiam tertius ac Paulus quartus et Pius quartus et forsan alii Romani Pontifices praedecessores nostri, congregationis eiusdem utriusque sexus personas variis indulgentiis, etiam plenariis, ac peccatorum remissionibus, et facultatibus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, etiam per solam signaturam ac vivae vocis oraculo, ac alias per litteras sub plumbo et sub annulo Piscatoris concessas, in genere vel in specie, tam principaliter eidem congregationi, quam per viam communicationis sive extensionis privilegiorum, tam in *Mari Magno* nuncupatis quam aliis litteris quibuscumque, iam Mendicantium Ordinibus concessorum, contentis, ornarunt et decorarunt ac locupletaruut, illaque antea concessa confirmarunt et approbarunt, ac perpetua roboris firmitate consistere voluerunt.

Pius V Ordinum Mendicantium privilegia communicavit.

§ 3. Necnon ultimo loco recolendae memoriae Pius Papa quintus, etiam praedecessor noster, omnia et singula privilegia, facultates, immunitates, exemptiones, gratias, libertates, indulta, tam tunc per ipsum, quam quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam quomodolibet Mendicantium Ordinibus concessa, ad vos vestramque congregationem, fratres, domos, ecclesias et loca quaecumque, quoad ea quae vestrae Regulae et modo vivendi non repugnarent, extendit et ampliavit, vosque vere Mendicantes et sub Mendicantium Ordinibus esse et comprehendi debere; necnon omnia et singula concilii Tridentini decreta pro Mendicantibus huiusmodi declarata et modificata, etiam pro vestra congregatione huiusmodi declaravit et modificatus fuit, et alias, prout in singulis praedictorum praedecessorum litteris desuper confectis plenius continetur.

Quae omnia hic Pontifex confirmat;

§ 4. Cum autem ea maiorem vim et robur obtinere noscantur, quae saepius fuerint auctoritate nostra communita, ac pro parte vestra, qui praedicta auctoritate nostra communiri et approbari mirum in modum desideratis, nobis fuit humiliter supplicatum ut in praemissis petitiones ad exauditionis nostrae gratiam admittere, vobisque satisfacere de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur, vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, privilegiorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, indultorum et cuiusvis generis gratiarum, per dictos et quoscumque alios Romanos Pontifices, quibusvis, etiam specialibus, rationibus concessorum, tenores praesentibus pro expressis habentes, omnia et singula privilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, libertates, indulgentias ac peccatorum remissiones (citra tamen clausulam porrigendi manus adiutrices) et concessiones, etiam per vos, sufficienti ad id facultate suffultos, ad vestrae congregationis aggregatos, infraternatos nuncupatos, extensas, ac indulta supradicta quomodocumque et qualitercumque concessa et approbata (quatenus sint in usu, ac sacris canonibus et concilio Tridentino non contraria), ex certa nostra scientia denuo in perpetuum apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, praesentisque scripti patrocinio communimus; omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulas praeservativas et decretum irritans apponit;

§ 5. Decernentes praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus aut derogationibus indulgentiarum, concessionum et aliorum quorumcumque nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse *etc.* Sicque et non aliter *etc.*

Executores deputat;

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchae Venetiarum, archiepiscopo Mediolanensi ac episcopo Bononiensi, sive eorum in spiritualibus vicariis generalibus per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra aut alicuius ex vobis et pro tempore dictae congregationis fratribus nunc et in futurum fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra vos et pro tempore dictae congregationis fratres et alios quoscumque confirmatione, approbatione, suppletione, decreto aliisque praemissis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere; non permittentes vos et vestrae congregationis pro tempore fratres per quoscumque indebite molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet ac rebelles et in iis, quae praemissa concernunt, non parentes, per opportuna iuris et facti remedia, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulas derogatorias adiungit;

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac similis memoriae Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis, vigore praesentium, ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur, ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; necnon dictae congregationis et Ordinis S. Hieronymi, ac Regulae S. Augustini, sub qua militatis, necnon aliorum tam Mendicantium quam non Mendicantium Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem vel alicui eorum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex simili scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; necnon omnibus illis, quae dicti praedecessores in eorum litteris voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 febr. 1578, pontif. anno VI.

LXXIX.

Iurisdictio S. R. E. cardinalium protectorum et iudicum causarum Domus Piae ad recipiendas et pie alendas mulieres peccatrices poenitentes, in Urbe institutae [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Cupientes Domum Piam nuncupatam, in Urbe nostra per felicis recordationis Pium Papam IV, praedecessorem nostrum, pro mulieribus peccatricibus et conversis ac poenitentibus institutam, in qua eædem, cognoscentes se a via salutis aberrare, se recipere possent, ibidemque deliberare valerent an vellent nubere seu moniales effici, ac pro eiusdem domus regimine et gubernio erectam confraternitatem illarumque personas specialibus gratiis et favoribus prosequi, et, iuxta debitum pastoralis officii, eorum occurrere dispendiis quaerimus; et ut in via Domini, molestiis quibuscumque quam primum sublatis, proficiant salubriter intendimus.

Causae constitutionis. § 1. Ne igitur domus et confraternitatis huiusmodi personae gravibus incommodis et dispendiis affici contingat, dum per diversa Urbis nostrae tribunalia, pro variis causis, rebus et negotiis, ligitare cogerentur.

Deputatio cardinalium protectorum Domus Piae cum facultatibus infrascriptis, et primo cognoscendi causas ad Domum Piam spectantes, et summarie procedendi; § 2. Motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas causas, lites, quaestiones et controversias, civiles, criminales, profanas, spirituales, meras et mixtas, nomine dictae domus vel in ea degentium personarum ac confraternitatis, seu eius administratorum, gubernatorum et deputatorum, ac monialium seu mulierum in eadem domo degentium, seu quae inde egressae et nuptui traditae, vel monasticam vitam amplexae fuerint, contra alias quascumque personas, cuiuscumque gradus, dignitatis, ordinis, conditionis et præeminentiae existentes, universitates, societates, congregationes, monasteria aut alia loca pia, in quibus domus sive personae praedictae rei vel actoris partes substinuerint, etiamsi coram S. R. E. camerario, clericis et praesidentibus Camerae Apostolicae, ac Curiae causarum dictae Camerae generali auditore, necnon vicario, gubernatore et senatore dictae Urbis, causarum appellationum capitaneo, et causarum Palatii Apostolici auditoribus, et eiusdem S. R. E. cardinalibus, aliisque iudicibus, ordinariis seu delegatis, hucusque motas et pendentes, de et super statu ac bonis tam dictae domus quam mulierum in illa degentium, necnon quibuscumque locationibus, venditionibus, legatis, fideicommissis, testamentis, haereditatibus ac illarum discussionibus, necnon quorumcumque iurium et actionum cessionibus, aliisque inter vivos contractibus, etiam vigore obligationis in forma Camerae, executionibus, revocationibus, bonis, rebus, iuribus et actionibus ad dictam domum sive eius nomine confraternitatem, eiusque gubernatores, administratores et deputatos, moniales ac mulieres huiusmodi, tam coniunctim quam divisim, ac tam active quam passive, spectantibus et pertinentibus, in quacumque instantia, quorum omnium et singulorum statum et merita, necnon iudicum et collitigantium nomina et cognomina ac qualitates, ceteraque, etiam de necessitate exprimenda, praesentibus pro expressis habentes, in statu et terminis, in quibus nunc reperiuntur, quatenus instructae non sint, harum serie ad nos advocantes, illasque omnes et singulas, motas et pendentes, ac quam et quas domus et

1 Erecta fuit haec Domus Pia tempore Pii IV, et eius regimen spectabat ad sodalitatem Duodecim Ss. Apostolorum nuncupatam, ut in eius const. CVII, *In Apostolicae*, tom. VII, pag. 329.

confraternitas ac gubernatores, administratores et deputati, necnon moniales et mulieres ibidem degentes penitus et omnino [1] contra easdem personas, universitates, collegia, congregationes, confraternitates, monasteria et alia huiusmodi pia loca, pro rebus, bonis, haereditatibus, iuribus et actionibus huiusmodi, dilectis filiis nostris Marco Sitico S. Georgii in Velabro de Altemps, et Ptolomaeo S. Agathæ titulorum commen. nuncupatis cardinalibus presbyteris, eiusdem domus ac confraternitatis apud nos Sedemque Apostolicam protectoribus, una cum illarum emergentibus, dependentibus, incidentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter et de plano, ac sola facti veritate inspecta, ac sine strepitu et figura iudicii, per se ipsos aut alios ab eis deputandos, in quacumque instantia, usque ad finem audiendas, cognoscendas et fine debito terminandas, committimus et mandamus.

Iudices deputandi; § 3. Ipsosque Marcum et Ptolomaeum cardinales, ac nunc et pro tempore existentes protectores domus et confraternitatis praedictarum, in dictis causis motis et movendis, pendentibus et in futurum movendis, in iudices ordinarios, cum facultate easdem causas in quacumque instantia usque ad finem, per se ipsos vel alios eorum auditores, illas cognoscendi, decidendi et terminandi, facimus, constituimus et deputamus.

Citandi et inhibendi in Curia et extra; § 4. Ac cum potestate citandi et inhibendi quos et quibus ac quoties opus fuerit, in Curia et extra eam, etiam per edictum publicum, constito, etiam summarie, de non tuto accessu; eisdemque ac quibusvis aliis eiusdem Urbis iudicibus ac personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ac pecuniariis, inhibendi; et, in eventum non paritionis, contra inobedientes, contumaces et rebelles, ad declarationem incursus poenarum et censurarum huiusmodi, illarumque aggravationes, et alias, iuxta morem et stylum curiarum dictae Urbis in similibus servari solitum, et prout eis videbitur, procedendi; sententiasque suas debitae executioni demandandi sive demandari faciendi; auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi; omniaque et singula alia in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exequendi.

Diebus etiam feriatis procedendi; § 5. Ac in omnibus et singulis causis praedictis, ad domum, confraternitatem, moniales et mulieres huiusmodi, ut praefertur, spectantes, singulis diebus et horis, feriatis et non feriatis, praeterquam in honorem Dei, etiam tempore feriarum ob necessitatem hominum indictarum et indicendarum, procedere.

Notarium deputandi. § 6. Ac quemcumque notarium eis benevisum in causis huiusmodi deputare possint.

Mandatarii et executores omnes eis serviant. § 7. Quodque citationes, monitiones et intimationes, quae in dictis causis fieri oportuerit, etiam per Curiae Capitolinae et quoscumque alios mandatarios fieri possint; et quicumque executores Urbis possint et debeant effectualiter executioni demandare omnes et singulas sententias, decreta et mandata dictorum Marci et Ptolomaei, cardinalium praedictorum et pro tempore existentium protectorum, sive ab eis deputatorum; quae, non obstante regula Cancellariae, sub eorum parvis sigillis expediri possint.

Alii iudices in his causis non procedant. § 8. Et insuper domum ac confraternitatem praedictas, eiusque administratores, gubernatores et deputatos, necnon moniales et mulieres huiusmodi in eadem domo degentes, et inde egressas, nuptas seu viduas, ex nunc deinceps, occasione praemissorum, alibi quam coram dictis protectoribus conveniri, aut ad alios conveniendum constringi non posse; ac processus, sententias et decreta per

1 Deest forsan *habere volunt* (R. T.).

alios tam ordinarios quam delegatos iudices in causis praedictis quomodolibet pro tempore formatos, latas et facta, cum inde secutis quibuscumque, nulla, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti fore.

Clausulae praeservativae.

§ 9. Praesentes litteras sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus seu exceptionibus similium vel dissimilium gratiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices vel Sedem Apostolicam aut eius legatos, etiam Cancellariae Apostolicae regulas pro tempore factas, nullatenus comprehendi; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse et censeri debere; necnon per quascumque litteras, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, irritantiaque et alia decreta, sub quacumque verborum expressione, continentes, derogari posse; et si illis ullo umquam tempore ex aliqua, etiam quantumvis necessaria et urgenti causa, derogari contingat, nisi tenor earumdem praesentium de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogatio per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, administratoribus, gubernatoribus, deputatis et confratribus huiusmodi omnibus et singulis legitime insinuata et intimata fuerit, eorumque expressus ad id accesserit assensus, derogationem huiusmodi nemini suffragari, et nullius esse roboris vel momenti.

Decretum irritans.

§ 10. Sicque per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam auditores et cardinales praedictos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon basilicae Principis apostolorum de Urbe, ac ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et aliorum piorum locorum et Ordinum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dilectis filiis populo Romano, necnon iudicibus, curiis et tribunalibus, eorumque personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, etiam motu et scientia similibus, concessis, approbatis et innovatis, etiam disponentibus quod causae huiusmodi ad forum seu Curiam Capitolinam reassumi debeant; quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis mentio habenda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; seu si praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis et indultis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ, praesentibus non expressa aut totaliter non inserta, iurisdictiones dictorum protectorum impediri valeant quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in praesentibus mentio specialis.

Fides adhibenda transumptis.

§ 12. Volumus autem praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo protectorum seu alte-

rius eorum seu confraternitatis huiusmodi munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ adhiberetur praesentibus exhibitis vel ostensis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die duodecima februarii, millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 12 febr. 1578, pontif. anno VI.

LXXX.

Confirmatio privilegiorum et immunitatum fratrum Ordinis Servorum Beatae Mariæ Virginis, ac revalidatio omnium indulgentiarum eidem Ordini et eius ecclesiis a diversis Pontificibus concessarum [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Dum ad uberes, quos sacri Mendicantium Ordines in agro dominico quotidie faciunt, fructus attenta mente respicimus, et diligenti indagine perscrutamur quam mirabilem sese Deus ostendat in illis per voluntariam paupertatem mundum, vigiliis carnem, et orationibus dominicis acerrimum humani generis hostem superando, non possumus omni favore et spiritualibus gratiis ex thesauro Domini, cui divina providentia praesidemus, eosdem benigne non prosequi nec locupletari.

Ordo Servorum B. Mariae quando initium habuerit.

§ 1. In quorum nomine [2], cum Ordo Servorum Beatae Mariæ Virginis, sub felicis recordationis Gregorio Papa IX, Spiritu Sancto inspirante, et B. Dei Genitrice operante, et deinde ab Alexandro IV, Urbano IV, Clemente IV, praedecessoribus nostris, approbatus et confirmatus et variis privilegiis, facultatibus, indultis et gratiis iampridem decoratus, quotidie in vinea Domini verbo et exemplo, ieiuniis, orationibus vigiliisque plurimum laboret, paterna charitate amplectendum a nobis, et specialibus, spiritualibusque gratiis, tam temporalibus quam spiritualibus, necnon indulgentiis, etiam plenariis, et peccatorum relaxationibus ac remissionibus prosequendum esse censemus, ut antiquis exemptionibus, indultis, immunitatibus, libertatibus et gratiis eidem Ordini Servorum olim concessis, nostra accedente auctoritate confirmatis, approbatis, sublatisque quibuscumque impedimentis, possint secure fratres, et singuli etiam christifideles statutis diebus eo libentius ad ecclesias Servorum convenire, et orationi ferventius incumbere, et reliqua christianae fidei opera sedulo exercere, quo se cœlestis gratiæ dono conspexerint uberius esse refertos.

Causa constitutionis.

§ 2. Qua de re dilectus filius Iacobus Thavantius, Florentinus, sacrae theologiæ professor ac nostra auctoritate eiusdem Ordinis Servorum generalis prior, supplex ad pedes nostros postulavit ut praemissa omnia confirmare et approbare, ac indulgentias et peccatorum remissiones et relaxationes christifidelibus propositas, in quibus clausula porrigendi manus adiutrices ac elargiendi eleemosynas contineretur, pridem revocatas, citra eam clausulam, christifidelibus alia forma easdem consequendi praescripta, revalidare, approbare et confirmare apostolica benignitate dignaremur.

Confirmatio indulgentiarum et privilegiorum, quae fuerant eidem Ordini concessa.

§ 3. Nos igitur, eumdem Ordinem Servorum specialibus favoribus et gratiis prosequentes, ac eumdem fratrem Iacobum Thavantium, eiusdem Ordinis priorem generalem, et dicti Ordinis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum prae-

1 Ex Regest in Secret. Brev. 2 Legimus *numero* (R. T.).

sentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; ac exemptionum, privilegiorum, indulgentiarum, libertatum, indultorum et gratiarum quorumcumque eidem Ordini Servorum concessarum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, indulta, libertates, dicto Ordini illiusque ecclesiis ac domibus ac ab illo dependentibus locis concessa, quatenus sint in usu, et sacris canonibus ac concilio Tridentino non contraria, apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac praesentis scripti patrocinio communimus.

Quoad indulgentias renovatas declaratio.

§ 4. Indulgentias vero per infrascriptos Romanos Pontifices, videlicet a Sanctae Romanae Ecclesiae legatis, cum dicta clausula porrigendi manus adiutrices aut eleemosynas, concessas, et per felicis recordationis Pium Papam quintum, etiam praedecessorem nostrum, revocatas, derupta ea clausula, ita tamen quod hi christifideles, qui illas consequi voluerint ecclesias visitando, sint contriti et confessi, ac, loco eleemosynae praedictae iuxta praedecessorum nostrorum voluntatem erogandae, septies Orationem Dominicam itidemque Salutationem Angelicam recitent vel Vesperas pro Defunctis, aut ante sanctissimum Domini nostri Iesu Christi Corpus terram exosculentur, ac pro haeresum extirpatione, sanctaeque matris Ecclesiae tranquillitate, christianorumque principum pace et unione pias ad Deum preces effundant, et alias iuxta praedecessorum nostrorum litterarum seriem orent, aliaque peragant, in pristinum et eum, in quo ante revocationem huiusmodi erant, statum restituimus ac revalidamus.

Indulgentiarum summarium.

§ 5. Summarium etiam indulgentiarum sequitur et est huiusmodi.

I. Clemens Papa IV visitantibus ecclesiam Annuntiatae de Florentia fratrum Servorum concedit quadraginta dies indulgentiarum.

II. Latinus, S. R. E. cardinalis, legatus Ætruriae, concessit visitantibus omnes ecclesias Ætruriae fratrum Servorum quadraginta dies indulgentiarum.

III. Nicolaus Papa IV visitantibus ecclesiam Beatae Annuntiatae de Florentia fratrum Servorum, in solemnitatibus Beatae Mariae Virginis, et inde S. Augustini, cum septem diebus sequentibus cuiuslibet festi praenominati, et in die dedicationis eiusdem ecclesiae, concedit unum annum et quadraginta dies indulgentiarum.

IV. Nicolaus de Prato, S. R. E. cardinalis, legatus Tusciae, concedit visitantibus ecclesiam B. Annuntiatae de Florentia eiusdem Ordinis, in solemnitatibus B. Mariae Virginis, S. Annae, S. Blasii, cum septem diebus sequentibus, et in secunda die veneris martii, centum dies indulgentiarum.

V. Ioannes, S. R. E. cardinalis, legatus Tusciae, audientibus conciones fratrum Servorum concedit quadraginta dies indulgentiarum; et centum quadraginta dies visitantibus eorumdem ecclesias in Tuscia.

VI. Innocentius Papa VI visitantibus ecclesiam dictae Annuntiatae de Florentia fratrum Servorum, in omnibus festivitatibus Domini nostri Iesu Christi, in quatuor solemnitatibus maioribus B. Mariae Virginis, in die S. Zenobii, et in commemoratione omnium Sanctorum, annum et quadraginta dies indulgentiarum.

VII. Innocentius VIII concedit fratri-

bus Servorum ut semel in vita et semel in morte possint eligere sibi confessorem, dummodo sit ex approbatis ab ordinario, a quo plenariam peccatorum suorum remissionem recipiant.

VIII. Leo X visitantibus sacellum dictae Annuntiatae de Florentia fratrum Servorum concedit, qualibet die sabbati, mille annos, et totidem quadragenas; et singulis festivitatibus B. Mariae Virginis, et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, veneris et sabbati maioris hebdomadae, duo annorum et quadragenarum millia de iniunctis poenitentiis apostolica auctoritate relaxat. Visitantibus vero dictum sacellum dictae Annuntiatae, vel per se vel alium, si fuerint impediti, a primis vesperis et die tota Nativitatis B. Mariae Virginis, plenariam indulgentiam elargitur, et priori illius monasterii pro tempore existenti ac confessoribus per illum constitutis, qui debent esse ex admissis ab ordinario, concedit per totam octavam dictae festivitatis, ut possint poenitentes absolvere ab omnibus peccatis, exceptis iis, quae continentur in bulla Coenae Domini, et posse etiam quaecumque vota commutare, exceptis quatuor maioribus, ut in bulla continetur.

IX. Idem Leo Papa X concessit quod universi et singuli fratres Mendicantes, moniales Tertiique Ordinis utriusque sexus personae et familiares eorum dumtaxat possint gaudere omnibus et singulis indulgentiis et gratiis per praedecessores suos et praesertim domui B. Mariae de Populo de Urbe concessis et concedendis, perinde ac si ipsi dictam domum de Populo personaliter visitarent, illis etiam diebus et festivitatibus, quibus indulgentiae huiusmodi concessae sunt aut fuerint.

X. Antonius de Monte, tituli S. Praxedis S. E. R. cardinalis, et totius Ordinis fratrum Servorum protector, dum ecclesiam divae Annuntiatae de Florentia fratrum Servorum consecraret, et mandato dicti Leonis Papae X Florentiae existentis vivae vocis oraculo, quotannis in ipsa die consecrationis dictam ecclesiam visitantibus, plenariam indulgentiam indixit.

§ 6. Decernentes praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus aut derogationibus similium vel dissimilium privilegiorum, gratiarum et aliarum quarumcumque concessionum nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, censerique debere; ac de subreptionis vel obreptionis vitio, et intentionis nostrae defectu notari aut impugnari non posse, sed praesentes validas semper et efficaces existere, ac perpetuo suffragari. *Clausulae praeservativae.*

§ 7. Sicque et non aliter, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. *Clausula sublata.*

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus Maceratensi et Amerinensi episcopis, et dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Iacobi Thavantii prioris generalis vel fratrum dicti Ordinis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra Iacobum Thavantium, dictumque Ordinem et alios, quos *Deputatio executorum.*

dictae nostrae litterae respiciunt, confirmatione, approbatione, revalidatione, aliisque praemissis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes eumdem Iacobum Thavantium priorem generalem et alios quoscumque indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus similis memoriae Bonifacii Papae VIII de una et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, ac quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; privilegiis quoque et indultis quibusvis in contrarium concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 10. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras circumferri, volumus praesentium exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac dicti Ordinis generalis prioris vel Ordinis sigillo obsignatis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra haberi, quae praesentibus exhibitis ubique gentium et locorum adhiberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX aprilis MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 aprilis 1578, pontif. an. VI.

LXXXI.

Institutio collegii Anglici in Urbe, pro scholaribus nationis Anglicae pie ibi educandis et instruendis, cum annuorum redditiuum assignatione, exemptionumque et indultorum concessione, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis protectoris et iudicis in cognoscendis eorum causis iurisdictione.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Quoniam divinae bonitati visum est humilitatem nostram turbulentissimis christianae reipublicae temporibus ad excelsum universalis Ecclesiae culmen sublevare, haereditatisque, quam pretioso sanguine suo quaesivit, administrationem curae nostrae commendare, ea nostrum perpetua sollicitudo exacuit animum ad pie meditandum quo pacto et Dei misericordiae, a qua tantum accepimus, nos gratos exhibeamus, et nostram Ecclesiae suae operam, quantum, divina benignitate adiuti, possimus, non inutilem faciamus.

Constitutionis causa.

§ 1. Quare cum quotidie, non sine gravi animi nostri dolore, sanctam Domini nostri Iesu Christi sponsam diversorum eius hostium conspiratione et violento ex multis partibus incursu oppugnari cernamus, antiquisque hostibus infidelibus turcis iudaeisque novos haereticos et schismaticos accessisse, qui, omni impietate et

scelere imbuti, ac, veluti adversarii nostri furiis exagitati, in piae matris exitium feruntur, quod officii nostri ratio a nobis expostulat, ad hominum impetus, quo maxime opus esse videmus, vires nobis a Domino traditas opponimus, populosque imbecillitati nostrae a divina benignitate concreditos praesidiis contra hostium oppugnationes paratis communimus. Cumque nullum firmius praesidium aut remedium certius inveniri possit quam ut regionum ab hac peste oppressarum iuventus, cuius teneros animos facile est ad virtutem flectere, catholica religione imbuatur, ab initio usque nostri pontificatus operam dedimus ut diversarum nationum collegia, veluti catholicae religionis et sincerae ad eam institutionis seminaria, nostris sumptibus in Urbe erigerentur.

Gregorius I inducit Anglorum nationem ad fidem catholicam.

§ 2. Quae interea dum sedulo agimus, ad Angliae regnum, magnis quondam opibus et catholicae fidei studio florentissimum, nunc vero a teterrima haeresis labe, quae omnes fere eius partes comprehendit, devastatum, pietatis oculos dirigentes, eiusque calamitatem, ut saepe alias, miserantes, reperimus Anglorum nationem, ad Christi fidem a B. Gregorio Pontifice conversam, ex eo tempore singularem fidem, reverentiam atque obedientiam erga Romanum Pontificem sanctamque Sedem Apostolicam praestitisse; quae etiam in tanta nostrorum temporum caligine in aliquibus insignibus illis quidem et illustribus viris refulsere, qui, pro huius Sedis dignitate et orthodoxae fidei veritate, vitas suas cum sanguine ponere non dubitarunt; versanturque quotidie ante oculos nostros, iuvenes, ex illo miserrimo regno huc profugientes, qui, divino spiritu ducti, patria, parentibus et bonis relictis, sese nobis ad catholicae religionis, in qua nati sunt, institutionem suscipiendam miserabiliter offerunt, eo animo ut salutem sibi primum comparent, deinde vero ut, post adeptam divinarum rerum scientiam, in Angliam ad alios, qui a via veritatis declinarunt, erudiendos revertantur.

Hic igitur Pontifex, ad imitationem dicti Gregorii I, pro Anglorum ab haeresi revocatione, collegium Anglicum in Urbe erigit;

§ 3. Nos igitur, Gregorii, eius nominis primi, pia in Anglos officia, eiusque erga illos bonitatem imitari cupientes, ut quemadmodum ipsi concessionis, sic et nobis ab errore revocationis beneficium accepisse in Domino laetentur; ac propensam eorum erga Sedem praedictam devotionem adolescentium, item catholicae doctrinae adipiscendae studium amplectentes, motu proprio, et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem et fidei catholicae incrementum, dilectaeque nobis nationis Anglicanae commodum et salutem, in aedibus hospitalis Anglorum de Urbe unum collegium Anglicanum nuncupandum perpetuo erigimus et instituimus, in quo non minus quam quinquaginta scholastici, ex omni natione et linguae idiomate regni Angliae, cum suo rectore et ministris necessariis, alantur, qui inibi in philosophia ac theologia se exerceant, graecis item hebraicisque litteris, pro captu cuiusque, operam dent, in eisque tantum proficere studeant, quantum satis esse videatur.

Annuos redditus eidem assignat;

§ 4. His porro omnes ii studiis operam navabunt, ad quae a superioribus dirigentur, seque praeterea in pietate et devotione, cantibus ecclesiasticis, caeremoniis et sacris officiis, ut melius ipsis superioribus visum fuerit, exercebunt. Ad eorum autem omnium sustentationem nos annuos redditus trium millium scutorum auri in auro ex Apostolicae Camerae seu Datariatus rationibus singulis mensibus pro rata, donec eis aliunde a nobis aut successoribus nostris de simili annuo reddito prospectum fuerit, libere et integre praestandos, constituimus.

Locum pro collegio concedit, etc.;

§ 5. Et praeterea eis perpetuo concedimus et assignamus pro eorum habitatione et usu aedes praedictas, in quibus cappellani Angli olim habitabant, nunc vero dicti scholastici iussu nostro habitant, cum duabus domibus dicto hospitali contiguis ad sinistram partem versus ecclesiam S. Brigidae Svetiorum, et quaecumque illis circumcedunt. Ac pro divini cultus exercitio ecclesiam Sanctissimae Trinitatis et S. Thomae martyris Anglorum, necnon pro dote dicti collegii ac rectoris, scholasticorum et ministrorum praedictorum sustentatione, omnes et quascumque alias domos, tabernas sive apothecas, stabula, hospitia, hortos, areas, proprietates, census, fructus, ceteraque omnia et quaecumque bona mobilia, immobilia et semoventia, necnon res, actiones et iura dicti hospitalis, tam in Urbe, quam extra eam ubicumque consistentia, cuiuscumque qualitatis, speciei, naturae, pretii, quantitatis ac etiam annui valoris existentia, quae omnia, eorumque situationes, nuncupationes, confinia et latera, ac si nominatim et in specie describerentur praesentibus, pro expressis haberi, et aedes ac cetera quae signari possunt, ut a ceteris internoscantur, quamprimum armis et signis dicti collegii forinsecus notari volumus, eaque omnia a dicto hospitale omnino separamus, et ad ipsum collegium transferimus, ita ut protector et scholastici praedicti corporalem illorum omnium possessionem, per se vel alium seu alios, propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus et proventus, iura, obventiones ac emolumenta omnia percipere, exigere et levare, ac in suos et dicti collegii communes usus et utilitatem convertere libere et licite valeant, vicarii Urbis aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita; oeconomus vero et alii ministri ac servientes dicti collegii, ipsius rectori subsint, et ad eius praescriptum et mandatum omnino obsequantur, nihilque contra illius voluntatem faciant vel attentent; ipseque oeconomus, protectori dicti collegii pro tempore existenti, vel etiam ipsi rectori volenti et requirenti, aut ab eorum quolibet deputatis, bis in anno, vel quotiescumque ei vel eis visum erit, rationem reddere teneatur. Cum eo tamen quod si aliquo tempore praedictum collegium ex quacumque causa dissolvi contingat, aedes, ecclesia, domus, census ceteraque omnia praedicta perinde praedicti hospitalis sint, ac si erectio collegii et alia praescripta numquam emanassent, prout nos ex nunc in eum eventum hospitale ipsum, quoad illa omnia in integrum restituimus.

Ministris dicti hospitalis ne molestent collegium et eius personas super praedictis praecipit;

§ 6. Eo ipso districtius inhibentes cappellanis praedictis, necnon dicti hospitalis gubernatoribus et administratoribus, cuiuscumque nominis et dignitatis, ne deinceps in aedibus, ecclesia, domibus, apothecis, censibus, fructibus aliisque rebus, iuribus et actionibus praedictis, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, sese interponere, aut collegium, rectorem, scholasticos et ministros, praesentes et futuros, molestare audeant vel perturbare. Ac decernentes ex nunc irritum et inane quicquid contra praemissa et etiam praesentibus contenta, per eosdem aut quosvis alios, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Collegium a iurisd. ordinariorum et quorumcumque iudicum eximit.

§ 7. Praeterea collegium ipsum, eiusque rectorem, scholasticos et ministros in perpetuum, ac praedicta ceteraque omnia eorum bona, mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, in dicta Urbe et extra et alio ubique locorum consistentia, sub nostra beatique Petri et huius Sedis protectione suscipientes, ac nobis et eidem Sedi protinus subiicientes, illa omnia in universum, et

singulatim ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis vicarii, gubernatoris, senatoris, consulum, conservatorum et reformatorum dictae Urbis, causarum Curiae Camerae Apostolicae generalis auditoris, necnon rectoris Studii generalis et aliorum quorumcumque tribunalium et iudicum et officialium, necnon ordinariorum locorum, rectorum parochialium ecclesiarum et quorumcumque aliorum in dicta Urbe vel alibi constitutorum.

Et a solutione pedagiorum et gabellarum;

§ 8. Illiusque ac etiam in propriis eorum rebus et bonis cum eis contrahentes a solutione et exactione quorumcumque pedagii, gabellae, bollettini, etiam ratione vini Ripae et Ripettae, necnon grani, olei, pannorum cuiuscumque generis et quarumcumque aliarum rerum, necnon decimarum et cuiuscumque alterius, tam ordinarii quam extraordinarii, oneris, ex quacumque causa impositorum et imponendorum, perpetuo eximimus et prorsus liberamus.

Indulta Studii Urbis concedit.

§ 9. Insuper, eisdem collegio et scholasticis, rectoribus et gubernatoribus, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus Studium generale dictae Urbis et illius rector doctoresque in eo degentes quomodocumque utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere valeant in omnibus et per omnia concedimus, illaque eis communicamus.

Inhibitio contra omnes officiales ne collegium et eius personas super praemissis molestent.

§ 10. Praecipimusque et interdicimus vicario, gubernatori, auditori, senatori, consulibus, conservatoribus, reformatoribus, rectoribus, iudicib., officialib. et aliis praedictis, necnon sanctae Rom. Ecclesiae camerario, praesidentibusque et clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis commissariis ad exactionem vectigalium, portoriorum, decimarum et aliorum onerum praedictorum pro tempore deputatis universe et singulatim, ne, quarumcumque facultatum, privilegiorum et litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum occasione vel praetextu, collegium, scholasticos, rectorem, ministros, gubernatores praedictos seu eorum aliquem, etiam super usu et perceptione praedictorum et aliis praemissis impediant vel molestent, nec impediri vel molestari permittant.

Facultas superiorum collegii promovendi, cum consensu protectoris, scholares ad gradus etc.

§ 11. Ad haec, superioribus dicti collegii, cum censura tamen protectoris praedicti, illos, quos in dicto collegio et alibi per debitum tempus studuisse, ac scientia et moribus idoneos esse repererint, in praedictis facultatibus artium et theologiae baccalariatus, licentiaturae doctoratusque et magisterii gradus, servata forma concilii Viennensis, et alias iuxta Universitatis Studii eiusdem Urbis consuetudinem, promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi; utque in facultatibus supradictis sic promoti illas publice et privatim, etiam in omnibus Universitatibus Studiorum generalium, interpretari, et alios docere, ac de eis exercere, ac omnibus privilegiis, gratiis, favoribus praerogativis et indultis, quibus alii in praedicta seu aliis Universitatibus et alibi, iuxta illius et aliarum Universitatum huiusmodi constitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint et debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa Universitate, iuxta statuta, consuetudines et mores praedictos suscepissent, concedendi licentiam tribuimus.

§ 12. Postremo, cum eosdem scholares

Scholares et alumni eiusdem collegii promoveri possint extra tempora, et absque ordinariorum litteris dimissoriis, et sine titulo, et non obstan. defectu natalium.

huius collegii alumnos, post longos studiorum vel coeptorum vel consummatorum labores, sacerdotali militiae, pro temporis vel loci necessitate, adscribere conducat, ut ministeriis et functionibus sacris assuescant, dictaeque ecclesiae Sanctissimae Trinitatis officia praestent, seu ut operarii mittantur, eisdem alumnis, ut de licentia protectoris, ac dicti collegii rectoris consensu et examine praecedente, etiam extra tempora a iure statuta, interstitiisque temporum a concilio Tridentino praestitutis non expectatis, et etiam absque suorum ordinariorum litteris dimissorialibus, ac sine aliquo beneficii vel patrimonii titulo et non obstante quovis natalium defectu, super quo cum talibus per easdem praesentes dispensamus, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoveri, postquam promoti fuerint, in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare, ac etiam tam ipsi quam ceteri omnes in dicto collegio degentes, ut Poenitentiae ac Eucharistiae, etiam die Paschalis, et Extremae Unctionis sacramenta a confessario aut alio sacerdote ipsius collegii, a rectore illius constituendo, suscipere libere et licite valeant indulgemus.

Protectoris deputatio et facultates.

§ 13. Ut vero eiusdem collegii conservationi bonoque regimini, tam in iis quae ad alumnorum ipsorum institutionem et disciplinam, quam quae ad victum et vestitum aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, utque promptum paratumque sit eis auxillium, venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum Ostiensem, cardinalem Moronum nuncupatum, eiusdem collegii protectorem et defensorem constituimus et deputamus, cuius consilio et opera tam supradicta quam quaecumque alia ad scholasticos in eodem collegio admittendos et retinendos et ab eo dimittendos spectantia agantur, statuantur et ordinentur, dantes eidem et pro tempore protectori existenti praedicti collegii, pro salubri illius conservatione, et directione scholasticorum, bonorum et rerum ac iurium temporalium et spiritualium eiusdem, plenam et liberam facultatem et auctoritatem oeconomos, advocatos et procuratores in eo deputandi et amovendi, et alios eorum loco sufficiendi; differentias, lites et controversias inter quascumque personas, tam alumnorum quam ministrantium clericorum et laicorum, non tamen presbyterorum ipsius societatis exortas, summarie, simpliciter et de plano, sine figura aut strepitu iudicii, appellatione quacumque remota, decidendi, definiendi, terminandi et exequendi; ordinationes praeterea et statuta, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et concilio Tridentino praedicto non contraria, faciendi et edendi, eaque, cum opus fuerit, revocandi, immutandi et corrigendi, aliaque de novo condendi, quae, postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde habeantur et observentur, ac si auctoritate apostolica approbata et confirmata essent, prout nos illa ab omnibus dicti Collegii alumnis ita haberi et inviolabiliter observari mandamus.

Forma recipiendi alumnos collegii.

§ 14. Quod autem ad dictorum alumnorum admissionis modum et formam deinceps habendam attinet, statuimus et ordinamus, eos, qui admittendi erunt, prius ab examinatoribus per dictum protectorem in Gallia, etiam Belgica, aut alibi, prout illi convenientius videbitur, designatis vel designandis, iuxta formam ab ipso protectore praescribendam, examinari, et praehabito huiusmodi examine, si constiterit ipsi protectori, praedictorum examinatorum significatione sibi verbo vel scripto facienda, eos ingenio aptos et moribus probatos et tales, qui recipi debeant, illos admittat.

Forma probationis fiendae ab ipsis antequam admittantur, et forma iuramenti praestandi post admissionem rectori collegii.

§ 15. Postquam vero in collegio recepti fuerint, non statim collegii alumni censeantur, sed per quatuor aut sex menses, plus vel minus, prout superioribus et collegii moderatoribus visum fuerit, eorum conversatio probetur; deinde, si collegio digni videbuntur, iuramentum praestent se vitam ecclesiasticam perducturos, seque omni tempore ad iussum superiorum in patriam revertendum, et ad animas quantum in Domino potuerint adiuvandas paratos fore.

Facultas absolvendi alumnos a quibusvis excessibus, etiam reservatis in bulla Coenae Domini, ut hic.

§ 16. Ceterum rectori presbytero dicti collegii pro tempore existenti, ut per se vel confessarium idoneum, quem duxerit eligendum, singulos alumnos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quavis occasione vel causa latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, et a quibusvis peccatis, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in casibus in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis (conspirationis in personam vel Statum Romani Pontificis, falsitatis scripturarum et litterarum apostolicarum, delationis armorum vel aliorum prohibitorum ad partes infidelium, iniectionis manuum violentarum in praelatos dumtaxat exceptis), absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem iniungere; eosdemque super irregularitate ab eis quomodolibet contracta (homicidii voluntarii, bigamiae et haeresis casibus dumtaxat exceptis) dispensare libere et licite valeat, liberam tribuimus facultatem.

Clausulae praeservativae.

§ 17. Decernentes praedicta omnia perpetuo subsistere, sicque in illis universis et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 18. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quaesito, et de vero valore fructuum exprimendo, ac de commissione in huiusmodi unionibus facienda, et vocandis quorum interest, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque apostolicis const.; ac hospitalis Urbis et Camerae praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et eisdem senatori, consulibus, reformatoribus, Camerae, Universitatibus, ac eorum collegiis, rectoribus et personis aliisque praedictis, necnon populo Romano vectigalibus, redemptoribus et aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus, aut etiam in favorem hospitalium concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Indulgentiarum concessio pro scholasticis, rectoribus et ministris collegii.

§ 19. Ut vero temporalibus commodis spiritualia quoque munera coniungamus, quibus fidelium devotio eis munita crescere magis et augeri possit, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, omnibus scholasticis, rectoribus et ministris, qui in hoc collegio recepti fuerint, in ipso ingressu, ac etiam quos in eodem collegio decedere ab humanis contigerit, si poenitentes et confessi vere ipsi fuerint,

in mortis articulo, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in perpetuum concedimus.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXXVIII, nono kalendas maii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 aprilis 1578, pontif. an. VI.

LXXXII.

Confirmatio litterarum Pii IV super solutione impositionum cameralium, et revocatio quarumcumque exemptionum, non tamen ex causa onerosa; ac ordinatio quod tam cives et domicelli ac familiares cardinalium vel thesaurarii civitatis Assisiensis ac comitatus et districtus, et personae ecclesiasticae, tam saeculares quam regulares, etiam exemptae, teneantur ad contribuendum tam cameralibus quam aliis pro necessitatibus urgentibus dictae communitatis impositis et imponendis oneribus pro bonis de quibus decimas non solvunt, cum derogatione quorumcumque privilegiorum etiam officialibus Romanae Curiae concessorum [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Nostro maxime incumbit officio, qui iustitiae et aequitatis in terris moderatores sumus, providere ut inter eos, qui temporali dominio nobis sunt subiecti, aequalitas servetur, ac eos, qui commoda sentiunt, eos etiam incommoda sequantur.

Facti series. § 1. Nuper siquidem, pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae Assisiensis, felicis recordationis Pio Papa quarto, praedecessori nostro, exposito, pro urgentibus Sedis Apostolicae ac praedecessorum suorum Romanorum Pontificum necessitatibus, ac illorum suaque subventione, in civitate praedicta eiusque comitatu et districtu, quemadmodum etiam in aliis locis Romanae Ecclesiae subiectis, nonnulla subsidia seu onera necessario imposita fuisse, et ea ab eadem communitate exigi debere, et saepenumero evenire ut qui in dicta civitate ac eius territorio plus possident seu maiores facultates haberent, etiam clerici et utriusque sexus religiosi bona patrimonialia possidentes, praetextu immunitatum, exemptionum ipsis apostolica auctoritate concessarum seu ob alias causas per eos praetensas, huiusmodi oneribus pro eorum rata contribuere et subsidia praedicta persolvere recusare, in grave ceterorum praeiudicium ac notabile damnum; idem praedecessor, quod deinceps perpetuis futuris temporibus, tam cives et nobiles, quam extranei seu forenses, in civitate, territorio, districtu et comitatu praedictis bona stabilia possidentes, cuiuscumque dignitatis, qualitatis, conditionis, gradus et praeeminentiae, etiamsi numero decem filiorum gravati existerent, et quacumque nobilitate praefulgerent, bona praedicta in libris catastus nuncupatis dictae civitatis, ad hoc videlicet ut ipsi pro dictis bonis in solutione onerum et impositionum a Sede et Camera praedictis impositorum et imponendorum pro rata contribuere haberent, accatastari et allibrari seu annotari facere tenerentur; et quod illos qui, praetextu exemptionum suarum, ad solutionem subsidii triennalis, quatrini carnis ac aliorum onerum cameralium se non teneri praetenderent, omnes, etiam domicellos et nobiles, exemptionem huiusmodi quomodolibet praetendentes, ne earum onus aliis accresceret, exceptis tamen illis, qui pecunia numerata liberationem et exemptionem praedictam ab ipso praedecessore seu Sede et Camera praedictis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

obtinuissent et in posterum obtinerent, ad eorumdem onerum ac subsidii seu impositorum solutionem cogi deberent.

§ 2. Quoad vero clericos saeculares et cuiusvis Ordinis utriusque sexus regulares, bona patrimonialia praedicta, de quibus videlicet decimae apostolicae non solvuntur, in eisdem civitate, comitatu et districtu seu territorio consistentia, possidentes, quod, ratione subsidii triennalis, constitutionem piae memoriae Pauli Papae III, etiam praedecessoris nostri, in impositione subsidii huiusmodi editam servare, quo vero ad alia onera cameralia, quae respectu rerum imposita essent, si ordinaria forent, ipsi clerici saeculares et alii utriusque sexus cuiusvis Ordinis religiosi ad illa, ratione eorumdem bonorum patrimonialium, contribuere de cetero deberent.

§ 3. Ac insuper quod, si bona oneribus his affecta ad ecclesias, monasteria et alia pia loca transirent, illa eisdem oneribus gravata remanerent, perinde ac si translata non essent, ac eorum possessores ad praemissarum contributionem tenerentur et obbligati essent, et ad id censuris et poenis ecclesiasticis ac aliis omnibus iuris et facti remediis cogi et compelli possent, ex certa scientia et apostolicae potestatis plenitudine perpetuo statuit et ordinavit; necnon prioribus in dicta civitate pro tempore existentibus ac praedictae communitati, quod bona huiusmodi describere et accatastare seu allibrare, necnon extraneos, forenses, clericos et alias personas ac ecclesias, monasteria et alia pia loca praefata, pro ipsorum rata, ad onerum praefatorum solutionem, toties quoties opus foret, cogere et compellere libere et licite valerent, plenam et liberam concessit facultatem, prout in litteris dicti praedecessoris desuper confectis plenius continetur.

§ 4. Cum autem communitas et homines praedicti, sicut exponi nobis nuper fecerunt, cupiant praemissa omnia, quae a dicto praedecessore statuta et ordinata fuerunt, approbari et confirmari; ac, prout aequitas suadere videretur, decerni ac declarari et ampliari omnes clericos et alios praedictos ad contribuendum impositionibus et collectis cameralibus, tam ordinariis quam extraordinariis, teneri ratione eorum bonorum quae decimas non solvunt; quodque idem locum habeat etiam in his quae per civitatem et homines praedictos pro instantibus et urgentibus necessitatibus eorumdem iam imposita sunt et in posterum imponentur; propterea communitas et homines praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt quatenus in praemissis auctoritatem nostram interponere de benignitate apostolica dignaremur.

Causae constitutionis edendae.

§ 5. Nos igitur, aequum esse censentes ut qui territorii et bonorum commodum sentiunt, illorum quoque sentiant incommodum, litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictorum communitatis et hominum hac in parte inclinati, quae a praedicto praedecessore statuta et ordinata fuerunt confirmantes et approbantes, illisque plenariae et inviolabilis firmitatis robur adiicientes, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas, si quae sunt et praetendi possunt, exemptiones, privilegia, gratias, immunitates a quibusvis subsidiis et oneribus et aliis impositionibus praedictis, et quibusvis aliis personis militibusque, officialibus aut alias quomodolibet privilegiatis per nos et quoscumque Romanos Pontifices ac Sedem praedictos et eius legatos hactenus, etiam motu proprio aut alias quomodolibet, ex quavis causa, etiamsi tales existant, de quibus hic expressa et specifica ac de verbo ad verbum mentio fieri deberet, non tamen ex

Confirmatio litterarum de quibus in constitutione.

causa onerosa, apostolica auctoritate, quatenus opus sit, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, nulliusque roboris fore et esse, nec numquam in aliquo suffragari posse vel debere aut potuisse vel debuisse declaramus.

Designatio eorum, qui imposterum ad solutionem tenentur.

§ 6. Necnon, ad omne dubium in perpetuum [1], statuimus, ordinamus et decernimus ac declaramus quod tam cives, nobiles, illustres, barones ac domicellos aut familiares alicuius cardinalis aut thesaurarii dictae civitatis, communitatis et districtus, necnon omnes et singulos clericos saeculares et cuiusvis Ordinis regulares, ac etiam Tertiarios, et forenses ac extraneos, etiam quovis privilegio exemptionis suffultos, ad contribuendum oneribus a Camera Apostolica ex quacumque ratione impositis, ratione quorumcumque bonorum, pro quibus decimas non solvunt, in civitate et districtu ac comitatu praedictis consistentium, teneri et obbligatos esse; idemque in oneribus impositis et imponendis per nos et praedecessores nostros ac successores et Cameram ac officiales praedictos, ac ex urgentibus et necessariis eorumdem communitatis et hominum necessitatibus, etiam pro aliquo Pietatis Monte ad pauperum subventionem, vel loco pio seu pia causa, dum collectae vel alia huius generis onera imponuntur, iuxta distributionem per dictam communitatem et homines factam seu faciendam, faciendum et servandum existimamus ac omnino volumus et mandamus.

Clausulae.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos et commissarios, etiam S. R. E. cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores et alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus irritum et inane.

§ 8. Necnon prioribus dictae civitatis pro tempore existentibus ac praedictae communitati, quod bona huiusmodi, pro quibus decimae non solvuntur, describere et accatastare seu allibrare, necnon clericos saeculares ac cuiusvis Ordinis regulares, ac etiam Tertii Ordinis, fratres Tertiarios nuncupatos, milites Sanctorum Petri et Pauli Lauretanensium, Sancti Iacobi de Spatha, et Pios vel alio nomine nuncupatos seu nominandos, curiales, forenses, extraneos et alias personas ac ecclesias, monasteria et alia pia praefata loca pro ipsorum rata, ad onerum praedictorum solutionem iuxta distributionem, ordinem et modum per dictos priores seu communitatem et homines factam et faciendam, moderandam et ampliandam, toties quoties opus fuerit, cogere et compellere libere et licite valeant, plenam et liberam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus facultatem et potestatem.

Mandatur executio praesentis constitutionis.

§ 9. Mandantes dilecto filio moderno et pro tempore existenti legato provinciae nostrae Umbriae, eiusque vicelegato et gubernatori, necnon S. R. E. camerario, praesidentibus clericis dictae Camerae, thesaurario et auditoribus, generalibus vicariis, potestatibus ceterisque officialibus et ministris eiusdem provinciae, quatenus, per se vel alium seu alios eorum nomine deputatos vel deputandos, prioribus et communitati et hominibus praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, omnibus iuris et facti remediis magis opportunis, ac etiam manu regia, omni mora et appellatione ac exceptione remotis, faciant, praecipiant et mandent praemissa omnia et singula firmiter et inviolabiliter observari; ac praesentibus litteris per quascumque nostras et quorumcumque successorum nostro-

[1] Adde *tollendum* (R. T.).

rum litteras cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, necnon irritantibus et aliis decretis emanatas et emanandas, ad quorumvis instantiam, et ex quacumque causa, etiam probabili, derogari aut derogatum censeri non posse decernant et declarent; neque permittant eosdem priores ac communitatem et homines per quoscumque quomodolibet gratificatos et qualificatos molestari, perturbari seu inquietari, cum facultate, per se vel alium seu alios vel eorum alterum, breviter et summarie ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, omnes et quascumque differentias et contentiones, si quas praemissorum occasione quomodolibet oriri contigerit, audiendi, cognoscendi, decidendi fineque debito terminandi; contradictores quoslibet ac rebelles per censuras ecclesiasticas et pecuniarias poenas, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; necnon etiam, super his habendis servatis processibus, sententias et censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus praemissis ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, et aliqua possessione vel forsan usurpatione de non solvendo et contribuendo, ac nostra de non tollendo iure quaesito et aliis Cancellariae Apostolicae regulis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; statutisque et consuetudinibus, etiam municipalibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam per piae memoriae Sixtum Papam IV, similiter praedecessorem nostrum, fratribus Tertii Ordinis huiusmodi ac quibusvis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et piis locis, universitatibus et militibus, officialibus, curialibus et quibusvis aliis personis, etiam actu officia sua exercentibus, ecclesiasticis et aliis privilegiatis personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam per viam legis, sententiae, statuti sive contractus, pacti et transactionis clausulis, etiamsi tales sint, de quibus hic expressa et specifica ac de verbo ad verbum mentio fieri deberet, ac sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, etiam in forma brevis, sub plumbo, tam per nos quam per praedecessores nostros ac Sedem praedictam eiusque legatos, etiam motu proprio ac alias quomodolibet, in contrarium concessis, approbatis et innovatis;

§ 11. Necnon quacumque inhibitione dictae provinciae de et super praemissis omnibus et singulis specialiter loquente, ac etiam quacumque lite et causa, quantumvis instructa; ac causam et causas huiusmodi et lites omnes super praemissis quomodolibet motas vel movendas ad nos, dicta auctoritate apostolica et ex certa scientia, advocantes; illasque ex nunc penitus extinguentes et annullantes, ac pro extinctis ac annullatis haberi volentes, etiamsi per appellationem et in quavis instantia nostra [1] quibusvis, etiam camerario nostro et dictae camerae clericis vel praesidente, aut eiusdem Palatii auditore pendentes, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque; statum et merita causae et causarum, si quae sunt, necnon privilegiorum, indultorum, immunitatum, gratiarum, concessionum et aliorum hic de necessitate exprimendorum tenores et compendia, ac si de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, inserta forent, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium pro plene et sufficienter expressis habentes, illis, motu,

1 Legimus *instantia, coram* (R. T.).

scientia et potestate praemissis, derogamus specialiter et expresse; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III maii MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 3 maii 1578, pontif. anno VI.

LXXXIII.

Confirmat indulta magistro et fratribus hospitalis B. M. Theutonicorum a praedecessoribus suis concessa cum suppletione defectuum, praesertim super praesentatione ad beneficia dicti hospitalis, et innovat perpetuo, ita quod dicti magister et fratres in collatione seu praesentatione ad dicta beneficia, etiam in mense reservato et apud Sedem vacantia, molestari non debeant, et litteris apostolicis impetratis contra eorum indulta non teneantur respondere, nisi de indultis ipsis fecerint mentionem [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Eximia, quam ad nos Sedemque Apostolicam dilecti filii magister, commendatarii et fratres hospitalis B. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani gerere dignoscuntur, devotio nos inducit ut quae eis ac dicto hospitali apostolica auctoritate concessa et approbata fuerunt, quo maiore robore stabiliantur, libenter approbemus, et alia desuper disponamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Facti series. § 1. Sane, uti Henricus magister et commendatarii et fratres praedicti nobis nuper exponi fecerunt, felicis recordationis Gregorius IX et Innocentius IV eisdem magistro et fratribus concesserunt quod si, super indultis, quae eidem hospitali ab eadem Sede pro tempore essent concessa, contra eorum tenorem litteras apostolicas impetrari contingeret, quae de indultis huiusmodi non fecissent mentionem, ipsi magister et fratres per eas non tenerentur respondere; et deinde piae memoriæ Alexander IV eisdem indulsit ut ad provisionem alicuius in pensionibus vel beneficiis ecclesiasticis per litteras eiusdem Sedis vel legatorum eius impetratas, per quas non sit alicui ius quaesitum, et impetrandas, minime tenerentur, nec ad ea compelli possint, nisi litterae praedictae de indulto huiusmodi et toto tenore ipsius expressam facerent mentionem, cuius Alexandri indultum Urbanus IV et Nicolaus IV approbarunt et confirmarunt.

§ 2. Ad haec, piae memoriae Bonifacius IX motu proprio statuit et ordinavit quod de cetero nulli, cuiuscumque status, gradus vel conditionis existenti, liceret, sub excommunicationis sententia eo ipso per contravenientes incurrenda, ecclesias, etiam parochiales, cappellas, altaria aut alia beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, eidem hospitali aut domibus ab eo dependentibus ubicumque existentibus apostolica vel alia quavis auctoritate incorporata, ab eadem Sede vel aliunde impetrari, vel ea quovis quaesito colore petere, vel super ipsis eos impedire aut quomodolibet molestare posse; et postremo piae memoriae Martinus Papa V, praedecessores nostri, eisdem magistro et fratribus, ut ad ecclesias et beneficia huiusmodi, quae in quibusvis provinciis sive locis tunc temporis obtinebant et in futurum obtinerent, etiam per quoscumque regi consueta, quotiescumque illas et illa vacare contingeret, personas dicti hospitalis aut alias ecclesiasticas, prout ipsis

Bonifacii IX et Martini V dispositiones favore hospitalis.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

melius visum foret, ordinariis locorum sive aliis, ad quos institutio earumdem personarum quomodolibet, ut praefertur, spectaret, de consuetudine vel iure praesentare, et ordinariis ipsis personas hospitalis huiusmodi aut alias ecclesiasticas instituere; necnon personis praedictis, postquam in illis institutae forent, illa regere et gubernare libere et licite valerent indulsit, prout in diversis eorumdem praedecessorum desuper confectis litteris plenius continetur.

Causa constitutionis edendae.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iidem magister et fratres in usu dictorum privilegiorum ac conferendi seu praesentandi personas in indulto ab eodem Martino concesso expressas ad beneficia et ecclesias huiusmodi fuerint, et a nemine desuper molestari debuerint: et nihilominus a diversis personis, praetextu quorumdam privilegiorum eis concessorum, contra eorum possessionem molestentur; quare, pro parte eorumdem Henrici magistri et commendatariorum et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eos ab indebitis molestationibus huiusmodi liberare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Privilegiorum de quibus supra confirmatio.

§ 4. Nos igitur eosdem magistrum Henricum, commendatarios et fratres a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictorum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, praedictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, concessiones et indulta ac desuper confectas litteras, necnon omnia et singula in eis contenta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus, illaque, pro potiori cautela, innovamus, et eis, quatenus opus sit, denuo concedimus: ita ut dicti magister, commendatarii et fratres, in collatione seu praesentatione personarum prædictarum ad ecclesias et beneficia huiusmodi in quocumque mense, etiam dictae Sedi reservato, et apud Sedem eamdem vacantia, quovis praetextu, vel occasione quorumcumque privilegiorum ex quacumque causa concessorum, etiam ad imperatorum, regum, ducum aut aliorum principum instantiam, molestari seu perturbari nequeant nec debeant.

§ 5. Et si super indultis, quae eidem hospitali ab eadem Sede concessa sunt, contra eorum tenorem litteras apostolicas impetrari contigerit de indultis huiusmodi non faciendo mentionem, ipsi magister et fratres per eas respondere non teneantur, sed libere possint ad dicta beneficia quandocumque vacantia personas supra expressas et alias iuxta decreta concilii Tridentini idoneas ordinariis locorum vel aliis, ad quos institutio huiusmodi beneficiorum de iure vel consuetudine pertinet, praesentare.

Clausulae.

§ 6. Decernentes præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut quovis alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, notari vel impugnari, seu ad terminos iuris reduci, vel in ius aut controversiam revocari posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate

et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur executio.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Maguntunensi et episcopo Frisingensi et dilectis filiis decanis ecclesiae Coloniensis et Sancti Servati oppidi Traiectensis, Leodiensis dioecesis, mandamus quatenus ipsi vel tres vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte magistri seu fratrum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra magistrum et fratres praedictos praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo vigore praesentium aliquis ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon, quoad omnia supradicta, quibusvis indultis, gratiis et privilegiis, imperatoribus, regibus, principibus et aliis quibusvis personis, quocumque, etiam cardinalatus, honore fulgentibus, ac quibuscumque universitatibus, etiam Studii generalis Lovaniensis seu Coloniensis, et facultati artium eiusdem Studii Lovaniensis vel magistratui Coloniensi, cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, ac irritantibus decretis in contrarium quomodolibet, etiam ex quacumque praegnantissima causa, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 9. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III maii, millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 3 maii 1578, pontif. anno VI.

LXXXIV.

Innovatio poenarum ab Hadriano VI propositarum contra mercatores exercentes monopolia frumentorum et aliorum ad victum necessariorum in regnis Aragoniae, et extensio ad facientes contractus quictamentos nuncupatos, cum prohibitione notariis, sub poena falsi, ne aliquod instrumentum super praemissis conficiant [1].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Facti series.

§ 1. Quaecumque improbi quaestus cupiditate ab hominibus adinventa, quae

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

non ad commodum reipublicae, sed detrimenta pertinent, reprobanda penitus, nec quoquomodo toleranda esse censemus; prudenti igitur consilio, felicis recordationis Hadrianus Papa VI, praedecessor noster, dum per dilectos filios proregem Aragoniae ac pauperes et miserabiles personas civitatis Caesaraugustanensis sibi expositum fuit quod, etsi iuxta statuta eiusdem civitatis nullus in ipsa civitate frumentum, causa revendendi in dicto regno, ex quavis causa cum anticipatione solutionis pretii, retinere posset; nihilominus nonnulli mercatores dictae civitatis et regni, cupiditatis voragine ducti, ut famem in civitate et regno praedictis, pro eorum libito, inducerent, ac christifidelibus pauperibus frumentum huiusmodi eo quo voluissent pretio vendere possent, diversis sub praetextibus et cautelis in huiusmodi emptione inductis et excogitatis, in dictorum statutorum et iuris communis fraudem, quo annonam cariorem facerent, easdem emptiones exerceant, ex quibus aut pauperes in dies fame perire constringebantur, aut omnia bona sua una die, quo victum sibi parare possent, vendere cogebantur certis personis: quod, dum pro parte eorumdem exponentium requisiti fuissent, dictis mercatoribus ne de cetero super frumento huiusmodi aliquem contractum contra statutorum ac iuris communis dispositionem inirent seu celebrarent, sub excommunicationis ac amissionis dicti frumenti, pro una videlicet regno et alia executori, reliqua vero partibus denuntianti applicandis poenis ipso facto incurrendis, prohiberent; et si prohibitioni huiusmodi faciendae paritum non fuisset, contra eos ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi procedi voluit; eosdemque contravenientes et inobedientes huiusmodi excommunicationis sententiam ac amissionis frumenti incidisse declarandi, ac sententias consuetas et poenas ecclesiasticas praedictas aggravandi, interdictum apponendi et alia faciendi et exercendi, quae in praemissis et circa ea necessaria fuissent seu quomodolibet opportuna, facultatem concessit, volens quod iidem et eorum quilibet dictos mercatores, de consensu regis seu locumtenentis et, in ipsorum absentia, gubernatorum generalium dicti regni pro tempore existentium, contractibus illicitis huiusmodi revocatis et annullatis, et non aliter, qui in censuras et poenas huiusmodi incurrissent, absolvere possent.

Monopolia civili ac pontificio iure prohibita.

§ 2. Verum avaritia, malorum omnium radix, sic mentes hominum excaecat, ut, propriae salutis immemores, nova quotidie adinvenire studeant, quo ea, quae a dicto praedecessore sancte sancita et ordinata sunt, eludant, ac pauperes opprimere queant; alii vero, contra eiusdem praedecessoris mentem, monopolia, quae civili ac pontificio iure prohibita sunt, exerceant, sententiis censurisque huiusmodi ligati, vel in illis dum insordescunt, in profundum malorum penitus versentur.

§ 3. Hinc etiam contractus, vulgo quietantiarum nuncupatus, eo in regno a mercatoribus in usum introductus fuit, dum communitates vel universitates oppidorum, locorum seu villarum eiusdem regni aere alieno gravatae illud exsolvere quaerunt, et mercatores ad eum effectum pecuniam offerunt, ac, loco pecuniae, frumenti, vini oleive aliquam quantitatem infra certum temporis vel plurium etiam annorum spatium, prout inter ipsos conventum est, ab eisdem exigunt, sive a communitatibus et universitatibus recolligatur sive non recolligatur, exactasque quantitates vini, frumenti et olei huiusmodi congerunt et coacervant, ut magno pretio suo tempore illa vendant,

qua ratione eorumdem mercatorum lucrum, dum nulli periculo, quoad hoc sunt obnoxii, in infinitum excrescit, hinc, dum de vendendis mercibus agitur, iidem in frumento sibi de earum pretio satisfieri procurant, aliisque veris aut simulatis locationibus fructuumque arrendationibus, fere universum, quod in eorum regno colligitur, frumentum in eorum potestatem redigunt, ac in propriis horreis congregant servantque, donec annonae caritas eo in regno invalescat, ac tunc demum vel iniquo pretio illa venalia vix proponant.

Causa constitutionis edendae.

§ 4. Haec cum pessima sint, animaeque periculum et detrimentum afferant, ac publicam eius regni quietem perturbent, maximisque incommodis et difficultatibus illud afficiant, communitatesque et universitates, concepta spe deceptae, vini et frumenti vel olei quantitatem conventam pro pecunia praestare nequeuntes, maioribus debitis et oneribus se involvant atque implicent, ac demum eam ob causam omnium facultatum suarum iacturam omnino faciant; agricolae vero et rustici, dum sibi quae quotidiano usui necessaria sunt summo labore undique corradunt, semen ad serendos agros in unum redigere nequeant: in eos, qui huiusmodi negotia contra iuris rationem pertractare, ac regnum, et amplissimum, his in difficultatibus adducere non erubescunt, nedum antiquitus propositas poenas ad usum revocare, verum etiam severius animadvertendum, vel in his etiam efficacius pro nostro munere nobis iniuncto providendum esse plane censemus.

Innovatio statutorum ab Hadriano PP. eorumque extensio.

§ 5. Itaque, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra, quae per Hadrianum praedictum statuta sunt, ut praefertur, cum censuris et poenis praedictis innovamus, easdemque ad eos, qui dictos quietamentos vulgariter nuncupatos et quascumque alias similes vel dissimiles accumulationes frumentorum et fructuum et cuiusvis generis contractus faciunt ex quibus publica utilitas laedatur, caritasque annonae sequatur, necnon addentes eis in his auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, extendimus; ac praeter a iure communi propositas et a praedecessore constitutas poenas in exercentes monopolia, quibus talia committentes omnino obnoxios esse volumus, praesenti edicto sancimus ne super contractibus praedictis, quos omnino reprobamus, tabelliones vel notarii publici, sive apostolica aut imperiali vel alia quacumque creati fuerint auctoritate, aliquod instrumentum conficere, vel in protocollum redigere, aut aliquam scripturam, etiam privatam, desuper conscribere pro cautela simplici audeant vel praesumant; si secus fecerint, in tabelliones tamquam crimen falsi committentes animadvertatur, et ad eadem ac alia quaecumque munera publicasque functiones perpetuo inhabiles sint.

Poena temporalis in mercatores, de quibus in constitutione.

§ 6. Eos vero qui in aliquo praedictorum contravenerint, praeter dictas iam latas sententias, censuras, ac a nobis innovatas et extensas poenas, excommunicationi et anathemati ac maledictioni aeternae, quam ex parte omnipotentis Dei nos quoque ferimus in his scriptis, etiam infamiae perpetuae ac crimini monopolii et inhibitarum ac iniustarum usurarum, confiscationi et privationi bonorum quorumcumque immobilium et iurisdictionalium et feudorum omnino esse subiectos; et a Christi corpore et Ecclesiae Dei unitate separatos; ac omni et quocumque beneficio et officio, ecclesiastico vel saeculari, sive temporali sive perpetuo, ipso iure privatos et ad illa inhabiles etiam statuimus et declaramus; et in casibus praedictis absolutionem a sententia excommunicationis nobis et Romano Ponti-

Reservatio absolutionis.

fici, praeterquam si in mortis articulo constituti fuerint, reservamus.

Clausulae. § 7. Sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executio demandatur. § 8. Mandantes omnibus et singulis venerabilibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ceterisque ecclesiarum praelatis, quacumqne auctoritate et dignitate fulgentibus, quatenus praesentes litteras et in eis contenta quaecumque in eorum necnon singulorum parochialibus et aliis ecclesiis, si id necessarium esse iudicaverint, publicent seu publicari faciant, et ab omnibus exacte servari curent.

Derogatio contrariorum. § 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum. § 10. Ceterum, quia difficile foret præsentes litteras ad singula quaeque loca deferri, in quibus eædem publicari debent, volumus quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si exhiberentur.

Publicationis modus. § 11. Et ne aliqui, ex eo quod notitia praesentium litterarum ad eos non pervenerit, se excusare possint, volumus quod earum transumpta, etiam, ut praefertur, impressa, et in singulis cathedralium et metropolitanarum ecclesiarum dicti regni valvis affixa, veræ et realis publicationis et intimationis vim et effectum sortiantur; ac omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde afficere, ac si singulariter et personaliter singulis intimatae fuissent.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV maii, MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 14 maii 1578, pontif. anno VI.

LXXXV.

Revocatio fratrum Ordinis Minorum de Observantia ab Indiis, eorumque reductio ad propria claustra, ubi professi fuerant 1.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ad compescendam eorum licentiam qui, postquam se Religioni addixerunt, variis exquisitisque rationibus, ad saeculum redire contendunt, nos convenit admodum esse intentos. Hoc in numero nonnullos professores Ordinis fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, in partibus Indiarum tam *del Perù* quam novae Hispaniæ, ponendos esse, non sine gravi animi nostri molestia accepimus; illi etenim, habitu eorum regulari dimisso et sæculari reassumpto, ex partibus praefatis ad regna Hispaniarum revertuntur; quae res apud Indos ad fidem catholicam conversos maximum affert scandalum; inspiciunt enim plerosque ex eis, qui in habitu humilitatis Altissimo famulantur, illo dimisso, negociis sæcularibus ac congerendis pecuniis admodum esse intentos, et, lucri cupiditate, Religionis iugum, quod suave esse Dominus testatur, detrectasse; idque apud nos non mediocrem parit admirationem. Exordium et causa constitutionis edendae.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Dispositio de qua in rubrica.

§ 1. Huic igitur incommodo, ex quo per horum virorum [1] pervenit scandalum, præsenti remedio occurrendum esse existimantes, commissariis delegatis a generali ministro seu commissario generali ultramontano dicti Ordinis, seu quavis auctoritate in fratres eiusdem Ordinis praedito, eos, quos, habitu regulari dimisso, ad saeculum rediisse, etiam praetextu litterarum apostolicarum, recognoverit, ex partibus Indiarum expellendi, et ad domos in quibus professi fuerunt, litteris apostolicis per subreptionem vel obreptionem obtentis non obstantibus, revocandi, ac ad illas reducendi, ac in eosdem, tamquam Religionis desertores, iuxta eorum excessus et delicta eorumque regularia instituta, animadvertendi, aliaque circa praemissa exequendi licentiam et facultatem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus.

Clausulae.

§ 2. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere; irritumque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis litteris apostolicis ad eorum favorem, sub quibuscumque sententiis et poenis, in contrarium concessis, quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 14 maii 1578, pontif. anno VI.

1 Forte *ex quo plurimorum* (R. T.).

LXXXVI.

De munere et electione praelatorum congregationis S. Bernardi in Italia monachorum Ordinis Cisterciensis regularis Observantiae [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex, ex commisso sibi desuper apostolicae servitutis officio, circa felicem statum ecclesiarum et monasteriorum ac piorum locorum omnium ex visceribus caritatis intendens, ea, per quae ecclesiae, monasteria et loca ipsa, cum Dei honore, in spiritualibus et temporalibus, salubribus proficiant incrementis, ac sublatis dissensionum discordiarumque fomentis et aliis contrariis quibuslibet, in eis regularis observantia divinusque cultus inviolabiliter observetur, personaeque religiosae, sub suavi Religionis iugo, in pace et pietatis mansuetudine, Altissimo vota reddere, et fructus in Dei Ecclesia proferre valeant ampliores, ac christifidelium animarum saluti consulatur, statuit et ordinat, et iam desuper statuta et ordinata approbat et confirmat, aliaque facit et disponit, prout, pensatis circumstantiis universis, id conspicit in Domino salubriter expedire.

Petitio cardinalis Moroni protectoris circa mutationem capituli generalis et electionem praelatorum.

§ 1. Sane venerabilis frater noster Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Moronus nuncupatus nobis nuper exposuit quod, licet olim salubri, ut tunc sperabatur, consilio, de capitulis per abbates, praelatos et conventus monasteriorum Cisterciensis Ordinis, congregationis S. Bernardi in Italia, Tusciae et Lombardiae provinciarum insimul unitarum, regularis Observantiae, statuto ad id loco et tempore, quotannis celebrandis, lata decreta, etiam apostolica auctoritate per felicis recorda-

1 Congregationem istam erexit Alex. VI, ut in eius constit. x, *Plantatus*, tom. V, pag. 371.

tionis Alexandrum VI et Iulium II, Romanos Pontifices praedecessores nostros, confirmata fuerint, longe tamen aliter evenire; et cum ubique pauci vix reperiantur ad dignitates et officia ac illis ingruentia munera rite obeunda sufficientes et idonei, nihilominus plerosque nullius meriti et inhabiles monachos, inter frequentes capitulorum huiusmodi celebrationes et crebras inde provenientes dignitatum et officiorum ac munerum attributiones et translationes, illas, hac opportunitate dumtaxat sibi patefacta, ambire, et ad illas administrandas, non mediocri totius universitatis et congregationis huiusmodi discrimine et dedecore, pervenire; immensis praeterea sumptibus, qui pro continenter commigrantium in haec capitula annua delectarum personarum viatico suppeditantur, rem familiarem monasteriorum praedictorum exhauriri multiplici hactenus documento compertum est; et sicut ipsius congregationis decreta et statuta, quae perpetuam illius universitatis utilitatem continent, immutata manere, et omni peraeque tempore observari, similiter illa, quae aut usus coarguit, aut status ipsius Ordinis inutilia fecit vel ostendit, pro rerum et temporum conditione, meliorem accipere formam, et prout conducit, illa accommodari convenit. Ac propterea dictus Ioannes episcopus et cardinalis, qui totius Cisterciensis Ordinis protector existit, re mature perspecta, ac ex novissima monasteriorum et locorum eiusdem congregationis de mandato nostro facta visitatione, de illorum et personarum in eis residentium statu debite informatus, tam capitulorum huiusmodi celebrationem differri, quam de nonnullis aliis ipsius congregationis ordinationibus convenienter et ex utilitate communi statui summopere desiderat. Quare idem Ioannes episcopus et cardinalis nobis humiliter supplicavit quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontificis iussio dictum capitulum celebrandi quolibet triennio;

§ 2. Nos igitur, qui cunctarum, præsertim religiosarum, personarum pacem, quietem ac salubrem directionem sinceris exoptamus affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps capitulum praedictum singulo quoque triennio tantum, in loco ubi singulis annis celebrari antea consueverat, celebrari.

Visitatoresque singulis annis destinandi;

§ 3. Et ne dilatio temporis huiusmodi efficiat quod assumpti ad novas dignitates, arbitrio suo, non servatis constitutionibus, res et negotia dictae congregationis illiusque monasteriorum administrent, singulis annis, loco capituli annuatim celebrari antea soliti, visitatores destinari.

Discretos ut hic eligendi;

§ 4. Ac quod socii praelati, discreti nuncupati, unus videlicet, isque sacerdos, pro quolibet monasterio per sortes, sine fraude, ac servatis solemnitatibus in novis desuper conficiendis et renovandis constitutionibus, eligi, et ex consuetudine per bursas monasteriorum, ad arbitrium patrum regiminis, distribui. Ad fraudes autem in sortibus ponendis illisque distribuendis contingentes evitandas, superiores utriusque provinciae praedictarum, et anno in quo capitulum celebrandum fuerit, omnes monachos vocales in eodem monasterio, in quo eligendi sunt discreti, infra totam dominicam Septuagesimae distribuere, dictasque distributiones ad singula monasteria, ad hoc ut a praelatis illorum monasteriorum, pro extrahendis postea, in una ex tribus proximis feriis Paschatis Sanctissimae Resurrectionis, ex eis discretis, qui sacerdotes vocales existant, ad capituli celebrationem mittendis, imbursentur, mittere; sin autem in aliquo monasterio quatuor sacerdotes vocales ut supra reperti non fuerint, unus vel plures, prout opus fuerit, ad supplendum talem numerum, ex alio viciniori monasterio, in quo ultra quatuor extiterint,

assumi, et imbursatio in ipso monasterio, praesentibus et intervenientibus pro veritatis testimonio ceteris aliis in illo monasterio commorantibus, inter quos saltem quatuor sacerdotes interveniant ex alio monasterio vocandi, si in eo haberi non poterunt, fieri; sicque electi discreti ad capitulum accessuri, litteras testimoniales fidem facientes de legitima eorum electione, ab omnibus sacerdotibus, seu saltem a quatuor eorum, qui intervenerint electioni, omni invidia et malevolentia cessantibus, sub utriusque vocis per sexennium privatione, omnino, nisi aliqua iusta de causa, patribus capitularibus notificanda et ab eis iudicanda, recusarent, subscribendas, et coram praelato, statim secuta electione, subscriptas, aliter sine litteris huiusmodi ad capitulum non admittendi, secum deferre et habere; ac comitia deinde capitularia tertia dominica post Pascha Resurrectionis huiusmodi celebrari. Ad dictum autem capitulum visitatores et singuli praelati monasteriorum seu locorum, cum suo discreto ut praefertur electo, accedere.

Praesidentem etiam totius congregat. caput constituendi;

§ 5. Praesidens autem, aetate non minor annis trigintaquinque, qui per decennium sacerdotis officio functus fuerit, et non minus sexennio in praelaturis honorifice se gesserit, qui etiam per definitores praelatus alicuius monasterii provinciae in qua regimen commoratur, videlicet pro provincia Tusciae in partibus Florentiae, et pro provincia Lombardiae in partibus Mediolani, auctoritatem, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in omnibus monasteriis dictae congregationis, et tam in capitibus quam in membris habiturus super huiusmodi congregatione similiter, eligatur, eligi; et dictus praesidens omnes praelatos dictae congregationis pro emergentibus causis intra suum triennium convocare, et omnia utilia universae congregationi, de consensu maioris partis, assistentibus etiam visitatoribus, decernere debeat; ac in regimine utriusque provinciae quoties, ubicumque ipse praesidens interfuerit, si quid agendum erit, ipse idem, licet ex ea provincia non existat, nihilominus assistat et vocem habeat, et tamquam caput universae congregationis monachos de loco ad locum mutare, et ex provincia ad provinciam, legitimis intervenientibus causis, auctoritate etiam propria, mittere possit; illosque sic mutatos et mittendos superiores locorum perinde recipere, ac si a definitoribus factum foret, teneantur; ipsique soli praesidenti ad Romanam Curiam, etiam non habita a regimine licentia, sed tantum notificato prius suo recessu, accedendi sit auctoritas; et singulis annis cum visitatoribus ad visitationem se conferre, etiam causas terminare ac decidere, necnon, congregatis omnibus capitularibus aequaliter vocem et suffragium habentibus, ordinem consuetum omnes officiales et se ipsum absolvendi servare debeat.

Eoque intra triennium decedente, alium eius loco, usque ad capitulum, sufficiendi.

§ 6. Et si praedictum praesidentem intra suum triennium decedere contingat, alius praesidens in illius locum, cum simili potestate, ad proxime futurum usque capitulum tunc duraturus, per duodecim patres regiminis utriusque provinciae insimul congregatos, et de consensu illorum omnium seu saltem octo ex illis, eligi.

Scrutatores duos cum facultate hic enunciata deputandi;

§ 7. Praeterea duo scrutatores, qui vota scripta in schedulis singulorum vocalium de definitoribus eligendis aperiant, et super illis scrutinium faciant, praestito prius coram omnibus iuramento de veritate referenda et servanda fideliter, pro qualibet provincia, iuxta solitum, ab omnibus capitularibus eligi, qui casu quo fefellerint, ipso facto excommunicationis sententiam, a qua nonnisi in mortis articulo a praesidente vel ab eo, cui ipse praesidens suam auctoritatem subdelegaverit, absolvi possint, in foro conscientiae incur-

rant. Et si fraus manifesta erit et probata, sint etiam privati in perpetuum voce activa et passiva, et inhabiles ad quaecumque officia exercenda, nisi ex dispensatione apostolica et de consensu definitorum aliter fuerit decretum. Ipsique scrutatores utriusque provinciae insimul schedulas ipsas, ut legitime adnotentur definitores videre debeant; et si ipsi scrutatores in aliquam fraudem invicem consenserint, eamdem poenam incurrant.

Definitores septem pro qualibet provincia eligendi.

§ 8. Praeterea, septem definitores per schedulas, pro qualibet provincia, ab unoquoque vocale, ut moris est, sigillatas prius sigillo praesidentis, et subscriptas a duobus senioribus maioribus, qui astiterint, ut recognoscantur, in quibus schedulis nomina omnium vocalium habeantur, ex quibus nomina illorum, qui in illo capitulo praelati accesserint, signata sint in margine paginae signo crucis, et ex ipsis signatis eligi et relinqui in dictis schedulis ad minus quinque, et reliqui duo, numerum septenarium conficientes, pro definitoribus cuiusque provinciae, arbitrio et secundum conscientiam eligentium, eligi; et si aliqua ex illis schedulis a scrutatoribus reperta fuerit non habens septem nomina relicta pro definitoribus, et non fuerint in ea quinque signati dicto signo crucis, schedula illa pro nulla habeatur, et ut invalida reiiciatur, ita etiam quod nullus in sui favorem votum dare aut se ipsum eligere possit.

Qui definitores praesidentem capituli ex se ipsis eligi curent;

§ 9. Utque electiones faciendae a definitoribus mature et considerate et non casualiter fiant, in primis praedicti definitores unum ex ipsis praesidentem capituli, qui tamen non sit illius provinciae, in qua capitulum tunc celebratur, aetatis et qualitatis in praesidente triennali supradicto requisitae, eligere, ut si contingat postea illum eligi in praesidentem triennalem, nulla in electione occurrat alia inquisitio.

Et in primo capitulo, in qualibet provincia tot approbent sacerdotes quot sunt praelaturae et alios quatuor.

§ 10. Et deinde in isto primo capitulo, pro qualibet provincia, tot sacerdotes quot sunt praelaturae in provincia, et, ultra, alios sacerdotes quatuor habiles ad praelaturam exercendam approbare debeant, qui etiam ad visitatoris maioris officium similiter approbati intelligantur; quodque ii tantum ad praelaturam et ad visitatoris maioris officium approbentur, qui officia minora digne, gradatim, saltem biennio in quolibet officio, fideliter exercuerint; semel autem approbati, semper habiles intelligantur.

Deficienteque approbatorum numero, alii in futuris capitulis sufficiantur.

§ 11. In futuris vero capitulis, numero approbatorum, per obitum aut ratione perpetrati per aliquem delicti privationem, deficiente, et non aliter, alii in illorum locum approbentur. Ita quod semper numerus quatuor tantum extra praelaturas a quolibet capitulo habeatur.

Praelato infra triennium decedente vel privato, alius de numero approbatorum eligatur.

§ 12. Et si intra triennium aliquem praelatorum decedere, vel a visitatoribus vel a capitulo ob aliqua demerita privari contigerit, alius extra numerum approbatorum assumi minime possit; aliterque facta, irrita sit et nulla et a capitulo non recipiatur, electio; necnon talem praelaturam acceptans, se non probatum nec in electione sua fuisse probatam formam electionis supra traditam sciens, ipso iure utraque voce per decennium privatus censeatur, sua electione huiusmodi propterea nulla et invalida remanente.

Ex eisdem definitores et visitatores eligantur.

§ 13. Ex illis autem approbatis et prius publicatis definitores provinciarum, praelatos et visitatores maiores per schedulas, ut moris est, eligere.

Praesidensque a definitoribus eligatur.

§ 14. Praesidens vero triennalis a definitoribus utriusque provinciae, seu saltem a decem ex ipsis, per suffragia fabarum, eligi, et nullus praelatus eodem tempore et anno, praeterquam in isto primo capitulo, approbari et eligi. Itemque praefati definitores omnimodam auctoritatem habeant super tota congregatione.

Diffinitores auctoritatem habeant super tota congregatione, durante officio;

§ 15. Ita quod ab eorum sententiis nemini appellare liceat, quinimmo eorum decretis et terminationibus, quorum acta per scribam deputatum in libro perpetuo servando a praedicto praeside pro tempore existente adnotentur, omnes acquiescere teneantur, ipsorum tamen officio ultra decem dies minime, nec minus quinque duraturo.

Taxam praesidentis praefiniant;

§ 16. Ac iidem in isto primo capitulo taxam viatici pro praesidente ordinare.

Praelatos ad novas constitutiones formandas deputent.

§ 17. Necnon duos ex qualibet provincia praelatos, qui infra sex menses constitutiones et reformationes ipsius congregationis, quae necessariae fuerint, ex antiquis et novis colligere, illasque ad praedictum Ioannem episcopum et cardinalem, apostolica auctoritate postea confirmandas aut reiiciendas, mittere, et postquam confirmatae fuerint, typis cum praesentibus litteris excudi, et ab omnibus et singulis praedictae congregationis personis inviolabiliter observari, nec in posterum quidquam desuper, maxime in his, quae statum publicum ipsius congregationis concernunt, immutari debeant, eligere.

Vota in eligendis praelatis liceat alteri per modum consilii communicare.

§ 18. In faciendis autem electionibus capitularium, scrutatorum, definitorum, visitatorum, praelatorum et praesidentis, quoniam difficillimum est et quasi impossibile foret votum aliquando non communicari, liceat unicuique, pro exoneratione suae conscientiae, ante votum suum ferendum, aliquem magis instructum consulere, et per modum informationis et consilii vocem suam, si ita videbitur, accommodare, absque alicuius censurae aut poenarum incursu.

Visitatores quatuor eligantur, quorum maiores professione visitent, ut hic.

§ 19. Quatuor autem visitatores, duo ex una provincia et duo ex altera, eligi, ac maiores professione tantum ex ipsis visitatoribus vocem capitularem habere, qui maiores quolibet, non autem illo quo capitulum generale celebratum fuerit, anno, de mense maii, assumpto praesidente et, pro scriba, visitatore minore illius provinciae, cuius fuerit praesidens, sese ad visitandum monasteria dictae congregationis, cum eadem quam habet abbas Cistercii et alii quatuor primi abbates dicti Ordinis, auctoritate, conferre, ac illorum visitatio singulis vicibus per totum mensem iunii absolvi.

Acta visitationis ad capitulum referantur.

§ 20. Acta autem visitationis, quae facta fuerint in duobus annis praecedentibus, singula ad capitulum generale celebrandum, ut etiam ipsi visitatores rationem illorum visitationis reddere possint, deferri debeant.

Praelato aliquo privato, vicarius deputetur usquequo etc.

§ 21. Et si contigerit praelatum aliquem privari suo officio, unus vicarius tantum a visitatoribus, usquequo a patribus regiminis illius provinciae alter ex probatis praelatus in illius locum eligatur, eligi.

Electiones minores permittuntur visitatoribus,

§ 22. Electiones autem minores, videlicet aliquorum officialium, praelaturis exceptis in causa privationis huiusmodi, ab ipsis visitatoribus fieri.

Visitationesque monialium, et deputatio confessorum 1.

§ 23. Moniales a visitatoribus illius provinciae, cuius erunt, visitari, et in illarum monasteriis confessores, prout opus fuerit, per triennium deputari, dictoque triennio elapso, in aliud triennium prorogari, ita tamen quod, quamdiu confessores extiterint, neque praelaturam exercere, neque inter patres regiminis adnumerari possint, eligi.

Praelati quando possint a visitatoribus vel diffinitoribus deponi,

§ 24. Praelatus autem neque ab ipsis visitatoribus neque a definitoribus, nisi ob notoria demerita, et seu ob incursum alicuius ex infrascriptis erroribus, videlicet, in divinorum officiorum et missarum celebratione notabili negligentia; et ecclesiæ sibi commissae, ita quod eius culpa horae canonicae et alia divina officia non recitentur, semel saltem a visitatoribus desuper admonitus, neglectu; aut de haeresis

1 Hoc revocavit idem Pontifex in sua constitutione, quam quia nihil praesenti adiungit, omisi.

incursu vel suspicione vehementi, necnon pro falsi testimonii aut calumniae, detractionis crimine convicto, aut iudicum et principum saecularium vel non habentium iurisdictionem super congregatione et Ordine, ad impediendum Ordinis observationes et tuenda sua crimina, imploratione et refugio petito; vel contagione carnis, ordine iuris prius servato, verificata; aut enormium suorum subditorum criminum notabili post praecedentem monitionem dissimulatione; vel blasphemiae et percussionis consuetudine; vel bonorum monasterii notabili dissipatione et contemptu; seu libelli infamatorii editione vel scriptura; necnon mercaturarum propriarum exercitio; ac notabili absentia aut non residentia in monasterio cum commisso sibi grege, sine superiorum permissione, monitione etiam praecedente. Ex quibus omnibus casibus privatus, amplius, nisi a capitulo et tunc visa eius humiliatione, approbari debeat; nec praeter hos casus privari vel amoveri, nisi eum ad maiorem dignitatem, ob supervenientem alicuius mortem, assumendi causa, non possit.

Et ultra triennium confirmari,

§ 25. Ac non modo triennium eidem monasterio integrum præesse, sed si administratio eius laudabilis in eo triennio reperta fuerit et utilis suo monasterio, a capitulo in eodem monasterio per aliud triennium confirmari possit; quod quidem institutum initium a proxime futuro capitulo, nulla adhibita temporis praeteriti neque praelaturarum antea obtentarum consideratione, sumere.

Et a praelatura postea vacare.

§ 26. Talis autem per sexennium monasterio praefectus, tempore sex annorum a praelatura illius monasterii elapso, per triennium tantum vacare, et postea de novo eidem monasterio praefici valeat.

Regimen utriusque provinciae in quibus praelatis de capitulo ad capitulum consistat

§ 27. Regimen vero utriusque provinciae praedictarum de uno capitulo ad aliud spectet, prout in nostris reformatione et divisione, per quam capitulo dictae congregationis licentiam et facultatem concessimus ut duo regimina singulis annis constituat, quorum unum Lombardiae, alterum vero Tusciae provinciis praesit, et quorum quodlibet sex monachis constet, in hunc videlicet modum, ut quando praesidens, qui eligitur, erit ex provincia Lombardiae, tunc regimen ipsius provinciae Lombardiae consistat ex dicto praesidente et duobus visitatoribus Lombardiae, necnon tribus abbatibus etiam Lombardis a capitulo nominandis; regimen vero Tusciae eo anno sit penes abbatem monasterii Septimi dicti Ordinis, Florentinae dioecesis, ac duos visitatores Tuscos, necnon tres abbates etiam Tuscos a capitulo pariter nominandos. Cum vero contigerit praesidentem eligi unum ex provincia Tusciae, tunc regimen illius provinciae sit penes ipsum praesidentem, ac duos visitatores Tuscos, necnon tres alios abbates etiam Tuscos a capitulo, ut supra, constituendos. Regimen vero provinciae Lombardiae eo anno habeant abbas Claravallensis Mediolanensis, et duo visitatores Lombardi, necnon tres alii praelati, etiam Lombardi, a capitulo, ut praefertur, eligendi. In quorum omnium electione forma in eligendis dictae congregationis praelatis observari solita omnino observetur, et superiores electi ultra triennium non durent; et si contingeret unum ex superioribus electis, suo durante officio, decedere, et alium in eius locum subrogatum in proximo sequenti capitulo confirmari seu de novo eligi, declaravimus tempus triennii ad obtinendas praelaturas concessi, non a die subrogationis, sed a die confirmationis seu electionis in capitulo generali factae incipere debere.

Eorum acta ad capitulum deferantur.

§ 28. Et acta omnia dictorum patrum regiminis, fideliter a scriba notata, ad capitulum in libro deputato deferantur.

Monasteria

§ 29. Et si contigerit aliquem commen-

reformanda, viciniori provinciae annexa censeantur.

datarium monasteriorum Ordinis praedicti monasterium sibi commendatum reformare, et mensas peculiares et separatas in bonis assignare per litteras apostolicas, iuxta consuetudinem congregationis, talia monasteria sub regulari observantia esse per totam Italiam praedictae congregationis, et annexa provinciae viciniori censeantur, prout in litteris Alexandri et Iulii praedecessorum praedictorum desuper confectis continetur.

Praelati Cistelli et Bonisolatii sint proprie abbates cum iurisdictione solita.

§ 30. Ac quod praelati Cistelli et Bonisolatii ad capitulum cum discreto accedere, ut moris est. Et quamquam sint monasteria subiecta abbati dicti monasterii Septimi, nihilominus etiam ipsi abbates, cum iurisdictione solita et consueta ceteris abbatibus vocari, et illis per definitores in primo celebrando capitulo, pro monachorum in eis existentium faciliori sustentatione, et ne divinus cultus in eis negligatur, bona aliqua, ex dicto monasterio Septimi, per ipsos Cistelli et Bonisolatii praelatos ad instar aliorum praelatorum eiusdem congregationis regenda et gubernanda assignare debeant; ac eisdem monasteriis Cistelli et Bonisolatii, idem pro tempore existens abbas dicti monasterii Septimi in spiritualibus tantum praeesse, et in Septimi huiusmodi monasterio residere teneatur.

Prior Morimundi titulo abbatis utatur.

§ 31. Liceatque priori nunc et pro tempore existenti monasterii Morimundi eiusdem congregationis, cuius titulus abbatialis, per bonorum illius mensae abbatialis per piae memoriae Pium Papam IV, etiam praedecessorem nostrum, hospitali maiori Mediolanensi, suppresso dicto titulo abbatiali applicatae separationem a mensa monachis assignata factam, vacat, et in quo studium existit, ac in eo novitii ab abbate benedicendi ad professionem admittuntur, titulo abbatis monachorum sui monasterii et suae mensae uti, apostolica auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Constitutiones Alexandri VI et Iulii II confirmantur.

§ 32. Ad haec, litteris piae memoriae Alexandri VI et Leonis ac Iulii II, per quas inter alia voluerunt quod monachus professus unius monasterii intelligatur professus aliorum monasteriorum dictae congregationis, et professus unius provinciae non possit ad aliam provinciam, nisi ob demerita vel ex gratia, transmitti; et procuratores in Curia ad capitulum tamquam praelati accedere, ibique vocem activam et passivam, quatenus per patres definitores decretum ita foret, habere possint; ac privilegia et indulta in suo robore remanere, et omnibus monasteriis communia esse, aequalitasque in negociis provinciarum administrandis servari debeat.

Constitutio Leonis X approbatur.

§ 33. Necnon recolendae memoriae Leonis decimi, similiter praedecessoris nostri, per quas quod nullis dictae congregationis personis, sub excommunicationis latae sententiae, ac inhabilitatis ad vocem activam et passivam, necnon ea quam fugitivi ex dicta congregatione, iuxta illius instituta et Sedis Apostolicae ordinationem, incurrunt, pœnis ipso facto, si contravenirent, incurrendis, districte praecipiendo mandavit ne de cetero quispiam eorum, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, quodvis ex his, quae circa dictae congregationis et illius locorum regimen et bene vivendi normam, sive per dictam Sedem sive per generale capitulum congregationis eiusdem, provide essent disposita et disponerentur in posterum, impugnare quoquomodo praesumeret; et si quae controversiae inter eos, dum capitulum generale huiusmodi celebraretur, pro tempore suscitarentur, per illius capituli definitores; si vero extra capitulum orirentur, per praesidem et visitatores dictae congregationis, qui pro tempore forent, componi eas et terminari libere permitterent, et dictorum de-

finitorum ac praesidentis ac visitatorum decreta et ordinationes desuper facienda inviolabiliter observarent.

Constitutio Pauli III innovatur.

§ 34. Postremo, sanctae memoriae Pauli tertii, itidem praedecessoris nostri, per quas statuit quod de cetero omnes et singuli praelati et superiores, ac etiam dictae congregationis monachi, cuiuscumque gradus existentes, qui bona seu fructus monasteriorum congregationis huiusmodi sibi sub quocumque praetextu, sine ipsius generalis capituli expressa vel omnium definitorum huiusmodi congregationis licentia, usurpare praesumerent, ultra poenas et censuras in tales per regularia instituta Ordinis et congregationis huiusmodi latas, regimine et administratione omnium praelaturarum et officiorum Ordinis et congregationis praedictorum, ac voce activa et passiva eo ipso privati, et ad illa et alia quaecumque praelaturas et officia in posterum habenda et exercenda perpetuo inhabiles censerentur. Quodque ipsi praelati et superiores eorum monachis de victu et vestitu ac aliis necessariis iuxta eadem instituta providere, ipsosque monachos et alios eorum subditos errantes corrigere, ac singuli eorum de gestis et administratis per eos visitatoribus dictae congregationis seu deputatis ab eis rationem reddere tenerentur; necnon monasteria monialium, nisi illarum confessores per ipsius congregationis definitores pro tempore existentes deputati forent, ingredi, ac cum ipsis monialibus conversari nequirent; ac electiones praelatorum et superiorum eorumdem, rite et sine ambitione ac corruptela, celebrarentur; nec in huiusmodi electionibus libertas quoquomodo, directe vel indirecte, impediretur, sed unicuique animi sui sententiam exprimere liceret, robur apostolicae confirmationis adiicimus.

§ 35. Postremo, dictis definitoribus creandi tres titulos abbatiales ex unaquaque provincia, pro illis distribuendis inter senes et inhabiles effectos ob maturam eorum aetatem, nominandos, quorumdam locorum annexorum aliis monasteriis maioribus dictae congregationis. Et abbates titulares huiusmodi privilegiis aliorum abbatum gaudeant, sed vocem capitularem non habeant, et locum suum teneant post praelatum illius loci, in quo resederint, et servitus ac honor debitus illis exhibeatur. De quibus titulis abbatialibus unus servetur et detur illi, qui fuerit electus visitator maior dictarum provinciarum, qui visitator, non tituli abbatialis sed visitatoriatus causa et respectu, ad capitulum accedat sicut antea, absque tamen socio discreto, sed tantum retineat huiusmodi dignitatem maioris honoris causa et ad conservandum dicti Ordinis decus, licentiam et facultatem concedimus ac impartimur.

Diffinitores possint in unaquaque provincia creare tres titulos abbatiales.

§ 36. Decernentes quod causarum seu quaestionum et differentiarum, quae non fuerint notae in novissima visitatione, de mandato praefati Ioannis episcopi et cardinalis, apostolica tamen auctoritate, per praesidentem dictae congregationis facta, et in proximo futuro capitulo non detegentur et iustificatae non fuerint, nulla in posterum ratio habeatur, sed de eis ac rebus, elapsis annis, praeteritis censeri impositum perpetuum silentium, ad effectum post celebrationem capituli proxime futuri nemini liceat improperare alicui defectus praeteritos verbo vel in scriptis, sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi per Sedem praedictam et praeterquam in mortis articulo absolvi possit, et privationis utriusque vocis per decennium; quae vero cognitae fuerint et punitae in dicta visitatione, et quae forsan cognoscentur et punientur, in proximo capitulo observentur; sed nulli liceat eas alteri improperare sub

Impositio perpetui silentii circa quaestiones omnes non detegendas in futuro capitulo.

eisdem poenis: teneanturque praelati intimare monachis suis ut si quis aliquam adversus quempiam habeat querelam, notificet capitulo proxime celebrando, alioquin amplius non audiatur, et silentium imponatur, sub eisdem poenis, finito capitulo ordinario.

Deputatio executorum huius bullae.

§ 37. Quocirca dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, et venerabilium fratrum nostrorum Mediolanensis ac Florentinensis archiepiscoporum in spiritualibus vicariis generalibus, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando expedierit, solemniter publicantes, faciant easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 38. Non obstantibus similis memoriae Bonifacii Papae octavi, pariter praedecessoris nostri, illa praesertim qua, inter alia, cavetur ne quis extra suas civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati, extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Ordinis et monasteriorum ac locorum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Ordini et monasteriis ac locis praedictis, illorumque abbatibus, prioribus, praelatis ac aliis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, decimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 23 maii 1578, pontif. anno VII.

LXXXVII.

Confirmatio nonnullorum statutorum et ordinationum monachorum congregationis S. Hieronymi regni Portugalliae circa electionem provincialis, priorum ac aliorum officialium etc. [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In communi pastoralis regiminis cura, quam, meritis licet imparibus, divina dispositione sustinemus, ad ea, quae ad quietem religiosarum personarum et earumdem salubrem statum conservandum, regularisque disciplinae sinceram observantiam custodiendam pertinent, animum libenter convertimus, et quae optima ratione pieque ac sancte, nobis praesertim mandantibus, sunt instituta, ut firma perpetuo et illibata permaneant, nostrae auctoritatis robur adiicimus.

Facti series. § 1. Exponi siquidem nobis fecerunt dilecti filii Alvarus de Oliventia et Paulus Visiensis, religiosi congregationis et Ordinis monachorum et heremitarum Sancti Hieronymi regni Portugalliae, suo et dicti Ordinis nomine, quod, licet alias certa quaedam statuta, ordinationes seu reformationes, tam circa provincialis et priorum ac aliorum officialium electionem, officium et auctoritatem, quam circa alia nonnulla ad dictam congregationem et eius personas pertinentia, fuerint promulgata, et per nos auctoritate apostolica confirmata, quia tamen, ad quietiorem eiusdem Ordinis ac Congregationis statum, nonnulla ex illis immutari et corrigi, aliqua etiam addi, alia vero detrahi plurimum pertinere videbatur, nos, huiusmodi negocio nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus demandato, eoque per ipsos diu lateque discusso, tandem facta nobis per eos relatione, comperimus, ad eorum regulare institutum conservandum, cultumque divinum augendum, plurimum cum Domino posse conferre statuta et ordinationes huiusmodi.

Electio provincialis. § 2. In primis, quod electio novi provincialis fiat in capitulo provinciali, legitime iuxta Ordinis statuta congregato, et a patribus vocem habentibus in dicto capitulo de more et ex sacri concilii decretis, et absentium voces non suppleantur.

Munus provincialis electi. § 3. Novus provincialis, ubi primum fuerit canonice electus, factis cæremoniis, et consuetis solemnitatibus servatis, intelligatur confirmatus, eique debita reverentia et obedientia exhibeatur, qui cum diffinitoribus capituli visitet vitam et regimen provincialis praeteriti, eumque, iuxta ipsius actiones fide dignorum probatas testimoniis, absolvat vel condemnet, prout Ordinis constitutiones decernunt; inde deveniat ad electiones priorum et vicariorum monasteriorum, cum diffinitoribus et procuratoribus monasteriorum, sed ante priores et vicarii praeteriti resignent coram capitulo eorum officia de more provinciae.

Prior monasterii de Bethleem. § 4. Prior monasterii de Bethleem ante alios priores eligatur, et primum locum habeat in capitulo, et extra post provincialem.

Socius provincialis. § 5. Socius provincialis eligatur ab ipso provinciali, diffinitoribus et procuratoribus monasteriorum; qui, si longa infirmitate impediri, aut mori contigerit ante capitulum, eligatur alius a provinciali et diffinitoribus tantum.

Priorum et vicariorum electio extra tempus capituli. § 6. Si prior aut vicarius alicuius monasterii extra tempus capituli e vita decesserit, provincialis, cum religiosis tantum dicti monasterii vocem habentibus, alium eligat; cetera negocia in capitulo pertractanda, sive personas sive monasteria tangant, etiam ad morum correctionem pertinentia, a provinciali et diffini-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

toribus expediantur, absque eo quod ceteri capitulares religiosi se intromittant.

§ 7. Expedito capitulo, provincialis et socius monasteria omnia, tam in capite quam in membris, inquirendo de vita et moribus religiosorum, de statu monasteriorum toties quoties ei necessarium videbitur, visitare non desinat, et pro expensis visitationis singulo quoque anno monasterium de Bethleem xx millia realia impendat. *Visitatio monasteriorum.*

§ 8. Visitatores autem, qui in capitulo fieri consueverant, de cetero non fiant, sed provincialis et socius id officium exequantur; finita vero visitatione, dictus provincialis residere possit in monasterio de Bethleem. *Visitatores.*

§ 9. Factis prioribus et vicariis in capitulo provinciali, quilibet prior, ut primum prioratus sui officium adeptus fuerit, iuxta Ordinis statuta, cum fratribus suis, omnes officiales de more et iuxta sacri concilii Tridentini praescriptum instituat in suo monasterio. *Munus priorum.*

§ 10. Provincialis iuxta antiqua Ordinis statuta, triennio tantum maneat in provincialatu, quo elapso, congregabit provinciale capitulum in monasterio de Bethleem, et ibi praesidebit usque ad novi provincialis electionem, qua habita, et novo provinciali canonice electo, ipse renunciabit officio, et administrationis suae rationem novo provinciali et patribus diffinitoribus reddere teneatur. *Tempus provincialatus.*

§ 11. Provincialis, si in officio provincialatus infirmari et mori contigerit ante praefinitum tempus triennii, registrum, ubi notantur acta provinciae, et sigillum sub fida custodia et clavibus recipiantur et custodiantur, donec per patres diffinitores et priorem loci, in quo casus occurrit, electus fuerit vicarius provinciae, cui per eos electo registrum et sigillum consignentur. Is eamdem quam provincialis pro tempore exercere consuevit, in Ordine habeat facultatem usque ad provinciale capitulum iuxta Ordinis statuta proxime celebrandum. *Servanda in casu infirmitatis aut mortis provincialis.*

§ 12. Instante capitulo provinciali, quilibet prior monasterii cum fratribus suis teneat electionem procuratoris ad dictum capitulum mittendi, iuxta antiqua dicti Ordinis statuta. *Electio procuratoris.*

§ 13. Electio autem teneatur iuxta sacri concilii Tridentini decretum, quo electo, detur ei instrumentum procurationis, subscriptum et signatum a vicario et conventu, ad comparendum in capitulo ad dandam vocem et ad deferenda monasterii negotia. *Electionis modus.*

§ 14. Causae maiores provinciae extra capitulum occurrentes non expediantur provinciali, nisi saltem de duorum diffinitorum consilio et assensu. *Causae maiores.*

§ 15. Novitii educentur in monasteriis de Bethleem et de Peralonga tantum, et si alibi offerantur, priores monasteriorum cum suis fratribus capitularibus omni tempore, de licentia tamen provincialis, eos recipere et habitum eis dare valeant. Teneantur tamen eos mittere ad monasterium de Bethleem vel de Peralonga, qui, tempore opportuno, professionem iuxta concilii Tridentini decretum emittant, ut filii tamen locorum, in quibus fuerant recepti; habeant magistrum litteris et moribus ornatum, a quo, præter sancta exercitia religionis, quotidie instruantur et exerceantur in grammaticis et cantu ecclesiastico; facta vero professione, in dicto monasterio per biennium tantum maneant, quo elapso, ad loca receptionis eorum mansuri remittantur. *Novitiorum educatio.*

§ 16. Filii monasteriorum licet in monasteriis, in quibus fuerint recepti et pro quibus fuerint professi, manere et vitam ducere possint, et eorum eleemosynae illis monasteriis acquisitae et incorporatae intelligantur, et ita monasteria eorum necessitatibus succurrere teneantur, debe- *Qui ubicumque fuerint, provinciali obedire tenentur.*

ant nihilominus, prout opportunum fuerit, provinciali obedire, si pro tempore etiam aliis monasteriis inservire contigerit, quod provincialis arbitrio reservetur.

Constitutiones quae non obligant.

§ 17. Constitutiones hactenus a quoquam vel undecumque emanatae, quaeque vel per sanctam Sedem Apostolicam approbatae et confirmatae non fuerint, vel in capitulo, de consensu diffinitorum, priorum, procuratorum et aliorum vocem habentium, recepta non fuerint, fratres ad poenam vel ad culpam obligare non intelligantur.

Decreta Tridentina serventur.

§ 18. In dictis autem capitulis et in quibuscumque aliis teneatur provincia servare decreta sacri concilii Tridentini.

Statutorum confirmatio.

§ 19. Nos igitur, qui Religionis huiusmodi et illius astrictarum personarum quarumlibet salubrem directionem sinceris affectamus desideriis, tam Alvarum et Paulum religiosos praedictos, quam provincialem et superiores dicti Ordinis et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio et ex certa scientia, omnia et singula statuta et ordinationes aliaque praemissa, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, atque illis plenariae et inviolabilis firmitatis apostolicae robur adiicimus; omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint quomodolibet in eisdem, supplemus, illasque et illa valida et efficacia fuisse, esse atque perpetuo fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab ipsis provinciali et superioribus ac aliis quibuscumque eidem Ordini Sancti Hieronymi regni Portugaliae astrictis personis, nunc et pro tempore existentibus et futuris, ac aliis omnibus et singulis, quos praemissa quomodolibet concernunt et pro tempore concernent, inviolabiliter perpetuo observari debere; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Constitutionis executores.

§ 20. Quocirca venerabilibus fratribus Emanueli Dalmada Ulixbonensis, et Gaspari Leriensis civitatum episcopis, ac dilecto filio collectori Camerae Apostolicae pro tempore existenti in regno Portugalliae praedicto per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium vel alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte tam Alvari et Pauli religiosorum praedictorum, quam provincialis et superiorum ac aliarum personarum Ordinis praedicti et eorum quorumlibet fuerint requisiti, solemniter publicantes ac denunciantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non parentes, cuiuscumque status, gradus ac conditionis fuerint, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 21. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo non ultra tres aliquis vigore praesentium ad iudicium trahatur, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus; dictique Ordinis seu congregationis, etiam iuramento,

confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, usibus et naturis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacissinis et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet, etiam iteratis vicibus, etiam per nos et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis et conditionis existentibus, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, etiam de latere legatis, aut alia quacumque mundana vel ecclesiastica dignitate et auctoritate fulgentibus, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis ac totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac latissime derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 14 iunii 1578, pontif. anno VII.

LXXXVIII.

Confirmatio statutorum et ordinationum communitatis et comitatus Camerinensis super dotibus et arrediis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Decet Romanum Pontificem civitatum insignium Romanae Ecclesiae temporali ditioni subiectarum felici gubernio et conservationi providere. Quod si aliqua ad eum finem maturo consilio statuta sunt, ut illa in mores inducantur, usuque recepta succedentibus temporibus observentur, illis, antea visis et examinatis, apostolicae confirmationis robur adiicimus.

Facti series et causa constitutionis edendae.

§ 1. Hinc est quod cum dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Camerinensis, per dilectos filios Herculem Pontium U. I. D. et Camillum Lucarellum, laicos Camerinenses, eorum oratores ad nos Sedemque Apostolicam destinatos, exponi nobis nuper fecerint quaedam decreta, statuta et ordinationes super dotibus pactisque et lucris dotalibus, vestibusque et aliis ornamentis nuptarum mulierum et nobilium puellarum civitatis et comitatus Camerinensis, ac superfluis sumptibus nuptiarum coercendis, in consilio generali dictae civitatis, cum auctoritate et consensu dilecti filii magistri Iulii Sclafenati referendarii nostri, ipsius civitatis gubernatoris, sub nostro et Sedis beneplacito edita et promulgata ac ratificata fuisse, existimantes ea ad publicam utilitatem et commoditatem pertinere, quo illa ad omnium notitiam perveniant, ac ne quisquam illis in futurum temere contravenire audeat vel praesumat, illaque perpetuo ab omnibus observentur, æquum et rationi consonum esse iudicavimus eorumdem statutorum et ordinationum tenorem, quem examinari et recognosci fecimus, accurate de verbo ad verbum praesentibus adscribi, qui sequitur et est huiusmodi.

Summa dotis constituendae.

§ 2. Quod in futurum, pro dote et dotis nomine alicuius puellae vel viduae vel alterius cuiuslibet mulieris nubendae dotandaeque, originariae, incolae et habitatricis civitatis Camerinensis, cuiusvis gradus vel conditionis existat, non possit

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

dari, concedi vel promitti, sub quovis quaesito colore vel titulo, directe vel indirecte, ab aliquo, sive habitatore vel incola dictae civitatis, consanguineo seu quacumque parentela coniuncto, vel etiam quavis persona extranea, cuiuscumque gradus, sexus, dignitatis et conditionis existente, ultra et praeter summam florenorum mille monetae currentis ad rationem quadraginta bolendinorum pro quolibet floreno, sive dos consistat in pecunia numerata, sive credita, solutione promissa, sive in aliis bonis stabilibus, mobilibus vel semoventibus, iuribus; extra vero civitatem, etiam in cortinis et comitatu dictae civitatis Camerinensis, similiter, ut supra, pro qualibet dote dari, concedi vel promitti non possit ultra summam florenorum similium trecentorum; sed si aliqua de cortinis et comitatu praedictis acceperit in eius maritum aliquem civem, incolam et habitatorem civitatis Camerinensis, tunc et eo casu dictus civis incola et habitator Camerini possit habere pro dote mulieris comitatensis usque ad summam mille, et non ultra; et versa vice, si quae civis vel habitatrix eiusdem civitatis nuptui tradita fuerit alicui viro comitatensi, possit et valeat dare vel promittere pro dote usque ad summam florenorum quingentorum, et non ultra.

Augmentum dotis prohibetur.

§ 3. Et ne fiat aliqua fraus contra praesentem ordinationem et statutum, quod summa dotium prædictarum; singula singulis referendo, nullo prorsus modo accresci vel augeri possit vel debeat, etiam post magnum vel parvum intervallum, sub quovis quaesito colore vel titulo, directe vel indirecte, etiam ex causa donationis inter vivos, vel causa mortis, etiam legati vel fideicommissi, vel alia quacumque ultima voluntate, vel quocumque alio contractu, pacto vel conventione, tacita vel expressa, quibus dotes et dotium quantitates praedictae contra huiusmodi ordinationes et statuta augerentur, salva semper facultate cuilibet de rebus suis libere disponendi tam inter vivos quam in ultima voluntate, praeterquam in augumentum dotium praedictarum, expresso nomine, titulo vel iure dotium quantitates praedictas excedentium, nec etiam per mediatores amicabiles, impositores, proxenetas vel alias interpositas personas, cuiuslibet gradus, ordinis, dignitatis et conditionis existant; quodque proxenetae, mediatores et interpositae personae inobedientes et contrafacientes puniantur ipso facto eisdem personis [1], quibus tenentur partes principales; et nihilominus in eventum, in quo datum, promissum, conventum, relictum, auctum vel quomodolibet concessum fuerit, pro dotibus huiusmodi et harum nomine, in casibus praedictis, ultra dictas respective summas superius declaratas, datio, promissio, conventio, relictum, augumentum vel alias facta concessio in ea parte quae dictas summas excedit et superat sit ipso iure nulla, inefficax, irrita et inanis, et tam is, qui dedit, promisit, convenit vel quomodolibet concessit dotes huiusmodi, contra tenorem et formam praesentis ordinationis et ultra dictas summas, quam etiam ille, qui illas recepit, acceptavit, convenit sibi vel alteri dari, vel alias sibi quomodolibet deberi praesumpserit, ipso facto incidant, et eorum quilibet incidat in poenam dupli eiusdem quantitatis pecuniarum, rerum vel bonorum dictas summas, ut supra declaratas et taxatas, excedentium, pro parte tertia reverendae Camerae Apostolicae, pro alia tertia communitati Camerini, pro reliqua vero tertia dicto iudici et superiori exequenti, partibus, irremissibiliter applicandam; necnon qui contra hanc praesentem ordinationem et statutum directe vel indirecte fecerit aut quomodolibet venire praesumpserit, tamquam bonarum legum et uti-

1 Legimus *poenis* (R. T.).

litatis publicae contemptor, omni dignitate magistratus priorum, necnon ordine sive numero consiliariorum eiusdem civitatis, et similiter officiis seu pensionibus, quae singulis annis civibus ex bussulo dari solent, perpetuo privatus existat: ita ut de cetero nec in bussulo priorum, nec consiliariorum maioris publici consilii matricula sive numero, nec officiorum pensionumque bussulo describatur et includatur; descripti vero vel inclusi, deleantur, revocentur, ac pro non scriptis et imbussulatis penitus et omninò habeantur toto tempore vitae suae, etiamsi forte per incuriam vel alias extraherentur tam de bussulo magistratus priorum quam de bussulo officiorum, statim laceretur schedula, sive *polizza*, ut dicunt, et alius ipsius loco incontinenti extrahatur, qui officio sive pensione fruatur.

Pactiones dotales a publico notario scribendae.

§ 4. Et ut undequaque fraudibus, quae contra hanc conditionem fieri vel excogitari possint, quantum possibile est, obvietur, statuitur et ordinatur quod pacta dotalia, pignora, assecurationes, promissiones dotium puellarum, viduarum vel mulierum quarumcumque nubendarum debeant describi et annotari per publicum et authenticum notarium, et in forma authentica instrumentum inter partes per eumdem notarium redigi, qui sit de numero collegii Camerinensis, in comitatu vero saltem in matricula notariorum descriptus, alias per testes vel alias scripturas privatas vel publicas facta illorum probatio nulla sit, nulliusque roboris vel momenti; et tamen notarius, qui de dictis pactis et dotalibus conventionibus et concessionibus rogatus fuerit teneatur, infra decem dies a die celebrati contractus computandos, dare notam instrumenti praedicti, cum summario quantitatis dotis conventae et promissae, cancellario et scribae communitatis praedictae, rescribendae in libro publico ad id confecto manu ipsius notarii, sub poena scutorum ducentorum pro medietate reverendae Camerae, pro alia medietate communitati Camerinensi applicandorum, et insuper sub poena suspensionis ab officio per quinquennium; quod si iterum in eisdem contravenerit, etiam notariatus officio perpetuo privatus existat.

Quid agendum, si notariorum copia defuerit.

§ 5. Et quia in comitatu non potest commode haberi copia notariorum, sicut in civitate, ne, propter huiusmodi difficultatem, matrimonia impediri aut differri possint, propterea statuimus et ordinamus quod in comitatu praedicto, ubi celebrari contigerit matrimonium, praesentibus parocho et iisdem testibus, qui celebrationi matrimonii interfuerint, debeat a partibus declarari et exprimi quantitas dotis puellae nuptae, et postea dictae partes teneantur dotis quantitatem infra triginta dies immediate sequentes redigi facere in publicum instrumentum atque authenticum per publicum notarium, ut supra; alias dotis quantitas probari non possit, nec per testes nec per aliud quodcumque genus probationis, et probatio alias acta quam per publicum instrumentum, ut supra, sit ipso iure nulla, irrita et inanis; notarius autem, qui instrumentum dotis huiusmodi confecerit, teneatur dare notulam et subscribere in libro publico, ut supra, sub eisdem poenis superius expressis.

Statuta huiusmodi renunciari non potest.

§ 6. Declarantes quod praesentibus decretis capitulisque nullo modo, pacto vel quovis quaesito colore renunciari possit, nec tacite nec expresse, nec in totum nec in aliqua sui parte, et quaelibet renunciatio desuper facta vel facienda, sit ipso iure nulla et invalida.

Ad contraventionem probandam sufficiunt graves praesumptiones.

§ 7. Et ad convincendum eos, qui huiusmodi decretis et capitulis contravenerint, sufficiant etiam praesumptiones et coniecturae urgentes; et magistratus, qui pro tempore erit, teneatur et debeat cu-

rare omni industria et diligentia apud quemcumque dominum superiorem et iudicem, ut contra tales transgressores procedatur omni iuris et facti rigore, immo in omnibus casibus prædictis contra trasgressores non solum rigorosissime procedatur, sed nec possit peti vel fieri aliqua gratia vel remissio poenarum huiusmodi ab aliquo praeside vel iudice comitatus Camerini, nec a maiori generali vel minori concilio et magistratu; immo quod super aliqua gratia remissionis poenarum praedictarum vel infrascriptarum, nec in concilio maiori vel minori penes magistratum vel dominos superiores et iudices huius communitatis non possit porrigi vel poni aliqua petitio gratiae, quae esset directe vel indirecte contra praesentem ordinem vel aliquam illius partem vel caput; et si fiet aliqua gratia, rescriptum vel abrogatio quaevis praesentis statuti vel alicuius partis eius, sit ipso iure nulla et nullius roboris vel momenti, et tamen priores, consiliarii et quilibet, qui admiserit similes petitiones, supplicationes et instantias, puniatur ad poenam scutorum ducentorum pro quolibet et qualiter vice; et qui huiusmodi supplicationes porrexerint vel aliquod contra hanc ordinationem petierint, similiter puniantur ad poenam scutorum ducentorum, applicandorum ut supra, quae intelligatur, dummodo gratia et poenae remissio non emanaverit a Sanctissimo domino nostro Papa.

Bona stabilia statutam summam dotis excedere non debent.

§ 8. Et si evenerit quod, pro praedictis maritandis, aliquis vellet dare et tradere, pro dote et dotis nomine res et bona stabilia, quae excederent, quovis quaesito colore, summas dotium praedictarum respective, non possint ea dari, tradi vel assignari possessio et tenuta dictorum bonorum, nisi aestimatione legitima praecedente, facienda a duobus aestimatoribus eligendis et deputandis a publico et generali concilio dictae civitatis, ballottandis et obtinendis more solito et consueto, qui teneantur iurare ad Sancta Dei Evangelia, in manibus priorum, et ad eorum delationem, praedicta bona aestimare iusto et convenienti pretio.

Declaratio.

§ 9. Declarantes, ad tollendum fraudes, quae in praemissis fieri possent, quod huiusmodi dotes alterari vel augeri non possint, mercatura, mercenariis, exercitio, arte, societate, monetae censu annuo aut alio quocumque praetextu, ex quibus dotes praedictae essent auctae ante consumationem matrimonii: sed huiusmodi augumentum et fructus mercaturae aut aliorum praedictorum contractuum et exercitiorum sint et pertineant ad illum vel illos, qui dotes et harum pecunias miserint et posuerint in mercatura, mercenariis, arte, exercitio et aliis praedictis, et sponsus et sponsa, maritus et uxor non sentiant lucrum aut dammum, commodum aut incommodum, nisi post consumationem matrimonii.

Arredium.

§ 10. Item statuitur et ordinatur quod pro arredio, mobilibus seu camera non possint ad summum dari et consignari, nisi bona inferius designanda, videlicet camisiae sponsarum numero decem, giuppones numero duo, valoris scutorum trium pro quolibet ad plus; colletti tres, absque auro et argento et gemmis seu perlis vel aliis rebus pretiosis aut recamis, non excedentibus valorem scuti unius auri pro quolibet; pannellae seu gremialia decem, cuffiae duodecim, capezzoli lini numero viginti, et totidem sudaria, omnia sine auro et argento et aliis rebus pretiosis; tobalea una telae rentiae vel lineæ, longa brachiorum septem de palmis tribus pro quolibet brachio; spatolae telae rentiae vel alterius telae lineæ numero duodecim, et aliae salvietae omnes numero viginti; speculum unum, valoris ad plus unius floreni; guancealia sex telae rentiae

vel urtichinae, absque auro et argento; linteorum paria duo; et quod, in portando capetto seu capula, sponsae non liceat portare donativum quod non sit conforme praedicto ordini vestiendi et ornandi sponsam, sub eisdem poenis, sed liceat tantummodo portare capulam valoris scuti unius, et unum par solearum seu crepidarum, et unum par caligarum seu, ut vulgo dicitur, *calzette*, pileum et ornamenta, quae vir eius mittit, non tamen excedentia ordinem supradictum.

Arredii consignationi qui praesentes esse possint.

§ 11. Item, quod tempore, quo fit sponsae consignatio arredii, mobilium seu camerae, non possint adesse vel esse praesentes nisi pater, mater, sorores et attinentes usque in secundum gradum, secundum ius canonicum computandum, ac etiam vicinae proximiores sponso et sponsae, et vocetur etiam cancellarius communitatis, qui debet esse praesens, et notare in scriptis huiusmodi ordinem, ne transgrediatur ordo mobilium praedictorum et arredii seu camerae, et si casu absit vel sit impeditus, adhibeatur alius eius loco arbitrio dictorum priorum; et qui transgrediuntur huiusmodi ordinationi in dando vel recipiendo id, quod superius est expressum, incidant, ultra poenam scutorum quingentorum, etiam in poenam amissionis rerum et bonorum quorumcumque consignatorum, ultra et praeter huiusmodi ordinationem datorum, ut supra applicandorum, et in eventum transgressionis, cancellarius teneatur in praedicto consilio publicare et notificare transgressores; et contra eos procedi possit iuxta praedictos ordines, ita quod, quando sponsa traducitur e domo patris vel fratrum aut aliorum ad domum sponsi, non liceat vocare pro ea associanda, nisi solum consanguineos et affines, et non possit dari pro ientaculo seu colatione, nisi sors una confectionis zuccari seu aromatariorum et panes, quos speciales appellant, et ciambellas, ultra poma, uvas, olivas et id genus fructuum pro tempore existentium; et quod sequenti die non liceat mittere marsapanos ultra pondus duarum librarum, absque pullis gallinaceis vel alia re; declarantes quod patri et fratribus, etiam per interpositas personas, sponsae, in exitu domus non liceat donare sponsae vel alteri pro ea [1] scutum unum auri in auro pro quolibet, et inobedientes puniantur in poena scutorum decem, ultra amissionem summae excedentis, applicandae ut supra.

Indumenta sponsae.

§ 12. Item, quod sponsae vel mulieri nuptae non liceat habere, facere vel portare vestem sericam rubeam vel violaceam de grana vel chermisino tinctam, et nihilominus non possit habere nisi unam vestem sericam vel vellutaceam, cuiusvis sit coloris, praeter chermisini et violacei de grana, ut supra, et appellatione vestis zimaria intelligatur; et habenti vestem sericam non liceat habere nisi unam zimariam panni vel rasciae, ornatam cum listis sericeis vel velluti, et aliam zimariam sine aliquo ornamento, similiter panni vel rasciae, et generaliter non possint in quibusvis vestibus addi ornamenta praeter praedicta, nec possit apponi, ut vulgo dicitur, sericum supra sericum, nec alia addi similia pretiosa, sub poena scutorum quinquaginta et amissionis vestium et rerum ipsarum, ut supra applicandarum; et nihilominus non liceat alicui puellae nuptae, sponsae, viduae vel alicui alteri mulieri, civi seu incolae vel habitatrici civitatis et Status Camerini, cuiusvis gradus et conditionis existat, portare vel etiam domi retinere vel habere vestes aliquas caudatas, quarum cauda sit longior uno pede ad mensuram pedis communis Camerini, quam sit pars anterior ipsius vestis; sic mulier non possit habere vel portare vestes cum manicis longis, clausis vel apertis, sed tantum in

1 Deest forsan *ultra* (R. T.).

vestibus quas zimarras appellant possint habere dictas manicas longas, clausas et strictas, iuxta antiquam consuetudinem, sub poena amissionis vestium vel vestis ipso facto incurrenda; et similiter non liceat alicui sartori vel vestiario facere vel vendere vestes habentes caudas longiores vel manicas longas contra formam praedictam, sub poena scutorum viginti quinque pro qualibet veste, pro medietate Sacro Monti communitatis, pro alia medietate inter accusatores et executorem dividendorum, et sub poena suspensionis ab exercitio per unum annum, et deinde ad beneplacitum dominorum priorum et consilii generalis dictae civitatis; nec insuper liceat portare in capite, collo, pectore vel ornamento vestium ultra valorem viginti scutorum auri in auro in totum, computatis ornamentis, margaritis seu perlis, corallis, granatis et similibus aliis, negantes eis monilia et pendentia ab auribus, sub iam dictis poenis et rerum amissione, ut supra applicandarum, in quibus incurrere etiam pater, mater, avus, avia, patruus, et avunculus, fratres germani vel consanguinei et alii attinentes sponsi et sponsae, qui consenserint vel emerint illa.

Fraudibus obviam itur.

§ 13. Et ne possit committi aliqua fraus, ordinatur et statuitur quod, antequam sponsae et mulieres nuptae possint gerere bona praedicta et similiter ornamenta, debeant illa praesentare coram prioribus ac magistratu pro tempore existentibus, qui debeat ea aestimatoribus singulis annis in publico consilio deputandis, et si abfuerit vel impediti seu impeditus fuerit, eorum loco possint alii, arbitrio dominorum priorum, deputari, et postea annotari a cancellario communitatis, et non possint mutari vel alterari.

Quale pileum.

§ 14. Item conceditur sponsis vel aliis mulieribus quod possint gerere pileum coopertum serico vel velluto et alio quovis serici genere, absque tamen auro, argento vel aliis ornamentis factis ex auro et argento, medaliis vel aliis impressionibus et pennis sive plumis non excedentem valorem, inter pileum et alia ornamenta, scutorum trium.

Quot et quales crepidae.

§ 15. Item, prohibetur quod tam sponsa quam aliae mulieres nuptae habere non possint modo aliquo ultra paria duo solearum sive crepidarum velluti vel serici, cum passamanis ex serico, prohibendo expresse, sub poenis praedictis, quod in dictis crepidis non possint uti auro nec argento.

Qui vocandi ad desponsationem.

§ 16. Item, quod in desponsatione sponsorum non possint, tam ex parte mariti quam ex parte uxoris, vocari consanguinei vel affines supra quartum gradum ultra vicinos, sub eisdem poenis: ita quod in nullo penitus actu faciendo, ad ornatum infantium adhibeatur usus cultrinarum, nisi ad summum ex serico aut velluto simplici cum simplicibus passamanis seu frangiis sericis una cum capula sive lentiolo, sine auro et argento et quovis gemmarum genere vel recamo.

Ornatus cunabuli.

§ 17. Et similiter, ut reprimantur abusus qui solent fieri in ornandis cunabulis, non adhibeantur cultrices, nisi ut supra pernicalia, sive, ut vulgo dicitur, *cotuni*, et linteamina necessaria, absque aliquo auri vel argenti et gemmarum additamento, sub dictis poenis et rerum amissione, ut supra applicandarum.

Dona facienda puerperae.

§ 18. Item, quod non possint mitti ad mulierem puerperam cunae modo aliquo; quodque etiam mulieri puerperae non possint mitti a cive ultra duo paria capponum et duo nochera vini, negando expresse omnem aliam rem tradi.

Vestes innuptarum puellarum.

§ 19. Item, quod nondum nuptae puellae, etiam nubiles, non possint habere aliquod genus vestium ex velluto aut serico, sed tantum ex panno, rascia vel mocaiale et similibus, nec illos ornare,

nisi ex passamanis vel frangiis simplicibus vel parvulis listis ex velluto, in totum brachium unum non excedentes, et ornamenta fiant tantummodo in bustis vulgo nuncupatis.

Qui possint ad puerperam accedere.

§ 20. Quodque in comitatu ad mulieres puerperas non possint accedere, nisi mater et sorores aut duae ex propinquioribus, in defectum matris vel sororis, et non possint ad eas deferre plusquam unum par pullorum gallinaceorum, et quatuor panes magnos et vini moderate duo similia vasa.

Qui ad convivium venire possint.

§ 21. Item, quod in desponsatione comitatus non possit nec debeat conducere seu mandare associari a suis consanguineis, vicinis et affinibus, nisi in primo, secundo et tertio et quarto gradibus coniunctis; et similiter, in convivando et nuptiis faciendis convitatorum, non possint convitare nec vocare nisi eosdem consanguineos vel affines primi, secundi, tertii et quarti gradus, nec possint eos gravare, vel eis iubere ut portent scatulas vel alias res comestibiles, nec etiam vocare, et id iubere vicinis et amicis, nec uti in comedendo aliquo genere obsonii, quod vulgo dicitur *le vivande*, et aliis similibus delicationibus, sed tantummodo lacteolos et cariatas, ut vocant.

Revisio facienda a deputatis.

§ 22. Item, quod, tam in civitate quam in comitatu, super transgressione omnium et singulorum capitulorum huiusmodi, tam in rebus dotalibus quam in arredio seu camera, extractione domus, nuptiis, puerperiis et aliis rebus praedictis, fiat revisio a deputatis, qui pro tempore erunt, qui praedicta possint revidere et cogere transgressores ad solutionem poenarum iuxta decreta et ordines praedictos; rogare et instare ut superiores adiuvent et faveant pro executionibus faciendis: et circa vestes, extractiones sponsarum de domo et aliis hic non expressis fiat iuxta ordinem et capitula et novas reformationes descriptas in volumine statutorum.

Capitis ornamentum.

§ 23. Item, quod mulieres non possint uti velis croceis vel alias tinctis, sed velis albis in capite et etiam in cingulo, et liceat uti burata simplici; viduae tamen possint uti solito velo croceo vel alias iuxta morem.

§ 24. Item, quod omnes sponsae et mulieres civitatis et Status Camerini, sine distinctione graduum, in vestiendo et portando earum vestes et iocalia et alia ornamenta, pari gradu et passu procedant, praesentis ordinationis metas non excedentes. Non obstantibus ordinibus factis in statuto de vestibus capitaneorum, doctorum, equitum et privilegiatorum.

Lucrum dotale.

§ 25. Item, quod superior possit et valeat poenas praedictas, prout supra declaratum fuit, et quia experientia compertum est ex magnis expensis, quae hodie a maritis fiunt, dotes ipsas plerumque in toto vel in parte consumi, ita ut mariti, aliquando eas restituere coacti, omnem eorum facultatem erogari compellantur, proinde, maturo consilio, ac desuper populi consensu pluries habito, statuerunt et ordinaverunt quod, si moriatur uxor, antequam sit consumatum matrimonium, maritus lucretur sextam partem dotis datae, promissae vel conventae vel quomodolibet debitae, cum sexta parte camerae; et si moriatur post matrimonii consumationem sine filiis, sive traducta fuerit sive non, maritus lucretur tertiam partem dotis datae, promissae vel conventae seu alias quomodolibet debitae, ut supra. Et e contra, si praemoriatur maritus ante matrimonialem copulam, uxor lucretur vestes longiores et viduales et annulum sponsalitii; post vero copulam, lucretur omnes vestes, annulos et mobilia, quibus vestita traducta fuit ad domum viri vel in nuptiis inter ipsos celebratis ornata.

Haeredes munerum sponsae.

§ 26. Munera vero quaecumque uxori, in sponsalitio, a viro vel eius patre, ma-

tre, fratribus et personis vere proximioribus data et porrecta, sint et esse debeant, matrimonio morte viri dissoluto, haeredum ipsius mariti, cuius contemplatione data fuerunt, praeterquam parva illa, quae dantur a consanguineis et attinentibus remotioribus viri in actu desponsationis, quae vulgo dicuntur *La mancia delli parenti*.

Munerum restitutio vetita.

§ 27. Item, quod patri et matri vel aliis praedictis ex parte sponsae non liceat, quovis quaesito colore, nec possit restituere, loco muneris seu manciae, aliquod donativum, prout hodie utuntur, videlicet camisias, sudaria seu sciugatoria; et minus maritus affinibus caligas, crepidas et alias res, sub poena scutorum viginti quinque, ut supra applicandorum; et minus comitativi sponsi vel alii pro eis possint vel debeant portare in domum sponsae aliquas caligas, calsias crepidasque affinibus dandas; et e converso, sponsa non possit nec debeat in domum sponsi seu mariti gerere alicui de eius domo vel aliis consanguineis et affinibus donum aliquod, ut camisias, sudaria seu sciugatoria et similia, excepto viro, sub iam dictis poenis, ut supra applicandis.

Restitutio dotis.

§ 28. Necnon in restitutione dotis servetur dispositio iuris communis quoad annuum legatum, non obstante quacumque consuetudine contraria, vel etiam stipulatione annui legati, quae plerumque apponitur partibus insciis, nec vim derogationis considerantibus.

Dubia in statuto civitatis tolluntur.

§ 29. Et insuper, ad tollenda dubia, quae oriri possent circa interpretationem statuti dictae civitatis positi in libro secundo, sub titulo *De dotibus et dotatis mulieribus*, rubrica CXIX, quoad praedictam partem dicti statuti, videlicet a principio usque ad finem, *et si mulier plures habuerit fratres*, addimus illud fore intelligendum in omnibus et per omnia prout intelligebatur statutum vetus; et de verbo ad verbum, prout idem statutum vetus loquebatur, statutum novum in pristinum statum et sensum restituatur et pro restituto de cetero habeatur ac si numquam mutatum fuisset, et iuxta tenorem antiqui, debeat in futurum ab omnibus servari, cuius antiqui et ut supra observandi statuti usque ad dictum finem, *et si mulier*, ex originali authentico sumpti tenor talis est, videlicet *De dotibus et dotatis mulieribus*, rubrica CXIII.

Mulier dotata a dotantis excluditur haereditate favore masculorum.

§ 30. Item, statuimus et ordinamus quod, si aliqua mulier fuerit vel erit dotata a patre vel matre vel avo paterno vel avia paterna vel materna vel fratre carnale vel patruo carnali, non possit ipsa mulier dotata, nec descendentes ex ea, reverti ad haereditatem vel successionem praedictorum vel alicuius eorum dotantium vel non dotantium vel descendentium ab eisdem vel aliquo praedictorum per lineam masculinam, quousque supervixerit aliquis masculus legitimus et naturalis de praedictis vel aliquo ipsorum vel eorum descendentibus ab eisdem vel aliquo praedictorum per lineam masculinam; si vero fuerit dotata ab avo vel avia maternis, non possit dicta mulier nec descendentes ex ea reverti ad haereditatem et successionem ipsorum avi vel aviae maternorum dotantium vel non dotantium quoad superveniret [1] aliquis masculus ipsorum, et deinde sequitur dict. paragraphus.

Praesumptio dotis solutae.

§ 31. Et si mulier plures haberet fratres, et insuper ad obviandum malitiis hominum, eidem statuto addimus quod post decem annos inter praesentes, post vero annos viginti inter absentes, quaelibet mulier maritata, quoad effectum exclusivum dicti statuti, praesumatur dotata secundum formam et tenorem dicti statuti, quae praesumptio non militat, ubi ante dicta tempora mulier vel alius pro ea in iudicio partem citare fecit et suam actionem intentavit; quo vero ad alium

1 Leg. forsan *supervixerit* (R. T.).

Limitatio. effectum dotis consequendae post dicta tempora, audiri possit, et si fuit dotata, dotem possit de iure consequi; si vero dotata non appareat, non possit petere aliquam partem vel haereditatem bonorum personarum in statuto expressarum, quia praescindi voluerunt ad hunc effectum praesentis ordinationis decreto eam fuisse dotatam, dummodo non excedat summam superius expressam respective, sed possit bene petere et agere ut congrue dotetur; et si ante praedictos annos decem inter praesentes, viginti inter absentes, mulieri remaneat tantum actio petendi dotem sibi relictam vel alias promissam, vel demum se congrue dotari iuxta tenorem statuti, et prout iustum fuerit, statutis praedictis et aliis contrariis non obstantibus, dicto statuto in reliquis salvo remanente et in suo robore persistente.

Confirmatio statutorum praefatorum. § 32. Pro parte igitur eorumdem communitatis et hominum per dictos oratores nobis fuit humiliter supplicatum quatenus ordinationibus et statutis aliisque praemissis robur apostolicae confirmationis adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, cunctarum civitatum, praesertim quarum fides et obedientia in nos Sedemque Apostolicam apparet singularis, felicem statum sinceris affectibus exoptantes, eosdemque civitatem et homines a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula statuta et ordinationes huiusmodi, ac, prout illa concernunt. in dictis statutis et ordinationibus contenta et inde sequuta et sequenda quaecumque, licita tamen et honesta, et praeterquam quoad dotes viduarum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; praemissaque omnia et singula ab omnibus, quos illa concernunt vel concernent quomodolibet in futurum, etiam clericis ac ecclesiastica vel alia quavis dignitate, officio aut magistratu fungentibus, vel praedictis, et tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis regularibus, perpetuo inviolabiliter observari debere, nec illis contrafacere, dicere vel venire licere, nec ab illis resilire ullo unquam tempore posse, necnon contra praemissa disposita et in posterum disponenda, etiam per viam legis vel similium statutorum, in quibus etiam iuramentum intercesserit, aut alio quovis vinculo vallata fuerint, vim omnem iuramento praedicto et aliis articulis adimentes, nulla et invalida fore; irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

§ 33. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Camerinensi et dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac dictae civitatis gubernatori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte communitatis et hominum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemis- Executores.

sis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 34. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac civitatis et comitatus praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis communitati et comitatui praedictis illorumque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die v augusti MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 5 augusti 1578, pontif. anno VII.

LXXXIX.

Constitutiones et statuta in capitulo generali congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli Decollati observanda [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et facti series.

§ 1. Circa religiosarum piarumque congregationum statum et mores decet nos non mediocriter esse intentos ac in his auctoritatem nostram interponere, quae ad perturbationes in illis summovendas, ac quietem et tranquillitatem parandam pertinent. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus generalis et illi assistentes et discreti congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli Decollati, quod, dum eadem congregatio, auctore Domino, Sedisque Apostolicae intercedente auctoritate, initium sumpsit, ac illa tunc primum nascebatur, resque omnis ad paucos redigebatur, ac unam tantum domum sive collegium in civitate Mediolanensi habitabant, statuerunt, idemque statutum inter constitutiones eiusdem congregationis perpetuo observandas redegerunt, ut hi qui in dicta congregatione professi fuissent, in capitulis, quae vocalia nuncupantur, interesse ac, de rebus ad universae congregationis statum pertinentibus agere et statuere possent.

Expositionis facti continuatio.

§ 2. Postquam autem eius congregationis constitutiones eiusdem Apostolicae Sedis auctoritate comprobatae fuerunt, eademque congregatio numero personarum augeri coepta fuit, ad evitandam confusionem, quam in unum convenientium et congregatorum multitudo plerumque parere solet, aliarumque Religionum exemplo ducti, laudabili hactenusque observata consuetudine, cui aliquo tempore per quemquam adversatum non fuit, eadem in congregatione usu receptum extitit, ut nullus vel in dicta congregatione professus, licet in sacro vel presbyteratus ordine constitutus, admittatur in capitulis vocalibus, nisi praecipue hoc illi per capitulum generale concessum indultumque fuisset.

Clerici supplicant pro adprobatione statuti.

§ 3. Nunc autem, personarum ac domorum vel collegiorum dictae congregationis numero aucto, cum animadversum fuerit difficile et fere impossibile esse

[1] Ex Regest in Secret. Brev.

ut omnes dictae congregationis professores, qui in eisdem domibus vel collegiis resident, undique convenientes, insimul, causa celebrandi capitulum generale annis singulis, ut moris est, congregentur, quo tempore in ecclesiis domorum et collegiorum dictae congregationis divinus cultus et ministrorum numerus maxime diminueretur, eaedemque ecclesiae fere destitutae remanerent, ac universae congregationi maximum afferret dispendium ac incommodum; quare iidem praepositus, assistentes et discreti nobis humiliter supplicari fecerunt; quatenus antiquum dictae congregationis statutum inter illius constitutiones perpetuas eo tempore, quo primum eadem congregatio initium sumpsit, relatum, quod tanto consensu iam abrogatum fuit, expresse tollere, ac laudabilem consuetudinem praefatam in dicta congregatione usu receptam approbare et confirmare de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio statutorum.

§ 4. Nos igitur, antiquarum constitutionum dictae congregationis tenorem, ac si de verbo ad verbum insereretur praesentibus, pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatum statutum de admittendis singulis professis in capitulis vocalium, etiam si in sacris ordinibus constituti fuerint, eadem apostolica auctoritate, tenore praesentium, tollimus et abolemus; consuetudinemque quod nemo in eisdem capitulis vocalis admittatur, nisi per generale capitulum id expresse ei concessum fuerit, perpetuo approbamus et confirmamus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus et solemnitatum, etiam substantialium, omissarum, in praemissis supplemus, eamdemque consuetudinem exacte in virtute sanctae obedientiae ab omnibus, quos illa concernit, districte observari praecipimus et mandamus.

Quinam in capitulo generali vocem habeant.

§ 5. Et insuper quo eadem congregatio in dies magis magisque proficiat, statuimus ut nullus imposterum vocem in eodem capitulo generali habeat, quin in dicta congregatione per quadriennium laudabiliter post factam professionem vixerit, ac fide dignorum testimoniis de vita, moribus, religionisque zelo probatus, ac tunc demum a capitulo generali ad idem capitulum admissus fuerit; quodque ad idem generale capitulum quotannis celebrandum cuiuscumque domus sive collegii superior una cum discreto eiusdem domus vel collegii, legitime in eadem domo vel collegio ad id electo, dumtaxat accedere debeant, nec alii ad idem capitulum generale accedere audeant sive praetendant; praesentesque litteras perpetuis futuris temporibus observari, ac de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel ad terminos iuris reduci, aut in ius vel controversiam vocari. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac causarum curiae Camerae Apostolicae, Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus Maceratensi et Amerin. episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte praepositi,

assistentium et discretorum praefatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia observari, non permittentes eos seu eorum quemlibet desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per censuras, sententias et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae congregationis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I octobris MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 octobris 1578, pontif. anno VII.

XC.

Approbatio et confirmatio provinciae S. Iosephi Hispaniarum, Ordinis fratrum Minorum Discalceatorum, et eorum laudabilis instituti, cum omnibus monasteriis obtentis et obtinendis, cum mandato generali et fratribus de Observantia ne illos molestent aut quicquam super eis innovent etc. [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad hoc nos Deus, licet immeritos, militantis Ecclesiae regimini praetulit, ut quid cuique conveniat necessariumque sit et opportunum provideamus, et praesertim dilectis filiis professoribus Ordinis fratrum Minorum, Discalceatis nuncupatis, provinciae S. Iosephi in regnis Hispaniarum, quos tanto rerum coelestium et aeternarum studio allectos esse intelligimus, ut, pro sempiterna earum fruitione, austeritatem voluntarie libenterque amplectantur, ut ab externis curis et molestiis, quibus ab instituto et praescripto Regulae suae distrahi possunt, liberati, illis soluti liberiorem bona coelestia et aeterna contemplandi et consequendi facultatem habeant.

Causa constitutionis edendae.

§ 1. Ad aures itaque nostras fratres praedicti, Discalceati nuncupati, nonnullas querimonias perduxerunt, quibus se quampluribus molestiis ac perturbationibus a dilectis fratribus S. Francisci, de Observantia nuncupatis, non parum, minime sub iustis praetextibus, vexari conquerebantur.

Confirmatio congregationis de qua in constitutione.

§ 2. Ea propter nos, illorum quieti et indemnitati consulere volentes, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super negotiis episcoporum et regularium deputatorum negotium huiusmodi audiendum et cognoscendum commisimus, coram quibus

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

re diu ac mature discussa, iisdemque fratribus Discalceatis ex una, et procuratore generali praedictorum fratrum de Observantia ex altera partibus semel et pluries auditis, habitaque super hoc matura deliberatione, de eorumdem cardinalium consilio, congregationem sive, ut vocant, provinciam S. Iosephi praedictam, iam pridem in dictis regnis erectam et ordinatam, ac laudabilia instituta eorumdem fratrum Discalceatorum in singulis eorum custodiis, domibus seu monasteriis et locis, quae nunc obtinent et in perpetuum obtinebunt, praesentibus et futuris, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, praecipientes, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae et aliis arbitrio infrascriptorum iudicum infligendis censuris et poenis, generali et aliis ministris, commissariis, provincialibus, diffinitoribus, vicariis, custodibus et guardianis nunc et pro tempore existentibus dicti Ordinis fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, et illorum generali proxime et aliis in futurum celebrandis capitulis, et personis in eo congregandis, necnon omnibus et singulis aliis, quacumque dignitate, auctoritate et potestate fulgentibus, ne provinciam, custodias, monasteria seu domos aut loca praedicta ullatenus, directe vel indirecte seu quovis quaesito colore vel ingenio, dismembrare vel separare, seu dismembrari vel separari, aut alias quomodolibet inquietare vel molestare audeant seu permittant; nec eorumdem fratrum Discalceatorum vivendi modum aut rigorem strictae eorum observantiae, habitus vilitatem, et paupertatem contemnere, immutare seu retractare, aut in eis aliquid innovare seu attentare praesumant; quinimo generalis minister, commissarii et alii praedicti fratribus dictae provinciae Sancti Iosephi, ac eorum custodiis, domibus, monasteriis seu locis, quibus poterunt modis, auxilium, consilium et favorem praestent.

Facultas recipiendi fratres de Observantia.

§ 3. Praeterea nos, fratribus dictae provinciae quaecumque loca tam in regnis Hispaniarum quam in omnibus Indiis et alibi existentia ipsis pro tempore concedenda, interveniente Sedis Apostolicae auctoritate, seu servata forma concilii Tridentini, necnon fratres praedictos de Observantia ad eos transeuntes recipiendi licentiam et facultatem impartimur.

Onus missarum fratribus Discalceatis iniungi non possit ab illis de Observantia.

§ 4. Insuper, cum dicti fratres Discalceati perpetuum aliquod onus missarum per ipsos celebrandarum ex instituto suscipere prohibeantur; ac ex officio et debito charitatis pro suis benefactoribus vivis atque defunctis sacras missas celebrare et alia divina officia peragere habeant, seu saepius in illis celebrandis et peragendis plurimum occupentur, statuimus ut nullus superior praedicti Ordinis fratrum Minorum de Observantia ipsis fratribus Discalceatis aliquod onus missarum perpetuum vel temporale iniungere, seu eos ad aliquas missas pro aliis particularibus personis seu animabus aliquorum fidelium defunctorum, etiamsi illi patroni seu fundatores quorumdam monasteriorum aut domorum eorumdem fratrum de Observantia, seu in quibus memorati fratres de Observantia commorantur, celebrandas, vel alias ad satisfaciendum in missis huiusmodi pro iisdem fratribus de Observantia cogere seu astringere possit.

Inhibitio transferendi fratres Discalceatos superioribus de Observantia iniuncta.

§ 5. Praeterea, quod nulli commissarii fratrum de Observantia praedictorum nec ipse generalis minister pro tempore existens possit aliquos ex dictis fratribus Discalceatis de praedicta eorum provincia Sancti Iosephi seu de eorumdem domi-

bus vel locis extrahere vel transferre, aut illos mittere ad quascumque alias partes vel provincias, etiam Indiarum, etiam pro custodia Sancti Gregorii in Indiis Philippinis, ubi domus seu monasteria ipsorum fratrum Discalceatorum in posterum canonice recepta fuerint, nisi eos, qui a patribus in capitulo eiusdem provinciae Sancti Iosephi specialiter assignati fuerint, vel alias in eodem capitulo fuerit ordinatum; quodque custodia Sancti Gregorii praedicta eidem provinciae Sancti Iosephi subiecta et incorporata existat, prout nos illam harum serie subiicimus et incorporamus, donec ea in provinciam iuxta Ordinis instituta fuerit erecta; ac quod provincialis dictae provinciae Sancti Iosephi possit et valeat fratres eiusdem provinciae ad custodiam praedictam transmittere, ac commissarium ad illam ministrandam, ibique capitula habendum iuxta Ordinis institutum, ubi et quando opus fuerit et sibi videbitur.

Subiectio Discalceatorum in reliquis ministro generali de Observantia.

§ 6. Volentes nihilominus ut, salvis supradictis, in reliquis dicti fratres Discalceati subiecti remaneant iurisdictioni ministri eorumdem fratrum de Observantia generalis, quod ipse minister, per seipsum vel alium seu alios eiusdem Ordinis Discalceatorum tantum, possit eosdem fratres Discalceatos corrigere, visitare ac in eos iurisdictionem exercere.

Clausulae praeservativae.

§ 7. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod omnes interesse habentes vel fratres de Observantia praedicti, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, argui seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem Sede Apostolica emanatis et in posterum emanandis, comprehendi non posse, sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus Mexicano et Toletano archiepiscopis, et episcopo Alcitensi, necnon dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae auditori generali, ac decano ecclesiae Mexicanae per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum Discalceatorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per ministrum generalem aliosque praedictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 9. Non obstantibus felicis recorda-

Derogatio contrariorum.

tionis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, per quam cavetur expresse ne professores Ordinum Mendicantium loca ad inhabitandum, absque dictae Sedis licentia speciali, de prohibitione huiusmodi expressam mentionem faciente,[1] ac de una et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac Ordinis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel, divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 10. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferre, volumus et dicta auctoritate decernimus quod transumpto praesentium litterarum, etiam impresso, sigillo alicuius in dignitate ecclesiastica *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDLXXVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 12 nov. 1578, pontif. anno VII.

XCI.

Erectio collegii Hungarici in monasterio S. Stephani in monte Coelio de Urbe[2].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium et causa constitutionis edendae.

Apostolici muneris sollicitudo, divina dispensatione nobis, licet immerentibus, delegata, indesinenter requirit ut ad christianae reipublicae vulnera respicientes, quae apta illis remedia fore intelligimus, quamprimum adhibeamus, conemurque ut ubi antiqui humani generis hostis ad destructionem malitia supereminet, ibi nostra ad reparationem industria sedulo operetur. Hoc sane consilio et animo nos iampridem Germanicum, Graecum, Anglicum et alia huiusmodi collegia, tam in alma Urbe quam extra eam, multis in locis ereximus, alendae bonisque moribus ornandae ac vera pietate, sana doctrina reliquisque christiano nomine dignis virtutibus imbuendae earum nationum iuventutis causa, quos sibi et suis aliquando optato usui et adiumento esse possent, ad depellendam ex eorum mentibus errorum caliginem, et veritatis lucem aperiendam; quod cum iam nobis ad votum, superna opitulante gratia, succedere videamus, propter magnos et multiplices labores et fructus, qui in vinea Domini colenda et vepribus perpurganda ex his alumnis et operariis nostris assidue constant, non possumus non magnopere laetari, et tanto firmius posthac tali haerere instituto, quanto intelligimus illud in opere utilius apparere.

Erectio collegii Hungarici.

§ 1. Ceterum, inter varias horum temporum calamitates, cum menti nostrae obversaretur nobilissimi atque quondam opulentissimi Hungariae regni deploranda conditio, quod partim vi et dolis Turcarum misere subactum, partim haeresibus pollutum ac deformatum reperitur, pari cum pernicie animarum et corporum, ei nos, pro debita omnibus gentibus sollicitudine nostra, ac praecipua erga tam insigne et amplum christiani orbis membrum charitate, subvenire, quantum in nobis est, omni studio cupientes, peculiare collegium pro natione Hungarica hic duximus instituendum, existimantes hac potissimum

1 Forte supplendum *habere praesumant* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ratione posse sanctam religionem fidemque catholicam, unde vera salus atque etiam omnis spes redemptionis pendet, in eo regno fulciri et instaurari; proinde, ad Dei omnipotentis gloriam, sanctaeque fidei catholicae incrementum, et ad totius Hungaricae nationis utilitatem ac salutem, motu proprio, ex certa scientia nostra et de apostolicae potestatis plenitudine, unum collegium Adolescentum Hungarorum vocandum, in hac Urbe et in loco ad id per protectores illius eligendo, erigimus et instituimus, cui sumptus necessarios, quoad aliunde provideatur, ex nostris et Camerae nostrae Apostolicae pecuniis subministrari iubemus.

Ecclesiam S. Stephani in Coelio monte collegio applicat.

§ 2. Ceterum, cum in ipsa Urbe sit ecclesia S. Stephani in Coelio monte satis antiqua et nobilis, olim a felicis recordationis Nicolao Papa V, praedecessore nostro, restaurata, et Ordini fratrum S. Pauli primi eremitae, sub Regula Beati Augustini viventium, ea, ut dicitur, conditione concessa ut duodecim ad minus fratres illi deservirent, quod fortasse per aliquod tempus observatum est; quia tamen longe aliter nunc evenire cernimus, ob memoratas regni et gentis illius calamitates et corruptam religiosorum in illis partibus disciplinam, unde eiusmodi fratres venire huc solent, qui officio suo iuxta praedecessoris nostri voluntatem pie et laudabiliter fungendo minime apti sunt, atque ecclesia ipsa solito cultu destituta reperitur, et redditus bonaque illius magno cum scandalo distrahi et dissipari contingit, ideo cogitavimus plus ex illa utilitatis ad nationem Hungaricam perventurum, si collegio huic applicetur.

Eamque ab ecclesia Lateranensi separat;

§ 3. Quare in dicta ecclesia S. Stephani in Coelio monte Ordinem Sancti Pauli primi eremitae, omnemque illius statum ac dependentiam regulares, necnon conventum, officia ac ministeria, eorumque omnium qualitates et essentiam universam regularem, motu et scientia similibus, perpetuo supprimimus et extinguimus; ipsamque ecclesiam ab Ordine S. Pauli, cui sic concessa aut unita fuerat, separamus ac liberamus; necnon, cuius iuris dicta ecclesia S. Stephani olim fuisse dicitur, Lateranensis ecclesiae capitulo et canonicis, inter quos et fratres praedictos olim transactum et concordatum fuisse asseritur, ut si in futurum contingeret ecclesiam S. Stephani per capitulum generale fratrum Sancti Pauli dimitti et relaxari, id in manibus eorumdem canonicorum fieri deberet, nihil iuris ad eam ex hac transactione seu concordia et alia quavis, etiam potiori, ex causa competere decernimus, et quatenus opus est, illam cum suis rebus, iuribus et actionibus omnibus a praedicta quoque ecclesia Lateranensi, eiusque mensa capitulari perpetuo dividimus et separamus, perpetuum eisdem silentium imponentes; ipsam vero ecclesiam S. Stephani ac eius domus, aedificia et membra prope eam et ubilibet, tam in dicta Urbe quam extra eam, existentia, urbanaque et rustica praedia, ac fructus, redditus, proventus, agros, vineas, census, iura, emolumenta ceteraque omnia bona mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis, pretii et valoris annui sint, eidem collegio in perpetuum concedimus et assignamus; volumusque ut fratres, qui nunc ibi reperiuntur, alio, iuxta voluntatem et ordinationem protectoris illorum, traducantur, et locus vacuus collegio et scholaribus reliquatur, cum eo tamen, ut in eadem ecclesia cultus divinus debite exerceatur per presbyteros saeculares a protectoribus seu rectoribus collegii pro tempore existentibus deputandos.

Atque aedificia et bona eidem pertinentia collegio assignat;

Hospitale insuper S. Stephani cum suis bonis collegio unit.

§ 4. Et quia est etiam apud basilicam Sancti Petri hospitale Sancti Stephani regis Hungarorum nuncupatum, quod a dictis fratribus possidetur, in quo, nullis

vel paucis eius gentis peregrinis ad Urbem venientibus, vix datur facultas exercendae erga eos hospitalitatis, hoc quoque hospitale, cum suis aedibus, rebus, supellectilibus, mobilibus et immobilibus, ac etiam omnibus et quibuscumque possessionibus, vineis, agris, domibus, iuribus, censibus, redditibus ac aliis bonis similiter eidem collegio in perpetuum unimus et incorporamus, ita ut liceat protectoribus necnon rectori dicti collegii pro tempore existenti corporalem possessionem tam ecclesiae et domus S. Stephani quam hospitalis necnon utriusque domorum, aedificiorum, vinearum, agrorum, annexorum, membrorum, praediorum, censuum, iurium, obventionum et actionum omnium praedictorum, per se vel alium seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, illorumque omnium fructus, redditus et proventus in collegii praedicti usus et utilitatem, supportatis tamen oneribus dicti hospitalis, si quae sint, convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

Privilegia collegio eiusque rectoribus et familiaribus ceterisque concessa.

§ 5. Ceterum idem collegium illiusque rectores, oeconomos, magistros, praeceptores atque scholares pro tempore in eo existentes, et eorum domesticos, officiales ac ministros, et ipsius collegii bona mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis in dicta Urbe et extra ac alias ubique locorum consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis vicarii, senatoris, conservatoris ac reformatorum dictae Urbis, necnon rectoris studii generalis Urbis et cuiusvis ordinarii locorum, aliorumque quorumcumque iudicum et officialium in ipsa Urbe vel alias ubilibet constitutorum; et praeterea illud, in propriis eius rebus et bonis, et alios cum ipso contrahentes a solutione et exactione omnium et quorumcumque pedagii, gabellae, bollettini, decimarum et cuiusvis alterius, tam ordinarii quam extraordinarii oneris, ex quacumque causa impositorum et imponendorum, perpetuo eximimus et liberamus, ac sub Beati Petri et Sedis Apostolicae atque nostra protectione suscipimus, nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus; eisdem quoque collegio, rectoribus, scholaribus, praeceptoribus, magistris, oeconomis, officialibus et ministris, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus Studium generale dictae Urbis et illius rector doctoresque, in eo etiam actu legentes, quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ad eorum instar et pari modo, uti, potiri et gaudere valeant in omnibus et per omnia perpetuo concedimus, illaque eis communicamus, districtius inhibentes vicario, senatori, conservatoribus, reformatoribus rectorique et aliis iudicibus, officialibus et personis praedictis, ac etiam pro tempore existenti S. R. E. camerario praesidentibusque et clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis commissariis ad exactionem decimarum et aliorum onerum praedictorum pro tempore depuputatis, ne quarumvis litterarum, eis sub quibuscumqne tenoribus et formis concessarum, praetextu, collegium, rectores, scholares, praeceptores, magistros, oeconomos, officiales et ministros praedictos, seu eorum aliquem in praemissis quovis modo molestent nec molestari permittant.

Inter alia, promovendi alumnos ad academicos gradus.

§ 6. Et praeterea regentibus ac superioribus dicti collegii, cum assistentia tamen cardinalium protectorum, qui pro tempore erunt seu alicuius eorum, vel de ipsorum consilio et expresso consensu, illos, quos in dicto collegio et alibi per debitum tempus studuisse, ac litterarum scientia et moribus idoneos esse

repererint, ad baccalaureatus, licentiaturae doctoratusque et magisterii gradus, servata forma concilii Viennensis, iuxta Universitatis eiusdem Urbis consuetudinem seu alias promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi; quodque sic promoti facultates, in quibus studuerint, legere et interpretari, ac de eis disputare, et quoscumque gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus et singulis gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedicta seu aliis Universitatibus et alibi, iuxta illius et aliarum Universitatum huiusmodi constitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint ac debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa Universitate iuxta consuetudinem et mores praedictos suscepissent, concedendi et indulgendi, liberam eadem auctoritate tribuimus facultatem.

Designantur cardinales protectores.

§ 7. Ut vero ipsius collegii conservationi bonoque regimini, tam in his, quae ad institutionem et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, venerabiles fratres nostros Ioannem Ostiensem Moronum et Iacobum Tusculanum Sabellum episcopos, et dilectos filios nostros Tholomaeum S. Agatae Comens. et Iulium Antonium S. Bartholomaei in Insula titulorum S. Severinae nuncupatos, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, eiusdem collegii protectores et defensores constituimus ac deputamus, quorum consilio et opere supradicta et alia quaecumque ad eosdem in collegium admittendos scholares retinendosve ac dimittendos spectantia agantur, statuantur et ordinentur; dantes eisdem et pro tempore existentibus protectoribus plenam et liberam facultatem et auctoritatem, pro salubri directione et conservatione dicti collegii, illiusque bonorum et rerum ac iurium, tam temporalium quam spiritualium, rectores, praeceptores, magistros, regentes, oeconomos, advocatos, procuratores aliosque ministros et officiales in eo deputandi amovendique, et alios eorum loco sufficiendi; ordinationesque et statuta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et concilio Tridentino non repugnantia, faciendi et edendi, eaque, cum visum fuerit, revocandi, immutandi et corrigendi, aliaque de novo condendi, quae, postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde haberi volumus ac si auctoritate apostolica approbata et confirmata essent.

Clausula sublata.

§ 8. Decernentes illa ab omnibus rectoribus, magistris, scholaribus aliisve personis in collegio servientibus et ministrantibus inviolabiliter observari, ac iuxta eorumdem dispositionem et omnino circa ea omnia supradicta a quibusvis iudicibus, ordinariis et delegatis, etiam causarum Palatii Apostolici auditoribus, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus in quavis causa et instantia, sublata eis quavis aliter iudicandi facultate, ubique iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, et Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac nostris de unionibus committendis, vocatis quorum interest, et de non tollendo iure quaesito, ac de verificandis causis, propter quas nos ad praemissa inducimur, coram loci ordinario vel aliis, etiam tamquam a Sede praedicta delegatis, ita ut rector, ministri ac collegium praedictum nullibi umquam ad id teneantur; nec propterea, nec etiam

pro eo quod supradicti aut alii interesse habentes vocati non fuerint, praesentes per subreptionem obtentae praesumantur, viribusque et effectu ob id vel alias careant, aliisque apostolicis ac etiam aliorum conciliorum generalium constitutionibus et ordinationibus; necnon conventus et hospitalis praedictorum fundatione, atque illorum et Ordinis ac ecclesiae Lateranensis Urbis et Camerae Apostolicae, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis eidem Ordini, ecclesiae, hospitali et capitulo Lateranensi, ac ipsorum superioribus et personis necnon senatori Urbis, conservatoribus, reformatoribus, camerario, universitatibus ac eorum collegiis, rectoribus aliisque praedictis, necnon ipsi Urbi et populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex quibusvis causis atque iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; necnon quacumque contradictione alicuius seu maioris partis conventus et Ordinis praefatorum, seu consensus superiorum ipsius et capituli Lateranensis defectu ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, constitutionis, iussionis, suppressionis et extinctionis, liberationis, divisionis, separationis, impositionis, assignationis, voluntatis, unionis, incorporationis, exemptionis, libertatis, susceptionis, subreptionis, concessionis, communicationis, inhibitionis, tributionis, deputationis, decretorum et derogationis infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis *etc.* Sanctio poenalis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono, kalendis martii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 martii 1579, pontif. anno VII.

XCII.

Inhibitio perpetua, sub poena excommunicationis ac privationis officiorum et vocis activae et passivae, monachis congregationis Montis Oliveti extorquendi praelaturas et officia dictae congregationis favoribus principum [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Cum nihil ita alienum sit ab instituto personarum, quae sub obedientiae iugo Altissimo famulari se astrinxerunt, atque effraenata illa dominandi libido, omnes quas possumus vias exquirimus, per quas, illa repressa et a cordibus dictarum personarum eliminata, eædem personae quietius et tranquillius debitum eidem Altissimo exhibeant famulatum. Exordium.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli congregationis Montis Oliveti, Ordinis Sancti Benedicti, monachi, ad praelaturas et officia dictae congregationis improbe spectantes, non vereantur, quod sua nequeunt industria assequi, illud favori- Causa constitutionis edendae.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

bus potentum et magnatum extorquere; nos, praemissis de aliquo opportuno remedio providere volentes, motu proprio et ex certa scientia, omnes et singulos dictae congregationis monachos, cuiuscumque aetatis, gradus, conditionis, praeeminentiae et litteraturae existentes et quacumque dignitate praefulgentes, qui, ad praelaturas, tam maiores quam minores, et alia quaecumque et quomodocumque nuncupata officia dictae congregationis assequenda intenti, ad principum saecularium vel ecclesiasticorum aliorumve praelatorum aut personarum de gremio dictae congregationis non existentium favores, per se ipsos aut interpositas personas, recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus aliisque viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad dignitates seu officia in eadem congregatione obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesierint, illorumque complices et fautores, necnon omnes dictae congregationis monachos, etiam abbates generales, visitatores et vicarios, qui pro tempore regimini dictae congregationis deputati erunt, quovis illi titulo designentur, quibus etiam in virtute sanctae obedientiae ne id faciant districtius inhibemus, qui aliquos precibus, litteris aut favoribus principum vel praelatorum aut aliorum extra dictum gremium existentium, cuiuscumque gradus, status, ordinis vel praeeminentiae fuerint, etiam si episcopali, archiepiscopali vel patriarchali dignitate seu cardinalatus honore, vel regali, imperiali seu ducali sublimitate censeantur, adducti, seu quos pactis, pollicitationibus aut aliis quibuscumque minus legitimis viis ambire aut procurare compererint, ad cuiusvis generis praelaturas, dignitates, officia, administrationes et gradus promovere praesumpserint, laqueo excommunicationis latae sententiae, a qua non nisi per nos aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, innodamus.

Excommunicatio in eos monachos, qui favore potentum praelaturas extorquere curarent.

§ 2. Decernentes monachos dignitates aut officia huiusmodi ambientes, illorumque fautores et complices, ad quascumque praelaturas, dignitates et officia spiritualia vel temporalia, et praesertim in ipsa congregatione obtenta et obtinenda, perpetuo inhabiles, et praelaturis, dignitatibus, administrationibus vel officiis eo ipso privatos, prout nos etiam eos privamus, ac voce tam activa quam passiva carere; necnon electiones et promotiones sic, ut praefertur, iniuste et indebite extortas aut factas, nullas invalidasque esse et adversus eos, qui his minus legitimis rationibus ad quodcumque regimen aut officium se eligi vel assumi obtinuerint, per eiusdem congregationis superiores quandocumque procedi, et rei veritate, etiam per indicia et probabiles coniecturas, legitime tamen cognita, condignis poenis, tamquam publice dictae congregationis quietis perturbatores, affici posse et debere.

Officiis sic obtentis eos privat, poenis inflictis.

§ 3. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, vel sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; ac congregationis et Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et

Derogatio contrariorum.

consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et illorum superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis concessis et confirmatis; quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu et scientia similibus, latissime derogamus ac derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque; aut si praedictis congregationi et monachis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Ac, ut harum litterarum notitia ad omnes dictae congregationis monachos facilius deveniat, volumus illas singulo quoque anno in capitulo dictae congregationis, sive illud generale sive non generale fieri contingat, publice legi; illasque in dicto capitulo lectas sic arctare ac si legitime unicuique intimatae fuissent; illarumque exemplis, etiam impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et sigillo praesidentis ipsius congregationis vel alterius in dignitate ecclesiastica constituti obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur, si essent exhiberentur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscat., die IV aprilis MDLXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 4 aprilis 1579, pontif. anno VII.

XCIII.

Suppressio quorumdam monasteriorum et dignitatum abbatialium congregationis Camaldulensium, et applicatio aliis monasteriis et ecclesiis pro restituenda regulari disciplina in dicta congregatione [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Ab ipso primum die, quo fuimus ad regimen universalis Ecclesiae divina pietate vocati, sollicitudinem perpetuam habuimus in reparanda sacrarum Religionum disciplina, ac tollendis incommodis, quae in eis irrepserint, ut, illis nostra opera et auctoritate quam primum sublatis, Religiones ipsae fructus magis in diem Domino proferant ampliores.

Causae [...]stitutionis [...]dendae.

§ 1. Pium igitur hoc et salutare institutum prosequi, annuente Domino, intendentes, ad venerabilem familiam Camaldulensium, olim a Beato Romualdo institutam, eremo, sanctitate et religionis zelo florentem, respicimus; et animadvertentes eiusdem Ordinis monachos numero adeo exiguo esse, atque Ordinem ipsum sic angustis prope finibus circumscribi, ut ad ipsius dignitates regendaque monasteria inhabiles vel minus idonei ac litterarum ignari plerumque necessario sint eligendi, eosdemque ad eas dignitates assumptos, se ipsos non agnoscentes, ac propriis viribus nimium confidentes, in dies maioribus administrationibus ac officiis assequendis studere, eaque cupiditate ductos aut spe elatos, quae aequum ab iniquo discerni plene non patitur, illorum electioni, qui vitae ac morum sanctitate scientiarumque cognitione prae ceteris in Ordine clarent, aperte adversari, ac aliis novarum rerum auctoribus, ac conditione rerumque agendarum usu inferioribus favere, suppressione

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

nonnullarum dignitatum abbatialium monasteriorum dicti Ordinis, illarumque ad minorem numerum reductione, ut ad illas in posterum viri eligantur magis idonei, aliisque saecularibus remediis vel novarum constitutionum editione prospicere decernimus.

Suppressio, de qua in ipsa constitutione.

§ 2. Itaque, de apostolicae potestatis plenitudine, omnes dicti Ordinis monachos, qui Sancti Nicolai in Formibus nuncupati de Urbe, et *della Rosa* Senensis, ac S. Michaelis Aretinæ, necnon Sancti Nicolai Burgi Sancti Sepulchri, ac Sanctae Margaritae de Britellis et de Forma Fesulanensis, ac Plebanae de Cellulis, ac Sanctissimae Trinitatis Feretranæ, ac Sanctae Crucis Eugubinæ civitatum vel dioecesum monasteriorum seu prioratuum regimina et administrationes obtinent, vel eorum regimini sub quocumque nomine, etiam plebanorum, praesunt, ab eisdem prorsus absolvimus et ab illorum possessione amovemus, ac pro absolutis et amotis a regiminibus et administrationibus praedictis prorsus haberi debere decernimus; nonnullisque iustis de causis adducti, in eisdem monasteriis, prioratibus et ecclesiis dignitatem abbatialem vel prioratus aut plebanatus vel alio quovis nomine nuncupatam penitus et omnino supprimimus, extinguimus et abolemus; ac eorumdem monasteriorum, prioratuum et ecclesiarum fructus, redditus, proventus, iura, res et bona quaecumque Sancti Nicolai de dicta Urbe, videlicet, monasterio Sancti Gregorii etiam de Urbe, quo plures ex eisdem monachis dicti Ordinis eodem in monasterio Sancti Gregorii benigno hospitio excipere valeant, ac *dell'Arco* in monasterio *della Rosa* dignitate abbatiali instituta, ac prioratus et prioris illius dignitate ac nomine et denominatione prorsus abolitis, ac Sancti Michaelis monasterio de Agnano, necnon Sancti Nicolai Burgi Sancti Sepulchri monasterio Sanctae Mariae de Trivio Sarsinatensi, ita tamen quod eiusdem monasterii Sanctae Mariae pro tempore abbas in civitate eiusdem Burgi Sancti Sepulchri, ut est moris, resideat, ac Sanctae Margaritae monasterio Angelorum Florentino, iuxta antiquam eiusdem Ordinis privilegiorum dispositionem, quam potiori pro cautela per praesentes confirmamus.

Monasteria, in quibus litterarum Studia vigere debeant.

§ 3. Ac, ad augendum litterarum ac liberalium artium scientiarumque Studium in monasterio Sancti Salvatoris prope et extra muros Vulterranos postremis temporibus institutum plebis de Cellolis, Sanctissimae Trinitatis Feretranæ monasterio etiam B. Mariae Angelorum Pisaurensis, ac Sanctae Crucis Eugubinae, monasterio Sanctae Mariae, etiam Pisaurensis, ut ita dispositionem aliasa Sede Apostolica emanatam, quam hac in parte etiam confirmandam duximus, perpetuo concedimus, applicamus et approbamus.

Administratores absoluti liberas dimittant possessiones.

§ 4. Mandantes in virtute sanctae obedientiae monachis, ut praefertur, ab eorum administrationibus absolutis, ut, cum primum praesentium litterarum ad eos notitia pervenerit, ecclesiarum ac monasteriorum necnon fructuum, reddituum, proventuum, iuriumque et pertinentiarum et illorum quorumcumque possessionem vacuam, liberam et expeditam dimittant, ita ut liceat dictorum monasteriorum, quibus illa concessa et applicata sunt, ut praefertur, abbatibus et conventibus corporalem possessionem ecclesiarum, aedificiorum, membrorum, chororum et proprietatum ac iurium omnium, quacumque ratione possessorum, per se ipsos vel alios ad id deputandos, omni mora et dilatione praecisa, libere apprehendere, captamque et apprehensam etiam perpetuo retinere.

Abbas Ss. Quatuor Coronatorum haud amplius eligatur;

§ 5. Ac, ad magis obviandum abusui introducendi in eo Ordine maiorem numerum abbatum et praelatorum, qui

pluribus abhinc annis eodem in Ordine inolevit, quod in posterum abbas Sanctorum Quatuor Coronatorum similiter de Urbe, qui nudo tantum nomine utitur, dum in aedificiis dictae ecclesiae triumque monasteriorum dicti Ordinis haud status et essentia regularis illius instituta fuerit; verum superioribus annis, brevi tantum tempore, cardinale, qui eidem ecclesiae tunc præerat, ac cuius titulus cardinalatus dicta ecclesia tunc erat, permittente, aliquot monachi Camaldulenses prope dictam ecclesiam Sanctorum Quatuor inhabitaverint, nec apud eam ecclesiam resederint, ut inde aliquos fructus perceperint, ne unquam eligatur, expresse prohibemus.

Ut abbas S. Hyppoliti vocem non habeat in capitulo generali.

§ 6. Ac dum regimini et administrationi monasterii Sancti Hyppoliti Faventin. pro tempore eius Ordinis generalis præest, dumque vice generalis eodem in monasterio fungitur, nullam vocem in capitulo generali eius Ordinis, tamquam dicti monasterii Sancti Hyppoliti abbatem, sibi vindicare valere, verum ad eiusdem generalis arbitrium ibidem poni et amoveri posse declaramus.

Duodecim saltem monachi in quolibet monasterio alantur.

§ 7. Necnon, quo certus monachorum et ministrorum numerus, inter quos conventualitas servari possit, in monasteriis dicti Ordinis alatur, pauciorem numerum duodecim monachis eisdem in monasteriis educandum non esse censemus; id, si secus evenerit, ac in monasteriis minor numerus duodecim monachis fuerit, ne conventuales, quos appellant, monachos, qui numero duo sunt, et ad generale capitulum accedunt, causa certiorandi capitulum de statu singulorum monasteriorum, eligere possint interdicimus; ac generalem pro tempore dicti Ordinis, cuius munus triennii spatio absolvitur, tertio eius magistratus anno syndicatui duorum monachorum aetate graviorum, qui ad id per diffinitores electi fuerint, subiacere debere statuimus.

Ordinis ... finitores a ... nerali elig... tur.

§ 8. Ac postremo de probitate et prudentia dilecti filii Antonii de Pisa, nunc ipsius Ordinis generalis, plurimum in Domino confidentes, ut, hac vice dumtaxat, si opus fuerit idque expedire illi videbitur, omnes dicti Ordinis diffinitores eligere valeat, facultatem impartimur; ac omnia et singula, quae prudenti et maturo iudicio dilecti filii nostri Ptolomaei tituli Sanctae Agathae presbyteri cardinalis Comensis nuncupati, dicti Ordinis apud nos Sedemque Apostolicam protectoris, ad eiusdem Ordinis reformationem statuta et ordinata sunt, quibusque eius propria manu idem Ptolomaeus cardinalis subscripsit, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habemus, approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; praesentesque ac in dictis statutis et ordinationibus contenta per quoscumque dicti Ordinis monachos et professores, quacumque dignitate praeditos, observari debere, et ad id per privationem officiorum et dignitatum, quae obtinent, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac demum censuris et poenis ecclesiasticis cogi et compelli posse, sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, dictique Ordinis pro tempore existentes protectores, causarumque Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; ac irritum et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executor deputat.

§ 9. Quocirca venerabilibus fratribus Maceratensi et Amerino episcopis, et dile-

cto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte generalis vel monachorum dicti Ordinis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, ac piae memoriae Leonis X, praedecessorum nostrorum, super electione diffinitorum dicti Ordinis facienda, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac nostra de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et exprimendo vero valore, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac monasteriorum, prioratuum et Ordinis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

§ 11. Ceterum in his, quae pro salubri dicti Ordinis statu et felici directione alioquin instituta hucusque reperiuntur, quaeque nec praesentibus nec statutis aut ordinationibus per dictum Ptolomaeum cardinalem editis contraria sunt, nec illorum effectum impedire possunt, nihil omnino detrahere, sed illa omnino immota custodiri intendimus; ac volumus quod ecclesiis monasteriorum, etiam prioratuum suppressorum praedictorum, per presbyteros saeculares, ab ordinariis approbatos, quibus de congruis salariis et provisionibus, arbitrio ipsorum ordinariorum statuendis et declarandis, per dictos monachos omnino satisfieri debeat, in divinis debite deserviatur. — Exceptio.

Fides transumptorum.

§ 12. Quodque praesentium litterarum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, ac personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die VIII aprilis, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 8 aprilis 1579, pontif. anno VII.

XCIV.

Confirmatio statutorum et ordinationum in capitulo generali factorum super reformatione congregationis Cassinensis[1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Cum in cunctis rebus ea sit humani iudicii incertitudo, ut nulla prorsus lex constitutiove matura quantumvis consideratione et pio studio componi et excogitari possit, quin eam, propter varietatem et multitudinem rerum emergentium, in quibus omnis huius seculi operatio constituta est, plerumque etiam quae apostolica auctoritate fuerit approbata et confirmata, reformari, et alia de novo utiliter

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

statui et provideri experientia rerum magistra suadeat: mirum esse non debet, si quae praeteritis temporibus etiam a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris consulte statuta fuerunt, ex sanctioris inspectione consilii, cum ea, pro regularium praesertim a noxiis praeservatione et feliciori in spiritualibus et temporalibus incremento, moderari vel revocari expedire nobis constat, in melius reformamus, ut regulares ipsi, de virtute in virtutem progredientes, gratiam divinam consequi et ad coelestem patriam facilius pervenire mereantur.

In capitulo generali constitutiones renovare nonnulli praelati Ordinis aggrediuntur.

§ 1. Sane, sicut accepimus, cum dilecti filii praesidens, diffinitores et abbates congregationis monachorum Cassinensium alias Sanctae Iustinae de Padua, Ordinis Sancti Benedicti, haec prudenter considerantes, et paterno zelantes affectu, ut, sicut congregatio ipsa, ab eius primaeva erectione, optimis ac salubribus institutis et constitutionibus usque ad haec tempora recta et gubernata fuit, idem quoque de cetero eorum solerti vigilantia et studio, gratia divina sibi assistente, eveniat, in eorum ultimo generali capitulo nonnullos praelatos ex gremio eiusdem congregationis deputaverint, qui constitutiones, ordinationes, declarationes et instituta regularia dictae congregationis exacte inspicerent, et quae emendatione, correctione vel additione indigerent, reformare, corrigere, addere et alia in id opportuna, iuxta discretionem a Deo Optimo Maximo sibi datam, facere studerent; praelatique isti munus sibi iniunctum prompta devotione suscipientes, post maturam institutionum huiusmodi a se habitam examinationem, nonnulla pro quieto et felici regimine solidiorique statu eiusdem congregationis nuper ordinaverint, ediderint et statuerint; aliqua vero alia iam abrogata innovaverint, et quae emendatione vel additione seu mutatione digna sibi visa fuerunt, emendaverint, addiderint et immutaverint.

In primis modus eligendi monachos conventuales ad capitulum mittendos reformatur.

§ 2. Et praecipue quod monachi, conventuales nuncupati, quos singuli conventus monasteriorum ipsius congregationis, cum eorum praelatis ad capitulum generale pro electione illius diffinitorum mittere tenentur, de cetero non sorte dumtaxat, iuxta morem a pluribus annis observatum, et dudum a felicis recordationis Iulio Papa II, praedecessore nostro, suis in forma brevis litteris, apostolica auctoritate, approbatum, sed, postquam sorte extracti, et ad id per singulos conventus, ad quos spectabit, suffragiis secretis et alias, iuxta formam ordinationibus, ut praefertur, noviter editis praescriptam, approbati fuerint, eligantur. Qui sic extracti, approbati et demum conventuales electi, cum paci et quieti ipsius congregationis plurimum consuli verisimile sit, si in illius praecipuis membris constituendis reliquae partes, quibus mysticum corpus eiusdem congregationis constat, conveniant, etiam quod ab omni voce activa et passiva in huiusmodi diffinitorum electione aliis litteris recolendae memoriae Clementis Papae VII, similiter praedecessoris nostri, exclusi videantur, vocem in ea activam dumtaxat, et nequaquam passivam, ne homines novi et inexperti regimini eiusdem congregationis admoveantur, et auctoritas superiorum minuatur, ac licentia delinquendi praebeatur, habeant. Quas quidem ordinationes, statuta et alia praenarrata praesidens ipse et regimen eiusdem congregationis per nos et Sedem Apostolicam approbari et confirmari summopere cupiant.

Dubia exorta solvenda a P. M.

§ 3. Rursus, declarationis nostrae oraculo dilucidari perplexitates, quae in plerisque eiusdem congregationis abbatibus et aliis monachis oriuntur, si excommunicationis latae sententiae et aliae poenae litteris sanctae memoriae Leonis Papae X,

etiam praedecessoris nostri, adversus eos qui circa diffinitorum electionem practicas, per se vel alios, directe seu indirecte, quocumque tempore fecerint, ab aliisve practicatos seu aliter conscios aut quomodolibet illarum notitiam habentes et non revelantes inflictae, afficiant eos, qui, tempore celebrationis capituli generalis, immediate in sermonibus, quos ad invicem cum aliis, de negotiis in illo pertractandis, conferre contigerit, non ambitus vel alicuius alterius improbae intentionis causa, sed ut viri ad istud diffinitorum officium eligantur, consilio et opera quorum congregatio ipsa confidenter innixa, divinum auxilium in adversis sperare, atque tranquillitatis tempore in suo statu feliciter perseverare possit, explicant litterae[1] quos idoneos vel insufficientes ad tale munus obeundum esse existimant.

Confirmatio statutorum.

§ 4. Nos, zelum et studium huiusmodi, tamquam pium et laudabile plurimum commendantes, et pro nostra erga eamdem congregationem illiusque praelatos et professores universos propensa voluntate, honesto huic desiderio, quantum cum Deo possumus, benigne annuentes, necnon praenarratarum Iulii, Leonis et Clementis praedecessorum litterarum, ipsorumque, tam antiquorum, etiam abrogatorum, quam nuper sic ordinatorum, innovatorum et immutatorum ac aliorum praemissorum ceterorumque de necessitate magis forsan exprimendorum tenores, modos, formas, causas, qualitates et compendia veriora, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis habentes, constitutiones, ordinationes et statuta quaecumque, ut praefertur, seu alias quomodolibet edita, innovata, emendata, addita, immutata et reformata, cum omnibus quibusvis inde pro tempore secutis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia, confirmamus et approbamus; illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; supplentes omnes et singulos tam iuris et facti ac omissarum solemnitatum quarumvis, etiam substantialium, defectus, qui in eisdem quomodolibet intervenerint; illaque valida et efficacia fore ac esse et suos plenarios effectus sortiri debere; necnon omnes et singulos, quos concernunt, ad illorum observationem perpetuo teneri decernimus.

Declaratio censurarum.

§ 5. Ad servandas vero dictorum abbatum et monachorum conscientias, et ab eis ac aliis quibuslibet omnem prorsus ambiguitatis scrupulum removendum, quod ob sermones, qui insimul, non ambitus vel alterius improbae, sed bonae intentionis causa, de idoneitate vel insufficientia ad diffinitorum officium eligendorum habiti, ut praefertur, fuerunt, seu quos in futurum haberi continget, supradictas aliquasve alias sententias, censuras et poenas non incurrerint aut incurrant declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac aliis quibusvis, etiam apostolicis, constitutionibus et ordinationibus; necnon Ordinis et congregationis praedictorum statutis, usibus, naturis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis, etiam praedecessorum huiusmodi, in contrarium quomodolibet, sub quibusvis verborum formis, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis habentes, latissime derogamus, et ceteris contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII aprilis MDLXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 13 aprilis 1579, pontif. anno VII.

---

[1] Legimus *libere* (R. T.).

XCV.

Revocat S. Sua alias suas litteras congregationi clericorum regularium S. Pauli Decollati concessas, ea in parte qua adversantur duabus constitutionibus pro felici regimine d. congregationis editis, super iure suffragii et celebratione capituli generalis, dictasque constitutiones perpetuo approbat [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Romani Pontificis aequa et circumspecta providentia, etsi, circa religiosorum statum et mores intendens, aliquid proximis temporibus statuerit, id nihilominus, ubi publice expedire censetur, immutat, sicut in Domino conspicit expedire.

Facti series. § 1. Nuper siquidem, dilectis filiis praeposito generali et illi assistentibus ac discretis congregationis clericorum regularium Sancti Pauli Decollati exponentibus, per nos accepto quod, dum eadem congregatio, auctore Domino, Sedisque Apostolicae intercedente auctoritate, initium sumpserat, resque omnis ad paucos redigebatur, ac unam tantum domum sive collegium in civitate Mediolanensi haberent, statuerant, idemque statutum inter constitutiones eiusdem congregationis perpetuo observandas redactum fuerat, videlicet, quod hi, qui in dicta congregatione professi fuissent, in capitulis, quae vocalia nuncupantur, interesse, ac de rebus ad universae congregationis statum pertinentibus agere et statuere possent; postquam autem eius congregationis constitutiones eiusdem Sedis Apostolicae auctoritate comprobatae, eademq. congregatio numero personarum aucta fuerit, ad evitandam confusionem, quam in unum convenientium et congregatorum multitudo plerumque parere solet, aliarumque Religionum exemplo ducti, eatenus observata consuetudine, cui aliquo tempore per quemquam adversatum non fuerat, eadem in congregatione usu receptum extiterat, ut nullus, vel in dicta congregatione professus, licet in sacro vel presbyteratus ordine constitutus, admitteretur in capitulis vocalibus, nisi praecipue hoc illi per capitulum generale concessum indultumque foret; tunc autem personarum ac domorum vel collegiorum dictae congregationis numero aucto, cum animadversum fuerit difficile et fere impossibile esse omnes dictae congregationis professores, qui in eisdem domibus et collegiis residerent, undique convenientes insimul causa celebrandi capitulum generale annis singulis, ut est moris, congregarentur, quo tempore in ecclesiis domorum et collegiorum dictae congregationis divinus cultus et ministrorum numerus maxime diminueretur, eaedemque ecclesiae fere destitutae remanerent, ac universae congregationi exinde maximum afferretur dispendium et incommodum, statutum de admittendis singulis professis in capitulis vocalium, etiam si sacris ordinibus constituti fuissent, per alias nostras litteras abolevimus; consuetudinemque quod nemo in eisdem capitulis vocalibus admitteretur, nisi per generale capitulum id expresse eis concessum extitisset, perpetuo approbavimus et confirmavimus; quodque nullus in posterum vocem in eodem capitulo generali haberet, qui in dicta congregatione per quadriennium laudabiliter post factam professionem non vixisset, ac fide dignorum testimoniis de vita, moribus religionisque zelo probatus, tunc demum a capitulo generali ad idem capitulum esset admissus; ac ad idem capitulum generale quotannis celebrandum cuiuscumque domus sive collegii superior, una cum discreto eiusdem domus et collegii, legitime in eadem domo vel collegio ad id electo,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

accedere deberent, nec alii ad idem capitulum generale accedere auderent seu praesumerent statuimus et ordinavimus, et alias prout in eisdem litteris latius explicatur.

Causa constitutionis edendae.

§ 2. Verum cum, sicut iidem praepositus et illi assistentes et discreti nobis denuo exposuerunt, in constitutionibus nuper cum dilecto filio nostro Carolo tituli Sanctae Praxedis presbytero cardinali participatis, pro felici dictae congregationis regimine editis, libro quarto earumdem constitutionum, capite primo, sub titulo *De administratione in universum et iure suffragii*, inter alia, disponatur, sub his verbis videlicet, non omnes etiam fratres administrationis participes esse posse, hoc est, non omnes ius suffragii habere, quod vocem habere seu vocalem esse dicimus, sed quadriennio demum post professionem completo, ius suffragii quilibet habere debet, modo esset sacerdos, et ad id non factus inhabilis, neque in hoc dispensari posset, concedi; ac in eodem libro quarto *De capitulo generali congregando*, capite secundo, statuatur ut, cum ad congregationis tranquillitatem et commodum, pertinere videatur capitulum generale raro celebrari, ordinarie tertio quoque anno celebraretur, tum ad praepositi generalis et aliorum officialium electionem, tum ad ea tractanda, quae ad congregationis regimen disciplinamque conservandam aut, si aliqua ex parte remittatur, restituendam pertinerent, nuper iidem praepositus et assistentes nobis humiliter supplicari fecerunt quatenus omnia, quae in dictis litteris continerentur, quatenus huiusmodi postremo loco editis constitutionibus adversentur, tollere et abolere, easdemque editas constitutiones auctoritate nostra inviolabiliter eadem in congregatione observandas proponere, aliasque in praemissis consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Revocatio litterarum praedictarum, ut in constitutione.

§ 3. Nos igitur, qui piarum congregationum profectum sinceris exoptamus affectibus, litterarum praedictarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, litteras nostras praedictas ea in parte, qua constitutionibus praedictis nuper editis adversantur, apostolica auctoritate, tenore praesentium, revocamus et abrogamus viribusque penitus et omnino evacuamus, ac constitutiones praedictas perpetuo approbamus et confirmamus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti et solemnitatum, etiam substantialium, omissarum in praemissis defectus supplemus, easdemque novas constitutiones exacte, in virtute sanctae obedientiae, ab omnibus, quos illa concernunt, districte observari praecipimus et mandamus, praesentesque litteras perpetuis futuris temporibus valere, ac de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel ad terminos iuris reduci, aut in ius vel controversiam vocari posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Clausulae.

Mandatur executio.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Maceratensi et Amerinensi episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte praepositi et

assistentium praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia observari; non permittentes eos aut eorum quemlibet desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae congregationis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv aprilis MDLXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 25 aprilis 1579, pontif. anno VII.

XCVI.

Institutio confraternitatis Campi Sancti de Urbe, Germaniae inferioris et superioris ac Flandriae nationis, in archiconfraternitatem aliarum confraternitatum similium, cum facultate aggregandi et indulgentiis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pietatis et christianae charitatis opera, quae Salvator et Dominus noster Iesus Christus, cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris, fidelibus suis antequam pateretur instanter commendavit, ubique gentium, praesertim in alma Urbe, quae ceteris illustre exemplar praestare debet, exerceri desiderantes, fideles singulos huiusmodi exercitiis, maxime sub imaginis pietatis Beatae Mariae Virginis Dei Genitricis vexillo pia devotione mancipatos, specialibus favoribus et gratiis confovemus, eorumque cappellas et ecclesias indulgentiarum et remissionum muneribus decoramus, ut illae a christifidelibus ferventiori devotione frequententur, ac ipsi christifideles exinde reddantur divinae gratiae aptiores.

Facti series et causa suscriptionis eiusdem

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii magistri seu administratores et confratres confraternitatis in cappella seu ecclesia hospitalis eiusdem Beatae Mariae Campi Sancti de Urbe rite institutae, zelo Domini nostri permoti, in ipsa cappella plures cappellanos, ad eorum nutum amovibiles, pro missarum et aliorum divinorum officiorum singulis anni diebus celebratione, manutenere consueverint, ac quamplurima charitatis et misericordiae opera, tum pauperes infirmos visitando et eis de necessario subveniendo, mortuorumque pauperum cadavera in celeberrimo eiusdem cappellae seu ecclesiae coemeterio gratis sepeliendo, ac illa asso-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ciando, et hospitalitatem servando, necnon suis solitis vestibus et insigniis, videlicet sacco nigro, imagine pietatis eiusdem Beatae Mariae Virginis, induti, frequentes processiones faciendo, hactenus exercuerint et de praesenti exercent, ac ad ipsam confraternitatem magnus praelatorum illustrium et nobilium virorum conventus factus fuerit, conveniensque sit ut, sicut Urbs ipsa aliarum civitatum et locorum totius orbis mater et magistra esse dignoscitur, ita etiam dicta confraternitas aliarum similium confraternitatum eadem insignia deferentium caput existat, et ab ea tamquam capite ceterae omnes similes confraternitates et membra dependeant.

Erectio in archiconfraternitatem.

§ 2. Nos, cupientes ut dicta confraternitas, cuius omnimoda administratio penes Germaniae inferioris et superioris ac Flandriae nationes esse et spectare dignoscitur, prosperis in dies proficiat incrementis, ac grata dilectorum filiorum Flavii presbyterorum cardinalium tituli Sanctae Priscae, Orsini et Christophori tituli S. Onuphrii Madrutii, dictarum nationum protectorum, apud nos pro eisdem magistris seu administratoribus ac confratribus facta intercessione adducti, confraternitatem Beatae Mariae huiusmodi in omnium aliarum confraternitatum nunc et pro tempore ubicumque locorum erectarum, et insignia pietatis Beatae Mariae huiusmodi deferentium, in archiconfraternitatem, a qua illae omnes, ut membra a capite, dependeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus; ac magistris seu administratoribus et confratribus praedictis, ut quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et decretis concilii Tridentini non contraria, a vicario dictae Urbis approbanda, pro cappellae seu ecclesiae et archiconfraternitatis huiusmodi felici regimine, piorumque operum exercitio, ac alias quo modolibet, et prout eis videbitur, etiam cum quarumcumque poenarum in contravenientes appositione, condere, et condita, pro rerum et temporum varietate, revocare, limitare, alterare et immutare, ac alia, ut praefertur, approbanda denuo edere, ipsasque poenas executioni demandare.

Concessio indulgentiarum eius ecclesiam visitantibus.

§ 3. Et insuper, ut dicta cappella seu ecclesia in maiori reverentia semper habeatur, et christifideles eo libentius ad illam devotionis causa confluant, quo exinde maiora spiritualia dona pro animarum suarum salute adipisci posse cognoverint de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus confratribus praedictis vere poenitentibus et confessis, dictam cappellam seu ecclesiam singulis eiusdem Beatae Mariae et Sanctissimi Corporis Christi festivitatibus, a primis vesperis usque ad occasum solis earumdem festivitatum, devote visitantibus, ac inibi ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitantibus, seu pro S. R. E. prospero statu et catholicae fidei exaltatione ac conservatione, hæresumque extirpatione, vel alias ad Deum, prout unicuique suggeret devotio, effundentibus, quo die ex festivitatibus praedictis id fecerint; necnon aliis omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus de gremio dictae confraternitatis non existentibus, si, vere poenitentes et confessi, cappellam seu ecclesiam praedictam in festivitate Conceptionis eiusdem Beatae Mariae, a primis vesperis usque ad occasum solis posterioris festivitatis huiusmodi, visitaverint, et ibidem, ut praefertur, oraverint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem eisdem auctoritate et tenore concedimus et elargimur.

Visitantibus coemeterium. § 4. Necnon eisdem christifidelibus utriusque sexus, qui, coemeterium praedictorum ingressi, inibi, pro animarum christifidelium defunctorum ibidem sepultorum salute, psalmum, qui incipit *De profundis*, sive ter Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam devote recitaverint, centum dies de eis iniunctis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis, auctoritate et tenore similibus, misericorditer in Domino relaxamus; praesentibus, quas sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum ac gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam in favorem fabricae basilicae Principis apostolorum etiam de Urbe, Cruciatae Sanctae et expeditionis contra Turcas seu redemptionis captivorum, et alias sub quibusvis verborum tenoribus et formis, per nos et Sedem Apostolicam quomodolibet factis et faciendis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse et censeri, ac eisdem confratribus et aliis christifidelibus suffragari decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI maii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 11 maii 1579, pontif. anno VII.

XCVII.

Decretum quod capitulares et aliae personae ecclesiae Barchinonensis non possint percipere distributiones quotidianas praetextu officiorum principatus Cataloniae [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Facti series. Romani Pontificis providentia circumspecta, circa gesta per eum, ubi expedit, desuper adducit officium, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum ecclesiae Barchinonensis, quod dudum, pro parte tunc existentium deputatorum et auditorum computorum generalis principatus Cataloniae, felicis recordationis Eugenio Papae IV, praedecessori nostro, exposito quod ad gubernationem, protectionem et tuitionem immunitatum et libertatum, necnon utilitatem communem et bonum regimen eiusdem principatus, personae sex numero, duae videlicet ecclesiasticae, et reliquae saeculares, quae in civitate Barchinonensi moram trahere, et in domo ad id ibidem ordinata certis diebus insimul convenire tenebantur, quarum tres deputati ac reliqui tres auditores computorum singulis trienniis eligi consueverant; et personae ecclesiasticae sic electae, quae etiam quandoque pontificali et abbatiali seu alia dignitate fungebantur, pro eo quod, gubernationi, protectioni et tuitioni huiusmodi insistentes, ab ecclesiis et monasteriis, quibus præerant, et beneficiis ecclesiasticis, quae obtinebant, absentes existebant, iuxta ecclesiarum et monasteriorum ac beneficiorum eorumdem decreta, statuta, consuetudines et ordinationes, illorum fructibus, redditibus et proventibus seu aliquibus eorum portionibus privabantur; idem praedecessor, praedictorum deputati et auditoris ecclesiasticorum [1] in ea parte inclinatus, eisdem et pro tempore existentibus deputato et auditori ecclesiasticis eorumdem computorum, et eorum cuilibet, ut deputationi et auditioni computorum huiusmodi tam in dicta civitate quam alibi insistendo, fructus, redditus et proventus omnium et singularum ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum praedictorum per eos pro tempore obtentorum, ipsorumque fructuum, reddituum et proventuum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Deest *supplicationibus* (R. T.).

portiones cum ea integritate libere perpetuo percipere valerent, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis personaliter resederint, et ad residendum in eisdem interim minime tenerentur, nec ad id a quoquam inviti valerent coactari, auctoritate apostolica indulsit; et deinde piae memoriae Clemens Papa VII, etiam praedecessor noster, indultum huiusmodi dicta auctoritate approbavit et innovavit.

Causae reformationis praecedentium litterarum.

§ 1. Postmodum vero etiam nobis, pro parte tunc existentium deputati et auditoris ecclesiasticorum computorum huiusmodi, exposito quod ipsi, ratione deputationis et auditionis computorum eorumdem, propria domicilia, quandoque etiam valde remota, derelinquere, et ad dictam civitatem se transferre, et ibidem triennio moram trahere, ac ut statum suum decenter, iuxta dignitatis officii huiusmodi exigentiam, tenere valerent, magna expensarum onera de necessitate subire cogebantur, et fructus beneficiorum illarum partium plerumque adeo tenues existebant, ut ex illis, absque distributionibus quotidianis, commode se sustentare et onera antedicta sustinere non possent. Nos, ipsorum deputati et auditoris ecclesiasticorum supplicationibus in ea parte etiam inclinati, eisdem deputato et auditori ecclesiasticis, tunc et pro tempore existentibus, ut deinceps, triennio praedicto durante, non solum fructus, redditus et proventus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum praedictorum, sed etiam iura, obventiones et emolumenta quaecumque, ac etiam distributiones quotidianas, et solis praesentibus et divinis officiis interessentibus dumtaxat dari et per eos lucrifieri solita, cum ea integritate, cum qua illa perciperent, si omnibus divinis officiis, tam diurnis quam nocturnis, interessent, percipere libere ac licite valerent, ita quod super integra portione huiusmodi per locorum ordinarios seu quosvis quomodolibet molestari, impediri vel perturbari, aut aliqua etiam minima parte distributionum praedictarum, propter absentiam huiusmodi, privari nequirent, eadem apostolica auctoritate indulsimus, prout in diversis dictorum praedecessorum ac nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Sequitur expositio causarum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ad deputati et auditoris ecclesiasticorum officium huiusmodi personae dignitates ecclesiasticas, etiam pontificales et abbatiales, ut praefertur, in dicta provincia obtinentes, et praeter eas quatuor canonici singularum cathedralium ecclesiarum eiusdem provinciae admitti et convenire ac per sortem eligi, et deputatus viginti quatuor, auditor vero ecclesiastici pro tempore existentes, decem et octo regalia, quotidie, pro salario eis praescripta; praeterea quilibet eorum, durante dicto triennio, in singulis Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, duodecim ducatos cum dimidio alterius similis ducati, et in Sancti Georgii, viginti alios ducatos et totidem solidos, ac in Sancti Ioannis festivitatibus etiam duodecim alios ducatos, necnon in fine mensis maii, sexdecim alios ducatos et totidem solidos, et etiam pro candelis quoque anno viginti quinque alios ducatos, ultra plura alia iura et emolumenta ipsis, ratione deputationis et auditionis computorum huiusmodi, obvenientia, quae, quoad deputatum videlicet, octingentos, quo vero ad auditorem ecclesiasticos praedictos, sexcentos ducatos vel circa annuatim excedunt, percipere, ac ex illis omnibus non solum statum suum decenter, iuxta dignitatis officii huiusmodi exigentiam, tenere, et onera eis incumbentia commode supportare, sed etiam plerumque maximum peculium sibi conficere et acquirere con-

sueverint; prae ceteris autem cathedralibus ecclesiis principatus huiusmodi ecclesia Barchinonensis, praeter quatuor illius canonicos praedictos, etiam magno aliarum personarum, non solum inibi, sed etiam extra ipsam ecclesiam, dignitates et officia, aliaque beneficia ecclesiastica, quorum ratione ad officia deputati et auditoris ecclesiasticorum huiusmodi concurrere possunt, obtinentium numero referta sit, et propterea omnes in illis partibus huiusmodi officium maxime exoptant, ac exinde eveniat ut sors in capitulares et alias personas ipsius ecclesiae, praesertim autem eas, quae illius servitio minus addictae existunt, ac a matutinis et aliis divinis officiis inibi haberi et fieri solitis se retrahunt, frequentius cedat, quae quidem personae, ratione deputationis et auditionis computorum huiusmodi, propria domicilia relinquere, et salvo unius vel alterius famulorum augumento, alia onera extraordinaria subire nullatenus coguntur, nec in aliquo impediuntur quo minus, pro distributionibus huiusmodi percipiendis et lucrandis, in dicta ecclesia residere, ac inibi, tam matutinis, quae semper per tres horas vel circa, antequam ad domum praedictam deputationi et auditioni computorum huiusmodi vacaturi accedant, finiri solent, quam singulis aliis divinis officiis huiusmodi, praesertim autem dominicis et festivis ceterisque diebus, in quibus pro deputatione et auditione computorum huiusmodi insimul convenire non tenentur, commode, si velint, interesse possint; et si eisdem deputato et auditori ecclesiasticis, de capitularibus et aliis personis ecclesiae Barchinonensis huiusmodi existentibus, dictae distributiones quotidianae, tam diurnae quam nocturnae, iuxta dictarum litterarum nostrarum tenorem, citra eorum in dicta ecclesia matutinorum et aliorum officiorum praedictorum temporibus interessentiam, ministrare deberent, hoc profecto non solum in eorum, qui eisdem diurnis et nocturnis officiis continue interesse student, malum exemplum, sed etiam aliorum ab ipsius ecclesiae servitio propter infirmitates aut alias graves necessitates excusabilium, praesertim circa praedictas nocturnas distributiones, quae, iuxta privilegia et indulta eidem ecclesiae canonice concessa, seu illius statuta et laudabiles consuetudines, a tanto tempore, cuius contrarii memoria hominum non existit, inviolabiliter observata, nulli, nisi nocturnis officiis huiusmodi interessenti, etiam si quis infirmitate, quantumcumque gravi et lethali, aut negociis capituli ipsius ecclesiae vel alio legitimo impedimento detineretur, et antea, infirmitate et impedimento huiusmodi cessantibus, per viginti quinque annos continuam personalem residentiam in dicta ecclesia fecisset, eisdemque matutinis et aliis officiis interfuisset, ministrari possint aut debeant, maximum praeiudicium cederet et gravamen, ipsiusque ecclesiae status non parum perverteretur. Quare, pro parte capituli huiusmodi, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum de quo in rubrica.

§ 3. Nos igitur, singulares personas dicti capituli a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, ac singularum litterarum necnon privilegiorum et indultorum et statutorum praedictorum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ipsos deputatum et auditorem ecclesiasticos de capitularibus et

aliis personis dictae ecclesiae Barchinonensis pro tempore existentes, nec divinis officiis interessentes, sub praedictis nostris litteris, quoad perceptionem distributionum quotidianarum, tam nocturnarum quam diurnarum, in dicta ecclesia Barchinonensi per praesentes et divinis praedictis interessentes, tam diurnis quam nocturnis, percipi et lucrifieri solitarum huiusmodi nullatenus includi seu comprehendi debere, nec, praetextu litterarum nostrarum praedictarum, distributiones huiusmodi percipere aut lucrifacere posse, ac praedictum capitulum ad ministrandum eis distributiones huiusmodi minime teneri, nec propter illarum non subministrationem aliquas sententias, censuras aut poenas ecclesiasticas incurrere, apostolica auctoritate, tenore praesentium, decernimus.

Mandatur executio.

§ 4. Quocirca venerabili fratri episcopo Amerinensi, et dilectis filiis priori monasterii Sanctae Annae Barchinonensis, ac officiali Tarraconensi per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti capituli fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra capitulum huiusmodi praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes dictum capitulum a quoquam desuper quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Tusculi, die XI maii MDLXXIX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 11 maii 1579, pontif. anno VII.

XCVIII.

Erectio collegii Helvetiorum et Rhetiorum in civitate Mediolanensi [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Dum ad amplas Helvetiorum et Rhetiorum populorumque eis subditorum provincias, quae perpetuis superioribus saeculis non minus bellicis laudibus ac praestantia, quam sincerae fidei christianaeque religionis cultu, ac praecipuo quodam erga Romanos Pontifices sanctamque Sedem Apostolicam devotionis affectu eminere solebant, nunc vero aliqua in parte, instigante antiqui generis humani hoste, deformatae existunt, mentis nostrae oculos convertimus, eam potissimum nobis curam suscipiendam putamus, ut quibuscumque possumus modis, nullis laboribus nullisve sumptibus parcentes, eos ipsos qui divinae gratiae munere in unitate catholicae fidei adhuc fortiter persistere dignoscuntur, conservemus ac tueamur; cadentes autem et collapsos, divina bonitate favente, erigamus, eorumque sanan-

1 Ex Regest. in Segret. Brev.

dis vulneribus apta remedia adhibeamus.

Causa constitutionis edendae.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius noster Carolus tituli Sanctae Praxedis presbyter cardinalis Borromaeus nuncupatus, qui ecclesiae Mediolanensi ex concessione et dispensatione apostolica praeesse dignoscitur, in partem apostolicae sollicitudinis vocatus, cupiens Helvetiorum et Rhetiorum huiusmodi nationes, quarum ipse protector existit, populosque seu vassallos eisdem subiectos ad fidei charitatem et ipsius Sedis unitatem penitus reducere, nobis insinuari fecerit propter multas causas, et praecipue nationum et populorum huiusmodi vicinitatem, opportunum et expediens esse ut in civitate Mediolanensi, quae inter Italiae praecipuas urbes merito est censenda, unum collegium pro pueris nationum et populorum huiusmodi in latinis, graecis hebraicisque litteris, ac logica, physica aliisque liberalibus disciplinis, ac demum sacra theologia ac piis et christiano homine dignis moribus instituendis et confovendis erigatur et instituatur; ac etiam dilectus filius noster Michael tituli Sanctae Mariae supra Minervam presbyter cardinalis Alexandrinus nuncupatus, qui praeposituram Sancti Spiritus Mediolanensis, olim Ordinis Humiliatorum, ex simili concessione et dispensatione in commendam ad eius vitam obtinet, a nobis desuper requisitus, opus erectionis et institutionis collegii huiusmodi coadiuvare, dismembrationique ecclesiae necnon domus et aedium dictae praepositurae, una cum illius continentibus aedificiis, hortis, viridariis ac pertinentiis intra claustra domus praepositurae huiusmodi existentibus, sacraque supellectili ac domus utensilibus necnon omnibus rebus divino cultui destinatis, in ecclesia et domo continentibusque aedificiis huiusmodi tantum consistentibus, ad effectum ut illa eidem collegio erigendo applicentur, consentire paratus sit.

Erectio collegii Helvetiorum.

§ 2. Nos, qui dudum, inter alia, voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem existimationem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset; quique alias dicto collegio erigendo, postquam erectum foret, praeposituram Sanctorum Iacobi et Philippi de Rivolta Modaetiae, Mediolanensis dioecesis, olim dicti Ordinis, cuius fructus, redditus et proventus trecentorum ducatorum auri de Camera, secundum existimationem praedictam, valorem annuum non excedunt, per alias nostras litteras perpetuo univimus, annexuimus et incorporavimus, huiusmodi pium propositum magnopere collaudantes, et quantum in nobis est, promovere ac ad effectum perduci, optimarumque artium, disciplinarum et sacrarum litterarum studia his nostris temporibus florere mirum in modum cupientes, praesertim ut exinde viri non pro se solum boni doctique evadere, sed ad patriam remeantes, habendis concionibus ac disputationibus, fideique orthodoxae veritati delucidandae, exercendaeque animarum curae aliisque piis ac sanctis operibus apti et idonei esse, et quam maximum in Ecclesia Dei fructum ex se proferre possint; motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate et ex certa scientia nostris ac de apostolicae potestatis plenitudine, in dicta civitate unum collegium per dictum Carolum cardinalem et pro tempore existentem archiepiscopum seu praesulem Mediolanensem regendum et gubernandum, in quo quinquaginta ad minus pueri ex dictis Helvetiis et Rhetiis ac eorum respective subditis colligendi, in scientiis et disciplinis praedictis, ac sacris canonibus institui et erudiri debeant, ad Dei omnipo-

tentis laudem, ac sanctae Romanae Ecclesiae incrementum, et praecipue nationum et populorum huiusmodi salutem et commodum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

Dismembratio partis bonorum praepositurae Sancti Spiritus eiusque applicatio collegio.

§ 3. Necnon ecclesiam, domum et aedes praepositurae Sancti Spiritus huiusmodi, una cum illius continentibus aedificiis, hortis, viridariis ac pertinentiis intra dicta claustra existentibus, necnon sacra supellectili, utensilibus ac rebus et bonis mobilibus, quae ibidem ad praesens reperiuntur, et per ipsum Michaelem cardinalem vel eius agentes per inventarium consignabuntur dumtaxat, ab ipsa praepositura Sancti Spritus, illius tamen essentia, statu, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis, proprietatibus, honoribus et praerogativis universis ac, praeterquam in ecclesiam ac personas collegii huiusmodi iurisdictione, quibuscumque et quomodilibet denominatis, eidem Michaeli cardinali et successoribus suis, dictam praeposituram Sancti Spiritus pro tempore quomodolibet obtinentibus, semper in omnibus et per omnia, perinde ac si praesentes non emanassent, salvis et reservatis, nomineque, titulo et denominatione praepositurae Sancti Spiritus in dicta civitate, ubi ad praesens consistunt, suppressis, et ad ecclesiam Sancti Apollinaris Villae Terzaghi, Mediolanensis dioecesis, ab ipsa civitate octo milliaribus vel circa distantem, et eidem praepositurae subiectam, etiam perpetuo translatis, eiusd. Michaelis cardinalis ad hoc expresso accedente consensu, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo separamus et dismembramus, illaque sic separata et dismembrata, cum omnibus oneribus super illis ex quavis causa forsan impositis et ad quamcumque summam ascendentibus, ad quae dictum collegium teneatur, et praeposituram ipsam pro tempore obtinens ab illis exemptus et liber omnino remaneat.

Redditumm assignatio.

§ 4. Necnon redditum annuum duorum millium et quadringentorum scutorum auri ex Camerae Apostolicae pecuniis, quot annis per nostrum et pro tempore existentium Romanorum Pontificum successorum nostrorum depositarium, distributa in singulos menses rata solutionis, donec de alio aequivalente redditu annuo in bonis stabilibus dicto collegio per nos seu dictos successores nostros provisum fuerit, persolvendum et numerandum, eidem collegio, pro illius dote et dictorum puerorum sustentatione, ita quod dictus Carolus cardinalis ecclesiae ac domus et aliorum bonorum ab eadem praepositura separatorum et dismembratorum praedictorum possessionem, etiam propria auctoritate, sine alicuius iudicis auctoritate vel interventu, apprehendere et apprehensam retinere, ac illa necnon redditum annuum duorum millium et quadringentorum scutorum huiusmodi in dicti collegii usus et utilitatem convertere libere et licite valeat, eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo applicamus et appropriamus.

Privilegia concessa rectori aliisque de collegio.

§ 5. Necnon eidem collegio eiusque rectoribus, gubernatoribus, scholaribus et bonis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus ecclesia et ecclesiasticae personae quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere valeant indulgemus. Ac eidem Carolo cardinali, eius vita durante, pro salubri directione et conservatione dicti collegii, illiusque bonorum et rerum ac iurium, tam spiritualium quam temporalium, oeconomos, rectores, gubernatores, magistros, praeceptores, advocatos, procuratores, ministros et officiales ac etiam scholares in dicto collegio deputandi et

amovendi, ac alios eorum loco sufficiendi; necnon ordinationes et statuta, aequa tamen et honesta ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non repugnantia, faciendi et edendi, eaque, cum opus et sibi visum fuerit, revocandi, immutandi, corrigendi atque alia de novo condendi, quae, postquam facta, condita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde ac si dicta auctoritate apostolica approbata et confirmata essent, ab omnibus rectoribus, magistris, scholaribus aliisque personis in dicto collegio servientibus et ministrantibus inviolabiliter observari debeant, liberam et omnimodam auctoritatem et facultatem, auctoritate et tenore praedictis, pariter perpetuo concedimus.

Dispositiones ad rem variae.

§ 6. Ac volumus et eadem auctoritate decernimus praemissa omnia, cum primum fieri poterit, suum effectum consequi, ac propterea ecclesiam, domum illiusque continentia aedificia et pertinentias huiusmodi eidem collegio, ad effectum eorumdem praemissorum, vacua et expedita tradi debere; collegium autem sive eius gubernatores, administratores et officiales a die habitae possessionis ecclesiae et aedificiorum aliorumque dismembratorum et translatorum praedictorum, ad ædificia ipsa tam nunc quam ubi et quoties illa aliquo casu, etiam inexcogitato, destrui aut alio quovis modo ruere contigerit, restaurandum et reædificandum, eaque necnon omnia vasa et paramenta et quaecumque alia ad manutentionem divini cultus in dicta ecclesia Sancti Spiritus necessaria conservandum, et etiam, quoties opus fuerit, de novo faciendum, necnon missas et alia divina officia celebrandum seu celebrari faciendum, aliaque onera quaecumque eidem ecclesiae incumbentia supportandum omnino teneri, et ad id adstrictos et obligatos perpetuo esse et fore, ita ut in futurum Michael cardinalis et eius successores praedicti ad aliquid circa dicta aedificia translata huiusmodi et ea, quae in ipsa ecclesia necessaria erunt, praestandum, aut etiam ad fratrum in dicta praepositura Sancti Spiritus et illius domo nunc degentium et existentium alimoniam, vestitum vel sustentationem aut subventionem, etiam si ipsos fratres inde amoveri et ad quaecumque alia loca pro tempore transferri, aut eis vel etiam pro dictis et infrascriptis ac quibuscumque aliis oneribus et expensis alias aliquid, etiam quavis auctoritate et ex quibuscumq. causis, assignari contigerit, aut ad aliquod simile vel dissimile onus, etiam quoad expensas, quæ quocumque modo ac casu in celebratione divinorum officiorum, aut alias ratione cultus divini, ac pro eorumdem fratrum alimonia, sustentatione, vestitu aut alias fieri in futurum contigerit, nullatenus teneantur; sed ab eisdem oneribus tuta conscientia perpetuo exempti penitus et in totum liberi ac immunes existant, omniaque onera et expensæ huiusmodi ad dictum collegium perpetuo spectent et pertineant, eique immineant et incumbant; et si dicti fratres inde, ut præfertur, amoveantur et alio transferantur aut alias pro eis et dictis oneribus ac expensis aliquid, etiam quavis auctoritate, pro tempore assignetur, aut quidvis aliud innovetur, quodque collegium huiusmodi in domibus, ædibus ac bonis prædictis perpetuo et omni tempore manuteneri debeat.

Annullatio unionis, si dispositiones praemissae executioni non demandentur.

§ 7. Et casu quo illud non manuteneatur, aut eius erectio huiusmodi suum non sortiatur effectum, ex tunc ipsa praepositura Sancti Spiritus in pristinum et eum, in quo antequam praesentes emanarent erat, statum restituta sit et esse censeatur, perinde ac si dismembratio et applicatio factae non fuissent; ac omnia melioramenta nomine dicti collegii vel alias inibi quomodolibet facta, eidem praepositurae S. Spiritus libere cedant; ac ecclesia,

domus, aedificia et bona praedicta cum omnibus pertinentiis suis ac quibuscumque melioramentis desuper imposterum faciendis ad eamdem praepositurani Sancti Spiritus libere revertantur, resque ipsa sit et esse intelligatur in pristino statu restituta, ac si consensus per dictum Michaelem cardinalem super praemissis praestitus non esset, et praesentes non emanassent.

Provisio pro fratribus suppressi Ordinis.

§ 8. Mandantes eidem Carolo cardinali ut, a die adeptae dictae possessionis, aliquem idoneum locum sive ecclesiam, etiam secularem, in quo seu qua presbyteros omnes et conversos dicti suppressi Ordinis, in dicta domo Sancti Spiritus illiusque aedificiis nunc degentes, insimul vel divisim, coniunctim vel separatim, recipere et retinere possit, perquirat; ac ipsis, pro eorum numero qui pro tempore erit, de congrua sustentatione provideri faciat; eosdemque fratres, ut se de dicta domo ad alia ab eodem Carolo cardinali assignanda loca conferant, sub sententiis, censuris et poenis arbitrio eiusdem Caroli cardinalis imponendis cogat et compellat, super quo eidem Carolo cardinali amplam et liberam auctoritatem per praesentes etiam concedimus et impartimur.

Clausulae.

§ 9. Decernentes easdem praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari seu impugnari nullatenus unquam posse, sed eas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Designantur executores.

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Laudensi et Papiensi episcopis ac dilecto filio archipresbytero ecclesiae Mediolanensis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Caroli cardinalis ac etiam administratorum, gubernatorum, magistrorum, praeceptorum, advocatorum, procuratorum et ministrorum praedictorum aut aliorum, quorum intererit, vel alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; ipsosque Carolum cardinalem necnon administratores, gubernatores, magistros, praeceptores, advocatos, procuratores et ministros praedictos illis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas, et etiam pecuniarias poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta; et Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus,

et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium vocetur, seu ne iudices a Sede praefata deputati contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, ac in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque a postolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon dictae praepositurae Sancti Spiritus, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter vel alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Contrafacientium poena.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, separationis, dismembrationis, applicationis, appropriationis, indulti, voluntatis, concessionis, impartitionis, decretorum, mandatorum et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono, IX kalendas iunii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 24 maii 1579, pontif. anno VIII.

XCIX.

Ordinationes pro bono regimine fratrum Minorum Sancti Francisci strictioris Observantiae [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum Illius vicem, meritis licet minime suffragantibus, geramus in terris, qui pacem in terras intulit, caritatemque ad invicem prae ceteris omnibus eius fidelibus praecepit, officii nostri debitam prosequimur actionem, si regularium personarum, quae, relicto saeculo, sub suavi voluntariae paupertatis iugo, Dei obsequio se dedicarunt, pro commisso nobis officio, concordiae ac quieti consulere cupientes, pacem et caritatem inter ipsos inducere, inductamque confovere, et quae iis contraria sunt, falce vigilantiae pastoralis ad radicem posita, prout rerum et temporum qualitas requirit, quantum nobis ex alto conceditur, totis viribus [2] curamus.

1 Congregationem istorum fratrum, tempore Clementis VII institutam, approbavit ipse, et nonnulla pro eius gubernio statuit, ut in eius constitutione XLIII, *In suprema*, t. VI, pag. 155.
2 Deest forsan *auferre* (R. T.).

Clemens VII iam approbat congregationem Reformatorum, et nonnullas edidit ordinationes.

§ 1. Sane, licet alias per felicis recordationis Clementem VII, praedecessorem nostrum, multa ad quietum et tranquillum statum pertinentia dilectorum filiorum professorum Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de strictiori Observantia, Reformatorum nuncupatorum (ut qui Regulam ipsam Beati Francisci pure et plene, iuxta illius litteram, et declarationes Nicolai tertii ac Clementis V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ut veri Francisci filii et alumni observare contendant), edita et statuta fuerint, ut in litteris Clementis VII, sub Datum Romae apud S. Petrum, XVI kalendas decembris, pontificatus sui anno nono, latius continetur.

Fratres de Observantia illos desuper molestabant.

§ 2. Nihilominus quidam ex Reformatis supradictis nobis detulerunt quod ipsis Reformatis quamplures perturbationes damnaque non mediocria a dilectis filiis fratribus Minoribus de Observantia nuncupatis, sub quibusdam praetextibus, etiam contra dictarum litterarum Clementis VII formam, inferebantur.

Hic ideo Pontifex aliqua addit litteris Clementis

§ 3. Nos igitur, eorumdem fratrum Reformatorum nuncupatorum quieti et indemnitati, eiusdemque Ordinis prosperitati ac propagationi consulere volentes, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus super causis episcoporum et regularium deputatis atque etiam eiusdem Ordinis praedicti protectori causam huiusmodi audiendam et cognoscendam commisimus. Qui, re mature discussa, necnon, quarum interest aut intererat, partibus auditis, litterisque Clementis septimi praedicti plene consideratis, nobis retulerunt quae reformationem huiusmodi magis prospere dirigere visa sunt. Quare, de eorumdem cardinalium consilio, litteris Clementis septimi praedicti addenda quaedam decrevimus.

Circa novitiorum professionem,

§ 4. Itaque volumus et apostolica auctoritate statuimus et ordinamus ut novitii Reformatorum praesentes et futuri annum continuum inter dictos Reformatos agant, ad deliberandum an inter Reformatos praedictos permanere velint, a die ingressus in custodias seu loca Reformatorum; si vero in familia fratrum de Observantia professionem emiserint, et ad Reformatos de strictiori Observantia transierint vel in futurum transire voluerint, habeant itidem annum continuum a die ingressus ad deliberandum an remanere in hac strictiori Observantia voluerint.

Eorum recessum post professionem,

§ 5. Post praesentium autem nostrarum publicationem et dictum annum completum, declaramus prædictos professos extra Reformatos haberi ut professos inter custodias Reformatorum, nec ipsos, sicut nec alios inter easdem custodias professos, ab iis, sine speciali Apostolicae Sedis licentia, recedere posse, sine apostasiae nota. Quo etiam anno peracto, tam novitios in custodiis expresse professos, quam professos in familia, et in custodiis annum continuum agentes, volumus ad puram et plenam Regulae Sancti Francisci observantiam, iuxta ipsius litteram, ac Nicolai tertii et Clementis V, Romanorum Pontificum, declarationes, et Clementis septimi litteras praedictas, teneri, nec ab ea Reformatorumque ipsorum obedientia recedere, minusque a Reformatis ipsis expelli valeant, nisi incorrigibiles, iuxta antiqua eorum instituta hactenus observata, et nisi qui ad Cappuccinos transeundi licentiam in scriptis, iuxta Pauli III et Iulii tertii litteras, a proprio custode obtinuerint.

Custodis munus in recipiendis novitiis et fratribus de Observantia,

§ 6. Liberum vero sit eidem custodi, etiam nullo ministri provincialis vel aliorum suorum praelatorum habito vel requisito consensu vel licentia, nulloque cum iisdem verbo facto, per se vel alium, iuxta Tridentini concilii formam atque Ordinis consuetudinem, novitios necnon et fratres Ordinis praedicti de Observan-

tia, tam propriae quam alienae provinciae, reformandos, ad Ordinem ac professionem et reformationem pro sua custodia, absque ullo penitus impedimento, de consilio tamen et consensu fratrum illius loci, pro quo recipiuntur, admittere.

Loca Reformatis assignanda.

§ 7. Teneantur autem minister provincialis vel, illo absente, praesidens capituli vel congregationis provincialis, quando familiae mutari solent, ad petitionem dictorum Reformatorum, alia etiam provinciae loca sive monasteria, aliis Reformatorum locis, quantum fieri poterit, contigua vel commoda, iuxta eiusdem Clementis VII litteras, dare et assignare, et prioribus eorum locis addere, nec fratrum Reformatorum paucitatem (dummodo ad decem fratres recipiendos sint idonea, vel brevi tempore in ea illos introduci posse sperandum sit), nec aliam quampiam excusationem quominus id faciant obiicere possint.

Minister generalis fratrum de Observantia et non alii facultatem habent visitandi et corrigendi Reformatos, ut hic.

§ 8. Generalis minister dictorum fratrum de Observantia tantum, minime autem provincialis sive alii dictorum fratrum de Observantia praelati aut commissarii, in dictos fratres Reformatos sive illorum custodias iurisdictionem, visitandique et corrigendi facultatem, sive per seipsum sive per eiusdem Ordinis, etiam alienae custodiae, Reformatos ipsos, habeat; minime tamen possit aliquem ad praelationem vel officia, etiam in custodia, promovere, aut correctionis vel quovis praetextu, statutis, censuris, casibus, reservationibus propriis vel Ordinis Reformatos subiugare; aut custodiae, custodis vel fratrum Reformatorum respective potestatem, facultatem, immunitatem, concessiones, gratias, statuta et pacem, quovis praetextu, modo et quaesito colore, directe vel indirecte, annullare, suspendere, arctare, alterare, immutare, impedire, contrafacere aut inquietare; nec etiam de propria eorum custodia dominibusque et locis, nisi pro aliarum custodiarum dicta visitatione, dictos Reformatos vel eorum aliquem amovere, extrahere, mittere vel transferre; nec illos ad quascumque alias partes, provincias vel custodias et alia propriae ipsorum et custodiae loca, etiam sub specie praedicationis, mittere, collocare vel retinere, nisi prout in singularum custodiarum capitulis vel ab ipso custode fuerit ordinatum, locaque huiusmodi eisdem Reformatis fuerint assignata; et multo minus ad Reformatorum vel custodiarum loca non Reformatos, etiam novitios vel monialium confessores aut alios quoscumque, etiam reformandos a Reformatis non receptos, mittere aut in eisdem collocare vel retinere.

Reformati non retineant reformandum, praeter lectores et praedicatores, suorum superiorum licentia.

§ 9. Nec etiam Reformati ipsi aliquem praedictorum non reformandum recipere, vel ad convivendum sive de familia in eorum locis retinere ullo modo possint, exceptis lectoribus a praelatis ipsorum licentiatis, propriae custodiae necessariis. Qui tamen in custodia vocem activam vel passivam habere non possint, sed illa ad Reformatos tantum in custodia pertineat; exceptis quoque opportunis praedicatoribus, similiter licentiatis vel impetratis, et hoc pro tempore tantum necessario; sed, sine consensu custodis in scriptis, non possint quicumque dicti Ordinis praelati, fratres non Reformatos in auditoriis ad ipsorum locorum confines, iuxta morem Ordinis, pertinentibus ad praedicandum, nec eisdem confinibus quoscumque fratres ad eleemosynas colligendas destinare.

Custos possit mittere fratres etiam ad loca extra Reformatorum custodias pro negotiis necessariis et piis causis.

§ 10. Pro necessariis autem negociis et aliis piis causis possint custodes ad quaecumque Ordinis et aliorum loca, etiam extra Reformatorum custodias, maxime ad Sedem Apostolicam et ad totius Ordinis protectorem, et pro praedicatione ire, ac fratres suos mittere; sed causa

manendi de familia in locis Ordinis extra Reformatos, pro studio vel alia causa, nullo modo custodes vel custodiae mittere vel licentiam dare; nec fratres ire vel manere, nec praelati Ordinis eos recipere vel retinere possint.

Capitula custodialia singulis annis in locis custodiae ad electionem custodis fieri debent

§ 11. Capitula custodialia singulis annis in propriis custodiae locis distincte, et non extra custodiam, per Reformatos, quando et ubi per proprium custodem vel custodiam fuerit constitutum, fiant; eant tamen et ipsi Reformati ad capitula, etiam provincialia, ut in dictis litteris Clementis septimi statuitur, et in illis vocem non activam tantum sed passivam posthac habeant.

Qui praeses in illis.

Huiusmodi autem custodiarum capitulis solus custos, qui erit pro tempore, vel, eo decedente, commissarius custodiae, vel ipse generalis minister, si personaliter tantum interesse voluerint, praesidere posthac valeat.

Custodes ad triennium eligantur, et confirmationem petant a ministro provinciali.

§ 12. In iis autem capitulis unaquaeque Reformatorum custodia plenam et absolutam habeat potestatem quaecumque statuta et ordinationes, dummodo contra Deum, animam ac Regulam et decreta concilii Tridentini non sint, iuxta litteras Clementis septimi praedictas, condendi et statuendi, nec in eo per ministros generales vel provinciales vel eorum commissarios aut alios dicti Ordinis praelatos quomodolibet impediri valeat. Electione custodum per Reformatos ad triennium facta, custodes per litteras ad id, in signum humilitatis, confirmationem tantum infra mensem petere teneantur a ministro provinciali, quandocumque statim facto exhibendam. Possint autem custodes, etiam dum expectatur, et antequam petatur confirmatio praedicta, cum plena auctoritate libere officio suo fungi; quod si confirmationem huiusmodi intra tres dies non obtinuerint, a Sede Apostolica ipso facto tenore praesentium confirmati censeantur. Guardiani vero in capitulis electi vel a custodibus instituti, a ministro vel alio quopiam confirmari deinceps non egeant, sed eorum institutio in capitulis vel extra ab ipsis custodibus facta sufficiat. Custos pro tempore electus vel eligendus in suo officio a prima electione continuet ad triennium, videlicet usque ad capitulum custodiale, sive citra sive ultra triennium fiat, absque eo quod singulis annis rursus eligatur. Custodis autem successoris electio a custode praedecessore, guardianis et discretis locorum custodiae fiat; si tamen etiam intra triennium in singulis annalibus capitulis universitati electorum videretur custodem minime idoneum esse et universitati Reformatorum non utilem, alium sibi custodem ex Regulae ipsius praescripto eligere possint et teneantur.

Custode decedente, eligatur commissarius usque ad capitulum custodiale.

§ 13. Ipso autem custode decedente, alius custos extra capitulum posthac non eligatur, sed aliquis erit custodiae commissarius usque ad proximum capitulum custodiale, prout Reformati in suis capitulis ordinaverint.

Custodum facultates.

§ 14. Potestatem vero eamdem habeant singuli custodes in suas custodias et fratres, quam ministri provinciales in suas provincias et fratres habent, tam ex vigore Regulae, quam ex Romanorum Pontificum concessis gratiis, dummodo huiusmodi strictiori Observantiae Reformatorum non sint contrariae. Praesertim vero custodes possint loca ipsa iuxta eorum exigentiam resarcire et augere, ac locis, quae guardianum habere non solent, ipsum guardianum in capitulis custodialibus constituere, et in eisdem capitulis, sive prout in illis fuerit ordinatum, praedicatores et confessarios saecularium, servata forma concilii Tridentini, examinare et approbare, et illis officium praedicationis et confessionum audiendarum concedere et ad illa promovere, atque a casibus et censuris praelatis Ordinis reser-

vatis et reservandis, per se absolvere vel per alium absolvi curare; eos quoque, qui idonei sunt, pro suo arbitrio ad sacros ordines recipiendos approbare et mittere.

Constitutiones non contrariae huic reformationi serventur.

§ 15. Volumus tamen quod si in capitulis generalibus constitutiones aliquae vel decreta, praesentibus litteris et huic Observantiae strictiori non contraria, sed quae magis ei favere videantur, ordinata fuerint, Reformati ea observare omnino teneantur.

Vestes designantur.

§ 16. Quo vero ad vestitum, induantur praedicti Reformati vilioribus indumentis et despecto colore, et possint ea repetiare secundum B. Francisci Regulam.

Constitutio Clem. VII in ceteris approbatur.

§ 17. Litteras vero praedictas Clementis septimi, quatenus supradictis non adversentur, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae praeservativae.

§ 18. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod omnes interesse habentes vel fratres de Observantia praedicti aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, argui seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem Sede Apostolica emanatis et in posterum emanandis, comprehendi posse, sed illas, pro omnibus et singulis praedictorum Reformatorum custodiis, custodibus et fratribus Reformatis, praesentibus et futuris, semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere.

Clausula sublata.

§ 19. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Districtius inhibentes generali et provincialibus ministris dictorum fratrum de Observantia nuncupatorum, et eorum commissariis, nunc et in perpetuum pro tempore existentibus, et illorum generalibus et provincialibus capitulis, personisque quibuscumque in illis congregandis, ac omnibus et quibuscumque, quos praemissa concernunt aut in posterum quomodolibet concernent, et quibusvis aliis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, ne, sub indignationis nostrae et excommunicationis latae sententiae, eo ipso, si contrafecerint, incurrendae, poenis, Reformatos praedictos illorumque custodias, custodes, discretos, officiales et fratres aut alios quoscumque, quos praemissa quomodolibet concernunt aut in posterum concernent, quominus praedictis omnibus et singulis pacifice fruantur, seu praedicta omnia et singula suum debitum sortiantur effectum impedire, retardare aut perturbare audeant vel praesumant; ac et eisdem, quacumque ecclesiastica seu mundana praefulgeant dignitate vel excellentia, sub antedictis poenis mandantes ut in praemissis omnibus et singulis efficaciter pareant et assistant.

Executores deputatio et facultas.

§ 20. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Mediolanensi, et episcopo Laudensi, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, necnon universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus

fuerit, ac quoties pro parte fratrum Reformatorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper per ministrum generalem aliosque praedictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 21. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim felicis recordationis Leonis X, praedecessoris nostri, super unione omnium fratrum Minorum de Observantia, et nuncupatione eorumdem, et aliis in dictis litteris Clementis VII contentis, et quae eidem Clementi placuit non obstare, necnon dicti Clementis VII litteris praedictis pro Reformatis, et Bonifacii VIII de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, Bulla Aurea, Mari Magno aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis quibuscumque, dictique Ordinis statutis, consuetudinibus; privilegiis, indultis et litteris apostolicis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, etiam in forma brevis, vel sub quibuscumque verborum formis, solemnitatibus, clausulis, etiam insolitis et quantumcumque fortissimis, dicto Ordini vel quibuscumque praelatis eiusdem in contrarium concessis, approbatis et innovatis, et in futurum concedendis, approbandis et innovandis, etiam si talia forent quod, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio habenda foret. Quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 22. Ceterum quia difficile foret *etc.* Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die tertia iunii, millesimo quingentesimo septuagesimo nono, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 3 iunii 1579, pontif. anno VIII.

C.

Unio collegii Purificationis B. Mariae Elborensis et hospitalis ad recipiendum pauperes scholares, per regem Portugalliae institutorum, collegio S. Spiritus eiusdem civitatis, cum fructibus et redditibus eis applicandis, cum facultate presbyteris Societatis Iesu possessionem capiendi, et regendi illorum personas et bona etc., ac cum oneribus et ordinationibus etc. [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Romani Pontificis providentia circumspecta ea, quae ad scientiae et doctrinae

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

incrementum, et personarum in illis proficere volentium commoditatem, infirmorumque subventionem ordinata et instituta fuerint, ne contentionis materiam et rerum iacturam inducant, ac personarum quietem perturbent, interdum alterat et immutat, officiique sui partes in his libenter interponit, prout rationabiles causae persuadent, et catholicorum regum vota id exposcunt, ac in Domino salubriter dignoscitur expedire.

Facti series. § 1. Dudum siquidem postquam charissimus in Christo filius noster Henricus Portugalliae et Algarbiorum rex illustris, qui tunc, ad huiusmodi regiae dignitatis fastigium nondum assumptus, Ecclesiae Elborensi, ex concessione et dispensatione apostolica, præerat, in civitate Elborensi unum collegium sub invocatione S. Spiritus, ad grammaticam ceterasque artes liberales et sacram theologiam quibuslibet clericis et aliis personis studere volentibus legendum et interpretandum, ordinaria et seu apostolica auctoritatibus erexerat et instituerat, ac postmodum illud in Universitatem Studii generalis etiam erigi, eiusque curam, regimen et administrationem pro tempore existentibus praeposito generali et patribus Societatis Iesu concedi, necnon collegio seu Universitati huiusmodi, inter alias nonnullas proprietates seu annuos redditus, olim ad mensam archiepiscopalem seu capitularem Elborensem spectantes, ac etiam quingentos cruciatos annuos ex fabricae eiusdem ecclesiae redditibus applicari, et applicationem huiusmodi confirmari dicta apostolica auctoritate procuraverat. Nos, supplicationibus ipsius Henrici regis, tunc praesulis, inclinati, sibi ut in eadem civitate, pro collegii seu Universitatis huiusmodi augumento, ac scholarium clericorum et presbyterorum inibi studentium commoditatibus publicaq. utilitate, unum, duo vel plura alia collegia, in quibus aliqui ex ipsis clericis scholaribus et presbyteris ad certum tempus residerent, cum cappella seu cappellis, in quibus missae et alia divina officia, secundum providam ordinationem eiusdem Henrici regis, tunc praesulis, desuper faciendam, celebrarentur, erigendi et instituendi facultatem per quasdam concessimus; ac a fabrica et mensa capitulari praedictis tot illius bona, redditus, proventus, iura, obventiones, emolumenta, possessiones et proprietates, quorum annuus valor ad summam quatuor millium cruciatorum similium aequis portionibus, fabricae, videlicet, duorum, mensae capitularis aliorum duorum millium cruciatorum huiusmodi ascenderet, perpetuo separavimus et dismembravimus; illaque sic separata et dismembrata erigendi, postquam erecta fuissent, pro eorum dote, necnon S. Spiritus collegiis praedictis pro illius dotis augumento, ac alias sub certis modo et forma tunc expressis etiam perpetuo applicavimus et appropriavimus.

§ 2. Ac successive per alias nostras litteras, ex certis tunc expressis causis, eidem Henrico regi, tunc praesuli, ut in eadem civitate unum hospitale, in quo collegiales et alii pauperes scholares praedicti, occurrentibus eorum infirmitatibus, recipi et curari valerent, cum simili cappella, erigendi et instituendi, ac illius in spiritualibus et temporalibus curam, regimen, gubernium et visitationem presbyteris Societatis Iesu vel aliis personis ipsi Henrico regi, tunc praesuli, benevisis committendi facultatem etiam concessimus; dismembrationem vero summae duorum millium ducatorum ex fructibus, redditibus et proventibus mensae capitularis et applicationem illorum collegiis huiusmodi, quoad summam mille quingentorum ducatorum, eisdem dismembratione et applicatione in reliquis quingentis ducatis salvis et illaesis remanentibus,

cassavimus et annullavimus; ac loco summae mille et quingentorum ducatorum huiusmodi, quaecumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, emolumenta, possessiones et proprietates in oppido de *Stramoz* Elborensis dioecesis consistentia, ad dictam mensam archiepiscopalem spectantia et pertinentia, ab ipsa mensa archiepiscopali separavimus et dismembravimus, ac unam in Sancti Ioannis Baptistae, pro viginti quatuor de sexennio in sexennium, et alteram cappellanias in Verae Crucis cappellis sitis in dicta ecclesia Elborensi, pro aliis viginti octo de biennio in biennium eligendis cappellanis seu portionariis, qui in cappellis seu collegio Sancti Spiritus aut ecclesia praedictis certas missas qualibet hebdomada celebrare, ac pueri videlicet logicam et philosophiam atque theologiam per sexennium, posteriores vero cappellani huiusmodi casus conscientiæ in dicto collegio S. Spiritus doceri et interpretari solitos per biennium praedictum audire et ediscere tenebantur; ac pro eorum sustentationis subventione certas partes seu portiones fructuum, reddituum et proventuum a mensa archiepiscopali, ac uno et una ex canonicatibus et praebendis ecclesiae Elborensis huiusmodi pridem dismembratis, et eis ad id assignatis, seu dictis cappellaniis respective applicatis percipere soliti erant, ac alias sub certis modo et forma ab eodem Henrico rege, tunc praesule, olim institutas, perpetuo suppressimus et extinximus; illarumque sic suppressarum et extinctarum, necnon a mensa archiepiscopali per posteriores litteras huiusmodi separata et dismembrata fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, emolumenta, proprietates et possessiones, Sancti Spiritus ex tunc et aliis erigendis collegiis ac hospitali huiusmodi, postquam erecta forent, iuxta providam desuper per ipsum Henricum regem, tunc praesulem, seu ab eo deputatum vel deputandum partitionem, divisionem et ordinationem desuper faciendam, similiter perpetuo applicavimus et appropriavimus; ac tunc existentibus portionariis seu cappellanis praedictis locum et habitationem in dictis collegiis seu eorum aliquo, prout eidem Henrico regi, tunc praesuli, magis convenire visum foret, concessimus et assignavimus. Post completum autem sui cuiusque studii cursum, vel alias ipsis inde recedentibus, illorum loco tot alios cappellanos, quot eidem Henrico regi, tunc praesuli, visum foret, in dictis collegiis seu eorum aliquo, iuxta illius ordinationem et dispositionem, subrogandos ac manutenendos fore et esse statuimus, prout in singulis nostris litteris praedictis plenius continetur.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Henricus rex nobis nuper exponi fecit, ipse, vigore dictarum litterarum, in dicta civitate prope collegium S. Spiritus huiusmodi aliud collegium sub invocatione Purificationis Beatae Mariæ Virginis pro dictis cappellanis et certis aliis collegialibus, ac unum hospitale, in quo tam collegiales quam pauperes scholares Universitatis huiusmodi, occurrentibus eorum infirmitatibus, recipi et curari debeant, erexerit et instituerit; ac tam cappellaniarum suppressarum, quam a fabrica et mensa archiepiscopali separata et dismembrata fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, possessiones, proprietates et emolumenta praedicta inter collegia Sancti Spiritus et Purificationis ac hospitale huiusmodi, eorum cuilibet suam ratam partem assignando, dividere et compartiri intendat, seu forsan post factam per eum divisionem et compartitionem huiusmodi, re maturius perpensa, animadverteret, super regimine, gubernio et administratione collegii Purificationis et hospitalis

Causa praesentis constitutionis.

huiusmodi portionibusque reddituum et bonorum illa ac dictum collegium Sancti Spiritus respective tangentibus, earumque exactionibus et collectionibus, controversias, dissidia odiique fomenta et animi inquietudines, cum temporis et eorum studiorum ac instituti iactura, inter rectores, collegiales, scholares, oeconomos et ministros collegiorum et hospitalis huiusmodi facile suboriri, fructus quoque, redditus, proventus et alia bona praedicta, ex illorum divisione et separatione, per manus diversorum ministrorum exacta et gubernata, maioribus expensis subiacere, nec ita commode et fideliter recuperari, administrari et conservari posse; et insuper in collegio Purificationis et hospitalis huiusmodi nullam cappellam propriam, in qua cappellani et alii eiusdem collegii Purificationis collegiales missas et alia divina officia, ad quae, ratione dictarum cappellaniarum suppressarum, seu ex consuetudine vel statuto aut alias obligati existunt, celebrare possint, adhuc perfecte extructam et ornatam existere; collegium vero S. Spiritus huiusmodi ecclesiam et diversas cappellas ad id commodas habere, ac propterea magis expediens fore ut collegium Purificationis et hospitale huiusmodi eidem collegio Sancti Spiritus seu Universitati, tamquam membra suo capiti, perpetuo uniantur et incorporentur, ac ea ratione bona et proprietates huiusmodi integra et indivisa ad communem eorumdem collegiorum et hospitalis usum conserventur, ac missae et divina officia praedicta in ecclesia et cappellis collegii Sancti Spiritus huiusmodi celebrentur.

Unio collegii et hospitalis praedictorum.

§ 4. Nos, praedicti Henrici regis iudicio, quod semper plurimi fecimus, acquiescendum esse censentes, necnon singularum litterarum nostrarum ac illarum vigore factarum erectionis, institutionis, dismembrationis, applicationis, divisionis et partitionis praedictarum tenores, bonorumque et reddituum huiusmodi confines, situationes, qualitates, ac tam illorum quam collegiorum, hospitalis, fabricae et mensarum huiusmodi fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, ipsius Henrici regis supplicationibus in hac parte inclinati, collegium Purificationis et hospitale huiusmodi ac tam illis assignata quam quaecumque alia cappellaniarum suppressarum, et etiam a fabrica et mensa archiepiscopali seu alias, vigore dictarum nostrarum litterarum, separata et dismembrata fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, possessiones, proprietates et emolumenta praedicta, cum omnibus et singulis suis pertinentiis, eidem collegio Sancti Spiritus seu Universitati, ita quod liceat praeposito, rectoribus et presbyteris Societatis huiusmodi pro tempore existentibus corporalem, realem et actualem possessionem collegii Purificationis et hospitalis ac iurium, possessionum, proprietatum et pertinentiarum praedictorum, per se vel per alium seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, colligere, locare et dislocare, arrendare, ac in dicti collegii Sancti Spiritus usus et utilitatem convertere, missasque et alia divina officia, per dictos cappellanos et alios collegiales, ut praefertur, celebranda, in ecclesia ac cappellis collegii Sancti Spiritus huiusmodi celebrari facere, necnon collegium Purificationis et hospitale huiusmodi, collegialesque ac scholares et alias quascumque personas in illis pro tempore degentes, in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ceteraque in praemissis et circa

ea quomodolibet necessaria, iuxta ordinationem desuper per praedictum Henricum regem factam seu faciendam, gerere et exercere, diœcesani loci seu praedictorum capituli vel cuiusvis alterius licentia vel consensu desuper minime requisitis.

Onera collegio imposita hic enumerantur.

§ 5. Cum onere tamen et obligatione quod collegium Sancti Spiritus seu praepositus et rectores ac presbyteri Societatis huiusmodi, perpetuis futuris temporibus, modo et forma ad hoc per eumdem Henricum regem seu personam vel personas ad id ab eo pro tempore deputandas praescriptis seu praescribendis, centum cappellanos seu scholares, quorum quinquaginta theologiae in dicto collegio Purificationis, et alii viginti quatuor artibus temporalibus, reliqui vero viginti sex cappellani seu scholares huiusmodi casibus conscientiæ extra ipsum collegium Purificationis in dicta Universitate incumbant, assignata eorum singulis annua portione, quae sit omnino libera, immunis et exempta, ac modo et forma necnon in terminis ac sub censuris et poenis per ipsum Henricum regem, seu ab eo ad id deputatos vel deputandos, statuendis, absque aliqua contradictione et exceptione, in eodem collegio Purificationis solvi debeat, theologiae videlicet, quinquaginta, artibus vero et casibus conscientiae vacantibus cappellanis seu scholaribus huiusmodi, triginta cruciatorum monetae Portugalliae, sustentandi, et numerum centum cappellanorum seu scholarium huiusmodi semper, ita quod, aliquibus ex eis deficientibus seu recedentibus, alii loco eorum surrogentur, manutenendi, ac in usum dicti hospitalis et collegialium ac aliorum pauperum scholarium infirmorum in eo pro tempore degentium summam septingentorum et quinquaginta cruciatorum similium, si necessitas ita postulaverit, annuatim erogandi, necnon tam hospitalis quam collegii Purificationis huiusmodi fabricam in suis aedificiis et structuris necessariis manutenendi, ac eisdem cappellanis et aliis collegialibus praedictis paramenta et ornamenta ceteraque omnia pro missis, ut praefertur, per ipsos celebrandis necessaria suppeditandi, litteris nostris praedictis, praesertim circa facultatem statuta et ordinationes, felicem et salutarem directionem, conservationem, regimen et administrationem collegiorum et hospitalis huiusmodi, illorumque bonorum et rerum ac iurium spiritualium et temporalium, ac qualitates et obligationes scholarium et cappellanorum huiusmodi, necnon modum et formam visitationis, receptionis, admissionis seu depositionis illorum, ac tempus, per quod ibidem sustentari et manuteneri debeant, concernentia, faciendi, condendi, revocandi, immutandi, corrigendi et de novo edendi eidem Henrico regi, tunc praesuli, concessam, alias in suo robore permansuris, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de eiusdem apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, perpetuo unimus, annectimus, incorporamus et applicamus et appropriamus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, vel etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, aut alio quovis praetextu annullari, invalidari vel impugnari, aut per locorum ordinarios examinari seu revideri, aut causas, propter quas illa emanaverint, verificari, aut ad terminos iuris reduci, seu in controversiam revocari posse aut debere, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus com-

prehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et fore; sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et nuncios apostolicos, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur executio.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Ulixbonensi, et Silvensi ac Elvensi episcopis, seu dilectis filiis eorum officialibus generalibus mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Henrici regis ac rectoris, collegialium et scholarium praedictorum et aliorum, quorum interest vel intererit, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta quaecumq. ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, ipsosque Henricum regem ac rectorem, scholares et collegiales ac alios interesse habentes huiusmodi illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per pro tempore existentes praesules seu administratores ac capitula ecclesiae Elborensis huiusmodi ac reddituum eorumdem proprietarios vel quoscumque alios desuper quomodolibet inquietari, impediri seu perturbari. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis ac, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, ac unionibus committendis ad partes, vocatis interesse habentibus, et exprimendo valore etiam beneficii, cui aliud uniri petitur, necnon Lateranensis concilii, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon omnibus illis, quae in singulis nostris litteris praedictis noluimus non obstare contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII iunii MDLXXIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 13 iunii 1579, pontif. anno VIII.

CI.

Institutio archiconfraternitatis Pietatis Carceratorum in alma Urbe, ad eos visitandos, consolandos et adiuvandos, cum indulgentiarum concessione.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Pii Patris Altissimi, qui antequam ineffabili pietatis et caritatis suae exuberan-

tia, pro peccatorum nostrorum expiatione acerbissimum crucis tormentum subiret, opera pietatis et caritatis huiusmodi fidelibus suis instanter commendavit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ad ea, per quae opera ipsa ubique, praesertim in alma Urbe nostra, quae ceteris illustre exemplar praestare debet, ad pauperum carceris incommodis ac miseriis afflictorum subventionem et spiritualem consolationem valeant propagari, libenter intendimus, et ad id fideles quoslibet spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus invitamus, ac alias desuper officii nostri partes interponimus, prout, rerum et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Quidam christifideles societatem Pietatis in Urbe Carceratorum ad pia cum eis opera exercenda instituere proposuerunt, Papae accedente licentia.

§ 1. Sane, exhibita nobis nuper pro parte quamplurium piorum dictae Urbis christifidelium petitio continebat quod ipsi, pia atque sincera devotione ducti, ac de proximi sui salute iuvamineque recogitantes, ac re ipsa comperientes diversos in dies in dicta Urbe varias ob causas carceratos, tempore eorum carcerationis, tamquam ab amicis propriisque consanguineis derelictos, vel illis in eadem Urbe carentes, et praecipue extraneos diversarum orbis christiani nationum, quorum maxima in eadem Urbe, tam pro locis sanctis dictae Urbis visitandi, quam etiam variis negociis apud nos sanctamque Sedem Apostolicam et alias peragendis, commorari solet, copia, qui illis in suis necessitatibus tam spiritualibus quam temporalibus subveniant, eorumque causas et liberationem procurent, in varios miserrimosque ac etiam saepenumero desperationis propriae salutis et vitae incidere casus, ac ibidem, longo carceris taedio affectos ac pertaesos, miserrime vitam finire. Unde, ut his miserandis casibus, infortuniis et calamitatibus in futurum remedium aliquod salubre abhiberi possit, praefati christifideles unam utriusque sexus christifidelium, sub denominatione Pietatis Carceratorum, archiconfraternitatem in eadem Urbe, ac quodam ad id congruo et decenti loco, sub nostro et dictae Sedis beneplacito instituendam proposuerunt, cuius confratrum pro tempore existentium praecipuum sit institutum, pauperes in quovis carcere dictae Urbis, tam pro civili quam pro criminali causis, pro tempore detentos, quibuscum colloqui permissum sit, omni cum humanitate et caritate ac spirituali consolatione per ipsos ordinatim visitare, et ad patientiam in suis adversitatibus fortiter et animose pro Christo habendam, necnon confessionem sacramentalem eorum peccatorum faciendam exhortari et consolari, eleemosynisque pauperibus subvenire; et qui ex eisdem confratribus sacerdotes et ad confessiones audiendas approbati fuerint, eorumdem carceratorum confessiones audire; ipsisque carceratis diversos spirituales libros, in quibus legendis, et legere ignorantes alios legentes audiendis, occupentur, elargiri; ac ut eisdem carceratis, dominicis et aliis diebus festivis de praecepto ecclesiae servari solitis, verbi Dei conciones et exhortationes fiant, et his praecipue diebus, ipsi carcerati ab illicitis ludis, blasphemiis aliisque christiana pietate indignis abstineant, ad Dei laudem ipsorumque carceratorum spiritualem consolationem procurare; pacemque et concordiam inter ipsos carceratos et eorum inimicos inire et componere, aliaque pietatis opera circa eosdem carceratos in dies occurrentia pro viribus exercere. Quare, pro parte eorumdem piorum christifidelium, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus praemissis annuere ac alias desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos igitur, qui honestis petentium

Hic itaque Pontifex dictam societatem in archiconfraternitatem erigit;

votis, per quae opera pietatis et charitatis huiusmodi in dies, nostris potissimum temporibus, incrementum suscipiant, et ad ceteras nationes huiusmodi dilatentur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, pium rectumque eorumdem christifidelium animum et voluntatem in tam laudabili proposito, quantum cum Deo possumus, confovere et adiuvare volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in dicta Urbe archiconfraternitatem Pietatis Carceratorum huiusmodi ad munera praedicta et alia caritatis et misericordiae officia erga dictos carceratos exercenda, apostolica auctoritate, tenore praesentium, sine alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus, eamque archiconfraternitatem Pietatis Carceratorum denominari volumus. Ac illi sic erectae et institutae quaecumque bona mobilia et immobilia, legata, relicta et alia iura eidem archiconfraternitati, tam per illius confratres pro tempore existentes, quam alias quascumque personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentes, pro tempore quomodolibet elargienda, donanda et relinquenda, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo applicamus et appropriamus.

Statutaque condendi facultatem concedit;

§ 3. Necnon eisdem confratribus pro tempore existentibus quaecumque statuta et ordinationes, felix regimen et prosperum statum archiconfraternitatis, ac pia opera huiusmodi circa eosdem carceratos, ut praefertur, exercenda concernentia (sacris tamen canonibus decretisque concilii Tridentini minime contraria, nec iurisdictionem, officium et executionem iudicum aliorumve ministrorum dictae Urbis circa ipsos carceratos impedientia, et per dictae Urbis vicarium dicta auctoritate, approbanda), condendi et faciendi, ac condita, toties quoties opus fuerit, corrigendi, mutandi, alterandi et alia de novo faciendi.

Carceres non secretos intrandi, et cum carceratis tractandi auctoritatem impertitur;

§ 4. Necnon quemlibet dictae Urbis carcerem, non tamen eius loca, quae secreta dicuntur, nisi permissu iudicum, toties quoties eis et eorum cuilibet visum fuerit, ad effectum praemissum, ingrediendi, et in eo ad tempus benevisum praemissa opera exercendo commorandi, licentiam, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo concedimus. Districtius praecipientes et mandantes cuiusvis dictae Urbis carceris custodi et quibuscumque aliis personis, cuiuscumque status, gradus, conditionis et praeeminentiae existentibus, ut eisdem confratribus et ab eis constitutis quemvis dictae Urbis et illius burgi carcerem, non tamen secretum, toties quoties fuerit requisitus, ingredi permittat.

Indulgentias confratribus elargitur;

§ 5. Et insuper cupientes ut christifideles eo libentius dictam archiconfraternitatem ingrediantur, et piis operibus huiusmodi intendant, quo ex hoc dono coelestis gratiae se uberius refectos esse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui dictam archiconfraternitatem pro tempore ingredientur, die eorum ingressus, si tunc vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint; ac in cuiuslibet eorum mortis articulo, si etiam vere poenitentes et confessi sanctissimum nomen Iesu ore vel corde invocaverint; necnon eisdem confratribus similiter vere poenitentibus et confessis, qui prima quaque die dominica mensis sanctissimum Eucharistiae Sacramentum huiusmodi sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate et tenore praedictis, misericorditer in Domino concedimus. Praeterea eisdem confratribus, quoties se invicem aggregaverint, eleemosynam elargiti fuerint, ipsos

carceratos visitaverint, et circa eos aliqua alia pia opera exercuerint, centum dies de eis iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, auctoritate et tenore praedictis, etiam misericorditer in Domino relaxamus.

Alias confraternitates aggregandi et indulgentias communicandi auctoritatem tribuit.

§ 6. Postremo ipsis confratribus, ut quascumque alias similes confraternitates, ubique locorum, pro similibus piis operibus exercendis, sub eadem denominatione Pietatis Carceratorum erigendas, dictae archiconfraternitati, tamquam membra capiti, aggregare, ac in eorum numerum seu dependentiam recipere, illisque et earum confratribus indulgentias aliaque privilegia et indulta, eidem archiconfraternitati per praesentes concessa, praedicta communicare, eosque de illis participes facere libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore, pariter perpetuo indulgemus.

Clausulae praeservativae.

§ 7. Decernentes praesentes litteras sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et modificationibus similium indulgentiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore editis, etiam in favorem fabricae basilicae Principis apostolorum de eadem Urbe ac Cruciatæ Sanctae, nullo umquam tempore comprehendi, sed ab illis omnino exceptas esse, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum ac validissimum statum restitutas, et de novo, etiam sub data per eosdem confratres eligenda, concessas fore et censeri, ac perpetuis futuris temporibus durare.

Clausula sublata.

§ 8. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, voluntatis, applicationis, appropriationis, concessionis, praecepti, mandati, relaxationis, indulti et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono, IV kalendas iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 28 iunii 1579, pontif. anno VIII.

CII.

Confirmatio litterarum Innocentii VIII, per quas monasteria monialium Sanctae Catharinae et Sanctae Mariae Magdalenae Perusinae, Ordinis Sancti Benedicti, invicem unita, visitationi et congregationi Sanctae Iustinae Paduanae subiiciuntur, cum confirmatione indulgentiarum eis ab Alexandro VI et de novo concessarum [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Inter ceteras curas, quae nobis imminent, in eam praecipue incumbimus ut monasteria monialium vitae sanctitate praefulgeant, quod ut succedat, partes nostras libenter interponimus.

Facti series.

§ 1. Cum itaque felicis recordationis Innocentius Papa VIII, praedecessor noster, certis tunc expressis de causis adductis, monasteria Sanctae Catharinae extra, et Sanctae Mariae Magdalenae intra muros Perusii, Ordinis Sancti Benedicti,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

invicem perpetuo unita, ac eorum abbatissam et conventum, tunc et pro tempore existentes, ab ordinarii loci et cuiuslibet alterius visitatione, correctione, punitione, iurisdictione et superioritate, ita quod ordinarii ac alii quicumque nullum in monasteria ac abbatissam et conventum huiusmodi ac illarum servitores, servitrices, res et bona quaecumque possent iurisdictionem seu superioritatem aliquam quomodolibet exercere, etiam ratione delicti, contractus aut rei de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipsa consisteret, sed deberent, coram Sede Apostolica et eius delegatis seu praelatis, praesidentibus et patribus pro tempore congregationis monachorum Sanctae Iustinae Paduanae dicti Ordinis dumtaxat, conquerentibus de eis de iustitia respondere, exemit et liberavit; necnon curae, visitationi, correctioni et directioni praelatorum, praesidentium et aliorum praedictorum pro tempore congregationis monachorum Sanctae Iustinae de Padua dicti Ordinis huiusmodi subiecit, mandans praelatis, praesidentibus ac patribus praedictis ut monasteria praedicta sub huiusmodi cura reciperent, illaque ac abbatissam et conventum huiusmodi visitarent et reformarent secundum ritus et mores dictae congregationis; ac eisdem abbatissae et conventui, ut omnibus et singulis gratiis, favoribus, privilegiis, exemptionibus et indultis, spiritualibus et temporalibus, dictae congregationi ac illius monasteriis, membris ac monasteriis monialium eiusdem congregationis, eius curae similiter commissis, in genere concessis et concedendis, et quibus ipsa monasteria in genere potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possent quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite valerent, indulsit; et deinde piae memoriae Alexander Papa VI, praedecessor noster, ipsis abbatissae et conventui, quod in quadragesimae et aliis anni temporibus, in quibus stationes maiores in ecclesiis Urbis et extra muros illius celebrantur, unum vel duo altaria seu loca in ecclesia dictorum monasteriorum visitando, et quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dicendo, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur visitantes dictas ecclesias Urbis et extra illius muros, temporibus quibus stationes huiusmodi celebrarentur, prout in litteris dictorum praedecessorum desuper confectis plenius continetur.

§ 2. Cum autem dilectae in Christo filiae modernae abbatissa et conventus dictorum monasteriorum laudabiliter hactenus sub gubernio et regimine dictorum praesidentium et patrum vixerint, ac cum maxima totius populi Perusini satisfactione, et desiderent praemissa, pro eorum firmiori subsistentia, per nos approbari, pro parte earumdem nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eorum desiderio in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur. *Causa praesentis concessionis.*

§ 3. Nos igitur, abbatissam et singulares personas conventus huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes; necnon dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteris Innocentii praedecessoris praedicti robur apostolicae confirmationis ac perpetuae et inviolabilis firmitatis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, adiicimus, et quatenus opus sit, praemissa omnia et singula de novo concedimus, et indulgentias praedictas, *Confirmat praefatarum litterarum.*

prout per dictum Alexandrum praedecessorem concessae fuerunt, misericorditer in Domino de novo concedimus et elargimur.

Clausulae. § 4. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur executio. § 5. Quocirca venerabilibus fratribus Perusinensi, Amerinensi et Narniensi episcopis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte abbatissae et conventus huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicent et publicari faciant, non permittentes eas desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon omnibus illis, quae in dictis litteris expressum est non obstare, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDLXXIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 8 iulii 1579, pontif. anno VIII.

CIII.

Statutum collegiorum Sancti Ioannis Evangelistae Portugalliae, ne quis extra dicta collegia habitum deferat, cum mandato ordinariis ut id servari faciant [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Quaecumque sacrarum Religionum statum offendere noscuntur, nostrum nos incitat officium de medio removere. Cum itaque, sicut accepimus, generalis et alii rectores et canonici collegiorum congregationis Sancti Ioannis Evangelistae regni Portugalliae, ad instar Sancti Gregorii in Alga Venetiarum, suis institutis a Sede Apostolica approbatis et confirmatis se moresque suos conformare, ac sub obedientia suorum superiorum Altissimo famulatum exhibere studeant, necnon ingredientes dicta collegia statutis a iure temporibus habitum eiusdem congregationis suscipiant, et nonnullae personae dicta collegia non ingressae nec de dicta congregatione exeuntes, habitum huiusmodi, perinde ac si canonici dictorum collegiorum dictae congregationis existerent, ubique gerere non formident, in Dei offensam ac animarum suarum periculum, necnon maximum dictae congregationis futurum scandalum; dum enim tales personae aliquod delictum committunt, id dictae congregationi facile imputari potest. Exordium et causa constitutionis edendae.

§ 2. Volentes itaque huic incommodo de aliquo opportuno remedio providere, harum serie statuimus et ordinamus quod omnes et singulae personae, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentes, habitum, quem in dictis collegiis non susceperint, statim postquam rector generalis dictae congregationis praesentes nostras litteras in illis partibus Ordinatio de qua in rubrica.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

publicari et eis intimari fecerit, nullo alio a nobis desuper expectato mandato, dimittant; qui vero id facere neglexerint seu recusaverint, excommunicationis laqueo, a quo nonnisi ab Apostolica Sede, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, innodamus eo ipso.

Executorum deputatio.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus episcopo Amerinensi ac ordinariis locorum, ubi collegia dictae congregationis existunt, et eorum cuilibet mandamus quatenus ipsi et quilibet eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectorum seu canonicorum huiusmodi fuerint requisiti, ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent in futurum, firmiter observari faciant, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedie, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, volumus et dicta auctoritate decernimus quod transumpto praesentium litterarum, sigillo dicti rectoris munito et manu notarii publici subscripto, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die duodecima iulii MDLXXIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 12 iulii 1579, pontif. anno VIII.

CIV.

Confirmatio constitutionum fratrum Beatae Mariae Servorum per generalem et alios deputatos correcturum et compilatarum, et per cardinalem protectorem revisarum[1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et facti series.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilecti filii fratres Ordinis Servorum Beatae Mariae semper Virginis, sub Regula S. Augustini viventes, in capitulo generali, nuper mensibus praeteritis ab eis Parmae celebrato, simul congregati, nonnulla statuta ad felicem statum et directionem ac reformationem eiusdem Ordinis fecerint, atque dederint in mandatis dilectis filiis Alexandro provinciali Lombardiae, et Paulo provinciali Venetiarum, ac Cirillo socio provinciae Romandiolae, ut una cum dilectis filiis Iacobo de Florentia, priore generali, et Antonio de Burgo Sancti Sepulcri, procuratore in Romana Curia,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dicti Ordinis omnes, eiusdem Ordinis constitutiones, iuxta litteras reformationis eiusdem Ordinis per felicis recordationis Pium Papam V, praedecessorem nostrum, factae, atque iuxta dicti Ordinis regularia instituta corrigerent ac reformarent, et simul cum aliis in dicto capitulo statutis ederent, et eorum confirmationem a nobis peterent; ipsi vero, simul in monasterio Sancti Marcelli de Urbe dicti Ordinis convenientes, praedictas constitutiones, iuxta litteras reformationis praedictae, ac statuta in eodem capitulo generali decreta, correxerunt, reformarunt et compilarunt, nonnullas dubietates, quae in eis erant, explicantes, ac etiam quaedam alia de novo addentes, prout eis visum est expedire, atque illas deinde a nobis confirmari humiliter supplicarunt.

Confirmatio constitutionum de quibus in § praecedenti.

§ 2. Nos vero constitutiones praedictas, et per eosdem priorem generalem et secum deputatos fratres praedictos, ut praefertur, correctas, reformatas ac compilatas, dilecto filio nostro Iulio Antonio, tituli Sancti Bartholomaei in Insula presbytero cardinali Sanctae Severinae nuncupato, eiusdem Ordinis apud nos Sedemque Apostolicam, pro venerabili fratre nostro Alexandro episcopo Portuensi cardinali Farnesio nuncupato protectore, viceprotectori, revidendas et examinandas remiserimus; dictusque Iulius Antonius cardinalis illas accurate ac omni cum diligentia reviderit et examinaverit; cupientes easdem constitutiones et ordinationes ab omnibus, quos illae quomodolibet concernunt et concernent in futurum, diligenter et exacte observari, ac priorem generalem et secum deputatos praedictos atque alios universos eiusdem Ordinis fratres a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon constitutionum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, ac revocantes in primis alias eiusdem Ordinis constitutiones, praesertim editas de anno MDLXIX, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas constitutiones et ordinationes praedictas, a priore generali ac secum deputatis fratribus praedictis correctas, reformatas, compilatas et editas, et ab eodem Iulio Antonio cardinali, ut praefertur, revisas et examinatas, atque omnia et singula in eis contenta, ex certa scientia, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum, etiam substantialium, defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; praecipientes quoque, in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae poena, omnibus et singulis dicti Ordinis fratribus, quatenus de cetero constitutiones et ordinationes praedictas inviolabiliter observent et observare studeant.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari aut alias quomodolibet infringi, seu etiam per Sedis Apostolicae de latere legatos aut vicelegatos, seu dictum Alexandrum cardinalem et pro tempore existentem protectorem, seu viceprotectorem aut generalem aut superiores dicti Ordinis vel quoscumque alios, quavis auctoritate, revocari, suspendi, restringi, limitari vel eis in aliquo derogari nullatenus umquam posse; sed constitutiones et ordinationes praedictas, a priore generali et secum deputatis fratri-

bus huiusmodi correctas et reformatas, ac ab eodem Iulio Antonio cardinali revisas et examinatas, perpetuo validas et efficaces fore et esse, necnon suos plenarios et integros effectus sortiri; sicque in praemissis ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii auditores et alios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus et similiter dicta auctoritate decernimus quod transumpto praesentium litterarum, sigillo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die sexta septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo nono, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 6 sept. 1579, pontif. anno VIII.

CV.

Quaedam circa nundinarum libertatem in Viterbiensis coenobii Ordinis Praedicatorum favorem sancita firmat [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem, sanctae religionis supremum assertorem, ea quæ, pro ecclesiarum et locorum regularium ac personarum in illis studio piae vitae vacantium profectu et commoditate devotionisque fidelium augmento, per Sedis Apostolicae providentiam circumspectam provide concessa sunt, approbationis suae munimine consolidare, ac alias in his officii sui partes libenter interponere, prout, ecclesiarum, locorum et personarum eorumdem qualitatibus et meritis debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Facti series.

§ 1. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Sixtus Papa IV, praedecessor noster, ad christifidelium devotionem erga ecclesiam Domus B. Mariae de Quercu nuncupatae, in Campo Gratiano, prope et extra muros Viterbienses, Ordinis fratrum Praedicatorum, per amplius augendam, omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, qui dictam ecclesiam in die dominico, festivitatem Nativitatis eiusdem B. Mariae Virginis de mense septembri immediate sequente, a primis vesperis usque ad secundas vesperas eiusdem diei dominicae, visitarent, plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi forent, indulgentiam et remissionem perpetuo duraturam apostolica auctoritate concesserat; ac, ut ipsi fideles, ad eamdem ecclesiam confluentes, huiusmodi indulgentiae facilius participes esse possent, pro tempore existenti dictae domus prio-

1 Ex Bull. Ordinis fratrum Praed., tom. V, pag. 367.

ri, tot quot vellet presbyteros idoneos, saeculares et cuiuscumque Ordinis regulares, qui confessiones quarumcumque personarum de civitate et dioecesi Viterbiensi non existentium, et eamdem ecclesiam, pro huiusmodi consequenda indulgentia, visitantium, per tres dies praecedentes et totidem sequentes dictam dominicam dumtaxat, audire, ac eorum confessionibus diligenter auditis, eisdem personis, pro commissis per eos criminibus, excessibus et delictis ac peccatis omnibus in dictae Sedi non reservatis casibus, debitam absolutionem ea vice dumtaxat impendere, et poenitentiam salutarem iniungere valerent, deputandi facultatem dicta auctoritate indulserat; et piae memoriae Iulius Papa secundus, etiam praedecessor noster, indulgentiam et facultatem huiusmodi sub quacumque revocatione seu suspensione per eum vel Sedem praedictam de similibus indulgentiis eatenus facta vel facienda comprehendi, seu revocari aut suspendi minime posse neque debere, nisi de illis earumque toto tenore specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facta foret, eadem auctoritate statuerat, decreverat et declaraverat; idem Iulius praedecessor tunc et pro tempore existentibus prioribus dictae civitatis, quod ex tunc perpetuis temporibus, annis singulis, de dicto mense septembri, nundinas in ipsa civitate per decem dies duraturas, in illius kalendis inchoandas et ex tunc finiendas; ac quod conducentes merces, animalia et alia bona ad ipsas nundinas, et deinde illas reducentes, ad aliquam gabellarum solutionem minime tenerentur, sine tamen praeiudicio Camerae Apostolicae et provincialium, celebrare valerent, auctoritate praedicta indulsit.

Leo X tempus et durationem nundinarum immutat.

§ 2. Et deinde recolendae memoriae Leo decimus, similiter prædecessor noster, tam priori et conventui dictae domus ac deputatis illius fabricae quam etiam civitatis huiusm., ut ex tunc perpetuis futuris temporibus nundinas praedictas libere, non in dictis kalendis septembris per decem dies duraturas, ut praefertur, sed per quindecim dies ante festum Pentecostes inchoandas, et etiam per quindecim dies post ipsum festum finiendas, non solum in dicta civitate, sed etiam in Campo Gratiano, prope dictam ecclesiam, alias iuxta tenorem indulti Iulii praedecessoris huiusmodi, celebrare possent, dicta auctoritate concessit et etiam indulsit.

Clemens VII ex causis hic expositis, duos deputatos ad triennium deligit.

§ 3. Et successive similis memoriae Clementi VII, pariter prædecessori nostro, pro parte prioris et conventus domus et deputatorum fabricae huiusmodi exposito quod, ex consuetudine et ordine prioris et conventus Prædicatorum ac dilectorum filiorum communitatis et hominum ipsius civitatis, certos ex eisdem hominibus, una cum priore domus huiusmodi super fabrica praedicta ac administratione et dispensatione bonorum provenientium ex eleemosynis fidelium ad dictam ecclesiam, propter multa miracula quae ibidem Altissimus, meritis et intercessione eiusdem B. Virginis, iugiter operabatur, tunc confluentium, ad illius honorem ac eiusdem ecclesiae et divini cultus in ea ampliationem, necnon religiosorum inibi existentium sustentationem pie oblatis, deputari; ipsosq. deputatos unius tantum anni spatio officium suum exercere consuevisse, ac ob varias civium Viterbiensium seditiones et discordias, multitudinesque eorumdem deputatorum et crebras illorum mutationes saepe evenerit ut ipsi deputati, invicem discordes, ab inceptis bonis operibus et rerum administratione cessarent, ideoque pia illorum opera semper interrupta et imperfecta remanebant, et propterea multitudo ipsa fidelium ad dictam

ecclesiam ferventer concurrere sistebat, et cultus illic divinus quotidie diminuebatur, ac prior et conventus domus huiusmodi multa incommoda patiebantur; idem Clemens praedecessor, ecclesiae et conventus praedictorum indemnitati consulere volens, inter alia, statuit et ordinavit quod ex tunc de cetero ad eamdem ecclesiam seu illius fabricam duo tantum cives Viterbienses officiales superstantes, deputati nuncupati, prout tunc per praedictae civitatis gubernatores ad tunc prioris dictae domus petitionem deputati noscebantur, futuris temporibus deputarentur, quorum officium per triennium, a die deputationis ipsorum et sine interpellatione computandum, perduraret; ipso tamen triennio elapso, legatus sive dictae civitatis gubernator vel alterius eorum vicesgerens pro tempore existentes duos alios cives in superstantes fabricae huiusmodi, dummodo idonei essent, cum simili facultate et potestate, deputarent, sive antiquos, si eis videretur, ad aliud triennium confirmarent.

Pauli III circa supradictos deputatos dispositiones;

§ 4. Praeterea bonae memoriae Paulus III, itidem prædecessor noster, statutum et ordinationem Clementis, praedecessoris huiusmodi, dicta auctoritate approbans et confirmans, duos dumtaxat ex civibus Viterbiensibus in superstantes fabricae ecclesiae seu domus huiusmodi, per legatum seu gubernatorem aut vicesgerentem praedictos, ad petitionem prioris domus huiusmodi, ad triennium duraturos, nisi aliquando ipsis legato, gubernatori aut vicesgerenti et priori ex aliqua rationabili causa aliter videretur, futuris temporibus deputari debere; eosdemque pro tempore cives deputatos, praetextu officii superstantis fabricae, in aliis rebus domus et ecclesiae huiusmodi, praeterquam in his, quae officium superstantis concernebant, quoquomodo se intromittere, aut aliquam servitutem domui et ecclesiae seu priori et fratribus prædictis imponere, vel aliquid ab eis exigere, seu aliquam in eos potestatem exercere, nisi quantum ex aliquo dictæ Sedis privilegio permissum eis foret, minime posse neque debere, auctoritate praedicta decrevit et declaravit, ac eisdem civibus et quibusvis aliis, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, a qua nisi per Romanum Pontificem, praeterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium obtinere nequirent, se intromittere aut illos molestare praesumerent.

Nec non certi spatium temporis nundinarum et alia.

§ 5. Idemque Paulus praedecessor voluit et dicta auctoritate decrevit quod praedium de Sancto Cataldo, situm in plano *delli Orfanelli* nuncupato, territorii dictæ civitatis, ad eamdem domum spectans, pro incluso et in numero bannitarum haberetur vel teneretur, et qui in illo damnum dare reperti forent, poenas per statuta dictae civitatis damnum dantibus in praediis et possessionibus inclusis et bannitis impositas incurrerent, et ad illarum solutionem tenerentur; et postmodum, pro maiori commoditate et utilitate domus et ecclesiae praedictarum, eisdem priori, conventui et deputatis, quod nundinae praedictae non triginta diebus, quindecim vero ante et quindecim post festum Pentecostes huiusmodi, sed per octo dies ante et alios octo post idem festum Pentecostes, et successive per quinque ante et alios quinque dies post dominicam immediate sequentem festum Nativitatis Beatae Mariae huiusmodi, et in Campo Gratiano praedicto seu alio loco extra et prope muros Viterbienses, tantum celebrari possent, ita ut, tempore nundinarum huiusmodi durante, ad illas conducentes et ab illis deducentes merces, animalia et alia bona, iuxta morem aliarum nundinarum liberarum, ad alicuius gabellae seu alterius oneris solutionem minime tenerentur, eadem aucto-

ritate concessit et indulsit; ac demum per eum accepto quod tempus decem dierum huiusmodi nimis breve erat, ac ob illius brevitatem illi, qui alias ad nundinas ipsas venturi erant, videntes non posse infra tale tempus ad illas accedere et inde recedere, ad easdem nundinas non veniebant, et multi mercatores ad illas propterea venire non curabant, idque in fabricae praedictae praeiudicium redundabat, cum necessaria ad prosecutionem et absolutionem illius provideri non possent, tempus decem dierum huiusmodi ad sexdecim dies, octo vero ante et octo post ultimo dictam dominicam, dicta auctoritate prorogavit et ampliavit.

Pii IV ad rem ordinationes.

§ 6. Ac denique venerandae memoriae Pius Papa Quartus, etiam praedecessor noster, praemissa omnia, quatenus illa essent in usu, auctoritate praedicta approbavit et confirmavit, necnon hospitium ad domum et fratres praedictos pertinens, ac pro commoditate et necessitate forensium, ibidem ad vota persolvenda, et nundinas huiusmodi venientium, extra praedictam civitatem in campo Gratiano huiusmodi constructum, perpetuo, ut prius, liberum et exemptum statuit et declaravit. Ac rursus per eum accepto quod nonnulli circumvicini dicti praedii de Sancto Cataldo, pro eo quod praedium ipsum non solum in Viterbiensi, ut praefertur, sed etiam in castri Viterchiani[1] territoriis consistebat, praetendentes se et eam partem ipsius praedii in dicto territorio Viterchiani consistentem in numero bannitarum dictae domus non comprehendi, variis modis priorem et conventum praedictos super praedio huiusmodi perturbare et inquietare praesumebant, herbas bannitas faciendo, pascendo, vendendo et alia committendo, in domus, prioris, fratrum et conventus praedictorum praeiudicium non modicum et gravamen, praedictus Pius praedecessor, ad removenda huiusmodi discrimina, decrevit quod praedium huiusmodi de cetero pro incluso in numero bannitarum prioris et fratrum ac conventus huiusmodi pariter haberetur, teneretur et intelligeretur, districtius inhibendo communitati et hominibus Viterbiensibus ac castri Viterchiani, omnibusque et singulis universitatibus et particularibus personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, ne, sub poenis in statutis dictae civitatis de damna dantibus in praediis et possessionibus inclusis et bannitis contentis, eo ipso incurrendis, bannitas in praeiudicium domus et conventus praedictorum facere, nec herbas praedictorum locorum[1] colligere, incidere, pascere vel vendere auderent seu praesumerent.

Dispositiones Pii V eiusque litterae.

§ 7. Et postremo per sanctae memoriae Pium Papam quintum, similiter praedecessorem nostrum, accepto quod ante publicationem quarumdam suarum litterarum in religiosorum domorum et locorum Ordinis Mendicantium favorem, super exemptione et immunitate a solutione et praestatione exactionum, datiorum, gabellarum, pedagiorum, victualium et aliarum impositionum, necnon facultate administrandi bona monasteriorum, conventuum et aliorum locorum eorumdem religiosorum dicti Ordinis Mendicantium, ac de fructibus, redditibus, proventibus et subventionibus illorum, necnon eleemosynis et oblationibus, ac prohibitione ne de cetero tutores et curatores seu procuratores aut alio nomine nuncupati sanctesii de eisdem bonis, fructibus et eleemosynis ullo modo disponere possent, concessarum, eleemosynae et oblationes, quae in dicta ecclesia annuatim fieri consueverant, et ex quibus pro maiori parte onera conventus domus huiusmodi supportabantur, ac in quibus emolumenta et redditus eorumdem conventus potissimum existebant, in una capsa, duabus

1 Ripoll, hic et alibi, *Vitorchiani* (R. T.).

1 Ripoll legit *herbas suorum praediorum* (R. T.).

clavibus obserata, includebantur, et earumdem clavium una penes priorem et conventum domus huiusmodi, altera vero penes certos laicos, sanctesios nuncupatos, annuatim, sive alias a communitate sive consilio dictae civitatis electos, retinebantur; dictique laici administrationem huiusmodi, iuxta ipsarum litterarum tenorem illis interdictam, ac eos ad claves dictae capsae eidem priori et conventui restituendum et consignandum astrictos fuisse aegre ferebant, ac forsan clausulam illam dictis litteris adiunctam, ne scilicet tutores aut curatores seu procuratores et alio nomine sanctesii aut alias nuncupati soli de eisdem bonis ullomodo disponere possent, contra mentem ipsius Pii praedecessoris, sinistre interpretabantur, ac ipsis huiusmodi administrationem non simpliciter interdictam, sed ne ipsi soli administrarent limitatam fuisse praetendebant, atque inde se desuper priorem et conventum praedictos molestare velle iactabant, occasionemque controvertendi quærebant, idem Pius quintus praedecessor litteras praedictas, cum omnibus in illis contentis clausulis, auctoritate praedicta, motu proprio et ex certa eius scientia confirmavit, ac, pro potiori cautela, officium et interventum sanctesiorum seu alio nomine nuncupatorum laicorum administratorum huiusmodi in ipsis conventu et ecclesia, ac illorum nomen et denominationem suppressit, extinxit, cassavit et annullavit; necnon communitati, consilio et officialibus civitatis huiusmodi ac quibuscumque aliis, ad quos similis electio et deputatio de iure vel consuetudine spectat et pertinet, ne in posterum in huiusmodi officio, electione seu administratione se intromitterent districtius inhibuit; ac eidem priori et fratribus, tunc et pro tempore existentibus simul et in solidum omnium et singulorum dictae domus bonorum ac illius fructuum, reddituum et proventuum, necnon quarumcumque oblationum et eleemosynarum eis in posterum faciendarum, liberam et omnimodam administrationem, distributionem, fabricaeque dictae ecclesiae curam et regimen, ita quod ipsi prior et fratres, semotis et exclusis sanctesiis seu officialibus huiusmodi, qui intervenire consueverant, de ipsis fructibus, proventibus, eleemosynis et oblationibus disponere, illosque in ecclesiae et conventus praedictorum utilitatem ipsorumque sustentationem convertere, et alias iuxta ipsarum litterarum vim, formam et tenorem libere possent et valerent, concessit, irritanti decreto desuper apposito, prout in diversis singulorum praedecessorum praedictorum litteris desuper confectis plenius continetur.

§ 8. Nos igitur, ecclesiam et domum huiusmodi non minori quam dicti praedecessoris nostri gratia et liberalitate complecti ac in suis privilegiis et immunitatibus confovere volentes, ipsosque priorem et fratres ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum prioris et fratrum vel alicuius eorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate et ex certa scientia nostris singulas litteras praedictas, cum inhibitionibus, mandatis, statutis, decretis, derogationibus, privilegiis, indultis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis ac omnibus et singulis aliis clausulis in eis contentis, auctoritate prae-

Confirmatio litterarum praedictarum.

dicta, tenore praesentium, quatenus sint in usu et sacris canonibus ac Tridentino concilio non contraria, approbamus et confirmamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus.

Immutatio dierum pro nundinis habendis.

§ 9. Volumus autem quod praedictae nundinae, quae alias per octo dies ante et per totidem post festum Pentecostes et Nativitatis Beatae Mariae haberi et celebrari consueverunt, de cetero per sexdecim etiam dies qualibet vice, prima vero per quatuor ante et duodecim post festum Pentecostes, altera vero vicibus huiusmodi de mense septembris, similiter per quatuor ante et duodecim dies similes post dominicam immediate sequentem festum Nativitatis Beatae Mariae Virginis huiusmodi, ultra dies in honorem Dei et illius sanctorum feriatos, si qui intervenerint, occurrant durare.

Clausulae.

§ 10. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu, et ex eo quod interesse forsan habentes ad id vocati non fuerint, vel ex quacumque alia causa notari, impugnari vel invalidari, aut in ius vel controversiam revocari nullatenus posse; easque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus seu dicta Sede aut illius legatis vel nunciis, etiam de latere, pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antequam emanarent erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et fore, ac eisdem priori et fratribus suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur executio.

§ 11. Quocirca venerabilibus fratribus Montis Flasconensis et Balneoregiensi episcopis, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte prioris et fratrum praedictorum ac aliorum interesse habentium seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdem in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiter observari; ipsosque priorem et fratres ac alios interesse habentes illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis ac in provin-

cialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus et generalibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon civitatum, oppidorum, terrarum, villarum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac etiam legibus municipalibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque confraternitatibus, universitatibus, prioribus, superioribus, gubernatoribus, hominibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et scientia similibus ac de apostolicae potestatis plenitudine seu alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; necnon omnibus illis, quae in singulis litteris praedictis expressum fuit non obstare, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die nona septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo nono, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 9 sept. 1579, pontif. anno VIII.

CVI.

Usus altaris portatilis religiosis Societatis Iesu restituitur, non obstante concilii Tridentini dispositione, ut in eorum missiones, quae a superioribus eorum fiunt, ubique in loco tuto missam celebrare et Eucharistiam ministrare possint.

Gregorius Papa XIII dilectis filiis praeposito generali et presbyteris Societatis Iesu.

§ 1. Usum altaris viatici Societati vestræ a felicis recordationis Paulo Papa III concessum, deinde a concilio Tridentino universe sublatum, vobis eatenus restituimus, ut inter missiones, quae a superioribus fiunt, presbyteri vestri, servata alias forma dictae concessionis, missae sacrificium licite valeant celebrare super huiusmodi altare ubique gentium, etiam in castris militum, modo loca, etsi communia et profana, tuta et honesta sint, et generalis aut per eum provinciales praepositi eo tum utendum fore iudicaverint. Itidemque possint ibi presbyteri ipsi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debite praeparatis. Restitutio in qua in rebus

§ 2. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Eadem porro fides ubique detur praesentium exemplis, eo quo solent alia in vestra Societate transumpta modo munitis, quae daretur ipsis praesentibus, si exhiberentur vel ostenderentur. Contrariorum derogatio.

Datum Romae apud Sanctum Petrum,

sub annulo Piscatoris, die prima octobris, millesimo quingentesimo septuagesimo nono, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 octobris 1579, pontif. anno VIII.

CVII.

Confirmatio institutionis ac statutorum collegii procuratorum civitatis Perusinae [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii decanus et vicedecanus, necnon procuratores collegii procuratorum et causas dicentium in civitate Perusina canonice instituti, quod alias dictum collegium, pro causarum celeriori expeditione et maiori utilitate et commodo litigantium institutum fuit, et pro illius directione et manutentione capitula, decreta, ordinationes, institutiones statutaque infrascripta promulgata fuerunt, videlicet:

Qualitates in procuratoribus requisitae.

§ 2. Quod nemo possit in dicta civitate illiusque tribunalibus et curiis officium procuratoris et causidici gerere, nisi fuerit originarius civis Perusinus, bonorumque morum, laudabilis vitae, optimae conditionis et famae, et per quinquennium operam dederit theoricae, et per biennium practicae incubuerit.

Collegii decanus eiusque auctoritas.

§ 3. Quodque antiquior in dicto collegio receptus semper denominetur decanus, et sequens vicedecanus, quibus liceat huiusmodi collegium, pro peragendis illius negociis, convocare et coadunari facere, et omnes procuratores dicti collegii eis obedientiam praestare eorumque mandatis parere teneantur, et in procedendo ac incedendo omnibusque aliis actis ac functionibus semper senioribus omnis reverentia, sub poena suspensionis et privationis ad tempus, praestari debeant.

De admissione in collegium.

§ 4. Ac qui vult admitti in dictum collegium, id decano seu vicedecano dicere, ac ab eo licentiam explorandi animos aliorum obtinere debeat, et deinde, licentia huiusmodi obtenta, collegium praedictum congregare valeat; et in illius congregatione deputentur nonnulli inquisitores, qui de qualitate, conditione, vita, moribus, littera, practica et sufficientia assumendi se plenius informare, ac habita informatione, infra octo dies eidem collegio relationem facere debeant; qua relatione facta, si favorabilis fuerit, tunc deputentur duo examinatores exactiores ab eodem collegio, qui, solum Deum et charitatem prae oculis habentes, dictum assumendum examinent, et examinatione huiusmodi peracta, illinc ad tres vel quatuor dies relationem faciant, et deinde, si idoneus repertus fuerit, vota collegialium personarum assumendo praestentur; et si maior illorum pars pro assumptione convenerit, ille intelligatur admissus et in eodem collegio descriptus, ac pro huiusmodi admissione solvere teneatur in manibus depositarii dicti collegii scuta quinque auri, deponenda antequam examini se subiiciat, et, ultra praemissa, unum par chirothecarum cuilibet ex causidicis dare, et post admissionem huiusmodi iuramentum praestare teneatur, manibus tactis sacrosanctis Evangeliis, sub hac forma, videlicet:

Forma iuramenti praestandi a procuratoribus admittendis in collegium praefatum.

Ego N. iuro per Deum omnipotentem Patrem, et Dominum nostrum Iesum Christum filium eius unigenitum, et per Spiritum Sanctum, qui ex Patre Filioque procedit, et per omnes sanctos et sanctas Dei, ac iureiurando promitto officium procurationis, nuper per me assumptum, semper et continue, dum illud exercuero, fideliter, legaliter, bona fide et cum recta conscientia exercere, iustas causas assumere et defendere, et iustitiam, veritatem et aequitatem amplecti; et quampri-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

mum iniustitiam causae, quam agendam et defendendam assumpsero, cognovero, illam penitus derelinquere, et in ea amplius me non intromittere; nec cursum iustitiae quovis modo per calumniam vel vias indirectas impedire; clientibus vel aliis ad me venientibus malum consilium, ad veritatem occultandum vel aliquid illicitum admittendum in causis vel quovis alio negotio, necnon conferendum minime dare, nec in rebus illicitis auxilium, opem vel consilium praestare, sed potius ab omni malo proposito eos avertere; statuta civitatis, superiorum constitutiones et decreta ac ordinationes nostri collegii firmiter et inviolabiliter observare, et in nullo contrafacere vel venire, sub poenis et censuris de quibus in eis; pupillos et viduas pauperesque miserabiles personas ad me venientes et eorum causas gratis et amore Dei facere, tueri atque defendere; pactaque de quota litis vel similia nullo modo facere, vel ut alii faciant consulere, et mandatis superiorum meorum parere; in consiliis seu tractatibus contra Sedem Apostolicam illiusque legatos, vicelegatos, gubernatores et officiales ab eadem Sede deputandos non adesse, nec quicquam in illorum dedecus vel ignominiam admittere, nec conventiones contra eos facere, sed pro posse omnibus scandalis contra illos imminentes obviare, et cum examinator vel inquisitor deputatus fuero, omnia cum charitate et pro veritate facere atque exercere et referre; et in his observandis benedictus Deus me adiuvet, et haec omnia per haec sancta Dei Evangelia, quae propriis manibus teneo, iureiurando confirmo.

Collegialium obligationes.

§ 5. Insuper, quod quilibet ex dicto collegio ter in anno ad minus sacratissimam Eucharistiam assumere debeat in festis Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, et Pentecostes, et Nativitatis eiusdem; quodque singuli vocati ad congregationem collegii ex parte decani vel vicedecani, teneantur accedere, et non accedentes solvant iulium unum pro qualibet vice; ac in omni actu, etiam in causis proponendis et in incedendo, semper senior praecedere debeat, et si quis contrafacere praesumpserit, poena unius auri plectatur.

Quid debeat devitare.

§ 6. Quodque nullus ex iunioribus debeat praecurrere seniores, nisi de senioris licentia, nec discedat aliquis ex procuratoribus, nisi prius expostulatis aliis si quid habeant contra se; ac quod dicti procuratores, tam ad brachium iuris quam ubique, inter se quam cum clientibus et aliis, contra quos sunt in causa, se abstineant a superfluis et verbis iniuriosis et iurgiis omnibus, sub simili poena pro qualibet vice.

Pax servanda, spes illiciti lucri demittenda.

§ 7. Et qui repulsus est ab alio collegio in dictum collegium non affrancetur, nullusque ex eisdem procuratoribus causam aliquam contra communitates Perusinas accipiat, nisi petita venia; et ulterius, quod omnes procuratores praedicti, sub vinculo iuramenti per eos praestiti, debeant inter se pacem et quietem habere, ac illam et concordiam inter quoscumque litigantes pro posse tractare et parere, omni spe illiciti lucri explosa.

Dies festi servandi.

§ 8. Quodque dies Paschatis, dominicales, Natalis Domini et alias festivitates, ex praecepto servari solitas ac institutas, servare, et ab ingressu palatii abstineri debeant; ipsique procuratores incedere debeant togati, vel cum palliis longis desuper, et subtus cum aliis usque ad genua, maxime in actu exercitii, et nisi ita induti fuerint, non audiantur in aliquo actu; et processus et scripturas ac alia omnia, statim atque moniti fuerint, reddere et restituere, sub simili poena unius auri, teneantur; possintque inter se officiales deputare, et eligere nuncium et notarium, sigillumque conficere, et illo uti;

decretaque per bonae memoriae Iulium cardinalem de Urbino nuncupatum condita et facta ab eis servari debeant; ac pauperum procurator et communitatis nullo modo, durante eius officio, possit aut valeat aliquid penitus a pauperibus recipere, etiam a sponte dare volentibus, sed pro illis teneatur omnino gratis omnia facere et procurare, exceptis commestibilibus, quae triduo consumuntur.

Processus ad audientiam per notarios portentur.

§ 9. Postremo, quod processus non portentur ad audientiam per ipsos procuratores, sed per notarios, et tunc nonnisi alteri procuratori id intimatum fuerit, ad hoc ut possit informare; et postremo, quod de stylo fides, nisi collegialiter, fieri valeat, prout in diversis desuper confectis scripturis plenius continetur.

Confirmatio dictorum statutorum.

§ 10. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, decanus, vicedecanus et procuratores praedicti cupiant institutum dicti collegii ac statuta et alia praemissa, quae a diversis dictae civitatis gubernatoribus confirmata fuerunt, pro illorum subsistentia, nostra ac Sedis Apostolicae confirmatione roborari, pro parte eorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eorum desiderio in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur, decanum, vicedecanum ac procuratores praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, institutionem collegii, ac decreta et ordinationes ac constitutiones, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus.

Designantur executores.

§ 11. Quocirca venerabilibus fratribus Perusino et Amerinensi episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte decani, vicedecani et praedictorum procuratorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore prasentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae civitatis et aliorum collegiorum eiusdem, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis populo dictae civitatis vel aliis collegiis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio ac consistorialiter et alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus,

etiam si de illis specialis mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima octobris MDLXXIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 octobris 1579, pontif. anno VIII.

CVIII.

Confirmatio ac inhibitio ne religiosi Societatis Iesu ad alios Ordines, etiam Cartusiensem, se possint transferre [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et facti series.

§ 1. Decet Romanum Pontificem, aequi bonique supremum assertorem, aberrantibus tramites occludere, districteque consilia praevaricantia reprimere, ne obcaecatae menti apparens virtus in damnationis periculum sectantes trahat, aliisque perditionis viam sternat. Dudum siquidem felicis recordationis Paulus Papa III, praedecessor noster, inter alia Societati Iesu illiusque praeposito ac personis pro tempore existentibus per eum concessa privilegia, per quasdam suas litteras, sub Datum videlicet quinto decimo kalendas novembris, pontificatus sui anno etiam quintodecimo, voluit et inhibuit ne quis in dicta Societate, post emissa ab eo secundum illius constitutiones vota, sive professus sive scholaris aut coadiutor Societatis huiusmodi esset, ad quemvis alium Ordinem, etiam per Sedem Apostolicam approbatum (Cartusiensi dumtaxat excepto), nisi de expressa eiusdem Sedis vel pro tempore existentis ipsius Societatis praepositi generalis licentia, transire, nec in alio recipi aut retineri posset; ac ipsius Societatis generalis et alii inferiores praepositi, per se vel alios, ab ipsa Societate subterfugientes et egressos, ac quoscumque dictae Societatis apostatas, reliquosque insolentes, qui id mereri viderentur, in quocumque habitu repertos excommunicare, capere, incarcerare et alias suae disciplinae submittere, et ad id, si opus foret, auxilium brachii saecularis invocare libere et licite valerent.

§ 2. Et deinde piae memoriae Pio PP. IV, etiam praedecessori nostro, pro parte clarae memoriae Sebastiani Portugalliae et Algarbiorum regis illustris, et tunc existentis praepositi et personarum Societatis huiusmodi exposito quod nonnullae eiusdem Societatis personae, animi levitate, ut credebat, ductae, ac quietem labori, cui pro excolenda et propaganda christiana republica continuo erant expositae, ac privatum commodum tam publicae quam Societatis huiusmodi utilitati indiscrete praeferentes, fucatisque coloribus asserentes se id facere ob frugem melioris vitae aut strictioris observantiae, seu non obtenta superiorum licentia, ad alios Ordines transire posse iactabant, et forsan tunc quidam de facto transierant; alii vero, ambitiosa cupiditate moti, postquam se Deo dediderant, saeculi libertatem quaerentes, ad illud reverti, et in eo palam degere non dubitaverant nec dubitabant, in animarum suarum detrimentum, ac Societatis praedictae non modicum praeiudicium; quodque, nisi opportuno aliquo remedio consuleretur, verendum erat ne Societas ipsa quae in erudiendis, suis impensa et labore, viris, qui christianae rei-

Recursus ad Sanctam Sedem pro [illegible] in regno Portugalliae [illegible]

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

publicae prodessent, et catholicam fidem in remotissimis partibus propagarent, sedulo intendebat, taliter delusa, careret litteratis, qui operam in vinea Domini, iuxta ipsius Societatis instituta praestari solitam, valerent adimplere. Idem Pius praedecessor, sub Datum videlicet sexto kalendas decembris, pontificatus sui anno VI, quod nullus in dicta Societate admissus, post emissa, ut praefertur, vota, sive professus sive scholaris sive coadiutor, cuiuscumque status, gradus et conditionis ille foret, a dicta Societate exire aut recedere, etiam praetextu cuiusvis indulti a Sede Apostolica seu illius maiore poenitentiario aut aliquo nuntio vel legato, etiam de latere, impetrati et impetrandi, quod etiam ex tunc idem Pius praedecessor subreptitium declaravit, absque expressa superioris licentia, etiam quaesito colore ob frugem melioris vitae aut strictioris observantiae, ad quemvis alium, etiam Minorum vel aliorum fratrum Mendicantium aut Cisterciensium vel Sancti Benedicti aut aliorum monachorum Ordinum huiusmodi, suorumve monasteriorum (praefato Cartusiensi Ordine dumtaxat excepto) recipi seu retineri posset aut praesumeret, sub poena excommunicationis, tam per recipientes quam receptos ac recedentes praefatos ipso facto incurrenda, a qua, praeterquam in mortis articulo, ab alio, quam a Romano Pontifice vel superiore Societatis huiusmodi absolvi non posset, et secus facta non tenerent nulliusque essent momenti.

Poenae contra transgredientes praedictas ordinationes.

§ 3. Et insuper, ut qui ab ipsa Societate ad Cartusiensem, infra tres menses; ad alium vero Ordinem, de licentia praedicta, infra tempus eis a dicto superiore praefigendum, accedere illosque actualiter ingredi, et si in illis permanere nollent aut non possent, absque ulla mora, ad dictam Societatem regredi tenerentur, sub poena excommunicationis praefata, quam tam ipsi admissi quam illos recipientes vel eis auxilium, consilium vel favorem praestantes etiam incurrerent; et nihilominus, si quis ex religiosis ipsius Societatis animo indurato aliquid in contrarium attentare praesumeret, vel a dicta Societate, post in ea emissa vota, ut praefertur, absque superioris licentia, exiret, et in saeculo vel alio, etiam regulari, loco degeret, liceret dicto generali aliisque dictae Societatis superioribus eosdem transgressores et exeuntes, tamquam apostatas, etiam per auxilii brachii saecularis invocationem, summarie et sine figura iudicii, ad dictam Societatem revocare, capere et incarcerare, ac debitae punitioni subiicere, apostolica auctoritate, perpetuo statuit, ordinavit et mandavit, prout in praedictis ac recolendae memoriae Pii Papae V, similiter praedecessoris nostri, super statuto, ordinatione et mandato huiusmodi, cum dictus Pius IV, praedecessor, antequam eius litterae desuper conficerentur, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus, confectis litteris plenius continetur.

Quas nonnulli eludere versute conantur;

§ 4. Et licet nullus praemissis contravenire debuerit, nihilominus sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Everardi Mercuriani, praepositi generalis eiusdem Societatis, petitio continebat, non defuerunt qui versutiis quibusdam litteras praefatas temere interpretantes, et periculose de dictae Sedis potestate disputantes eamque coarctantes, sub praetextu videlicet quod via perfectionis, instinctu Spiritus Sancti suggesta, praecludi minime possit, quodque litteræ huiusmodi solum intelligantur quando transfugae Societatis praedictae in saeculo vagarentur, non autem quando ad alia loca regularia, praecipue Mendicantium, se reducerent, habitumque per ipsos Mendicantes gestari solitum susciperent, seu professionem per eos emitti solitam emitterent aut e-

mittere intenderent, regulares, ac idcirco se excommunicationis latae sententiae in praedictis litteris irrogatae vinculo nequaquam innodari nec affici praetendant, in animarum suarum damnabile periculum dictaeque Societatis iacturam et gravamen ac plurimorum scandalum; postmodum vero, cum ad brachium saeculare recurritur, principes ac magistratus temporales, necnon iudices et executores aut iustitiae ministri seu etiam, vigore privilegiorum Societatis, assumpti conservatores, contra recipientes et retinentes huiusmodi seu dantes consilium, auxilium vel favorem, sub praetextu quod ipsi sic excommunicati in easdem censuras incidisse prius declarandi veniant, procedere recusant, sicque apostatandi aperitur et fovetur occasio.

Quod fieri nequit sine iactura bonorum spiritualium.

§ 5. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, aequum videri non debeat ut qui ad fidei catholicae defensionem et inter gentiles propagationem cum divina gratia procurandam vocati, et in ea diu educati et versati sunt, ii, levi aliqua illusione aut etiam gravi quacumque tentatione vel laboris perferendi taedio, aut etiam honorum et dignitatum desiderio et ambitione, ab opere, iuxta suam vocationem incepto, desistant, aut ex acie pedem referant, maxime vero in regionibus illis, in quibus messis quidem copia magna, operariorum vero inopia maxima existit, ubi etiam has omnes spiritus erratici esse illusiones sperimentum docuit; nam eorum, qui ex illius partibus, praetextu ingressus in Cartusiensem Ordinem, se subtraxerunt, nullus hactenus est illum ingressus, sed quidam, sano consilio et resipiscentia, magno Dei beneficio adiuti, ad Societatem regressi sunt, alii vero in saeculo, non sine animarum suarum periculo et multorum scandalo, remanserunt, quinimmo, simulato in Cartusiensem Ordinem, cuius nulla domus in Indiis, tam orientalibus quam occidentalibus, reperitur, ingrediendi animo, divagari aut ad alium, contra praemissa, religiosum Ordinem se traducere non verentur. Quare pro parte dicti Everardi nobis fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Inhibitio et quae in constitutione.

§ 6. Nos igitur, qui piis ac iustis supplicantium votis libenter annuimus, praemissis obviare volentes, ipsumque Everardum a quibusvis excommunicationis *etc.* censentes; necnon singularum litterarum praefatarum tenores praesentibus pro expressis habentes, ipsasque litteras harum serie confirmantes et ampliantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut imposterum, tam in orientalibus quam et occidentalibus quam omnibus et singulis aliis regionibus extra Europam nullus ex admissis in ipsa Societate, sive professus sive scholaris sive coadiutor, se ab eadem Societate, quavis, etiam perfectionis et melioris vitae praesumptione, ac strictioris Ordinis praetextu seu contemplatione, aut alia etiam iusta et probabili vel legitima causa, post emissa in dicta Societate vota, etiam simplicia, elapso ab eorum ingressu in Societatem biennio emitti solita, absque nostra aut Sedis praedictae seu dicti Everardi vel pro tempore existentis eiusdem Societatis praepositi generalis sive ab eo deputandi vel deputandorum speciali et in scriptis obtenta licentia, sub apostasiae et infamiae perpetuae nota, necnon excommunicationis latae sententiae et aliis contra apostatas quomodolibet inflictis seu etiam aliis ab ipsis praeposito generali seu deputandis infligendis poenis, a quibus, excluso mortis articulo, si in illo eos decedere contingat tantum, nonnisi per pro tempore existentem Romanum Pontificem aut dictae Societatis praepositum generalem seu ab eo deputandos huiusmodi absolvi

possint, et aliter facta absolutio non teneat, subtrahere aut exire, nec se ad quempiam alium, etiam Cartusiensem Ordinem huiusmodi, praemissarum litterarum aut cuiusvis contra illarum dispositionem obtenti et a dicto praeposito generali non approbati indulti vigore, transferre audeat seu praesumat; sed qui ad alios Ordines, praeterquam Cartusiensem, in quacumque orbis parte ab ipsa Societate hactenus se transtulerunt, ad illam se, et postquam moniti fuerint, statim, sub eisdem poenis, nulla excusatione aut infirmitatis vel mora aut forensi contentione seu appellatione interiectis, se reducere et superiorum correctioni subdere teneantur; quodque professio per eos alibi quam in dicta Societate emissa nullius sit momenti nec vinculi; et interim dicti effugientes aut egressi nullis prorsus ecclesiasticorum aut saecularium sive patriarcharum, primatum, archiepiscoporum vel episcoporum aut imperatorum, regum, ducum, principum vel magnatum quorumcumque servitiis vel assistentiis se subiicere et applicare, aut mancipari procurare, nec beneficia ecclesiastica, quaecumque vel qualiacumque sint, etiam simplicia, aut pensiones seu quorumcumque fructuum vel iurium reservationes, nec officia, etiam saecularia et quorumvis Ordinum regularia, recipere et retinere, neque scholas tenere, aut pueros instruendos accipere, nec etiam confessiones audire, sacramenta ministrare, aut praedicare, sive etiam perfunctorie, ***nullatenus, nusquam ac nuspiam*** debeant aut possint, sub iisque poenis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, decernimus ac declaramus.

Poena in eos qui, contra sanctionem huius constitutionis, religiosos Societ. Iesu in aliam Religionem receperint,

§ 7. Necnon eisdem, tam ecclesiasticis quam saecularibus personis, aliisve, quavis dignitate, gradu et honore praefulgentibus, sub ingressus ecclesiae; ac quibusvis Ordinum eorumdem, etiam Cartusiensis, protectoribus, capitibus generalibus aliisque superioribus et particularibus, ne quempiam ex dicta Societate in partibus extra Europam consistentibus ad eorum Ordinem seu conventus aut domos quaslibet transeuntem, absque specialibus praepositi generalis seu deputandorum huiusmodi testimonialibus litteris, nullo iure, nullo sanctioris vitae penso aut conscientia, nullaque necessitatis causa, recipere vel retinere, etiam virtute cuiuscumque gratiae super hoc eis specialiter a Sede praefata, sub quibusvis clausulis et decretis ac derogatoriarum derogatoriis, nisi praesentium litterar. expressa fiat mentio, concessae, attentent, sub similis excommunicationis per eos, ac tam ipsis quam dictis effugientibus auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, dantes, ipso facto et absque alia illarum declaratione, promulgatione aut denunciatione facienda, incurrendis poenis, inhibemus.

Vel non dimiserint.

§ 8. Mandantes, sub eisdem poenis, ut hactenus, praeterquam tamen in dicto Cartusiensi Ordine, receptos, etiam si habitum per recipientes gestari solitum susceperint, et professionem per ipsosmet emitti consuetam, emiserint, eidem praeposito generali vel deputandis huiusmodi id petentibus, statim et absque aliquo iudicis ministerio aut licentia capitum Ordinum eorumque superiorum expectata, et quod excommunicatio et poenae huiusmodi contra ipsos recipientes vel retinentes, aut egressos ac dantes consilium, auxilium vel favorem inflictae, veniant declarandae, aut quolibet alio excogitabili praetextu cessante, tradere et consignare; ac in eventum in quem sic egressos ad alios conventus vel domos transportare fecerint aut permiserint, suis expensis et periculis, eos requirere et restituere, da-

mnaque ipsi Societati occasione huiusmodi illata resarcire debeant et teneantur.

Potestas superioribus concessa procedendi in delinquentes huiusmodi.

§ 9. Et insuper pro tempore existentibus praeposito generali ac aliis superioribus dictae Societatis seu etiam eorum conservatoribus, ad omne calumniae genus obstruendum, et pro temporum, causarum et occasionum necessitate in eisdem partibus extrà Europam occurrente, quascumque censurarum et poenarum declarationes, pro conservatione et causa privilegiorum et iurium, rerum et personarum ipsius Societatis tantum, facere, et contra tales effugientes quibusvis iuris et facti remediis et viis, etiam per se vel manu saecularium, obtenta appellationis alicuius, quae ex nunc prout ex tunc et e contra irrita sit et censeatur, admissione, procedere seu procedi mandare libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore concedimus.

Clausulae praeservativae.

§ 10. Decernentes singulas litteras praefatas alias in suo robore pristino remanere, ac praesentes nullo umquam tempore de obreptionis vel subreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu notari vel impugnari, suspendi, revocari, annullari, invalidari aut ad viam iuris reduci, vel contra illas deveniri posse, sed illas perpetuo validas et efficaces ac illibatas existere, et quoties aliquid contra eas extorqueri et obtineri contigerit, toties easdem in pristinum statum restitutas, confirmatas et innovatas et de novo, etiam sub data per dictae Societatis superiores vel personas eligenda, concessas fore et esse, ac in suo pleno et integro robore, absque eo quod desuper impetranda sit a Sede praedicta illarum ulterior confirmatio, restitutio, revalidatio vel nova concessio, permanere. Sicque, in omnibus et singulis praemissis, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus praemissis ac apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis Ordinibus, eorumque superioribus, conventibus, domibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, necnon consistorialiter et alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; necnon omnibus illis quae ipsi praedecessores in dictis suis litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 12. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.* constitutae, seu etiam generalis praepositi ipsius Societatis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, ampliationis, decretorum, declarationis, inhibitionis, concessionis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono, nono kalendas novembris, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 24 octob. 1579, pont. anno VIII.

CIX.

Reductio monachorum Ordinis S. Basilii in unam congregationem et sub regimine unius abbatis, cum privilegiorum et gratiarum elargitione pro dicti Ordinis reformatione.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

S. Basilius Magnus monachorum Ordinem erexit.

Benedictus Dominus Deus noster, a quo sancti sui intelligentiae spiritu repleti, tamquam imbres sapientiae suae eloquia emiserunt, Eumque in oratione confessi sunt. Quo gratiae munere B. Basilius, cognomento Magnus, a divina benignitate locupletatus, omnis bonitatis tantaeque in se beneficentiae auctori, quod recepit, fertilissimi agri more, cum centesimo reddidit incremento. Nam, praeter ea quae effudit theologicae scientiae eloquentiaeque flumina, quaeque edidit continentiae, abstinentiae et susceptorum pro Christo laborum tolerantiae documenta, adoptatos sibi novae sobolis foetus, in coenobiaque procul a communi vivendi ratione segregatos, in compositum Ordinem redegit, et salutaribus praeceptis instituit, ut, perpetua futurorum temporum successione, verbo et opere a se instructi, Deum confiterentur, catholicaeque Ecclesiae ornamento essent, atque in dubiis rebus adiumento.

Cuius Ordinis monachi in sanctitate et doctrina olim floruerunt, nunc autem quasi defecerunt.

§ 1. Qui vitae sanctitate et doctrina insignes toto terrarum orbe, maxime vero in Asia, Palestina, Tracia, Graecia et Italia multis seculis floruerunt. Postea vero (quod non sine maximo animi nostri moerore recensemus), temporum iniuria, totiusque Orientis a dira Turcarum tyrannide oppressi calamitate, crebrisque, ita hominum exigentibus culpis, exorientium schismatum dissensionibus, Ordo ille alibi penitus corruit, alibi ita fuit imminutus, ut, disciplina regulari laxata, caritas illa pristina deferbuerit, monachique alii alio dispersi sine capite, sicuti oves sine pastore, erraverint; in aliquibus autem ne vestigium quidem monastici remanserit instituti, monasteria eversa et bona fuerint dissipata.

Ideo hic Pontifex, pro reformatione huiusce Ordinis, praecipit fieri capitulum eligique abbatem generalem et alios officiales, inhaerendo constitutioni Innocentii III, quae est in cap. VII, *De stat. monac.*

§ 2. Cui incommodo, quod a nobis nostri apostolatus ratio exposcit, providere, ipsumque Ordinem pristinae dignitati regularique observantiae, quantum, Domino adiuvante, possumus, restituere volentes, ut quamprimum in agro Domini uberes fructus, maiorum suorum et praecipue tanti patris et magistri exemplo, edere valeant, maxime expedire duximus a monasteriis, quae in Italia et in utriusque Siciliae regnis consistunt, quorum plagas propius inspeximus, huiusmodi Ordinis instaurationem inchoare, ipsaque monasteria in unam congregationem, iuxta constitutionem felicis recordationis Innocentii Papae III, praedecessoris nostri, in concilio generali editam, quae incipit *In singulis*, ac concilii Tridentini decreta redigere. Et ut haec facilius optatum consequi possent effectum, primum generale capitulum dicti Ordinis celebrari

mandavimus, in quo abbas generalis, qui in singula praedicta et alia eius Ordinis monasteria, conventus et regularia loca, ubicumque sub obedientia nostra et S. R. E. illa fuerint, illorumque personas absoluta sit auctoritate praeditus; ac praeterea visitatores, procurator generalis et alii officiales, quorum electio in capitulo generali facienda esset, in monasterio Sancti Philareti eiusdem Ordinis, Melitensis dioecesis, in festo Pentecostes proxime praeterito eligerentur, illo prius de more indicto per dilectum filium nostrum Guillelmum tituli Sancti Laurentii in Panisperna presbyterum cardinalem Sirletum nuncupatum, dicti apud nos Ordinis Sedemque Apostolicam protectorem, dilecto filio Paulo abbate monasterii Castri Villarii, Ordinis S. Benedicti, Cassinensis dioecesis, congregationis Cassinensis, eidem capitulo, eiusdem Guillelmi cardinalis nomine, praesidente, ac in eius manibus, antequam ad electionis negocium procederetur, per priores et alios monachos monasteriorum dicti Ordinis S. Basilii praesentes, vocemque in capitulo generali habere debentes, professione regulari, quae per monachos eiusdem Ordinis S. Basilii emitti debet, expresse emissa.

In quo capitulo abbas, visitatores et alii officiales electi fuerunt.

§ 3. Et tandem, cum pro electionibus, ut praefertur, celebrandis iam in unum convenissent, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt et debuerunt electionibus huiusmodi commode interesse, die ad eligendum praestituta, ut mos est, dilectum filium Nicolaum Antonium abbatem monasterii S. Nicolai de Butramo dicti Ordinis S. Basilii, Hieracensis dioecesis, in abbatem generalem, ac duos visitatores et unum procuratorem generalem aliosque officiales per secreta suffragia elegerunt.

Et modo hic Pontifex dicti capituli celebrationem et dictorum officialium electiones confirmat;

§ 4. Nos autem, reductionem eorumdem monasteriorum, priorum et monachorum in congregationem et capitulum, dictique capituli indictionem et praesidentiam ac electiones huiusmodi ratas et gratas habentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, easdem tenore praesentium, approbamus et confirmamus, omnesque tam iuris quam facti ac omissarum solemnitatum, etiam substantialium, vel ex Ordinis praedicti S. Basilii statutis requisitarum, defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Abbatemque generalem in eo electum de novo ipse Pontifex eligit, illique curam et administrationem concedit omnium monachorum et monasteriorum Ordinis S. Basilii;

§ 5. Et nihilominus praedictum Nicolaum Antonium abbatem eidem congregationi universae in abbatem generalem praeficimus, curam illius universam, et in spiritualibus et temporalibus, plenissime committendo, ita ut ipse et abbas generalis pro tempore electus, aeque ut alii aliorum Ordinum in congregationes reductorum abbates generales et praesidentes, in suis capitulis, congregationibus et ordinationibus de iure et privilegio et consuetudine habent et exercent, habereque et exercere possunt, plenam et omnimodam superioritatem, iurisdictionem et auctoritatem habeat et exerceat, tam in ea omnia, quae in Italia et regnis praedictis sunt, quam etiam in S. Mariae de Oviedo Genuensis, et *del Tardon* Cordubensis, ac Vallis de *Gallegaillos* Hispalensis dioecesis, eiusdem Ordinis S. Basilii provinciae Hispaniae, dudum a nobis in regnis Hispaniarum institutae, et prorsus in alia quaecumque monasteria, domos et loca in eadem provincia sub Regula S. Basilii hactenus erecta et in posterum erigenda, eorumque abbates, conventus, monachos et personas, quae nos pridem, cum monachis eiusdem Ordinis Sancti Basilii in Italia existentibus et eorum congregationis praedictae, sub obedientia inde futuri abbatis seu vicarii generalis eiusdem congregationis, perpetuo coniunximus; eaque, necnon visitatorem

eiusdem provinciae Hispaniae abbati seu vicario generali congregationis huiusmodi in Italia pro tempore eligendo subiecimus, et ab eo dependere decrevimus, inter alia, quemadmodum nostris diversis litteris, prioribus videlicet kalendis maii, secundo; posterioribus vero, octavo kalendas iulii, sexto pontificatus nostri annis datis, plenius continetur.

Eique omnes monachos subiicit;

§ 6. Iubemus itaque universos et singulos eiusdem congregationis S. Basilii abbates, priores et praelatos, necnon monachos et alias quascumque personas, ipsi abbati generali, tamquam membra capiti, et eorum legitimo superiori, in omnibus, quae ad officium abbatis generalis pertinent, eorumque animae salutem regularisque observantiae rationem concernunt, prompte et humiliter obedire.

Habitum praefinit;

§ 7. Et ut habitus, qui exterius geritur, religiosis mentis affectibus pariter respondeat, statuimus ut omnes congregationis eiusdem professores eumdem habitum a novitiis distinctum ex panno nigri coloris cum caputio sive cuculla monacali omnino deferant, veluti, ex antiquo eiusdem Ordinis instituto prisci patres et monachi gestare solebant.

Professionem regularem per omnes emitti mandat;

§ 8. Utque omnes eiusdem Ordinis Sancti Basilii monachi et religiosi, qui in dicto Ordine iam admissi sunt, professionem regularem eiusdem Ordinis in manibus abbatis, si ibi fuerit, vel prioris monasterii, in quo reperientur, expresse emittant. Deinceps vero nemo in dicto Ordine illiusque monasteriis, ad eiusdem Ordinis habitum regularem, sive tacite sive expresse, admittatur, nisi in aetate legitima constitutus, anno demum integro in probatione, iuxta eiusdem concilii Tridentini decreta, perstiterit.

Capitulum generale quolibet triennio cogi iubet.

§ 9. Generale autem capitulum, in quo de Ordinis praedicti reformatione et regulari observantia agendum erit, tertio quoque anno celebretur.

Officia sint triennalia.

§ 10. Eorumdem sive abbatis generalis sive visitatorum sive procuratoris item generalis munera sive officia triennalia sint; licebit tamen in eodem capitulo generali, ubi manifeste cognitum fuerit expedire, eosdem omnes aut eorum aliquos ad aliud triennium in eodem, quod gesserint, officio, nec ultra, confirmare; qui tandem, ab eisdem muneribus absoluti, saltem per aliud simile triennii spatium officio vacent.

Capitulo praesideat eligendus a cardinali protectore.

§ 11. Ceterum, si dicto Guillelmo cardinali et pro tempore dicti Ordinis protectori videbitur opportunum, ac quousque ille id expedire censuerit, consilium et auxilium alicuius abbatis congregationis Cassinensis, in huiusmodi capitulis celebrandis, ex longa consuetudine et experientia plenius instructi, ad ipsum capitulum generale poterit adhiberi, qui eiusdem protectoris auctoritate etiam eidem capitulo praesideat generali.

Locus futuri capituli designetur.

§ 12. In singulis vero capitulis generalibus locus, in quo proxime futurum capitulum generale celebrandum sit, designetur.

Electiones secretis suffragiis fiant.

§ 13. Electiones autem per suffragia secreta fiant, prout concilii Tridentini praedicti decretis est statutum.

In monasteriis commendatis mensa conventualis sit distincta ab abbatiali, et commendatarii assignent bona, quae pro monachorum subventione sufficiant.

§ 14. Ad haec, ut ipsi monachi degentes in monasteriis, in quibus mensa conventualis non est ab abbatiali separata, quaeque clericis saecularibus et aliis, cuiuscumque gradus et dignitatis, etiam si cardinalatus honore praefulgeant, commendata sunt, obsequiis Altissimi liberius vacare possint, mensam conventualem a mensa abbatiali distinguimus, et ab eisdem monasteriis, quousque illa commendata fuerint, eam bonorum stabilium, proprietatum iuriumque partem, quae tamen inter immobilia censeantur, perpetuo dismembramus atque dividimus, quae ad alendum solitum monachorum et ministrorum numerum, ac victum et ve-

stitum aliaque ad eorum sustentationem necessaria comparanda sufficiant; eosdemque commendatarios ad assignandum totidem bona, proprietates et iura praedicta intra tempus per eumdem Guillelmum cardinalem protectorem præfigendum omnino teneri volumus. Haec autem bona stabilia, proprietates et iura, sic per nos dismembrata, necnon omnia alia mobilia et immobilia, quæ ex piorum fidelium testamentis, legatis, largitionibus aut alias quomodocumque ipsis conventibus et monachis in posterum donata, concessa et relicta fuerint, pro quorum consecutione monachi, conventuum eorumdem nomine, etiam in iudicio agere et experiri ac illo intervenire valeant, sed et oblationes atque eleemosynas in eorumdem monasteriorum ecclesiis erogandas, pro constituenda mensa conventuali in singulis monasteriis praedictis ac pro augmento earumdem mensarum conventualium, etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Commendatarii monasteria reparent et necessaria ad cultum divinum assignent.

§ 15. Nihilominus tamen commendatariis incumbat, prout tenentur, in eisdem monasteriis, quae conventum habent, monasteriorum et ecclesiarum eorumdem reparationi ac aliis ad divinum cultum necessariis providere, quorum monasteriorum claustra et aedificia pro usu monachorum constructa ad monachos praedictos, quos in eis permanere contigerit, pertinere et eorum liberi atque absoluti iuris esse decernimus.

Et monachi possessionem capiant.

§ 16. Liceat porro abbatibus, prioribus ceterisque dicti Ordinis monachis et religiosis corporalem possessionem bonorum sic dismembratorum et applicatorum, ac, ut praefertur, assignandorum, cum primum illa per commendatarios assignata fuerint, et claustrorum ac aedificiorum monasteriorum praedictorum conventum habentium, per se vel alium seu alios, propria auctoritate, absque alicuius iudicis ministerio, libere apprehendere, et apprehensam retinere, ac eorumdem bonorum sive proprietatum et iurium fructus in communes eorumdem monachorum et ministrorum usus et utilitatem convertere, ipsorumque claustrorum et aedificiorum libero usu pacifice frui et gaudere, quorumvis licentia super his minime requisita.

Monasteria etiam commendata, huic congregationi aggregata censentur salvis praeeminentiis et dignitatibus abbatialibus, de quibus Sedes Apostolica libere disponere possit.

§ 17. Ut autem praedicta monasteria Ordinis S. Basilii sic in unam congregationem redacta, eliminatis omnibus abusibus, in via Domini quotidie magis proficiant, conventus omnium monasteriorum virorum conventum habentium dicti Ordinis S. Basilii, quae tam in Italia et praedictis regnis erecta sunt, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, et per quoscumque, etiam S. R. E. cardinales, in titulum, commendam vel administrationem aut alias obtineantur, dignitatibus abbatialibus eorumdem semper salvis, ita ut de eis, quotiescumque vacabunt, per Romanum Pontificem et Sedem praedictam omni tempore disponi libere debeat, et sine praeiudicio iurium eiusdem Sedis, quae inviolata permanere volumus, ac etiam de Oviedo, *del Tardon* ac Vallis de *Galleguillos* praedictorum, necnon omnium et quorumcumque aliorum, quae deinceps a congregatione et monachis prædictis, Deo adiuvante, erigentur et construentur in eisdem Italia et regnis ac provincia Hispaniae, ipsi congregationi in perpetuum aggregamus.

Hic Ordo privilegiis congregationis Cassinensis gaudeat.

§ 18. Ac monasteriis, conventibus, prioribus et monachis praedictis, necnon conversis et oblatis aliisque etiam dictorum monasteriorum S. Basilii religiosis et personis, ut de cetero omnibus et quibuscumque privilegiis, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, favoribus, gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, congregationi praedictae Cassinensi illiusque personis et locis per quos-

cumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, in genere et in specie concessis, confirmatis et innovatis, ac etiam per viam communicationis ad eamdem congregationem Cassinensem extensis, quibus illi utuntur, potiuntur et gaudent, et uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum (quae tamen usu recepta sint, et sacris canonibus ac dicti concilii Tridentini decretis ipsiusque Ordinis S. Basilii instituti non adversentur), uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, concedimus et indulgemus.

Exemptio a iurisdictione ordinariorum, nec non commendatariorum, qui Regulam S. Basilii professi non sint.

§ 19. Eamdemque congregationem S. Basilii, illiusque conventus, monachos et personas quascumque ab omni ordinariorum locorum, ac etiam eorum qui monasteria dicti Ordinis, etiam archimandritatus appellata, in commendam vel alias quomodolibet obtinuerint, eumdemque Ordinem S. Basilii expresse professi non fuerint, iurisdictione, auctoritate et potestate penitus eximimus et liberamus, ac sub nostra et Beati Petri protectione immediate suscipimus. Ita tamen ut omnes, sub dicta exemptione comprehensi, abbatis generalis, visitatorum, abbatum, priorum et aliorum officialium, tam in dicto generali capitulo quam extra illud canonice electorum et aliorum, qui pro tempore eligentur, iurisdictioni, visitationi, morumque correctioni, iuxta eamdem Regulam S. Basilii ac eius Ordinis instituta, omnino, prout eorum incumbit muneri, sint subiecti.

Abbas et visitatores visitent et reforment monachos et inobedientes corrigant.

§ 20. Insuper abbati generali et visitatoribus in capitulo generali deputatis, ut monasteria, prioratus et alia loca, ac abbates, priores, conventus et personas congregationis praedictae, iuxta dicti concilii decreta et regularia instituta praedicta, visitare, et tam in capite quam in membris reformare, delinquentes, inobedientes et rebelles corrigere, punire et castigare, regularia dicti Ordinis S. Basilii instituta in illis exacte custodienda introducere, ac in dicto capitulo generali pro tempore congregatis eiusdem congregationis monachis quaecumque statuta et ordinationes, ad salutare ipsius congregationis regimen et ad regularem observantiam pertinentia (licita tamen et honesta ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis necnon Regulae S. Basilii praedicti minime contraria) ab ipso tamen Guillelmo cardinali et pro tempore existente dictae congregationis protectore, antequam promulgentur, examinanda et approbanda, condere valeant, licentiam tribuimus.

Decretum irritans.

§ 21. Decernentes supradicta omnia perpetuo inviolata fore, sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata cuique aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Guillelmus Sirletus cardinalis protector deputatur executor huius constitutionis, cum facultatibus hic expressis.

§ 22. Sed, ne praesentium litterarum effectus in longum protrahatur, Guillelmo cardinali praedicto praecipimus ut, per se vel alium seu alios, ipsas praesentes litteras et quicquid in eis continetur ab universis et singulis Ordinis et congregationis S. Basilii praedicti abbatibus, prioribus et monachis aliisque praedictis et dictorum monasteriorum et archimandritatuum praedictorum commendatariis, etiam, ut praefertur, qualificatis, inviolate faciat observari, et ad assignandum, et cum effectu tradendum, pro monachorum et ministrorum numero alendo, ac mensa conventuali in his monasteriis, quibus eorum conventus existunt, partem bonorum et proprietatum ac iurium, claustraque et aedificia praedicta libera

consignandum intra duos menses a die publicationis earumdem litterarum, hic de more constitutionum et litterarum apostolicarum faciendae numerandos, etiam per privationem monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum ab eis obtentorum, ceteraque omnia iuris et facti remedia opportuna, compellat. Nos enim illi et pro tempore existenti protectori, per se vel alium seu alios, contra commendatarios omnes monasteriorum et locorum conventuum praedictorum sic in congregationem reductorum, qui congruam assignationem bonorum, proprietatum ac iurium dismembratorum praedictorum praestituto tempore facere distulerint, recusaverint, negaverint vel etiam quovis modo impediverint, ceterosque omnes sua in praemissis quomodolibet interesse putantes, etiam per edictum locis publicis affigendum, citandi et monendi; ac contra eos et prorsus contra quoscumque alios contradictores et rebelles, eisque auxilium, consilium et favorem, publice vel occulte, praestantes, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, sed sola facti veritate inspecta, omni et quacumque appellatione remota, procediendi; et ad hunc aliorumque praemissorum omnium executionem et effectum, tam eisdem quam etiam quibuscumque iudicibus et personis, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam per simile edictum inhibendi; censuras et poenas etiam saepius aggravandi; interdictum ecclesiasticum apponendi; auxilium brachii saecularis, ubicumque opus fuerit, invocandi; necnon partem proprietatum et possessionum mensarum abbatialium praedictarum, quae ad redditum annuum pro victu et aliis ad usum soliti monachorum et ministrorum numeri satis sint, arbitrio eiusdem Guillelmi cardinalis et pro tempore protectoris vel eorum qui ab eo deputabuntur eligendorum, pro mensa conventuali, etiam per subtractionem, et alias prout eis visum erit, perpetuo constituendi et assignandi; ceteraque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi et exequendi, etiamsi talia fuerint, quae mandatum requirant magis speciale, quam praesentibus est expressum, plenam et liberam, tenore praesentium, concedimus facultatem.

§ 23. Non obstantibus praemissis, ac nostris de unionibus committendis ad partes, ac valore fructuum exprimendo, necnon de non tollendo iure quaesito, ac generalis, et uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, novissime celebrati Lateranensium conciliorum, ac piae memoriae Innocentii IV, quae incipit *Volentes*, et Bonifacii VIII, Romanorum Pontificum, de una, et in eodem concilio generali edita de duabus diaetis, aliisque apostolicis constitutionibus; necnon monasteriorum et Ordinum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem monasteriis et Ordinibus, eorumque superioribus et personis, etiam monasteria et archimandritatus eiusdem Ordinis in commendam obtinentibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et eamdem Sedem, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, ac alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere et specie, etiam ab immemorabili tempore quomodolibet concessis, approbatis et innovatis ac etiam usu receptis, ac quocumque tempore factis et promulgatis, et quibuscumque aliis indulgentiis et litteris apostolicis, specialibus

Clausulae derogatoriae.

vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quae omnia contra earumdem praesentium tenorem nolumus cuiquam in aliquo suffragari, contrariis quibuscumque; aut si commendatariis et personis praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam et de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Haec constitutio ligat post duos menses a die publicationis.

§ 24. Postremo volumus ut, lapsis statim duobus mensibus a publicatione praedicta, ita unumquemque supradictorum arctent, ac si singulatim intimatae fuissent; earum quoque exempla, etiam impressa, notarii publici manu et praelati ecclesiastici sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem ubique locorum, in iudicio et extra illud, faciant, quam ipsaemet praesentes facerent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono, kalendis novembris, pontificatus nostri anno VIII.

Dat die 1 nov. 1579, pontif. anno VIII.

CX.

De electione, quolibet triennio in capitulo generali fienda, prioris generalis et aliorum praelatorum congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, eiusque bonorum temporalium administratione.

Dilectis filiis priori generali, visitatoribus, abbatibus, praepositis, prioribus, vicariis, praelatis, procuratoribus ac officialibus quibuscumque, nunc et pro tempore existentibus, quocumque titulo nuncupatis, necnon canonicis, novitiis, conversis, commissis ac quibusvis aliis personis in congregatione canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini degentibus.

Gregorius Papa XIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Pius V decrevit quolibet triennio celebrari capitulum generale, et ibi eligi priorem generalem et alios praelatos.

Quae inter religiosorum coetus dissidia excitant, ea ne altius expullulent, sunt a nobis radicitus extirpanda. Cum igitur felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, per in forma brevis litteras, super reformatione congregationis vestrae S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, emanatas sub Datum sexta decembris MDLXXI, pontificatus vero sui anno VI, iustis et de gravibus causis, inter alia, statuisset, ordinasset et decrevisset, ut de cetero capitulum generale eiusdem congregationis, in quo prior generalis, visitatores ceterique praelati ac etiam procurator generalis eligerentur, quolibet triennio tantum, non autem ut antea singulis annis, celebraretur.

Et hic Pontifex hoc confirmavit, et officium omnium praelatorum triennio durare iussit.

§ 1. Nosque per alias nostras litteras, sub Datum XXIII martii MDLXXIV, licet quoad rationem eligendi priores aliosque praelatos conventuales tantum praedictas litteras, ita ratione et novo rerum eventu suadente, immutaverimus ac modificati fuerimus, ceteris tamen omnibus in eisdem litteris contentis et ordinatis, ac praesertim triennali electioni huiuscemodi, non solum non aliqua alia ex parte detrahere aut ullatenus derogare velle professi expresse fuerimus, ut ipsa quoque conventualium praelatorum officia ad triennium extendentes, ea omnia confirmaverimus atque approbaverimus, quemadmodum in dictis nostris litteris plenius continetur.

Quidam ta-

§ 2. Nihilominus, quia nuper nobis est

men in his dubium excitabant; insinuatum nonnullos vestrae congregationis huiusmodi ordinationi ac statuto a predecessore nostro provida ac matura deliberatione invento, a nobis confirmato et in vestro generali capitulo acceptato, et iam in usu recepto, non solum acquiescere nolle; sed colore quodam de huiusmodi litterarum nostrarum validitate dubitandi, re autem vera temeritatis et ambitionis stimulis agitatos, de illa immutanda, infirmanda vel etiam revocanda verba facere ausos fuisse.

Ideo hic Pontifex denuo eadem statuit; § 3. Nos, ad tollendum omne dubium, et huiusmodi audaciam compescendam, et pacem tranquillitatemque in dicta congregatione vestra perpetuo confovendam et retinendam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, hac nostra declaratione, determinatione ac definitione, supradictam de triennali electione et administratione ordinationem, constitutionem et decretum iterum et de novo, quatenus opus sit, approbamus, confirmamus, eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac super eo specialiter et expresse perpetuum silentium imponimus.

Inhibetque, sub poenis hic expressis, ne de cetero tractetur de immutando hoc decreto eiusque confirmatione. § 4. Mandantes propterea vobis omnibus et singulis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub privationis perpetuae tam officiorum, dignitatum et administrationum quarumcumque, quam vocis activae et passivae, aliisque ecclesiasticis censuris, arbitrio nostro moderandis et infligendis poenis, districte praecipientes et inhibentes ne quis vestrum, publice vel privatim, secreto vel palam, in capitulis generalibus vel conventualibus, intra monasteriorum septa vel extra, ac tandem usquam vel umquam omnino de supradicto triennio corrigendo vel mutando amplius loqui seu tractare praesumant.

Clausulae derogatoriae. § 5. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Fides transumptorum. § 6. Volumus autem, ad huius declarationis et prohibitionis nostrae faciliorem notificationem, praesentium exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel etiam prioris generalis pro tempore existentis vestrae congregationis munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima sexta decembris, millesimo quingentesimo septuagesimo nono, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 16 decemb. 1579, pontif. anno VIII.

CXI.

Vulgat constitutionem qua S. Pius V, Ordinis fratrum Praedictorum, LXXIX propositiones Michaelis Baii damnaverat [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut ea, quae a praedecessoribus nostris emanarunt, suadente maxime fidei catholicae conservatione, ubicumque ipsis opus est producantur. Quare nos tenorem litterarum felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, in eius registro repertum, describi et praesentibus annotari fecimus, qui talis est. Proœmium

§ 1. Pius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino constituti tam luctuoso tempore sustinuimus, ille animum nostrum praecipue excruciat dolor, quod religio christiana, tantis iam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus, an- Constitutio S. Pii V contra LXXIX propositiones Michaelis Baii.

1 Ex Bull. Ord. Praedic., tom. V, pag. 373.

tiqui hostis suggestione dissectus, in alios atque alios errores passim et promiscue deferatur. Quantum vero ad nos attinet, totis viribus conamur ut illi simul atque prosiliunt, penitus opprimantur; magno etenim moerore afficimur quod plerique, spectatae alioquin probitatis et doctrinae, in varias sententias offensionis et periculi plenas, cum verbo tum scriptis prorumpunt, deque eis etiam in scholis invicem controversantur, cuiusmodi sunt sequentes.

I. Nec angeli nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

II. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic opus bonum ex natura sua est vitae aeternae meritorium.

III. Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces et non gratia.

IV. Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

V. In promissione facta angelo et primo homini continetur naturalis iustitiae constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita aeterna iustis promittitur.

VI. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret in qua mori non posset.

VII. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera, sed, iuxta modum loquendi Scripturae Sacrae, non recte vocantur gratiae, quo fit ut tantum merita, non etiam gratiae, debeant nuncupari.

VIII. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

IX. Dona concessa homini integro et angelo forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia. Sed quia, secundum usum Scripturae, nomine gratiae tantum ea munera intelliguntur, quae per Iesum mala merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

X. Solutionem poenae temporalis quae, peccato dimisso, saepe manet, et corporis resurrectionem proprie nonnisi meritis Christi adscribendam esse.

XI. Quod pie et iuste in hac vita mortali usque in finem conversatus vitam consequitur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae, iusto iudicio Dei, deputandum: nec in hac retributione bonorum ad Christi merita respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani; nam in lege naturali institutum est ut, iusto Dei iudicio, obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

XII. Pelagii sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni coelestis meritorium.

XIII. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti, ex eo quod fiunt per Spiritum adoptionis, inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi.

XIV. Opera bona iustorum non accipient in die iudicii extremi ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mererentur accipere.

XV. Dicit rationem meriti non consistere in eo quod, qui bene operatur, habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit divinae legi, quam sententiam saepius repetit, et multis rationibus probat fere toto libro.

XVI. In eodem libro saepius repetit quod non est vera legis obedientia, quae sit sine charitate.

XVII. Dicit sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

XVIII. Dicit opera catechumenorum, ut fidem et poenitentiam, ante remissionem peccatorum facta, esse vitae aeternae merita, quam vitam non consequentur cathecumeni, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.

XIX. Videtur insinuare quod opera iustitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non contraxerint maiorem valorem.

XX. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

XXI. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

XXII. Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli, Rom., II, *Gentes quae legem non habent, naturaliter, quae legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae fuisse exaltatum, ut fide, spe, caritate Deum supernaturaliter coleret.

XXIV. A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, hominem ab initio constitutum et per dona naturae, superaddita largitate Conditoris, fuisse sublimatum et in Dei filium coadoptatum: ad Pelagianismum reiicienda est illa sententia.

XXV. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

XXVI. Integritas primae creationis non fuit debita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio, quam sententiam repetit et probat per plura capitula.

XXVII. Liberum arbitrium sine gratiae Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet.

XXVIII. Pelagianus est error, dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

XXIX. Non solum fures ii sunt et latrones, qui Christum, viam et ostium veritatis et vitae, negant, sed etiam quicumque, aliunde quam per Christum, in viam iustitiae, hoc est ad aliquam iustitiam, conscendi posse dicunt.

XXX. Aut tentationi ulli, sine gratiae ipsius adiutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur.

XXXI. Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

XXXII. Caritas illa quae est plenitudo legis non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.

XXXIII. Catechumenus iuste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in Baptismi lavacro demum percipitur.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis, videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae; et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.

XXXV. Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturae oritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae, cum iniuria crucis Christi, defenditur a nonnullis doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio sentit, qui bonum aliquod naturale, hoc est quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.

XXXVIII. Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, qua, per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

XXXIX. Quod voluntarie fit, etiam si necessitate fiat, libere tamen fit.

XL. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

XLI. Is libertatis modus, qui a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis; sed solum nomen libertatis a peccato.

XLII. Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum iustitia, non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.

XLIII. In omnibus poenitentibus ante sacramentum absolutionis, et in cathecumenis ante Baptismum est vera iustificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

XLIV. Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cuiusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientiae et verae legis iustitiae, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

XLV. Sacrificium missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat.

XLVI. Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

XLVII. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit.

XLVIII. Peccatum originis est actuali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

XLIX. Ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens, sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, legi Dei repugnet.

L. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto *Non concupisces*.

LI. Concupiscentia sive lex membrorum et prava eius desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis obedientia.

LII. Omne scelus eius est conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo inficit prima transgressio.

LIII. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum maioribus.

LIV. Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

LV. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

LVI. In peccato duo sunt, actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad poenam.

LVII. Unde in sacramento Baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie reatus pec-

cati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

LVIII. Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur.

LIX. Quando per eleemosynam aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores; sed aliquid facimus cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur.

LX. Per passiones sanctorum indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.

LXI. Celebris illa doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum, hoc est ad modum meritorum, commentitia est et explodenda.

LXII. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit, vel quia est meritorium regni aeterni, eo quod fit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, reiicienda putatur.

LXIII. Similiter, et illa distinctio duplicis iustitiae, alterius, quae fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, et in eo charitatem diffundentis, qua divinae legis iustificatio impleatur, odiosissima et pertinacissima reiicitur.

LXIV. Denique, et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentia et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur, qui vere iustificatur, et palmes vivus in vite Christi efficitur, commentitia iudicatur, et scripturis minime congruens.

LXV. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; et gratiae Christi iniuriam facit, qui ita sentit et docet.

LXVI. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

LXVII. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

LXVIII. Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

LXIX. Iustificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiae, quae per eam iustificatos faciat implere legem.

LXX. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.

LXXI. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

LXXII. Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde Iob et martyres, quae passi sunt, propter sua peccata passi sunt.

LXXIII. Nemo, praeter Christum, est

absque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

LXXIV. Concupiscentia in renatis, relapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

LXXV. Motus pravi concupiscentiae sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto *Non concupisces*, unde homo eos sentiens, transgreditur praeceptum *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

LXXVI. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

LXXVII. Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem post culpam condonatam.

LXXVIII. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.

LXXIX. Falsa est doctorum sententia primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine iustitia naturali.

Damnatio praedictarum propositionum.

§ 2. Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto substineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et impias, in aures offensionem immittentes respective, ac quaecumque super iis verbo scriptoque emissa, praesentium auctoritate, damnamus, circumscribimus et abolemus, deque eisdem et similibus posthac quoque quocumque pacto loquendi, scribendi et disputandi facultatem quibuscumque interdicimus; qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis et officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quaecumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus a quo nullus, Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare.

Executor harum litterarum.

§ 3. Ceterum, ut iam commoti his de rebus tumultus et contracta odia facilius comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, dilecto filio nostro Antonio, tituli Sancti Bartholomaei in Insula presbytero cardinali Granvelano nuncupato, per apostolica scripta mandamus ut ipse quid ad perpetuam dictarum sententiarum et scripturarum abolitionem, quid ad arcenda huiusmodi proloquia et disputationes, quid denique ad unionem et pacem, cum communi omnium et Ecclesiae catholicae satisfactione, componendam factu opus sit, in primis diligenter expendat, deinde in iis omnibus, quae pro communi salute, tranquillitate et honore optimum iudicaverit, salva semper Ecclesiae praedictae unitate, etiam per alium seu alios, fide, doctrina et religione praestantes, ocius exequatur, faciatque quicquid decreverit inviolate ab omnibus observari, contradictores quoslibet, per censuras et poenas praedictas, ceteraque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis et litteris apostolicis, specialibus vel generalibus, quo-

rumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, mandati, privationis et innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, kalendis octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Fides transumptorum.

§ 6. Ceterum volumus ut earumdem litterarum tenori hic inserto illa ipsa omnino fides adhibeatur ubicumque et quandocumque, sive in iudicio sive alibi ille fuerit exhibitus vel ostensus, sicut illius originalibus litteris praedictis adhiberetur, si ipsae exhiberentur vel ostenderentur.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono, quarto kalendas februarii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 29 ian. 1579, pont. anno VIII.

CXII.

Declaratio quorumdam statutorum et privilegiorum militiae et Religionis S. Ioannis Hierosolymitani, circa professionem emittendam habitumque suscipiendum; et confirmatio exemptionis a solutione decimarum et aliorum onerum quorumcumque [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quo magis ac firmius hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani Ordini, Sanctae Sedi Apostolicae et nobis acceptissimo, ac de christiano nomine fideique catholicae defensione optime merito, illiusque magno magistro, praeceptoribus et commendatariis hactenus per Sedem Apostolicam concessa privilegia praeserventur, eo affectu, quo eumdem Ordinem complectimur, aequum est providere.

Clemens VII statuit beneficia et pensiones habentes habitum suscipere debere et professionem emittere infra sex menses.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, dum, favore eiusdem hospitalis et Religionis, privilegia eidem antea concessa confirmavit atque approbavit vel etiam ampliavit, animadvertens piae memoriae Clementem Papam VII, etiam praedecessorem nostrum, statuisse quod omnes et singuli baiulivarum, prioratuum, praeceptoriarum, domorum et beneficiorum in vim collationum eis factarum possessores, saeculares aut alterius Ordinis regulares, seu pensiones super illorum fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi, eatenus etiam per Sedem eamdem reservatas, percipientes, illas et illa infra sex menses a die intimationis dictarum litterarum in manibus magistri et conventus praedictorum, iuxta formam stabilimentorum dictae Religionis, dimittere et transferre, seu illarum cassationi consentire teneren-

1 Quoad primam partem, videri potest Pii IV constit. XI, *Circumspecta*, tom. VII, pag. 31; et quoad secundam partem, vid. Pii V const. CXVIII, *Et si cuncta*, ibid., pag. 726.

tur, alioquin beneficia et pensiones huiusmodi, nisi illa possidentes et illas percipientes infra dictum tempus habitum susciperent, et professionem regularem ipsius Religionis emitterent, lapsis mensibus ipsis, vacarent, ac cassae et extinctae essent et esse censerentur eo ipso.

Paulus III statuit cappellanos provideri posse ide ecclesiis Ordinis.

§ 2. Ac deinde recolendae memoriae Paulum Papam III, etiam praedecessorem nostrum, ut magister et singuli priores, baiulivi, praeceptores, milites et fratres hospitalis huiusmodi, pro eorum libito, parochiales ac etiam sine cura ecclesias seu earum vicarias seu cappellanias perpetuas, aut cappellas vel altaria seu alia beneficia simplicia, ad eorum collationem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, ratione prioratuum, baiulivatuum, praeceptoriarum, etiam camerarum magistralium nuncupatarum, hospitalium, domorum et aliorum beneficiorum dicti hospitalis per eos pro tempore obtentorum, de iure, statuto, consuetudine, fundatione aut privilegio vel alias quomodolibet spectantia et pertinentia, ab ipsis baiuliviis, praeceptoriis, domibus, hospitalibus et aliis beneficiis dependentia seu illis annexa, quae dudum forsan fratribus saltem cappellanis eiusdem hospitalis, et ab eisdem magistro, prioribus, baiulivis ac praeceptoribus et aliis praedictis conferebantur, a longo tamen et forsan longissimo tempore citra, de cuius initio memoria hominum forsan non existebat, per ipsos magistrum, priores, baiulivos, praeceptores, milites et fratres, per abusum aut ex defectu huiusmodi cappellanorum vel aliarum personarum eiusdem hospitalis ad id idonearum, clericis seu presbyteris saecularibus collata aut conferri, et per ipsos presbyteros vel clericos saeculares obtineri solita, etiam fratribus huiusmodi, praesertim cappellanis nuncupatis, qui, ut asseritur, a presbyteris seu clericis, nisi quoad gestationem crucis vel habitus dicti hospitalis ad pectus non differebant, immo privilegiis clericorum saecularium, iuxta forsan eorum privilegia et consuetudines, gaudere solebant, si ad id alias idonei et habiles reperirentur, conferre, ac alias de illis providere et disponere; ipsique fratres, quibus beneficia huiusmodi conferri contingeret, illa, si sibi alias canonice conferrentur, aut ipsi eligerentur, praesentarentur vel alias assumerentur ad illa et instituerentur in eis, recipere, et in titulum, etiam quoad viverent, retinere, respective libere et licite valerent, statuta et ordinationes extendisse et ampliavisse, eisque desuper indulsisse.

Pius IV statuit clericos saeculares non posse cedere beneficiis, nisi certo modo.

§ 3. Idem Pius IV, concessiones et privilegia dictorum praedecessorum confirmans, ipsos magistrum et conventum necnon priorem ecclesiae aliosque priores et praeceptores, intra limites iurisdictionum et administrationum, veros ordinarios, iuxta formam suorum stabilimentorum et privilegiorum, existere et esse censeri decrevit; ac beneficia ecclesiastica ad praesentationem seu collationem baiulivorum, priorum et praeceptorum hospitalis huiusmodi suffragari debere: ita quod presbyteri saeculares illa tunc temporis in commendam seu alias quomodolibet obtinentes, commenda huiusmodi cedere, aut illa alias dimittere non possent, nisi de consensu eorum, ad quos praesentatio seu collatio spectaret, et in favorem dicti hospitalis seu personarum, quae habitum per fratres cappellanos eiusdem hospitalis deferri solitum susciperent et professionem per eos emitti solitam emitterent, nec illa deinceps ipsi, nisi infra sex menses a die intimationis habitum ipsius Religionis suscepissent et regularem professionem infra alios sex menses emisissent, possidere possent; et si secus fieret, aut cessionem seu resignationem huiusmodi aut de dicti Ordinis beneficiis, etiam

in manibus suis, in futurum fieri contingeret, huiusmodi cessiones, resignationes et provisiones nullius essent roboris vel momenti, nisi in illis expresse diceretur, *et de consensu magni magistri*, et de illis iuxta formam privilegiorum dictae Religionis provideretur.

Paulus III confirmavit statuta Religionis circa provisiones beneficiorum;

§ 4. Inter statuta etiam eiusdem Religionis, per similis memoriae Paulum Papam III, similiter praedecessorem nostrum, approbata et confirmata, ita cautum reperitur: priores in suis cameris, prioratibus, baiulivi et commendatarii in suis commendis habeant provisionem vel praesentationem beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura animarum vel sine, a suis commendis dependentium, nisi id privilegio vel consuetudine ad alios pertineat. Item, frater Claudius de la Sengle magister statuit ut omnia beneficia ecclesiastica eiusdem Ordinis, quorum collatio aut praesentatio ad dictum Ordinem pertinet, nullis conferrentur, aut nulli ad ea praesentarentur, nisi essent fratres ipsum Ordinem expresse professi, et alias prout in eiusdem Pii quarti praedecessoris praefati litteris, ac statutis et stabilimentis vel privilegiis dicti hospitalis plenius continetur. Quae omnia, cum dispositione iuris communis maxime congruunt, tum auctoritati sacrosancti concilii Tridentini nituntur.

Hinc quaestiones aliquae ortae sunt.

§ 5. Verum cum, sicut accepimus, clerici saeculares possessores, cum cura et sine cura, beneficiorum eorumdem ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem priorum, baiulivorum, commendatariorum et possessorum aliorum dictae Religionis bonorum, iure eorumdem prioratuum, baiulivatuum, commendarum et aliorum bonorum eiusdem Religionis, habitum suscipere et professionem regularem, prout in eadem Religione consuevit, emittere negligant ac recusent, in statutorum eiusdem Religionis contemptum, ac iuris communis dispositioni et concilii praefati decretis privilegiisque ab hac sancta Sede Apostolica, ut praemittitur, concessis contraveniendo; ac praetendant eiusdem Pii IV, praedecessoris nostri, mentis et intentionis non fuisse ad habitus susceptionem et professionis emissionem eos teneri, qui, post ab eodem praedecessore obtentam privilegiorum confirmationem et ampliationem, de eisdem sive similibus beneficiis concessiones fieri quomodocumque obtinuerunt, cum de illis, quae tunc temporis in commendam seu alias obtinerent, eumdem Pium quartum praedecessorem sub isto verbo *ad praesens* statuisse dumtaxat praetendatur. Allegantes quod commendae, provisiones sive alias quomodocumque concessiones de similibus beneficiis eisdem factae post datam eiusdem Pii quarti praedecessoris litterarum, sive mentio fiat sive reticeatur beneficia esse dictae Religionis, sunt loco absolutionis ac derogationis tacitae statutorum et privilegiorum eiusdem Ordinis, ita ut ad suscipiendum illius habitum ac professionem emittendam minime teneantur, cum susceptio habitus et professio ab eis emittenda ex ipsarum litterarum serie expresse iniunctae fuisse non appareant; ex quibus eidem Ordini illiusque magistro, prioribus, baiulivis et commendatariis maxima in dies exoriuntur incommoda atque perturbationes, praesertim dum eorumdem beneficiorum status ponitur in incerto.

Hic Pontifex, inhaerens concilio Tridentino, praedictorum Pontificum gratias confirmat.

§ 6. Quare nos, ut par est, debito pastoralis officii, omnium christifidelium, praesertim vero eiusdem Ordinis praefatarum regularium personarum, pro Iesu Christi nomine ac catholicae fidei tuitione ad interitum usque iugiter laborantium, commodis et indemnitati, quantum in nobis est, prospicere cupientes, simulque de communi eiusdem Ordinis ac Religio-

nis bono vehementer solliciti, ne quid ei indebite detrahatur, sacrorum canonum ac decretorum dicti concilii, eorumdemque statutorum et privilegiorum auctoritati et tenoribus innitentes; eademque privilegia, statuta et ordinationes ac dictorum praedecessorum nostrorum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, illaque omnia approbantes et confirmantes, praesentisque nostri scripti patrocinio communientes, ac rata et grata habentes ac, quatenus opus sit, innovantes et de novo concedentes.

Declarat etiam provisos per Sedem Apostolicam teneri habitum suscipere.

§ 7. Motu proprio et ex certa nostra scientia, auctoritate praesentium, declaramus numquam intentionis praedecessorum nostrorum vel nostrae fuisse, in provisionibus sive commendis aut quibusvis aliis concessionibus beneficiorum Ordinis et Religionis huiusmodi, sive illa curata sive sine cura sint, per eosdem praedecessores nostros vel per nos et eamdem Sedem forsan, etiam cum simplici derogatione privilegiorum et stabilimentorum Religionis praedictae, non tamen speciali de non suscipiendo habitum et non emittendo professionem mentione, seu per magistrum, conventum, priores, baiulivos ac commendatarios vel alios, quibuscumque personis, cuiuscumque status et dignitatis, factis et concessis, tacite illos absolvendi quo minus, iuxta eiusdem Ordinis statuta et privilegia, infra tempus praefixum habitum suscipere, et professionem, per fratres eiusdem Ordinis emitti solitam, emittere debeant regularem, etiamsi hoc explicite in eorumdem praedecessorum aut nostris litteris adiectum vel iniunctum his, ad quorum favorem huiusmodi beneficia concessa extiterint, nequaquam fuerit.

Non suscipientes infra sex menses poenas hic enunciatas incurrunt.

§ 8. Ac quo nostra haec intentio singulis apertius innotescat, statuimus ut omnes et singuli, qui vel per Sedem praefatam vel per nos aut Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam cum simplici derogatione privilegiorum, seu per priores, baiulivos et commendatarios fuerunt de beneficiis huiusmodi provisi, sive hi, quibus eadem commendata aut quomodolibet concessa extiterunt, etiamsi super his, in Curia vel extra, aliqua lis pendeat, ac de eisdem in posterum perpetuis futuris temporibus providebuntur, aut demum quibus eadem commendabuntur vel concedentur, etiam per Sedem Apostolicam, si post sex menses, a die quo id eis legitime indictum atque denunciatum fuerit illico numerandos, professionem non emiserint et habitum non susceperint Ordinis praedicti, absque alia desuper facienda declaratione et citatione, omni et quocumque iure in dictis beneficiis vel ad illa competente careant eo ipso, ipsique tamquam illiciti detentores et occupatores et intrusi ab eisdem amoveantur, deque illis, tamquam de iure atque de facto vacantibus, magistrum ac conventum, priores, baiulivos et commendatarioset alios ad quos spectat libere providere, ac de illis iuxta magistri et Religionis praefatae stabilimenta et consuetudines exequi posse, eorumdemque possessores ab eorumdem beneficiorum possessione vel potius detentione et occupatione amovendos esse, prout nos in dictum casum et eventum amovemus; ac regulis de annali et triennali possessore et aliis privilegiis remediisque quibuscumque, etiam in corpore iuris clausis, quibus diutini beneficiorum possessores utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere non posse, quavis etiam longissimi temporis praescriptione minime obstante, verum eosdem pro amotis et expulsis habendos esse et censeri; amotisque et expulsis actionem spolii nec *Unde vi* vel aliud quodvis remedium possessorium sive petitorium competere seu desuper propterea agere non valere.

Suscipientes autem spolia consequi possunt.

§ 9. Et quo facilius, siqui ad praesens reperiuntur quomodolibet provisi de beneficiis a prioratibus, baiulivatibus et commendis huiusmodi dependentibus, seu ad illorum collationem, provisionem, praesentationem seu quamvis aliam dispositionem spectantibus, etiam habitum dictae Religionis non susceperunt, ad habitus ipsius susceptionem et professionis emissionem inducantur, eisdem prioribus, baiulivis et commendatariis licentiam et facultatem concedimus ipsis condonandi et relaxandi eorum spolia, quae ad dictos priores, baiulivos et commendatarios spectant, ita ut de illis disponere possint, tam in vita quam in mortis articulo, condonationemque ac relaxationem huiusmodi eiusdem roboris ac momenti esse ac si ab eadem Sede emanassent.

Pii V exemptionem a decimis confirmat aliisque oneribus;

§ 10. Necnon felicis recordationis Pii Papae V, etiam praedecessoris nostri, litteris inhaerentes, illasque approbantes et confirmantes, omnes et singulas personas in dicti Ordinis beneficiis quomodolibet existentes, a seminarii clericorum, in qualibet civitate iuxta dicti concilii decreta erecti seu erigendi, ac decimarum, subsidii et aliorum onerum contributione totaliter eximimus et liberamus, ac liberos et exemptos esse volumus. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac dicti Ordinis apud nos dictamque Sedem protectores, et alios Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Deputat executores huius bullae;

§ 11. Quocirca dilectis filiis in regnis Hispaniarum et Neapolitano, nostris et Sedis Apostolicae pro tempore existentibus nunciis, aut Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, et quibuscumque conservatoribus per eosdem magistrum, baiulivos, priores et commendatarios, iuxta formam privilegiorum Ordinis praedicti, in dignitate ecclesiastica constitutis, electis et eligendis, per praesentes, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte magistri et conventus sive priorum, baiulivorum, praeceptorum et commendatariorum praefatorum et aliarum personarum et possessorum praefatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per opportuna iuris et facti remedia, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogat contrariis;

§ 12. Non obstantibus commendis et provisionibus aliisque dispositionibus vel concessionibus, quibuscumque verborum formulis illa concessa fuerint; ac felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo non ultra tres aliquis auctoritate praesentium ad iudicium trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, sus-

pendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulas praeservativas apponit; § 13. Decernentes praesentibus et in eis contentis omnibus, per quasvis litterarum concessiones, provisiones et alias quaslibet dispositiones, aliter quam ut praemittitur, per nos vel eamdem Sedem factas vel forte quomodolibet faciendas aut concedendas, etiam motu proprio et ex certa scientia, derogari non posse nec derogatum censeri, cuiuscumque tenoris et formae emanaverint, et cum quibuscumque decretis, clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus et insolitis, etiamsi causas quascumque legitimas et favorabiles continerent, quinimmo per praesentes illis omnibus expresse derogamus, earum tenores pro sufficienter expressis habentes, praesentibus semper in suo robore permansuris, nisi harum tenor de verbo ad verbum in illis esset insertus, et magistri conventus consensus accederet.

Transumptis credi iubet. § 14. Volumus autem quod praesentium transumptis, *etc.*

Dat. Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDLXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 23 martii 1580, pontif. anno VIII.

CXIII.

Applicatio unius caroleni pro qualibet navi ad Ripam Tyberis appellente pro manutentione societatis Doctrinae Christianae illiusque ecclesiae in regione Transtyberina institutae [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et facti series. § 1. Etsi erga omnes christifideles ex assuetae benignitatis officio gratiosos et favorabiles esse debeamus, illos tamen potioribus gratiis prosequendos censemus, qui, Spiritus Sancti gratia cooperante, in iaciendis fundamentis fidei, extra quam nulla est salus, mentibus puerorum se indefessos praebent. Cum itaque, sicut nobis innotuit, omnes naves et naviculae ad Ripam fluminis Tyberis Urbis nostrae appellentes, semel quolibet anno unum carolenum, pro qualibet ipsarum navium et navicularum, ab antiquo solvere consueverint, qui carolenus rectori ecclesiae olim forsan parochialis Sanctae Mariae de Turri, regionis Transtyberinae, eiusdem Urbis, ut idem rector ecclesiam ipsam paramentis ornatam teneret, ac ibi missam quater in hebdomada celebraret, solvi solitus erat, prout ex litteris patentibus bonae memoriae Francisci Alidosii tituli Sanctae Caeciliae presbyteri cardinalis Papiensis nuncupati, sub cuius titulo dicta ecclesia Sanctae Mariae consistebat seu ab illo dependebat, apparet, in quibus litteris ipse Franciscus cardinalis asserit se a personis fide dignis certioratum fuisse quod huiusmodi carolenus ad dictum rectorem ipsius ecclesiae Sanctae Mariae pertinebat. Quare idem Franciscus cardinalis, qui etiam, in provincia nostra Patrimonii, Sedis Apostolicae legatus de latere tunc existebat, ad hoc, ut creditur, dictae Sedis auctoritate suffultus, licet de ea expressa mentio non fiat in dictis suis litteris, prohibet consulibus et mercatoribus dictae Ripae et piscivendulorum [1], sub poena excommunicationis, ne amplius dictum carolenum a navibus et naviculis huiusmodi ad Ripam praefatam appellentibus percipere seu exigere auderent, sed illum per rectorem ecclesiae Sanctae Mariae huiusmodi, qui quater in hebdomada missam celebrare et ipsam ecclesiam Sanctae Mariae pro missa servitio paratam tenere deberet, ut praefertur, percipi et exigi

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Leg. forsan *piscivendulis* (R. T.).

sinerent seu permitterent, prout in litteris praedictis, anno Domini millesimo quingentesimo septimo confectis, plenius continetur.

Expositionis facti continuatio.

§ 2. Et licet verisimiliter credatur rectores dictae ecclesiae Sanctae Mariae, qui pro tempore fuerunt, etiam post emanatas huiusmodi litteras dictum carolenum exegisse, nihilominus, propter bellorum, quae deinde in dicta Urbe viguerunt, iniurias, et novissimum eiusdem Urbis excidium, ac etiam pestium contagiones, quibus ipsa Urbs oppressa fuit, nulla alia reperiatur scriptura, quae pro parte dictae ecclesiae Sanctae Mariae desuper ostendi possit, nisi dictae litterae patentes ipsius Francisci cardinalis, unde dicti consules carolenum praefatum aliquo tempore exegerunt; verumtamen de praesenti adsunt multi testes, qui enim pro parte eiusdem ecclesiae Sanctae Mariae litterae monitoriales super praemissis, sub poena excommunicationis contra scientes et non revelantes, a dilecto filio nostro in dicta Urbe vicario obtentae et subsequenter more solito publicatae fuerint, revelarunt se audivisse a personis, quae super dicta Ripa per quadraginta annos et ultra conversatae sunt, quod dictus carolenus eidem ecclesiae Sanctae Mariae solutus fuit; ac ulterius, licet dicti consules pluries moniti seu citati aut alias vocati fuerint coram dilecto filio Rodulpho Bonfiolo, Camerae nostrae Apostolicae generali commissario, ad docendum et ostendendum qua auctoritate et quo iure dictum carolenum exigerent, tamen nihil aliud unquam dixerint vel allegaverint, nisi quod ipsi consules in possessione dictum carolenum exigendi existebant. Quapropter tandem novissime eisdem consulibus, ad instantiam dictae Camerae, inhibitum fuit ne dictum carolenum exigere, quin immo illud omne, quod eatenus pro praeterito exinde exegerant, restituere et solvere deberent; adeo ut, stante huiusmodi inhibitione, neque consules praefati nec quisque alius dictum carolenum de praesenti exigant; ipsaeque naves et naviculae ab eadem Ripa, non soluto huiusmodi caroleno, recedant.

Applicatio ... societati Doctrinae Christianae.

§ 3. Cumque nos pridem dictam ecclesiam Sanctae Mariae societati Doctrinae Christianae in eadem ecclesia Sanctae Agathae institutae, seu eidem ecclesiae Sanctae Agathae, quae etiam ipsi societati apostolica auctoritate perpetuo unita seu concessa est, eadem auctoritate, etiam perpetuo, univerimus, annexuerimus et incorporaverimus, prout in nostris inde confectis litteris etiam plenius continetur; ipsaque societas et dilecti filii illius socii in eadem ecclesia Sanctae Mariae non solum quatuor missas in hebdomada, sed quotidie unam missam celebrent vel celebrari faciant, ad quam missam quotidianam audiendam mercatores et nautae eiusdem Ripae, qui forsan alias missam saltem ita frequenter non audirent, devotissime confluunt, nos, in praemissis, pro nostri pastoralis officii debito, opportune providere, ac omnem de cetero super his dubitandi, altercandi et litigandi materiam vel occasionem succidere et de medio prorsus tollere volentes, litemque et causam vel controversiam, seu lites et causas vel controversias super dicto caroleno et illius exactione ac iure illum exigendi, sicut praefertur, et alias quomodolibet, tam iudicialiter quam extraiudicialiter, et tam coram eodem Rodulpho quam quocumque seu quibuscumque aliis iudicibus, ordinariis vel extraordinariis, delegatis et subdelegatis, necnon etiam in eadem Camera et extra eam ubilibet et quomodolibet inter consules et societatem praefatos et quoscumque alios motas et ortas ac etiam indecisas pendentes, in statu et terminis, in quibus re-

periuntur, a Rodulpho et aliis iudicibus ac etiam Camera praefatis, ad nos harum serie avocantes, illasque sic avocatas perpetuo extinguentes, eamdemque societatem et illius singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, dictum carolenum annuatim ab omnibus et singulis navibus et naviculis praefatis ad dictam Ripam pro tempore appellentibus, tam pro toto tempore praeterito, quo, ut praefertur, exactus non fuit, quam ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus exigendum, ecclesiae S. Mariae, et consequenter societati huiusmodi, cui ipsa ecclesia S. Mariae, ut praefertur, unita est, praedictis, ita quod liceat etiam ex nunc de cetero in perpetuum dictis sociis ipsius societatis praesentibus et futuris, per se vel alium seu alios eorum, et ecclesiae S. Mariae ac societatis praefatarum nominibus, propria auctoritate, dictum carolenum semel annuatim a qualibet navium et navicularum praefatarum, tam pro toto tempore praeterito, quo, ut praefertur, exactus non fuit, quam in posterum, petere, exigere, recipere et recuperare, ipsumque carolenum in ecclesiae S. Mariae et societatis praefatarum usus et utilitatem convertere, etiam vicarii nostri et successorum nostrorum in dicta Urbe, nunc et pro tempore existentis, aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, cum eo quod ipsi socii in eadem ecclesia S. Mariae missas quater in hebdomada celebrare seu celebrari facere, ipsamque ecclesiam S. Mariae paramentis ornatam manutenere, ut praefertur, debeant et teneantur, eadem apostolica auctoritate, tenore praesentium etiam perpetuo applicamus et appropriamus, ac etiam concedimus et assignamus.

Praesentium litterarum validatio.

§ 4. Necnon consulibus praefatis et quibusvis aliis perpetuum desuper silentium imponimus; praesentes quoque, etiam ex eo quod ipsi consules aut alii interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, seu quavis vel quibusvis aliis causis, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari seu impugnari aut alias quomodolibet infringi vel retractari nullatenus unquam posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis inviolabiliter perpetuo observari.

Clausulae.

§ 5. Sicque in praemissis ab omnibus censeri, ac ita et non aliter per praefatos et quoscumque alios iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores sanctaeque Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac etiam in dicta Camera, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Mandatur executio.

§ 6. Quocirca eidem Urbis vicario, ac venerabili fratri episcopo Maceratensi, et dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictae societatis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis

defensionis praesidio assistentes, faciant dictam societatem praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos per praefatos consules et alios quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Pii Papae IV, praedecessoris nostri, per quam statuit et ordinavit quod omnes et singuli, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentes, qui aliquas gratias et concessiones, quae aliqua ex parte, quavis ratione seu causa, directe vel indirecte, principaliter, secundario vel accessorie, aut alias quovis modo Camerae praefatae qualecumque minimum praeiudicium vel interesse, gravamen seu detrimentum concernere censerentur, illas intra tres menses, a die eorum impetrationis computandos, in eadem Camera praesentare, ac ibidem registrari facere deberent et tenerentur, alioquin, lapsis tribus mensibus eisdem, ac gratiis vel concessionibus non praesentatis minusque registratis, illae in iudicio et extra nullatenus fidem facere possent, et tamquam non concessae nullaeque et ipso iure invalidae ac nullius roboris vel momenti fuisse, esse et fore, neminique, ut praefertur, suffragari posse; et regula nostra de non tollendo iure quaesito, si opus sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon litteris, pendentia[1] seu controversia vel differentia; ac etiam Urbis et Ripae Cameraeque praefatarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam illis et illarum ceterisque praefatis et quibusvis aliis superioribus et personis, necnon etiam dictis consulibus et piscivendulis ac quibusvis aliis personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, etiam motu, scientia et potestate similibus, ac etiam consistorialiter, ac alias in praemissis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse ac fore decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII aprilis MDLXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 8 aprilis 1580, pontif. anno VIII.

1 Legimus *necnon litis pendentia* (R. T.).

CXIV.

Approbatio institutionis et statutorum confraternitatis Sanctae Catharinae de Senis de Urbe, cum facultate eadem innovandi, et indulgentiarum clargitione [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito ministerii pastoralis ad ea nostrae operationis studia diligenter convertimus, per quae charitatis et misericordiae opera ubique locorum, praeser-

1 Ex Regest in Secret. Brev.

tim in alma Urbe nostra, omnium virtutum proprio domicilio, exerceantur, ac pia fidelium vota, divini cultus augumentum et ipsorum christifidelium animarum salutem concernentia, optatum consequantur effectum; et ut ea, quae ad eum finem per fideles ipsos pie facta et ordinata fuisse dicuntur, firma perpetuo et illibata persistant, libenter apostolico munimine roboramus, eosque ad sancta opera exercenda, indulgentiis et peccatorum remissionibus propositis, libenter invitamus.

Facti series, et causa constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii gubernator et priores confraternitatis Sanctae Catharinae nationis Senensium de Urbe exponi nobis nuper fecerunt, dicta confraternitas a centum annis et amplius instituta fuerit, ac illius confratres in piis et charitativis operibus, prout alii aliarum dictae Urbis confraternitatum confratres, sese exercuerint et exerceant de praesenti, et litterae apostolicae institutionis dictae confraternitatis confirmatoriae non inveniantur, pro parte dictorum gubernatoris et priorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus illis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur; nos, qui pia charitatis opera omni adhibito studio exerceri sinceris exoptamus affectibus, dictos gubernatorem et priores a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, institutionem dictae confraternitatis ac capitula et ordinationes pro bono et felici illius regimine et directione ab eisdem confratribus hactenus facta et condita, licita tamen et honesta et sacris canonibus ac decretis concilii Tridentini non contraria, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus; necnon gubernatori et prioribus ac confratribus praefatis et pro tempore existentibus quaecumque alia statuta ut praefertur qualificata, de novo edendi et faciendi, seu per eos edita reformandi, mutandi et alterandi, ac in totum tollendi et abrogandi, toties quoties id pro salubri directione et manutentione dictae confraternitatis iudicaverint expedire, licentiam concedimus.

Concessio indulgentiarum.

§ 2. Necnon de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem ingredientur, in die primi illorum ingressus; praeterea ipsis christifidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam Sanctae Catharinae de Senis nuncupatam, in qua dicta confraternitas instituta reperitur, in festo eiusdem Sanctae Catharinae per dictos confratres celebrando, ac Assumptionis Beatae Mariae Virginis, devote visitaverint, et pias inibi preces, prout unicuique suggeret devotio, effuderint; necnon ipsis confratribus in articulo mortis nomen Iesu invocantibus, sive aliquod poenitentiae signum ostendentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate et tenore praemissis elargimur.

Dies indulgentiarum assignantur.

§ 3. Ad haec, dictae confraternitatis utriusque sexus confratribus, qui in Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, ac Pentecostes et Omnium Sanctorum festis, et prima dominica cuiuslibet mensis, in ecclesia praefata, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devote sumpserint,

decem; quique feria secunda cuiuslibet mensis anniversariis pro animabus confratrum dictae confraternitatis defunctorum celebrandis interfuerint, alios decem annos et totidem quadragenas; necnon qui, audita morte alicuius ex dictis confratribus, ter Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitaverint; quique, vestibus dictae confraternitatis induti, cadavera defunctorum dictae confraternitatis ad sepulturam associaverint, et orationibus pro defunctis huiusmodi peragendis interfuerint, alios centum dies; deinde qui, confessi et communicati, virgines nubendas et ad ecclesiam Beatae Mariae Virginis super Minervam de Urbe processionaliter accedentes et inde recedentes associaverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam; necnon qui orationi quadraginta horarum, decem annorum indulgentiam; ac postremo qui processionibus dictae confraternitatis, ex qualibet devotione et in quovis loco celebrandis, interfuerint, et pias inibi preces ad Deum pro S. R. E. exaltatione, ac pace christianorum effuderint, decem annos de eis iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausula sive conditio pro validitate indulgentiarum.

§ 4. Volumus autem quod, si praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, praesentes litterae, quoad indulgentias, nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x maii MDLXXX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 maii 1580, pontif. anno VIII.

CXV.

Statutorum almae Urbis confirmatio, cum declaratione quod statuta ordinatoria in Curia Capitolina observentur, decisoria vero in omnibus tribunalibus Urbis eiusque districtus, ubi non extant particularia statuta de eisdem casibus disponentia [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Urbem Romam, ex qua, veluti a capite, iuris civilis prudentia defluxit atque inde in alias nationes longe lateque est diffusa, legibus semper atque optimis abundare oportet institutis, ut quae tot donis praerogativisque excellit, seipsam in primis optime regat, aliisque deinde urbibus, exemplo reipublicae recta ratione administrandae, antecedat. Quod cum nobis, pro eo, quo illam Principis apostolorum, eius successorum, nostrique et christianae religionis Sedem prosequimur, verae dilectionis affectu, debitoque nostrae servitutis officio, maxime semper curae fuerit, plurimum in Domino laetati sumus dilectos filios populum Romanum, iustitiae colendae studio, sollicitudini huic nostrae respondisse. Illi enim, cum Urbis mores, consuetudines et pleraque omnia negotia ita viderent esse confusa, ut ius sibi cum ab antiquis tum a iunioribus traditum, et denique ipsaemet canonicae sanctiones, in controversiis, quae quotidie in iudicium vocantur, dirimendis aliisque rebus explicandis, prout tempus moresque postulant,

1 Scias autem in causis criminalibus senatorem haec statuta, quoad processum, non servare, sed iuxta facultates gubernatoris Urbis procedere posse, ut consuevit a Summis Pontificibus explicari in brevi, quod pro senatore expeditur in eius electione; et, quoad universitates artium, ponitur hic reintegratio huiusmet Pontificis quoad earum iurisdictionem.

non ita conveniant, ne quid ab eis in concessa sibi facultate desiderari contingat, privatas leges sive statuta praesentibus temporibus ac negociis congruentia sibi condere, nostris auctoritate et praesidiis freti, instituerunt.

Populus Romanus instituit reformare antiqua Urbis et nova condere statuta.

§ 1. Id vero, dum serio agunt, noviterque in iuris huiusmodi compositionem, nobis annuentibus, incumbunt, statuta Urbis, quae sibi a maioribus suis relicta habebant, satis perplexa et confusa invenerunt, in quorum libris, ob temporum vetustatem, magistratuum fortasse negligentiam, multiplicesque superiorum aetatum editas reformationes, saepe quae adhuc vigebant constitutiones una cum abrogatis et obsoletis, aliaeque aliis contrariae promiscue continebantur.

Lucas Paetus, a populo una cum aliis deputatus, in tres libros statuta redegit et huic Pontifici exhibuit.

§ 2. Cupientes itaque iidem populus ut ius proprium in certam formam et quasi non dissentientium inter se statutorum consonantiam redigeretur, ad praesentiumque temporum mores et negocia accommodaretur, provinciam hanc dilecto filio Lucae Paeto, utriusque iuris doctori, nonnullisque aliis civibus Romanis demandandam curarunt; eorum vero aliquibus vita functis, aliis diversorum negociorum occupatione districtis, idem Lucas, statuta praedicta in quinque libros prius distributa, supervacaneis amputatis, necnon invicem pugnantibus et iis quae vel desuetudine antiquata vel contraria lege abrogata erant sublatis, additisque nonnullis reformationibus, ad dilectorum filiorum conservatorum populique Romani officialium regimen et directionem spectantibus, quae nobis, populi eiusdem nomine, obtulerant, in tres breves admodum libros certo distinctoque ordine redegit, nobisque superioribus annis exhibuit.

Pontifex autem deputavit cardinalem S. Severinae et alios hic nominatos ad illa examinandum et corrigendum, prout emendarunt et correxerunt.

§ 3. Qui, intelligentes multa in populum Romanum praedictum commoda ex nova huiusmodi statutorum compilatione esse profectura, dilecto filio nostro Iulio Antonio tituli Sancti Bartholomaei in Insula presbytero cardinali S. Severinae nuncupato, mandavimus ut, convocatis dilectis filiis conservatoribus Camerae Urbis et prioribus capitum regionum, qui pro tempore fuissent, necnon Hortensio Frangipanio Urbis cancellario, Antonio Vellio, Fabricio Lazaro, et qui eiusdem populi Romani advocatus est, Horatio Burghesio, et Vincentio Parentio aulae nostrae consistorii, necnon Bernardino Biscia, et Horatio de Arrigonibus in Romana Curia advocatis, Stephano Crescentio, Marcellino Alberino, Petro Paulo Fabio, Hieronymo Alterio, Augustino Palonio, Valerio de Valle, Prospero Caffarello, et Riccardo Mazzatosta, Romanis civibus, a dicto populo in suis consiliis ad hanc rem, diversis et successivis temporibus, una cum praedicto Luca, delectis, congregatis quoque dilectis filiis nostris Alexandro tituli S. Mariae in Aracoeli presbytero cardinali Riario nuncupato, tunc Camerae Apostolicae generali auditore, deinde magistro Hieronymo Matthaeio, in eiusdem Alexandri cardinalis locum ad munus auditoris suffecto, necnon venerabili fratre Hieronymo episcopo Maceratensi, locum unius ex officiis clericatus Camerae Apostolicae ex indulto apostolico obtinente, ac dilectis item filiis magistris Alexandro Frumento et Pyrrho Tharo, notariis nostris, in utraque Signatura nostra referendariis, ac etiam Mario Gabrielio, eiusdem aulae nostrae consistorii advocato, a nobis ad hoc specialiter deputatis, statuta huiusmodi, per dictum Lucam compilata, diligenter excuterent atque examinarent, et quae eis viderentur, supplerent, corrigerent, delerent et emendarent. Qui frequentissime per plures annos in unum congregati, eisdemque statutis diligenter

visis et sigillatim examinatis matureque discussis, alia emendaverunt, alia explanaverunt, nonnulla addiderunt, nonnullaque etiam sustulerunt. Denique Iulius Antonius et Alexander, cardinales, ac Hieronymus episcopus, necnon Marius Gabrielius et Lucas Pactus praedicti, eorumdem statutorum relectione et recognitione omni studio et diligentia ab ipsis de mandato nostro facta, postremam illis manum adhibuerunt.

Antiqua igitur statuta abrogat hic Pontifex;

§ 4. Nos, volentes ea, quae tanto labore et maturitate ad publicam utilitatem digesta sunt, inviolabiliter observari, motu proprio et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et quaecumque antiqua Urbis statuta, etiam reformata et innovata, ac quibusvis approbationibus et confirmationibus apostolicis roborata, praesentium auctoritate abrogamus, tollimus et penitus abolemus, neminemque ad illa deinceps obligari volumus.

Novaque confirmat;

§ 5. Novissime vero compilata statuta praedicta, etiam, certis in eis expressis casibus, iuramenti validitatem restringentia, sicuti praedictis tribus libris digesta sunt, approbamus et confirmamus.

Observari etiam praecipit in Curia Capitolina generaliter, et in aliis curiis Urbis et districtus quoad decisoria tantum;

§ 6. Et ut approbatio huiusmodi amplius innotescat, has praesentes in principio omnium librorum eorumdem voluminum, quae vel manu scribentur vel imprimentur, omnino describi volentes, statuimus et apostolica auctoritate decernimus, ut de cetero, post triginta dies a publicatione praesentium, nulla alia statuta quam haec nova ad futurarum causarum decisionem ac negociorum expeditionem allegari possint, nec quisquam illa allegans, audiri debeat, sed tantum secundum praedicta nova, a nobis confirmata, in Curia Capitolina et apud eam in futuris omnibus causis, in ipsa Curia Capitolina videlicet, etiam quoad causarum processum; et quoad alia, ubique in ipsa Urbe illiusque districtu, ubi particularia statuta, de eisdem causis et earum casibus disponentia, non habentur, quavis alia sinistra, dolosa vel captiosa interpretatione sublata, in quacumque instantia inviolate ac perpetuo observentur, ac iuxta illa lites et controversiae omnes in futurum iudicari, decidi et definiri debeant.

Derogationemque statutorum sibi reservavit;

§ 7. Nec illis, nisi per signaturam nostram et pro tempore existentis Romani Pontificis manu factam, nequeat derogari. Sitque irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus necnon privilegiis et indultis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, concessis, confirmatis et innovatis, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 9. Volumus autem ut praesentium transumptis, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octogesimo, octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 maii 1580, pontif. anno IX.

Sequitur reintegratio iurisdictionis et indultorum universitatum artium Urbis, praeservata superioritate gubernatoris et aliorum iudicum.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

Almam Urbem nostram dilectosque filios illius cives et incolas, eos praeser-

tim quorum laboribus et industria, bona et merces ad usum quotidianum necessariae et utiles ad Urbem ipsam ex diversis mundi partibus convehuntur et conservantur, ac onera ipsi Urbi incumbentia cura et labore assiduo substinent, paterno affectu prosequentes, in ea libenter intendimus, per quae privilegia et gratiae, quae illis a praedecessoribus nostris nobisque ipsis concessae et consuetudine confirmatae et approbatae fuerunt, apostolica auctoritate roborantur, et haesitationes circa ea subortae elucidantur et de medio tolluntur.

Plures Pontifices diversis artibus dederunt cognitionem causarum suae artis, inter quoscumque.

§ 1. Cum itaque dilecti filii mercatores, merciarii, aromatarii et quamplurimi alii diversi generis artifices, quorum omnium et singulorum artes, exercitia, denominationes ac alia hic forsan latius vel de necessitate exprimenda ac speciali nota digna pro expressis ac de verbo ad verbum pro insertis haberi volumus perinde ac si specialiter ac seriatim exprimerentur, ad Urbem ipsam confluentes, illius necessitati et utilitati ac decori et ornamento, Altissimo cooperante, maxime prospexerint. Et propterea felicis recordationis Martinus V, Paulus III, Iulius etiam III, Pius IV et nonnulli alii Romani Pontifices praedecessores nostri ac etiam nos ipsi, considerantes artes huiusmodi illarumque artifices ipsi Urbi admodum necessarios et utiles existere, singulosque ipsos artifices, sine rectoribus et ducibus ac sine certis iudicibus degentes, ipsi Urbi parum utiles, sibique ipsis non admodum proficuos futuros, dum, pro suorum creditorum consecutione, ad diversa tribunalia et, quod peius est, ad iudices de artificio et minus precio ipsarum artium omnino inexpertos et ignaros distracti, propria eorum negocia et artes ipsas deserere cogerentur, artificibus ipsis collegia habere, et consules, officiales ac iudices ex ipsorum corpore creare, et de mercibus et mercedibus aliisque rebus, causis et negociis cuiusque artis et ad artem quomodolibet respective spectantibus, usque ad certas in singulis litteris et privilegiis huiusmodi comprehensas et expressas summas, agnoscere et iudicare concesserunt et indulserunt.

Consuetudo etiam artibus tribuit eamdem iurisdictionem.

§ 2. Ac insuper ex antiqua consuetudine, quae vim legis habere dignoscitur, ut etiam collegia specialibus privilegiis non munita causas easdem de rebus ad artes ipsas spectantibus, etiam inter homines extra ipsa collegia constitutos, cognoscere et decidere consueverint, inductum et observatum fuerit, eademque privilegia, indulta et consuetudo usu ipso approbata, in ipsius Urbis artificumque praedictorum utilitatem non parvam cedere comperta sunt. Quo factum est ut Urbs ipsa civibus et incolis omnique generis artis excellentium virorum copia redundaverit et redundet de praesenti.

Sed statuta Urbis noviter edita consulum iurisdictionem limitarunt ad homines de arte.

§ 3. Cum autem, elapsis mensibus, antiqua statuta ipsius Urbis de mandato nostro reformata et innovata, et inter cetera eorumdem statutorum lib. III, cap. XII statutum et decretum fuerit ut consules artium huiusmodi causas tantummodo inter ipsos homines de arte et de rebus spectantibus ad artem ipsam cognoscere et iudicare possent; ea propter a nonnullis nimium scrupulosis, privilegiis, indultis et consuetudine cuiuslibet artis et collegii, circa cognitionem et decisionem causarum et negociorum, quae, licet de rebus ad artes ipsas spectantibus, contra homines extra artes et collegia degentes pro tempore oriuntur et agitantur, maxima ex parte derogatum et praeiudicatum extitisse haesitatur adhuc. Unde aliqua ex ipsis collegiis pene dissoluta et dilapsa reperiuntur, consulum iurisdictione pene, praeter et contra mentem et intentionem nostram, sublata. Qua-

propter dilecti filii Angelus Clavarius, Franciscus Calvius et Curtius Sergardius, Camerae dictae Urbis conservatores, necnon Baldasar Cincius, prior capitum regionum, nobis ex dubietate et haesitatione huiusmodi maximum ipsi Urbi illiusque incolis et praecipue iurisdictioni ipsius Curiae Capitolii provenisse ac in futurum provenire posse damnum et incommodum, non sine animi nostri displicentia, suggesserunt.

Pontifex declarat haec statuta eorum iurisdictioni non praeiudicare;

§ 4. Malis igitur et incommodis huiusmodi quanto citius occurrere, quantum cum Deo possumus, satagentes, motu proprio, non ad ipsorum conservatorum et prioris, nec consulum aut artificum praedictorum seu alicuius eorum, vel pro eis aut eorum aliquo nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex nostra mera et deliberata voluntate ac de apostolicae potestatis plenitudine, haesitationem et dubitationem praedictam de medio tollentes, intentionis et voluntatis nostrae minime fuisse nec esse privilegiis, indultis, statutis et consuetudinibus singularum artium earumque collegiorum, consulum et iudicum quorumcumque, circa cognitionem et decisionem omnium et singularum causarum, de rebus et bonis ad artes singulas respective spectantibus, etiam inter et contra homines qui de ipsis artificibus et collegiis non sunt nec pro tempore erunt vertentium et quae futuris perpetuis temporibus verti contigerit, in aliquo derogare aut derogatum fuisse declaramus et attestamur, decernimus et definimus praesentium per tenorem.

Iurisdictionesque eorumdem reintegrat;

§ 5. Et nihilominus, pro potiori eorumdem corporum et collegiorum omnium et singulorum, ipsorumque et cuiuslibet eorum privilegiorum, indultorum, statutorum et consuetudinum, circa cognitionem et decisionem causarum similium, validitate, denuo, quatenus opus sit, privilegia, indulta et consuetudines, apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque omnibus et singulis perpetuae firmitatis robur adiicimus. Decernentes omnes et singulos consules et alios quoscumque officiales et iudices omnium et singularum artium et collegiorum huiusmodi de negociis et causis ad singulas quasque artes respective spectantibus, etiam inter et contra homines, qui de corporibus et collegiis artium ipsarum pro tempore non sint, cognoscere et iudicare potuisse et debuisse, posseque et debere, prout et quemadmodum ipsi omnes et singuli consules et iudices singularum artium, ante dictorum statutorum publicationem et confirmationem per nos, ut praefertur, editam et promulgatam, et iuxta cuiusque ipsorum privilegia, indulta et consuetudines, cognoscere, decidere et iudicare poterant et consueverant, de rebus tamen ad singulas artes ipsas respective spectantibus, cognoscere et iudicare in prima instantia, dummodo in articulis iuris consultorem seu assessorem adhibeant, auctoritate et tenore praemissis concedimus et indulgemus.

Appellatque ab eorum sententiis permittit, et hic;

§ 6. Declarantes a sententiis, declarationibus et decretis consulum et iudicum praedictorum, infra terminum octo dierum a die latae sententiae seu facti decreti, ad conservatores et non alios quoscumque iudices appellari et recurri posse et debere; et aliter seu ab aliis factae inhibitiones, praetextu appellationum et recursuum, nemini suffragari.

Clausulae praeservativae.

§ 7. Praesentesque litteras de subreptionis et obreptionis vitio, mentisque aut intentionis nostrae defectu notari aut impugnari nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices, etiam S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis statutis ipsius Urbis, ut praefertur, per nos editis, promulgatis et confirmatis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et Cancellariae nostrae regulis, etiam de non tollendo iure quaesito; privilegiis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, per nos et praedecessores nostros quibusvis dictae Urbis iudicibus et tribunalibus quomodolibet concessis et innovatis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima maii, millesimo quingentesimo octogesimo primo, pontificatus nostri anno IX.

Sequitur declaratio quod constitutio praeinserta non praeiudicat facultatibus gubernatoris Urbis, capitanei appellationum et aliorum iudicum.

Gregorius Papa XIII, motu proprio, etc.

Constitutio praeinserta non praeiudicat facultatibus gubernatoris et capitanei appellationis Urbis.

§ 1. Ne per praeinsertas litteras in forma brevis nostri aliquod praeiudicium bono et pacifico regimini almae Urbis nostrae et illius gubernatori ac aliis iudicibus ordinariis ipsius Urbis inferatur, decidimus et declaramus intentionis nostrae minime fuisse nec esse quod per praeinsertas litteras in aliquo iurisdictionibus et facultatibus ac superintendentiae eiusdem moderni ac pro tempore existentis eiusdem Urbis nostrae gubernatoris ac aliorum iudicum ordinariorum dictae Urbis, circa causarum cognitiones in praeinsertis litteris expressas, perinde ac si praeinsertae litterae a nobis emanatae non fuissent, minime praeiudicetur. Nec ullo unquam tempore eisdem gubernatori et iudicibus ac eorum locatenentibus et eorum cuilibet praeiudicatum esse intelligatur, prout praeiudicare nolumus, sed quod eorumdem gubernatoris et iudicum et capitanei appellationum iurisdictiones et facultates, quas per prius habebant, salvae et illaesae circa praemissa perpetuo maneant; et illas praeinsertas eis non obstare volumus; appellationesque et provocationes omnes ad eos ceterosque Urbis et Curiae ordinarios et eorum tribunalia, sicut prius, videlicet ante dicta statuta, sine ullo impedimento deferantur.

§ 2. Decernentes *etc.*; et sic per quoscumque, etiam S. R. E. cardinales ac alios iudices *etc.* iudicari *etc.* debere, sublata *etc.*; irritum quoque et inane *etc.* contigerit attentari; ac solam praesentium signaturam, in iudicio et extra, sufficere et plenam fidem facere, regula contraria non obstante. Decretum irritans.

Fiat. Motu proprio, U.

Datum Romae apud S. Petrum, nonis iulii, anno X.

CXVI.

Quod fratres Praedicatores Ordinis S. Dominici, ad instantiam cuiuscumque personae extra ipsum Ordinem, aliquam gratiam facere aut poenam remittere non possint, neque conquisitis favoribus et suffragiis officia procurare [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Cum nihil magis religiosorum statum perturbet quam favorum et suffragiorum saecularium aucupatio et conquisitio, quibus superiorum aequa mens, quae pro meritis suorum unicuique subditorum tribuere debet, pervertatur. Exordium.

§ 1. Nos, malum hoc ab Ordine fratrum Praedicatorum, cuius prosperum regimen et incrementum, ad ecclesiae Prohibitio faciendi gratiam, aut remittendi poenam ad in-

1 Alia autem de his fratribus et eorum Ordine plene scripsi in Onorii III constit. II, *Religiosam*, tom. III, pag. 309.

stantiam personae extra Ordinem, sanctae utilitatem, sinceris exoptamus affectibus, pro nostra pastorali sollicitudine propellere summopere cupientes, dilectis filiis magistro generali ac provincialibus et reliquis eiusdem Ordinis praelatis, nunc et pro tempore existentibus, per apostolica scripta et in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus ne, ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum, tam laicarum quam ecclesiasticarum, extra supradictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore ac quacumque saeculari dignitate excellentia, etiam ducali et regali et imperiali, fulgentium, cuivis dicti Ordinis religioso ullam gratiam concedere vel poenas aliquas remittere audeant seu praesumant.

Et conquisitis favoribus et suffragiis officia procurandi. § 2. Quinimmo quoscumque eiusdem Ordinis fratres et religiosos, qui contra decreta suarum constitutionum hac via et iis mediis per mendicatos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad alia et similia et etiam maiora in eodem Ordine consequenda, apostolica auctoritate, tenore praesentium, inhabilitamus, ac inhabiles perpetuo fore et esse, neque per quoscumque, nisi per Sedem Apostolicam, rehabilitari aut cum ipsis desuper dispensari posse.

Sublata aliter iudicandi potestate. § 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid contra praemissa aliquibus concessum fuerit, aut super iis a quoquam contigerit attentari, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus.

Quibuscumque non obstantibus. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dicti Ordinis, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, ad earumdem praesentium effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam non impressis, manu alicuius publici notarii subscriptis et sigillo dicti magistri generalis obsignatis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die primo iunii, millesimo quingentesimo octogesimo, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 1 iunii 1580, pontif. anno IX.

CXVII.

Contra non solventes in festo Ss. Petri et Pauli census, canones et alia iura Reverendae Camerae Apostolicae debita [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ad Romani Pontificis spectat officium, boni patrisfamilias exemplo, curare sedulo ac providere ne Sedis et Camerae Apostolicae dominia, proprietates et iura depereant, neve contra ius fasque ab aliis occupentur, ac si qua ex eis vel temporum iniuria vel hominum malitia et cupiditate vel aliquo alio casu detineri et

1 Contra non solventes hos census primam sanctionem edixit Innocentius VIII, ut in eius constit. IV, *Apostolicae*, tom. V, pag. 311. Et deinde latiorem constitutionem formavit Paulus IV in constit. XVI, *Incumbentia*, tom. VI, pag. 523.

usurpari contingat, illorum recuperationi decenter instare, quo et ipsius Sedis ac aliorum christianorum principum, atque adeo universae christianae reipublicae necessitatibus et opportunitatibus valeat subvenire.

Plerique Pontifices poenas imposuerunt non solventibus annuas Camerae Apostolicae.

§ 1. Hoc sane consilio et animo complures Romani Pontifices praedecessores nostri, et in his piae memoriae Innocentius VIII, sexto nonas maii, octavo; Alexander VI, quintodecimo kalendas ianuarii, sexto; et Paulus IV, octavo kalendas novembris, secundo pontificatuum suorum annis editis constitutionibus et litteris, adversus omnes et quoscumque S. R. E. et Camerae Apostolicae feudatarios, vicarios, gubernatores, censuarios, emphyteutas et alios Camerae Apostolicae debitores, eisdem Sedi et Camerae debitas solutiones, certis die et loco statutis re ipsa non facientes, pactaque et conventiones in eorum investituris et aliis concessionibus, necnon modos et formas aliaque omnia in eisdem praedecessorum litteris contenta non adimplentes, sententias, censuras et poenas, tam ecclesiasticas quam privationis et caducitatis feudorum, vicariatuum, guberniorum, locationum, censuum et aliorum bonorum et iurium per eos a Sede et Camera praedictis quomodolibet obtentorum imposuerunt.

Fiscus quolibet anno in vigilia et festo Ss. Petri et Pauli acceptavit caducitates et devolutiones, et non solventes morosos et contumaces declarari a cameralibus obtinuit.

§ 2. Quarum deinde constitutionum et litterarum vigore, ac etiam iuxta antiquam et laudabilem consuetudinem, singulis annis in vigilia et festo beatorum apostolorum Petri et Pauli hactenus in Camera Apostolica servatam, coram eiusdem S. R. E. camerario et Camerae praedictae praesidentibus, clericis et aliis Cameram praedictam facientibus et repraesentantibus, pro recipiendis censibus et aliis praedictis ibidem congregatis, eiusdem Camerae et fisci procurator pro tempore existens, acceptando prius omnes et quascumque dictarum concessionum et investiturarum caducitates, devolutiones et privationes, necnon contractuum et instrumentorum resolutiones extinctionesque et alias poenas legales seu conventionales ac aliter per eos incursas, eosdem non solventes seu non adimplentes promissa, ac in dictis investituris et concessionibus contenta seu alias per eos quomodolibet debita, ab eorum feudis, vicariatibus, guberniis, locationibus, administrationibus, censibus et bonis ac concessionibus et investituris cecidisse et illis privatos fuisse, nec per quamcumque receptionem, in totum seu in partem de eisdem censibus postea, tam in eadem Camera quam extra eam, et tam per ipsum quam alios quoscumque factam, iuribus eiusdem Camerae praeiudicari, sed quod semper ad bonum computum, ac eosdem, sicut praefertur, non solventes et non adimplentes, morosos declarari per Cameram praedictam singulis annis petiit et institit, ac morosos et contumaces vel alias decerni et declarari obtinuit.

Paulus IV comprobavit dictas fisci protestationes et cameralium sententias et decreta, ut habes in dicta eius constit. citata in nota ad rubricam.

§ 3. Itaque idem Paulus praedecessor, protestationes, declarationes, sententias et decreta praedicta per easdem suas litteras confirmans et approbans, perpetuo statuit omnes occupatores et detentores feudorum et aliorum praedictorum ad illa eidem Camerae relaxandum et restituendum infra certum terminum, qui iampridem praeteriit, quacumque praescriptione, etiam centum annorum et forsan ultra, non obstante, obligatos esse, cogique posse et debere, et alias prout in constitutionibus et litteris, necnon protestationibus, interpellationibus, declarationibus, sententiis et decretis praedictis latius continetur.

Postea quolibet anno feudatarii et alii Camerae debitores in vigilia et festo

§ 4. Postea vero, tam Pauli praedecessoris quam praedictorum et aliorum praedecessorum nostrorum constitutionum et litterarum huiusmodi vigore, feudatarii

Ss. Petri et Pauli citati, ut illas solverent, et non solventes censuris et poenis, de quibus hic, innodati fuerunt.

et alii praedicti, ad eiusdem Camerae fiscique procuratoris instantiam, solemniter singulis annis, in vigilia et festivitate praedictis, ut moris est, ad legitime in eadem Camera comparendum, ac dictos census, recognitiones seu responsiones aliaque per eos promissa, conventa et quomodolibet debita cum effectu adimplendum, sub sententiis, censuris et poenis, tam in eiusdem Pauli quam dictorum et aliorum praedecessorum nostrorum litteris contentis, necnon privationis et caducitatis feudorum, vicariatuum, guberniorum, locationum, censuum, administrationum, bonorum, iurium et aliorum in eorum concessionibus quomodolibet contentorum, saepe saepiusque citati et interpellati fuerunt.

Multi tamen adhuc terras et bona Sedis Apostolicae detinent, et in poenas praedictas non incurrisse praetendunt, ex causis hic narratis.

§ 5. Qui tamen, praemissis ac etiam litteris quotannis die Coenae Domini legi solitis, quibus detinentes loca et bona eiusdem S. R. E., et illa non restituentes, censuris quoque et poenis ecclesiasticis innodantur, minime attentis, non modo census et alia per eos, ut praefertur, debita solvere et adimplere cessarunt et cessant, sed etiam loca et bona ac alia praedicta temere atque indebite et de facto occupata detinuerunt et detinent, sententias, censuras et poenas ipsas ac etiam privationis et amissionis dictorum feudorum et aliorum et alias in eisdem litteris contentas damnabiliter incurrendo. Cum autem, de mandato nostro et ad instantiam dilecti filii Rodulphi Bonfioli, dictae Camerae commissarii, contra omnes et singulos morosos occupatores et detentores huiusmodi, non solum generatim in vigilia et festo praedictis proxime praeteritis, sed postea nominatim contra multos ex eis in eadem Camera et coram diversis illius praesidentibus et clericis, legitime et cum protestatione, ad devolutiones caducitatesque et privationes, necnon sententiarum, censurarum et poenarum praedictarum incursus agi coeptum fuerit et in dies agatur; et sicut accepimus, nonnulli eorum, ad se in occupatione, detentione et intrusione civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum, locorum, tenutarum, arcium, fortalitiorum et aliorum bonorum et iurium huiusmodi, sicut praefertur, ac alias ad Sedem et Cameram praedictas devolutorum, confovendum, sub praetextu quod tam Pauli praedicti quam aliorum praedecessorum constitutiones et litterae praedictae non fuerint nec sint perpetuae, sed ad tempus, nec vim legis sive constitutionis perpetuae habuerint aut habeant, sed feudatarios, vicarios et alios praedictos, tunc scilicet tempore emanatarum earumdem constitutionum et litterarum existentes, tantummodo comprehenderint, ac quod numquam in usu fuerint, seu esse desierint, et quod ipsi de illis scientiam, etiam ex defectu nullitatis et publicationis earumdem seu alias, non habuerint; quodque ad concessiones et investituras ex causa onerosa, etiam in vim contractus seu alias quomodolibet, factas, pro quibus certa annua solutio parvi pretii, nempe in cera vel alia minima re, non commodum seu utilitatem, sed potius recognitionem superioritatis Sedis et Camerae huiusmodi concernente, fiat seu fieri debeat, se non extenderint seu extendant; et quod in eorum concessionibus seu investituris praedictis, conventiones et pacta aliqua expressa inita fuerint, per quae cautum fuerit et sit quod, ob non factam censuum et aliorum praedictorum debito tempore solutionem, seu ob pacta non servata, vel nisi sub certa qualitate, et nisi infra certum tempus, vel alias nisi in certis casibus, devolutionem seu caducitatem vel privationem et praedictas aliasque poenas non incurrant; vel saltem quod eis quamcumque moram ob praemissa vel alias quomodolibet incursam et tunc incurrendam purgare, ac

sese ab eisdem devolutione, caducitate, privatione vel incursu et aliis poenis a dictis constitutionibus et litteris ac iure communi traditis, ex variis et diversis per eos allegatis prætextibus, licuerit et liceat excusari, et sic istis aliisque subterfugiis et cavillationibus lites et causas desuper in eadem Camera, ut praefertur, motas seu movendas in longum protrahere, et quotidie nova impedimenta obiicere conantur, in maximum Sedis et Camerae praedictarum praejudicium, ac eorumdem animarum periculum.

Ideo hic Pontifex innovat et confirmat praedecessorum constitution. et fisci protestationes et sententias ac decreta praedicta;

§ 6. Nos, cupientes, quantum cum Deo possumus, pro munere nobis ex alto commisso, Sedis et Camerae praedictarum indemnitati providere, ac oppositionibus et aliis praemissis opportunum remedium adhibere, de apostolicae potestatis plenitudine certaque scientia nostra, etiam praedecessorum nostrorum praedictorum vestigiis inhaerendo, easdem Innocentii, Alexandri et Pauli ac omnium aliorum Romanorum Pontificum constitutiones super praemissis et illorum occasione vel causa quomodolibet editas et emanatas, ac earum singulas, et desuper confectas litteras, ac in eis contenta quaecumque, necnon protestationes et interpellationes, sententias et decreta in vigilia et festo praedictis, praesertim anno proxime praeterito, in eadem Camera factas, illarum singularum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis, tenore praesentium, perpetuo confirmamus, approbamus et, quatenus opus est, innovamus, ac ab omnibus et quibuscumque feudatariis aliisque praedictis inviolabiliter observari debere volumus et mandamus.

Et declarat quoscumq. feudatarios, etc., comprehensos fuisse in dispositionibus dictarum constitutionum eius praedecessorum

§ 7. Declarantes illa omnia perpetuo fuisse, esse et fore, vimque et robur perpetuum legum obtinuisse et obtinere, et sic omnes et singulos, praeteritos, praesentes et futuros feudatarios, vicarios, gubernatores, administratores et alios censuum, recognitionum ac iurium debitores, etiam antiquos et antiquissimos, diu ante vel post dictas constitutiones seu tempore illarum creatos seu deputatos, ac futuris deinceps temporibus in perpetuum quomodolibet creandos et deputandos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel præeminentiae ecclesiasticae vel laicalis fuerint et sint, etiamsi cardinalatus honore, seu regia, ducali vel alia etiam maiori dignitate et auctoritate praefulserint et praefulgeant, singulis dictis Innocentii, Alexandri et Pauli praedecessorum nostrorum constitutionibus et litteris comprehensos fuisse et esse; illasque ipsos omnes et singulos affecisse et afficere, et propterea singulas litteras, clausulas et conditiones ac alia praemissa tamquam talia habenda et censenda esse: itemque acceptationes, declarationes, protestationes, interpellationes per dictum fisci procuratorem, ut praefertur, factas; ac sententias et decreta per dictam Cameram singulis annis, in vigilia et festo praedictis, ut praefertur, latas et factas ac in futurum ferendas et faciendas, omnes et singulos feudatarios, vicarios, gubernatores, censuarios et alios praedictos, tam praeteritos quam praesentes et futuros, in ipsis generaliter et alias specialiter ac quomodolibet nominatos, perinde affecisse et afficere, ac si in contradictorio iudicio, causa cognita et servatis de iure servandis, facta et lata fuissent et essent; ac transgressores et morosos caducitatis, devolutionis et privationis quorumcumque feudorum, vicariatuum, guberniorum et aliorum praedictorum [1], eo ipso, absque aliqua iudicis declaratione, incurrisse et incurrere; dictosque camerarium et praesidentes ac clericos et alios, ad quos spectat, ad realem incorporatio-

1 Adde *poenas* (R. T.).

nem civitatum, terrarum, castrorum, locorum, bonorum, iurium et aliorum praedictorum, pro Sede et Camera praedictis, omnibus praemissis, necnon omni et quacumque appellatione, reclamatione seu recursu penitus remotis, devenire debuisse et potuisse, ac teneri et obligatos fuisse et esse.

Feudatariosque et alios decernit anno quolibet in Camera Apostolica, ubi eam adesse contigerit, in vigilia et festivitate Ss. Petri et Pauli, debita iura Camerae Apostolicae solvere debere;

§ 8. Et nihilominus omne dubium removere volentes, de potestate et scientia praedictis, statuimus et ordinamus ut omnes et quicumque feudatarii, vicarii, gubernatores et alii praedicti superius et etiam in eisdem praedecessorum litteris comprehensi, qui vel quorum auctores, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam quacumque de causa, gratiosa, onerosa vel mixta, etiam in vim cuiuscumque contractus, regna, ducatus, civitates, castra, oppida, terras, arces, fortalitia, villas, agros, possessiones cultas et incultas, casalia, lacus, sylvas, proprietates, bona et iura quaecumque ac cuiuscumque generis et conditionis fuerint et sint, in verum, proprium vel improprium feudum regale, ducale vel alias quomodolibet nobile et gentile seu ignobile, antiquum seu novum, vel in vicariatum, gubernium, censum vel emphyteusim ad quamcumque agnationem et nominationem, et in perpetuum vel ad tempus aut alias quomodocumque et qualitercumque a Sede et Camera praedictis, sub conventione vel provisione iurata vel non iurata, ac sub praestatione census, canonis, pensionis, regalium et aliarum quarumcumque responsionum et recognitionum, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, etiam parvi vel minimi valoris, superioritatem, præeminentiam, recognitionem dominii, commodum pecuniarum aut alium quemcumque effectum et respectum denotantium, receperint et habuerint ac habent de praesenti, et huiusmodi census, canones et responsiones, per seipsos vel eorum legitimos procuratores, iuxta formam dictarum litterarum, in vigilia et festivitate praedictis, singulis quibusvis successivis, non autem intermissis, annis, in ipsa Camera, ubicumque eam adesse contigerit, et non alibi nec alio die, quibuscumque conventionibus in contrarium quomodolibet factis et usu receptis, ac consuetudinibus, etiam immemorabilibus, quomodolibet introductis et aliis quibuscumque concessionibus, ipsis vel eorum auctoribus factis, non obstantibus, non solverint et integre non satisfecerint, ac pacta et conventiones, et ad quae tam ex forma dictarum concessionum, quam interpellationum et requisitionum, alias de iure, usu et consuetudine tenentur, non adimpleverint et non adimplevisse ibidem docuerint et ostenderint, eo ipso, absque alia monitione, requisitione vel quavis alia iudicis declaratione desuper facienda, feudis, vicariatibus, guberniis et aliis praefatis omnibus et singulis privati; ipsaque feuda, vicariatus, gubernia et alia ad Sedem et Cameram praedictas devoluta, utileque dominium cum directo consolidatum, etiam absque illorum possessionis apprehensione, ad ius, proprietatem, dominium et omnimodam possessionem eiusdem Camerae eo ipso rediisse censeantur et sint, etiam si feuda, vicariatus, gubernia et alia huiusmodi antiqua et haereditaria, formalia vel informalia, ac descendentibus vel collateralibus aut quibuscumque aliis hominibus, vel legis providentia eis ius aliquod ad illa competierit vel competat, seu alias acquisitum foret et esset, ac omni quamtumvis longo tempore, et quacumque immemorabili praescriptione, etiam centum annorum, et non ultra, non obstantibus, sine spolii aut attentorum[1] vel alio quocumque vitio, illorum possessionem actualem apprehendi, et ad illorum realem incorporationem pro Sede et Camera praedictis deveniri possit; et solutiones

1 Cherub. legit *attentatorum* (R. T.).

aliter ac alibi, quam die et loco praefatis deinceps faciendae et recipiendae, nullae nulliusque roboris et momenti sint, et perinde habeantur ac si factae et receptae non fuissent, et quod mora etiam modici temporis non admittatur.

Solutionesque semper intelligi factas sine praeiudicio iurium Camerae;

§ 9. Quodque solutiones omnes quae in eadem plena Camera, in vigilia seu festivitate praedictis, factae et receptae fuerint, et in futurum perpetuis futuris temporibus fient ac recipientur, semper cum clausula sine praeiudicio iurium ipsius Camerae receptae intelligantur et sint, etiam quod clausula ista in aliquibus specialiter apposita, in aliis vero omissa fuerit.

Quando post dictum festum recipi possint;

§ 10. Ac praeterea quod solutiones, quae ex aliquo legitimo impedimento in plena Camera, post vigiliam seu festivitatem prædictas, oblatae fuerint, etiam cum eadem clausula, et citato eodem procuratore fisci seu Camerae commissario, et non aliter nec alio modo, recipi debeant; alias eo ipso nullae ac nullius efficaciae et effectus habeantur.

Contentaque in praedictis bullis observari;

§ 11. Volentes omnia in dictis et aliis praedecessorum nostrorum litteris, per nos, ut praemittitur, confirmatis, approbatis et innovatis, contenta et narrata, praesentibus non contraria, perpetuis futuris temporibus, a praedictis et aliis, quos praemissa aut eorum aliqua quomodolibet concernunt seu concernere poterunt quomodolibet in futurum, omnino servari.

Sicque et non aliter iudicari debere.

§ 12. Ac decernentes ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus ab eisdem et quibuscumque aliis, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 13. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; ac quacumque praescriptione, etiam immemorabili; contractibus quoque, investituris, concessionibus, pactis et conventibus; necnon privilegiis, indultis et litteris apostolicis eisdem vicariis, feudatariis, gubernatoribus et aliis praedictis omnibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, sub quibusvis verborum formis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, quomodocumque ac quotiescumque concessis, confirmatis et innovatis, ac concedendis, confirmandis et innovandis, etiamsi in eis caveretur expresse quod vicariatibus, feudis, guberniis et concessionibus, administrationibus ac aliis praefatis, ob non solutionem vel pacta non servata vel alia quacumque de causa, seu ut nisi infra certum tempus privari non possint; quibus omnibus ac stylo, usu et aliis praemissis, etiam si, pro eorum sufficienti derogatione, de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum, et forma in illis tradita observata, insererentur praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes, de simili potestatis plenitudine, specialiter et expresse derogamus; necnon omnibus aliis, quae iidem praedecessores nostri in dictis eorum litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sine praeiu-

§ 14. Quae omnia nolumus cuiquam ad-

dicio causarum pendentium.

versus praemissa in aliquo suffragari; quoad causas tamen tunc in Camera praedicta pendentes nulli per praesentes intendimus praeiudicium generari.

Forma hanc bullam publicandi, et etiam legendi in Camera etc.

§ 15. Sed, ne quisquam praesentium ignorantia se excusare possit, iubemus illas per unum vel duos cursores valvis ecclesiae Sancti Ioannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac Cancellariae Apostolicae ac Camerae praedictae et in acie Campi Florae, ubi publicantur, de more appendi, eisque detractis, ipsarum exempla, etiam impressa, eis in locis relinqui, et praeterea in ipsa Camera, dum die statuto illius praesidens et ministri convenient, alta et intelligibili voce perlegi, et in libris ipsius Camerae ad perpetuam rei memoriam describi.

Dies qua haec bulla ligare incipit.

§ 16. Volentes etiam ut illae praesentes hic in Urbe, statim; extra vero eam, ubicumque locorum praedictorum mediate vel immediate subiectorum ditioni praedictae, post decem dies quam in dicta Camera lectae et publicatae fuerint, quemcumque feudatariorum, vicariorum, gubernatorum, administratorum et aliorum censuum, recognitionum et iurium debitorum praedictorum perinde arctent atque afficiant, ac si eis singulis praesentibus, ac in propriis eorum personis et locis intimatae fuissent.

Transumptorum fides.

§ 17. Utque ipsarum præsentium exempla *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octogesimo, kalendis iunii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 1 iunii 1580, pontif. anno IX.

CXVIII.

Confirmatio ordinationum et taxarum in tota provincia Mediolanensi per iudices commissarios et regularium exemptorum conservatores eorumve notarios observandarum [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

Romanum decet Pontificem providentiae suæ partes impendere efficaces ut illa, quae pro bono publico et plurimorum indemnitate prudenter facta et circumspecte disposita esse noscuntur, perpetuo firma et illibata subsistant, et ab omnibus, quos concernunt, etiam inconcusse observentur.

Facti series

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius noster Carolus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Borromaeus nuncupatus, ex dispensatione apostolica archiepiscopus Mediolanensis, quasdam ordinationes et taxas in tota provincia sua observandas per iudices in synodis diœcesanis deputatos pro causis commissariis, necnon per conservatores regularium exemptorumve quorumcumque in causis coram eis quovis modo pendentibus ac eorumdem notariis, non tamen ubi ex aliquo statuto ac consuetudine laudabili nihil vel minor taxa exigeretur, ediderit.

Statuta atque taxa a S. Carolo Borromaeo edita in causis diœcesanis

§ 2. Statuens siquidem et ordinans quod iudices praefati non pronuncient, prout in cedula, neque habeant terminum *pro servato*, sed sententias suas libere proferant et de scripto in die termini, ut statim publicent, easque recitent vel recitari iubeant; propinas non accipiant, si salarium ordinarium aliquod habent; alias moderatas capiant, iuxta taxam inferius descriptam, et eo casu per manus notarii causae, sententia tamen prius nedum subscripta, sed etiam notario consignata et publicata; quae sportulae apud nota-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

rium causae post subscriptionem et notario traditam sententiam, et non antea, deponantur; notariusque huiusmodi depositionem in actis notare et specificare teneatur.

Munera non danda nec accipienda.

§ 3. Pro interlocutoriis aut aliis decretis vim diffinitivae non habentibus ante diffinitivam, et pro videndis scripturis, informationibus aut processibus nihil prorsus accipiant; munera vel xenia a litigantibus non accipiant, ne quidem esculenta et poculenta, nisi quae triduo consumi possint.

Advocatorum etc. delectus unicuique sit liber.

§ 4. Advocatos, procuratores aut sollicitatores, quorum opera ad patrocinandum coram ipsis cupiant quemquam uti, neque verbis nominent, neque ullo modo significent; advocantes, procurantes aut sollicitantes in causis coram eis pendentibus domi non retineant, neque etiam notarium causae.

Regulae circa notarios

§ 5. Notarios assumant ab ordinariis locorum approbatos, qui non solum cavere debeant de scripturis fideliter custodiendis, sed etiam, finitis causis, de eisdem consignand. in archiviis ordinariorum, absque tamen præiudicio notariorum eorumdem, habitis ab eorum notariis quietantiis, ne morte cuiusquam deperdantur.

Et assessores

§ 6. Assessores arbitrive, qui in causa suspicionis iudicibus ordinariis vel aliis etiam delegatis adiunguntur, nihil aut quid minimum, pro videndis scripturis et processibus nec etiam pro voto decisivo, accipiant.

Nec non circa expeditiones.

§ 7. Cum in una et eadem causa contra diversos unica citatione agitur, plures non dentur expeditiones, nisi ipsimet petierint, sed unica tantum, et pro ea merces unica solvatur; quod si ex necessitate duplicata occurrant, notario tantum pro labore scripturae solvatur; idemque servetur in sententiis quibuscumque, etiam absolutoriis, si id commode praestari poterit, attenta qualitate et diversitate causarum, ut scilicet omnes reos in una causa unica comprehendat sententia, et pro unica tantum solvatur; in causis criminalibus, in quibus de iure ipsius [1] citari debet, non procedatur nec sententia feratur, nisi ipso legitime citato.

Munera pro sigillo et aliis.

§ 8. Pro sigillo, tam in civilibus quam in criminalibus, ad summum capiant realem unum; et in mandatis de excarcerando in capitalibus et pro relaxatione testium, nihil; et in expeditionibus etiam, quæ fiunt in civitate, cum clausula *si quis*, nihil; pro viatico iudicis in civitate, nihil; si extra civitatem, ultra milliare, scuta duo pro prima die; et si ultra, scutum unum auri pro qualibet die, ultra expensas honestas cibarias et equorum vecturam; notariusque capiat pro medietate.

§ 9. Notarii omnes praedictorum iudicum observent taxas notariis fori cuiuslibet ordinarii praescriptas, ac secundum illas exigant, praeterquam in casibus in praesenti reformatione expressis, in quibus eis liceat capere quod hic determinatum est, nisi ordinariorum taxae minores et moderatiores his sint, quo casu illas in totum, etiam quoad expressa in praesenti reformatione, sequi debeant.

Dispositio quoad terminos.

§ 10. Notarii nullum, quantumvis levem, terminum per se ipsos, etiam in forma, ut dicunt, sine iudicis decreto, servent; ubicumque procuratorem aliquem ad lites constitutum a principali suo, lite pendente, revocari contingat, tunc notarii nullo modo revocationes huiusmodi recipere possint, aut de illis rogari, nisi simul alter procurator, qui munus illud procurationis suscipiat, ab eodem legitime constituatur, et de alterius constitutione eiusque susceptione apud acta doceatur.

Taxa propinarum quas iudices possunt percipere.

§ 11. Notarius, cum iudici acta seu alias scripturas detulerit, nihil omnino ultra duos solidos, etiam a sponte dantibus, sub praetextu bibaliorum seu rega-

1 Leg. forsan *fiscus* loco *ipsius* (R. T.).

liorum, recipiat; notarii eorumque substituti vel scribae non possint esse procuratores in curia seu tribunali, in quo notarii sunt et officium substituti exercent vel scribunt.

Emolumenta et propinae tam notariis quam iudicibus debitae.

§ 12. Iudices non sint participes aliquo modo emolumentorum, quae notarii ex suis laboribus in causis coram eis pendentibus percipiunt. Ac insuper propinas a praefatis iudicibus observandas limitaverit in hunc modum, videlicet quod in causis ubi de summa vigintiquinque scutorum agitur, supra decem reales nihil percipi debeat; a vigintiquinque autem scutis usque ad centum scuta, tria scuta percipiantur seu percipi possint; a centum usque ad ducenta, scuta sex; a ducentis usque ad quamcumque summam, non ultra scuta decem pro sententia declaratoria.

Praecedentis dispositionis continuatio.

§ 13. Ob non paritionem monitorii in contumaciam, non ultra regalia septem cum dimidio; pro declaratoria in vim litterarum aut alias habente vim diffinitivae, si summa sit certa, accipiant ut supra taxatum fuit; ubi autem non est certa, sed agitur ad ipsarum litterarum executionem, accipiant secundum causae et personae qualitatem, dummodo non ultra quinque aureos; in beneficialibus vero, si redditus annuus, de quo agitur, non excedat summam centum ducatorum, capiant scuta sex; a centum vero usque ad mille, scuta duodecim; ab inde supra, non ultra scuta viginti accipere valeant; quod si causae aestimationem facilem non recipiant, moderatae sportulae, pro rerum et personarum qualitate, iuxta taxas praedictas recipi possint.

Taxa in causis criminalibus.

§ 14. In causis criminalibus, in quibus poena a deportatione supra veniret imponenda, non ultra decem aureos accipere possint; a deportatione autem infra, non ultra quinque; in causis autem capitalibus, in quibus fit traditio curiae saeculari vel alia poena corporalis imponitur, etiam si in illa indemnitati partis consulitur, et in illius favorem, nisi fuerit dives, a qua usque ad viginti quinque aureos possit accipi, etiamsi pronuncietur, non ultra quinque scuta accipiant; caveant autem iudices ne, pro extorquendis sportulis, aliquem nolentem quovis modo absolvi, ad petendam sententiam huiusmodi, per causarum expeditionis dilationem vel rei in carceribus detentionem, vel per cautionis [1] de se representando vel non discedendo, ubi alias illis de iure locus non sit praestandi cautionem, aut alias quoquomodo inducant.

Taxae supra notatae etiam a iudicibus ordinariis servandae.

§ 15. Quae omnia decreta seu taxas, iudicibus synodalibus et conservatoribus sic praescriptas, servent etiam iudices ordinarii in omnibus causis delegatis, nisi ubi de consuetudine, decretis vel constitutionibus episcopalibus minor taxa ipsis servanda proposita esset, quam servare teneantur; possintque locorum ordinarii dictae provinciae Mediolanensis, tamquam Sedis Apostolicae delegati, praedictorum omnium contemptores ac ipsi quoquomodo contravenientes admonere; et si se emendare neglexerint, informationem de excessibus huiusmodi sumant, ac ad Romanum Pontificem pro tempore existentem seu Curiae causarum Camerae Apostolicae auditorem transmittant, ut ea ad unguem non observantes, iuxta excessuum exigentiam, corrigi et puniri possint, nisi ipsi iudices magis ab ordinariis iudicari consenserint, ac alias prout in instrumento vel instrumentis publico seu publicis, aut alio vel aliis documento seu documentis, aut scriptura vel scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Confirmatio ordinationis ac taxae et supra

§ 16. Cumque, sicut etiam accepimus, idem Carolus cardinalis et archiepiscopus seu praesul ordinationes et taxas praedictas, per eum, sicut praemittitur, pro

(1) Deest forte *praestationem* (R. T.).

bono publico suae provinciae factas, a nobis et dicta Sede Apostolica confirmari et approbari desideret, nos, in praemissis opportune etiam providere volentes, motu proprio, non ad ipsius Caroli cardinalis et archiepiscopi seu praesulis vel alicuius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera voluntate et deliberatione ac ex certa scientia nostra, et de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas ordinationes et taxas huiusmodi, per ipsum Carolum cardinalem et archiepiscopum seu praesulem sic, ut praemittitur, factas praedictas, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus ac etiam innovamus et etiam de novo perpetuo facimus; necnon illis plenariae, inviolabilis et perpetuae firmitatis robur adiicimus; omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus: illasque validas et efficaces perpetuo existere et fore, ac suos plenarios effectus sortiri et obtinere; necnon a iudicibus synodalibus et conservatoribus, ac etiam ordinariis et delegatis, ac notariis ceterisque supradictis ac aliis omnibus et singulis dictae provinciae, ad quos spectat et spectabit, quosque praemissa concernunt pro tempore quomodolibet in futurum, inviolabiliter perpetuo observari; sicque in praemissis ab omnibus censeri, et ita et non aliter per praefatos et quoscumque iudices et commissarios, etiam quavis auctoritate fungentes, etiam nostri Sacri Palatii causarum auditores sanctaeque Romanae Ecclesiae cardinales, etiam legatos de latere et Sedis praedictae nuncios, etiam cum facultate legati de latere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia iudicari, sententiari et diffiniri debere; necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus; sicque etiam volumus et perpetuo statuimus, mandamus, praecipimus, taxamus et ordinamus, necnon etiam perpetuum desuper silentium imponimus.

Mandatur executio.

§ 17. Quocirca venerabili fratri episcopo Alexandrino ac dilectis filiis causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori et archipresbytero ecclesiae Mediolanensis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Caroli cardinalis et archiepiscopi seu praesulis vel cuiuscumque aut quorumcumque aliorum, quorum interest, intererit vel interesse poterit pro tempore quomodolibet in futurum, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra omnes et singulas ordinationes et taxas praedictas, ac praesentes nostras litteras et in eis contenta huiusmodi a iudicibus synodalibus et conservatoribus, ac etiam ordinariis et delegatis, ac notariis ceterisque supradictis in dicta provincia omnibusque aliis et singulis, ad quos spectat et spectabit, quosque praemissa concernunt et tangunt, ac concernent et tangent pro tempore quomodolibet in futurum, inviolabiliter perpetuo observari; ac Carolum cardinalem et archiepiscopum seu praesulem ordinariosque omnes dictae provinciae Mediolanensis, praesentes et pro tempore existentes, aliosque praedictos, quorum, ut praefertur, interest et intererit, ac quemlibet ipsorum illis pacifice et quiete frui et gaudere; non permittentes eos per iudices synodales et conservatores, ac ordinarios et delegatos, ac notarios ceterosque praedictos aut quoscumque alios, desuper quomodolibet mo-

lestari, inquietari, impediri vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles, per ecclesiasticas sententias, censuras et etiam pecuniarias poenas ac opportuna iuris et facti remedia, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas praedictas incidisse et incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, excommunicando, interdicendo et interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 18. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis auctoritate praesentium extra suam civitatem et dioecesim ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, necnon etiam in aliis universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon etiam civitatis, dioecesis et provinciae Mediolanensis, ac quarumcumque aliarum civitatum, dioecesum et locorum, necnon etiam ecclesiarum, monasteriorum et Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, decretis et praescriptionibus, etiam immemorabilibus; ac legibus, etiam pontificiis, imperialibus, regiis, ducalibus et municipalibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam civitatibus, dioecesibus, provinciae et locis, ac etiam ecclesiis, monasteriis et Ordinibus praedictis illorumque superioribus, magistratibus, civibus et incolis; ac praesulibus, capitulis, abbatibus, conventibus et superioribus, necnon iudicibus synodalibus, conservatoribus, ordinariis, delegatis et notariis ceterisque supradictis et quibusvis aliis personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis, etiam vim contractus et statuti, etiam perpetui, atque legis inducentibus decretis, ac etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, et etiam consistorialiter ac alias, etiam pluries et iteratis vicibus in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, imposterumque etiam concedendis, confirmandis, approbandis et innovandis.

§ 19. Quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse et fore decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si iudicibus synodalibus, conservatoribus, ordinariis et delegatis, ac notariis ceterisque supradictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die quarta iunii, millesimo quingentesimo octuagesimo, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 4 iunii 1580, pontif. anno IX.

CXIX.

Confraternitati Sanctissimi Corporis Christi, in ecclesia Sancti Augustini Ordinis Eremitarum de Urbe institutae, quotannis unum reum ultimo supplicio damnatum liberandi facultatem concedit [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inducti eximia pietate ac charitate quas dilecti filii confratres confraternitatis Sanctissimi Corporis Christi, in ecclesia domus Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini de Urbe canonice institutae, erga pauperes impendunt, inducimur ut eos spiritualibus favoribus et gratiis prosequamur.

Causa constitutionis edendae. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, ipsi confratres aliquot puellas pauperes singulis annis in matrimonium collocare, infirmos curare et opportuna quaeque eis ministrare, ac defunctorum corpora ad sepulturam associare, aliaque pia et charitativa opera, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac animarum salutem et populi aedificationem, exercere consueverint; et per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros dilectis filiis Imaginis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum Lateranensis ecclesiae, Confalonis, Sancti Ioannis Baptistae de Misericordia nuncupati, Sanctissimi Crucifixi, ac Sanctissimae Trinitatis de Urbe sodalitatibus, et earum singulis, ut unum vel plures ex carceratis et ex quovis crimine, etiam capitali, detentis, quibusdam solemnibus diebus liberare possint concessum et indultum existat, supplicationibus venerabilis fratris Petri Dunyn Volslensis, oppidi Plocensis, et carissimi in Christo filii nostri Stephani Poloniae regis illustris apud nos Sedemque Apostolicam oratoris, hac in parte inclinati, eisdem confratribus confraternitatis Corporis Christi nunc et pro tempore existentibus, ad instar aliarum dictae Urbis societatum, ut unum carceratum, quem maluerint, ex quocumque crimine damnatum, citra tamen haeresis, falsae monetae, falsificationis litterarum, supplicationum, commissionum et aliarum gratiarum apostolicarum, laesae maiestatis, assassinii et propinati veneni crimina, etiamsi ultimo supplicio plectendus veniret, habita tamen ab haeredibus offensi, quatenus aliquis existat, pace, ad laudem Sanctissimi Corporis Christi, et ad dictorum confratrum electionem, singulis annis perpetuis futuris temporibus, e carceribus educere, ac eductum a crimine huiusmodi et poena exinde proveniente liberare valeant, apostolica auctoritate, per praesentes facultatem et auctoritatem impartimur. Facultas liberandi reum unum supplicii capitalis.

Mandatur executio constitutionis. § 2. Mandantes nunc et pro tempore existenti almae Urbis nostrae gubernatori et causarum Camerae Apostolicae generali auditori, senatori et illorum locatenentibus, necnon conservatoribus ceterisque iustitiae ministris, administratoribus et officialibus, ut ad omnem requisitionem et simplicem petitionem et instantiam confratrum præfatorum, ipsis in oratorio eiusdem confraternitatis constitutis, carceratum, per eos, ut praefertur, eligendum, eidem confraternitati seu illius confratribus singulis annis perpetuis futuris temporibus relaxent, ac realiter et cum effectu relaxari faciant. Ita quod liceat e carceribus, ut praefertur, liberato libere ubique locorum ire, redire, morari negociaque tractare; cumque nos ex nunc, prout ex tunc, absolvimus et liberamus, et ad propriam famam, honores pristinos et bona quaecumque, non tamen fisco incorporata, ac pristinum et eum, in quo antequam delinqueret erat, statum, absque aliqua poenae vel mulctae solutione, restituimus, reponimus et plenarie rein-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

tegramus, volentes ut omnes et singuli processus, inquisitiones et condemnationes, contra eum forsan formati per quoscumque iudices, cassentur et aboleantur, ipsosque cassari et aboleri mandent et faciant, prout nos illos cassamus et abolemus, nulliusque fuisse seu fore roboris vel momenti decernimus. Ita quod carceratus relaxandus huiusmodi nullo umquam tempore molestari possit.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam contra homicidas aliorumque criminum reos a felicis recordationis Sixto IV, Innocentio VIII, Alexandro V, Iulio II, Leone X, Clemente VII, Pio IV et Pio V et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, etiam contra contumaces, editis constitutionibus et ordinationibus, etiamsi in illis caveretur expresse quod illis non censeretur derogatum, nisi illorum tenore expresso et inserto, ac aliis quibusvis clausulis et decretis; quibus omnibus, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die quinta iulii, millesimo quingentesimo octuagesimo, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 iulii 1580, pontif. anno IX.

CXX.

Approbatio institutionis confraternitatis sub invocatione Sanctissimi Nominis Dei, adversus blasphemos in Hispaniarum regnis erectae, cum largitione indulgentiaram [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Facti series et exordium.

§ 1. Alias per felicis recordationis Pium Papam IV, praedecessorem nostrum, accepto quod in Burgensi et pluribus aliis Hispaniarum civitatibus et aliis locis una saluberrima confraternitas, sub vocabulo Ss. Nominis Dei, instituta erat, cuius confratrum partes potissimum essent diligenter cavere ne ipsi vel alii coram eis aliquo modo, nisi ob causam gravissimam, iurarent, et contrafacientes modeste admonerent; quodque ipsi confraternitati plurimi christifideles se conscribi fecerant, quorum opera et studio blasphemiae, periuria et alia illicita iuramenta prohibebantur, dictus praedecessor omnibus et singulis dictae confraternitatis ubivis terrarum pro tempore diffusae utriusque sexus confratribus in illa pro tempore descriptis, qui, vere poenitentes et confessi, die festo Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi annis singulis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum susciperent, et solemnitati per ipsam confraternitatem dicto die festo ubivis locorum pro tempore celebrari solitae in toto vel in parte interessent, quoties id agerent, toties, pro quolibet die festo huiusmodi, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessit; illis vero dictae confraternitatis confratribus, qui qualibet prima die dominica uniuscuiusque mensis totius anni ad missam, quam ipsi confratres audire tenerentur, audiendam convenirent, quotiescumque id agerent, decem annos; qui vero temere iurantem aut alias divinum Nomen blasphemantem modeste et charitative admonerent, pro qualibet vice, centum dies; et cuicumque verbi Dei praedicatori, saeculari vel cuiusvis Ordinis regulari, qui christifideles ut a iuramentorum abusibus caverent, et hanc dictae confraternitatis regulam amplecterentur, hortatus foret, decem annos de eis iniunctis [1] misericorditer in Domino relaxavit.

Indulgentiae et privilegia confraternitati Nominis Dei concessa.

§ 2. Necnon ipsis confratribus, ut di-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Adde *poenitentiis* cum Matth. (R. T.).

cto die festo Circumcisionis quoscumque sibi benevisos et idoneos presbyteros, saeculares vel cuiusvis Ordinis regulares, per ordinarium loci approbandos, in suos possent eligere confessores, qui, confessionibus eorum diligenter auditis, eos et eorum quemlibet ab omni et quacumque excommunicationis, etiam maioris, et aliis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine aut mixtim, quavis occasione vel causa, latis, salvo tamen iure tertii, necnon omnibus excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam locorum ordinariis et Sedi Apostolicae reservatis, praeterquam in bulla die Cœnae Domini legi consueta contentis, absolvere, ac vota quaecumque, Hierosolymitano, visitationis liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli praefatorum de Urbe, ac Sancti Iacobi in Compostella, necnon castitatis et Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valerent, concessit; praeterea eisdem confessoribus, ut ipsis confratribus iuramenta quaelibet sine alterius praeiudicio relaxare, necnon eidem confraternitati illiusque confratribus ac ecclesiis, cappellis et altaribus eiusdem ubilibet constitutis, quod quocumque tempore cuiusvis interdicti et cessationis a divinis, videlicet dicto die festo Circumcisionis a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei inclusive, vesperae, missae aliaque divina officia in ecclesiis, altaribus et cappellis praefatis solemniter et publice celebrari; qualibet vero prima die dominica cuiuslibet mensis, praefati confratres privatam eorum missam, ex eiusdem confraternitatis instituto celebrari solitam, celebrari facere, illique interesse, ac semel in mense Divinum Corpus sumere, et quoties aliquem seu aliquos ex ipsis confratribus quocumque tempore interdicti seu cessationis a divinis huiusmodi mori contigerit, dummodo causam non dedissent interdicto, eorum cadavera cum moderata pompa sepeliri libere et licite valerent, et interim interdicta et cessationes a divinis huiusmodi, quaecumque essent, ad effectum praemissum omnino suspenderentur et suspensa esse censerentur, indulsit.

§ 3. Et deinde piae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, quod in civitatibus, oppidis et locis totius orbis christiani, in quibus forent ecclesiae Ordinis Praedicatorum, ibi tantum, videlicet in huiusmodi civitatibus, oppidis et locis et in dictis ecclesiis Praedicatorum dumtaxat, dicta confraternitas erigi posset; nec deinceps nova societas seu confraternitas huiusmodi institueretur in civitatibus, oppidis aut locis, in quibus non foret dicti Ordinis domus, aut in finitimis ecclesiis, absque licentia prioris provincialis seu conventualis dicti Ordinis, in cuius districtu sita foret ecclesia, in qua dicta confraternitas esset vel foret erigenda; quod si secus factum esset, confratres taliter admissi dictae confraternitatis indulgentias non consequerentur, nec favoribus aut privilegiis gauderent, quae confratribus legitime adscriptis per Sedem Apostolicam concederentur, motu proprio statuit et ordinavit, prout in diversis litteris dictorum praedecessorum desuper confectis plenius continetur.

Confirmatio litterarum aliorum Pontificum, de quibus in constitutione.

§ 4. Quare, pro parte dilectorum filiorum confratrum confraternitatis Sanctissimi Nominis Dei in ecclesia Beatae Mariae Supra Minervam de Urbe canonice institutae, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus litteris praefatis robur apostolicae confirmationis adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, dictos confratres a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis oc-

casione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon tenores dictarum litterarum praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteris praefatis, ac omnibus et singulis in eis contentis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa nostra scientia, robur apostolicae confirmationis adiicimus, illasque approbamus et confirmamus.

Ampliatio aliarum indulgentiarum.

§ 5. Ut autem christifideles eo libentius dictam confraternitatem in dicta ecclesia B. Mariae institutam ingrediantur, quo exinde dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi [1] dictam confraternitatem ingredientur, in die primi illorum ingressus ac in mortis articulo plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, elargimur.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in dictis litteris expressum est non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferre, volumus quod illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDLXXX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 9 iulii 1580, pontif. anno IX.

1 Matth. addit *ac sacra Communione refecti* (R. T.).

CXXI.

Approbatio congregationis fratrum et monialium Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, in regnis Hispaniarum sub denominatione Discalceatorum institutae, cum declaratione muneris provincialis eorum prioris ac superioritatis prioris generalis totius Ordinis, gratiarumque eiusdem Ordinis communicatione.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pia consideratione Romanum decet Pontificem circa statum religiosorum ita attendere, ut ipsi religiosi, Regulam quam ab initio professi sunt observare nitentes, ab omni molestia vindicentur.

Innocentius IV confirmavit Regulam Ordinis Carmelitarum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, et dilecti filii religiosi Discalceati nuncupati, Ord. B. Mariae de Monte Carmelo, in regnis Hispaniarum existentes, quod cum alias felicis recordationis Innocentius Papa IV, praedecessor noster, supplicationibus prioris et fratrum Eremitarum B. Mariae de Monte Carmelo ea in parte inclinatus, declarationem et correctionem Regulae eorum Ordinis a bonae memoriae Alberto patriarcha Hierosolymitano sibi traditae, per bonae etiam memoriae Hugonem tituli S. Sabinae presbyterum cardinalem, et Guillelmum episcopum Anteradensem, de eiusdem Innocentii Papae mandato factam, et per eosdem fratres firmiter observandam, confirmasset.

Eugenius IV Regulam mitigavit.

§ 2. Ac postmodum piae memoriae Eugenius Papa IV, etiam praedecessor noster, per eum accepto quod in quibusdam capitulis dictae Regulae, inter alia, cavebatur quod fratres praedicti Ordinis ab esu carnium se abstinerent, nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio. Eisdem etiam, quod singulis diebus, dominicis

dumtaxat exceptis, a festo Exaltationis S. Crucis usque ad festivitatem Resurrectionis D. N. Iesu Christi, ieiunare tenerentur; quodque singuli eorum manere deberent in cellis suis, die ac noctu in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes, praecipiebatur; rigorem huiusmodi mitigans, ac Regulam ipsam moderans, statuisset, ordinasset et concessisset quod dicti Ordinis professores, tunc et pro tempore existentes, tribus singularum hebdomadarum, etiam quibus, ut praefertur, ieiunare, iuxta eamdem Regulam, essent adstricti, praeterquam in Adventu et in Quadragesima et aliis generaliter prohibitis diebus, carnibus vesci, ac horis congruis in eorum ecclesiis manere, et per claustra ac eorum ambitus deambulare libere et licite valerent. Decernens eosdem fratres et eorum singulos circa praemissa ad arctiorem observantiam, quam supra praemittitur, occasione professionis in dicto Ordine emissae vel in posterum emittendae, minime tenerentur, et alias, prout in eorumdem Innocentii et Eugenii litteris desuper confectis plenius continetur.

Sed postea de anno MDLXV multi ex eis primitivam Regulam Innocentii IV observare coeperunt,

§ 3. Demum, de anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto seu alio veriori tempore, nonnulli dicti Ordinis professores, divina inspirante gratia, primum dictae Regulae institutum imitari cupientes, postpositis quibuscumque corporis commodis, dummodo Christum lucrifacerent, cum licentia sui prioris generalis tunc in Hispaniarum partibus existentis, ibi aliquot fratrum et monialium monasteria, in quibus primitiva Regula praedicta cum omni observantia et rigore retinerentur, sub obedientia tamen provincialis, fundare et aedificare coeperunt. Quam quidem Regulam et observantiam fundatores praedicti ac etiam qui pro tempore admittebantur ex Mitigatis, renunciando mitigationi et relaxationi dicti Eugenii praedecessoris, transacto probationis anno, denuo, ac etiam alii de saeculo venientes, profitebantur. Et successive, benedicente Domino, numerus religiosorum primitivam Regulam huiusmodi profitentium et observantium adeo hoc tempore excrevit, ut de praesenti viginti duae domus fratrum et monialium huiusmodi, in quibus fere trecenti fratres et ducentae moniales existunt, devotum Altissimo famulatum exhibentes in praedictis regnis Hispaniarum reperiantur.

Immo etiam alia instituta hic enunciata, et Discalceati dicti sunt.

§ 4. Religiosi autem huiusmodi, ultra contenta in Regula praedicta, de licentia dicti generalis et cuiusdam vicarii ab eodem generali in provincia Castellae deputati, ac cum approbatione visitatorum apostolicorum, qui fuerunt, dictae Religionis, quaedam instituta ad carnis mortificationem et populi aedificationem ab initio suae institutionis observare inceperunt, veluti discalceatos incedere, unde Discalceatorum nomen sortiti sunt, indui sacco, dormire super tabulis, ad sublevandam suam inopiam manibus propriis operari, multum in oratione se exercere, atque divinum officium sine cantu seu modulatione recitare.

Ipsi tamen Discalceati a fratribus profitentibus Regulam ut supra mitigatam ab Eugenio IV diversimode molestabantur. Idcirco supplicarunt pro separatione.

§ 5. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsis religiosis Discalceatis quamplures molestiae et impedimenta, eorum pium institutum turbantia, per fratres mitigatam ab eodem Eugenio praedecessore Regulam, ut praefertur, profitentes, Mitigatos nuncupatos, super praemissis illata fuerint; ipsique Discalceati praelatum ordinarium ex suis Discalceatis, ut par esset, non habeant, sed ad praesens per dilectum filium Angelum de Salaxar ex fratribus Mitigatis vicarium generalem a venerabili fratre Philippo episcopo Placentino, in dictis regnis nostro et Apostolicae Sedis nuncio, donec

de idoneo superiore eiusdem professionis Discalceatorum provideatur, deputatum regantur; ac summopere cupiant, ad eorum quietem et tranquillitatem conservandam, ac pro Religionis et strictae eorum observantiae atque instituti progressu et augmento, ut de omnibus monasteriis, quae in dictis regnis nunc sunt et pro tempore erunt vel erigentur, ipsorum Discalceatorum, tam virorum quam mulierum, dictam primitivam Regulam profitentium, una provincia fiat, separata a provinciis fratrum Mitigatorum huiusmodi, quae subsit immediate priori generali dicti Ordinis, et gubernetur per priorem provincialem ex ipsismet fratribus Discalceatis, in capitulo dictae provinciae canonice eligendum, prout alii priores provinciales eiusdem Ordinis in similibus capitulis provincialibus eliguntur et deputantur. Propterea tam dicti religiosi Discalceati quam dictus Philippus rex, qui profectum religiosorum huiusmodi maxime exoptat, nobis humiliter supplicare fecerunt ut honestis petitionibus huiusmodi annuere et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic Pontifex severiores Discalceatos a laxioribus seiungit;

§ 6. Nos igitur, aequum et rationi consonum ducentes ut qui arctioris Regulae observantiam sectantur, superioribus eorum, qui in laxiori degunt, non subiaceant, sed quilibet eiusdemmet professionis superiores habeant, et ab illis iuxta eorum instituta regularia prospere et feliciter gubernentur, praedictorum fratrum et monialium Discalceatorum tranquillitati et indemnitati eorumque instituti propagationi et profectui consulere cupientes, eosdem fratres et moniales eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, super visitatione apostolica et consultatione episcoporum, et regularium reformatione deputatorum, quibus hoc negotium examinandum mandavimus, consilio, institutum huiusmodi, quod iuxta primitivam Regulam praedictam dicti fratres Discalceati profitentur, laudantes et approbantes, dictos fratres et moniales primitivam Regulam huiusmodi in regnis Hispaniarum observantes, Discalceatos nuncupatos, eorumque domus, conventus, monasteria et loca, nunc et pro tempore existentia, a provinciis fratrum et monialium eiusdem Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, Regulam per praedictum Eugenium praedecessorem mitigatam nunc et pro tempore observantium, Mitigatorum nuncupatorum, penitus et omnino in perpetuum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, seiungimus, separamus et dismembramus; ipsosque Discalceatos ab omni et quacumque iurisdictione, visitatione, correctione et superioritate, prioribus provincialibus et aliis praelatis et superioribus Mitigatis in ipsos Discalceatos competente, perpetuo eximimus et liberamus.

Monasteria eorum in unam provinciam re[illegible] ducit, regendam a Discalceatorum [illegible] ore provinciali sub obedientia prioris generalis Ordinis.

§ 7. Necnon eorumdem fratrum et monialium Discalceatorum praedictorum domus, monasteria et loca quaecumque hactenus erecta et instituta, ac in posterum erigenda et instituenda, in unam provinciam de per se Discalceatorum nuncupandam, per unum priorem provincialem in capitulo dictae provinciae, ex eisdem Discalceatis, ut praefertur, eligendum, regendam et gubernandam, in perpetuum erigimus et instituimus. Ac dictam provinciam fratrum et monialium

Discalceatorum sub obedientia et superioritate prioris generalis totius Ordinis praedicti, sicut aliae provinciae eiusdem Ordinis ei subsunt et subiacent, perpetuo subesse atque subiectam remanere et subiacere volumus.

Prioris provincialis Discalceator. munus describit;

§ 8. Qui per se ipsum tantum vel per alium virum idoneum ex ipsis fratribus Discalceatis, et iuxta eorum primitivam Regulam et instituta regularia ab ipsis Discalceatis observari solita, eos visitare, reformare, corrigere et punire possit, in monasteriis tamen, domibus et locis eorumdem fratrum Discalceatorum, extra quae nullatenus ipsi fratres Discalceati vel aliquis eorum ab eodem priore generali, quovis praetextu vel occasione, amoveri, assignari, mutari, extrahi aut transferri, aut ad alias provincias mitti aut retineri possit, nisi aliter in eorum capitulo provinciali fuerit ordinatum. Ipsi vero dictae provinciae Discalceatorum fratres in praemissis perpetuo eidem priori generali parere et obedire, et cum ipsum ad eorum monasteria, domos et loca divertere, aut pro visitatione huiusmodi aut alias accedere contigerit, cum omni humilitate et reverentia benigne recipere et pertractare, prout decet, teneantur et debeant. Necnon priori provinciali eiusdem provinciae fratrum Discalceatorum ipsos fratres et moniales Discalceatos, illorumque domos et monasteria et loca quaecumque regendi, gubernandi, visitandi et reformandi; ac capitulum provinciale, suis loco et tempore, indicendi, convocandi, congregandi et celebrandi; et quoscumque officiales necessarios, una cum capitularibus, eligendi; ac quaecumque statuta et ordinationes bonum regimen dictae provinciae ad Dei servitium concernentia in eodem capitulo condendi, mutandi, alterandi et in totum, si videbitur, abrogandi et de novo edendi, dummodo sacris canonibus et decretis sacri generalis concilii Tridentini et constitutionibus apostolicis, ac eorum primitivae Regulae et instituto praedictis non adversentur; et abusus quoscumque tollendi et emendandi, monasteria item domos et conventus, tam virorum quam mulierum eiusdem provinciae in quibuscumque locis, cuiusvis licentia desuper minime requisita, de consensu dicti eorum capituli, et alias servata forma eiusdem concilii, construi et aedificari faciendi; ipsique priori provinciali, ut, postquam electus fuerit, officium suum exercere absque alia confirmatione, quam tamen a priore totius Ordinis generali mox petere teneatur, plenam et liberam facultatem concedimus et impartimur.

Privilegia Ordinis eis communicat;

§ 9. Et insuper omnibus et singulis dictae provinciae personis utriusque sexus, nunc et pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, favoribus et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus fratres seu moniales vel sorores dicti Ordinis de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, decretis eiusdem concilii, constitutionibus apostolicis ac primitivae Regulae et instituto praedictis et praesentibus litteris non contrariis, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant indulgemus.

Ad Cartusianorum Ordinem tantum transire concedit.

§ 10. Ne autem instituta dictae provinciae relaxentur, fratribus et monialibus Discalceatis praedictis secundum dictam primitivam Regulam professis, ne ad suum fratrum Mitigatorum vel alium Ordinem, praeterquam Cartusianorum, sine apostasiae nota, transire possint, absque Sedis Apostolicae licentia, perpetuo prohibemus.

Officiales Mitigatorum non

§ 11. Inhibentes dicto Angelo de Salazar, et priori generali ac provincialibus,

molestent ipsos Discalceatos super praemissis. et commissariis aliisque dictorum fratrum Mitigatorum praelatis, ministris et officialibus, ne eosdem fratres Discalceatos seu moniales aut sorores huiusmodi super praemissis quoquomodo molestare, perturbare, vexare seu inquietare audeant vel praesumant. Quod si secus fecerint, eos et eorum singulos, excommunicationis sententia innodamus. Dicti vero fratres Discalceati nullo modo parere aut deferre teneantur. Salva tamen in reliquis obedientia dicti prioris generalis totius Ordinis, cui eos perpetuo subiectos esse et subiacere volumus, ut praefertur.

Discalceati possunt habere recursum ad Sedem Apostolicam vel Ordinis protectorem. § 12. Liceatque tam priori provinciali dictae provinciae fratrum Discalceatorum, quam aliis eiusdem provinciae fratribus, de licentia tamen ipsius prioris provincialis, ad Sedem Apostolicam et totius Ordinis protectorem liberum habere recursum.

Facultates Mitigatis concessae visitandi et gubernandi Discalceatos revocantur. § 13. Et si alicui vel aliquibus ex dictis fratribus Mitigatis sit concessa facultas visitandi aut gubernandi seu puniendi dictos fratres sive moniales Discalceatos, etiam a nobis aut nostro et dictae Sedis in partibus illis commoranti nuncio aut quocumque alio, facultatem huiusmodi ex nunc cassamus, revocamus et annullamus.

Clausulae praeservativae. § 14. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod omnes interesse habentes forsan vocati non fuerint, notari, argui seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem Sede emanatis et in posterum emanandis comprehendi posse, sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere.

§ 15. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere. Necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

Executorum deputatio, et facultates. § 16. Quocirca venerabilibus fratribus Toletano et Hispalensi archiepiscopis, et episcopo Palentino, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, necnon universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, aut quoties pro parte fratrum Discalceatorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper per priorem generalem aliosque praedictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae. § 17. Non obstantibus praemissis, ac aliis apostolicis, necnon in provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generali-

bus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Mitigatis vel quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 18. Ceterum, quia difficile foret earumdem praesentium litterarum notitiam ad quascumque personas pervenire, et ubique illas praesentare, eadem auctoritate volumus et decernimus quod transumptis earumdem praesentium litterarum, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillatis, eadem fides ubique, tam in iudicio quam extra illud, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDLXXX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 22 iunii 1580, pontif. an. IX.

CXXII.

Innovatio constitutionum a praedecessoribus editarum contra homicidas et alios capitaliter bannitos; et maiorum poenarum inflictio in eorum receptatores et auxiliantes, communitatesque eos non persequentes et capientes.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Tanta tamque horrenda quotidie succrescunt sanguinariorum et sceleratorum hominum maleficia, ut nos, qui subditos nostros, caritatis potius vinculo quam severitate poenarum, in officio contineri semper optavimus, tandem necesse sit, ad ipsos procul a societate humana submovendos, nova remedia adhibere, ac simul cogitare quomodo illos confovendi facultas tolli ab iis possit, sine quorum auxilio impurissimi [1] illi pleraque omnia delicta neque perficere neque poenas effugere possent.

Innovatio bullarum editarum contra bannitos.

§ 1. Quae felicis recordationis Pius secundus, Paulus item secundus, Sixtus quartus, Iulius secundus, Leo decimus, Clemens septimus, Pius quartus, Pius quintus et diversi alii Romani Pontifices praedecessores nostri, suo quisque tempore, prout necessitas tulit, bene et providenter respicientes, constitutiones suas in exitiale hoc genus, pro temporis et criminum ratione, ediderunt, quas nos, cum suis censuris et poenis omnibus, ac si ad verbum insererentur praesentibus, haberi volumus pro expressis, ex certa scientia nostra innovantes, ita ut illae omnes praesentibus et vicissim praesentes illis universis et singulis ad omnes ea-

1 Forte *impiissimi* (R. T.).

rum omnium casus et partes subsidio sint.

Subditi Papæ aut in eius Statu bona possidentes, bannitos, in Statu vel extra in locis suis receptantes,

§ 2. Hoc edicto perpetuo, de fratrum nostrorum consilio, statuimus ut quicumque, etiam ecclesiastica et quacumque dignitate praeditus, sive dux aut comes, marchio, vicarius, feudatarius, gubernator sive alius cuiusvis conditionis et ordinis, huius Status et ditionis nostrae temporalis, S. R. E. in eisdem temporalibus mediate vel immediate subiectus, etiam dominia, iurisdictiones et loca extra Statum praedictum obtinens, ac etiam quicumque extraneus bona in eodem Statu habens, homicidas, latrones, grassatores et alios quocumque crimine capitali bannitos vel diffamatos, in suis quisque dominiis, locis seu domibus, tam in ipso Statu quam extra eum consistentibus, receptaverit, seu quod in huiusmodi locis receptentur permiserit quoquomodo.

Faventesque,

§ 3. Ac etiam quicumque ne ii capiantur impediverit, captosque eripuerit vel occultaverit, potestatemve evadendi fecerit, vel carcerem aut aliam quamcumque custodiam fregerit conatusque fuerit, sive ad hoc homines, arma aliave ministraverit, seu alias auxilium, consilium vel favorem, palam vel in occulto aut quocumque modo praestiterit.

Iustitiaeque ministros in eis perquirendis impedientes

§ 4. Praeterea quicumque iudices, ministros vel executores iustitiae in perquisitione, captura seu adductione ac omnino in libera eorum officii executione impediverit, verberaverit, insecutus fuerit, concusserit, perterrefecerit, ad arma conclamaverit, aliosve concitaverit seu mandaverit.

Excommunicantur;

§ 5. Eum, praesentium auctoritate, excommunicationis maioris sententia innodamus, a qua solus Romanus Pontifex absolvere possit, nisi in mortis articulo, et satisfactione debita praecedente.

Criminisque laesae maiestatis rei sunt;

§ 6. Ac praeterea ipsum laesae maiestatis reum et S. R. E. rebellem pronunciamus.

Bonis omnibus privantur;

§ 7. Necnon ducatu, comitatu, marchionatu, terris, oppidis, castris, dominiis, vicariatibus, guberniis, feudis et aliis, quae a Romana et quibuscumque aliis ecclesiis obtinet ac obtinebit in futurum, ceterisque omnibus bonis immobilibus, mobilibus et semoventibus, rebus et iuribus suis, necnon omni et quacumque, etiam ecclesiastica, dignitate, gratia, exemptione reali et personali, honore, privilegio et beneficio ecclesiastico et temporali privamus eo ipso.

Ad dignitates cum filiis inhabilitantur.

§ 8. Ac ipsum et eius filios indignos decernimus ad illa et alia in posterum obtinenda, et ad quoscumque actus legitimos exercendos, quibus etiam portae numquam patebunt ullius dignitatis ecclesiasticae vel mundanae.

Eorum vassalli liberi sint;

§ 9. Sintque vassalli, custodes et populi a fidelitatis iuramento et quocumque alio iure absoluti.

Ædificia destruantur, vel Camerae applicentur;

§ 10. Omnia eius aedificia disiiciantur, aut aliis Camerae Apostolicae iuribus adscribantur.

Dominia Camerae praedictae acquirantur.

§ 11. Ducatus vero ac dominia, vicariatus, gubernia, feuda ceteraque bona et iura praedicta, eorumque fructus et emolumenta aliis fisci nostri iuribus perpetuo applicamus. Et ita Camerae Apostolicae eo ipso, absque declaratione super incursu poenae privationis huiusmodi, aut citatione eius vel eorum, qui poenam huiusmodi incurrerint, facienda, aut iudicis sententia vel decreto, vel alia iuris et facti solemnitate habenda, perpetuo applicata, appropriata et incorporata et ad nostram Romanique Pontificis pro tempore existentis liberam dispositionem pertinere volumus, ac si per lapsum temporis concessionis eorum aut finitam lineam ad ipsam revertissent.

§ 12. Nec quisquam exemptionis vel

Privilegia de recipiendis bannitis revocantur.

vetusti privilegii de recipiendis et non consignandis huiusmodi facinorosis et bannitis aut alio quocumque praetextu iuvari possit.

Bona confiscata sub constit. Pii V non comprehenduntur.

§ 13. Declarantes ducatus, dominia, vicariatus, gubernia, feuda aliaque praedicta sub constitutione dicti Pii Quinti praedecessoris, super huiusmodi dominiis et iurisdictionibus in feudum aut alias non concedendis edita, minime comprehendi.

Communitates non capientes bannitos iisdem poenis ligantur.

§ 14. Communitates vero, necnon universitates omnium civitatum, terrarum et locorum Status praedicti, cum primum de accessu, statione vel transitu bannitorum et aliorum praedictorum notitiam habuerint, si statim populos suos armatos pulsu campanarum et aliis signis non convocaverint, illosque non ceperint et tute custodierint, vel, si illos capere non potuerint, finitimas quasque communitates et universitates aut dominos non commonefecerint, vel ipsi aut eorum aliqui illos receptaverint vel toleraverint, vel cibis, commeatu, auxilio, consilio vel favore, aut quocumque alio modo, etiam ut evadant, per se vel alios iuverint, censuris et poenis omnibus supradictis supponimus, earumque etiam res et bona omnia necnon fructus et emolumenta fisco praedicto, modo et forma praemissis, applicamus eo ipso.

Executorum deputatio et facultates.

§ 15. Et nihilominus dilecto filio camerario nostro ceterisque omnibus singularum litterarum praedictarum executoribus, et praeterea gubernatori Urbis, ac causarum Curiae Camerae praedictae generali auditori per apostolica scripta mandamus ut quisque pro se ad omnimodam illarum et praesentium nostrarum ac censurarum et poenarum omnium in eis contentarum executionem omnino procedentes, faciant illas omnes et in eis contenta quaecumque semper et ubique per omnia loca praedicta et ab omnibus sub illis comprehensis, iuxta singularum litterarum earumdem continentiam et tenorem, inviolabiliter observari.

1 Tomo VII, pag. 560.

Clausulae derogatoriae.

§ 16. Non obstantibus praemissis ac omnibus, quae in singulis litteris praedictis concessum est non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicandi.

§ 17. Ut autem praesentes litterae omnibus amplius innotescant, et ne quisquam illarum ignoratione se excusare possit, iubemus illas valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac in acie Campi Florae de more appendi, eisque detractis, ipsarum exempla, etiam impressa, eisdem in locis affixa relinqui: factaque huiusmodi publicatione, volumus ipsas praesentes hic in Urbe publicatas, die sequenti; extra vero eam, post decem dies, quoscumque perinde arctare atque afficere, et contrafacientes poenas et alia supradicta omnino incurrere, ac si eis singulis praesentibus in propriis eorum personis et locis intimatae fuissent.

Exemplorum fides.

§ 18. Insuper earumdem praesentium exempla, etiam impressa, notarii pubblici manu et camerarii praedicti vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo obsignata, eamdem prorsus fidem ubique locorum, in iudiciis et extra illa, facere quae ipsaemet praesentes facerent, si exhiberentur vel ostenderentur.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo, quinto idus iulii, pontificatus nostri anno IX.

† Ego GREGORIUS Catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Sequuntur cardinalium subscriptiones.

Dat. die 11 iulii 1580, pontif. anno IX.

CXXIII.

Annullatio dispositionum beneficialium, quae contra canonicas sanctiones, statuta vel apostolica privilegia fiunt personis prohibitis propter genus aut haeresim et a fide apostasiam; cum declaratione, quod ad novam Romanorum Pontificum dispositionem pertineant[1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

In ecclesiis, praesertim insignibus, hoc magnopere curandum est ut sacerdotes et personae salubribus etiam institutis convenienter ordinentur, quod, quantum in nobis est, enitimur; atque eos ab illis repellendos in primis contendimus, qui, propter genus aut haeresim et a fide apostasiam, sive proprio sive stirpis sive cognatorum vitio contaminati, per canonicas sanctiones aut statuta ab hac Sede firmata aut apostolica privilegia, praedictis ecclesiis prohibentur. Sed nobis, negociorum magnitudine distentis, huius generis nonnulli ad illarum sacerdotia frequenter obrepunt, inter quos quidam existimationis suae prodigi, etsi se ab illis expulsum iri sciant, spe tamen inconcussa praesumunt se inde vel permutatione vel aliquo pacto beneficium, pensionem aut quid aliud exacturos.

Annullatio dispositionum beneficialium pro personis hic enunciatis.

§ 1. Nos malum hoc, quo dictae ecclesiae saepius divexantur, penitus evellere volentes, praesentium auctoritate decernimus omnes et quascumque apostolicas necnon legatorum dictae Sedis et aliorum omnium ab ea facultatem disponendi habentium ac etiam ordinarias dispositiones dignitatum, praebendarum, beneficiorum et officiorum eiusmodi ecclesiarum in quascumque personas sic infectas, et per huiusmodi sanctiones seu statuta vel privilegia, ut praefertur, inabiles, vires et effectum non habere, personasque huiusmodi illarum prorsus usu et commodo carere, beneficiaque ipsa ut prius vacare, et quae ex illis tempore dispositionis apostolicae praedictis personis illi reservata fuerint vel affecta, sub eadem reservatione vel affectione manere.

Reservat benefic. eisdem collatorum modus ea impetrandi.

§ 2. Et tam illa, quam etiam omnia alia non reservata neque affecta, de quibus ab ipsa Sede ac legatis et aliis facultatem habentibus praedictis in huiusmodi personas quomodocumque dispositum fuerit, ad novam Romanorum Pontificum dispositionem dumtaxat pertinere, eaque ab aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat libere impetrari posse. Impetrationes tamen, ac etiam motu proprio concessiones, nisi modus vacationis necnon casus ac decretum huiusmodi, non conditionaliter aut per aequipollens, sed definite, nominatim ac dispositive in illis exprimantur, omnino non valere. Ab ordinariis vero, cessantibus reservationibus vel affectionibus apostolicis, pro tempore collata, devolutioni, iuxta Lateranensis statuta concilii, subiacere; nec non irritum et inane quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Reservationibus apostolicis fructuum, pensionum et aliarum rerum huiusmodi beneficiorum, in personas idoneas, etiam de huiusmodi contaminatorum consensu, factis, eisdemque ab illis interim praestitis vel solutis, nihilominus valituris. Nemo autem ignorationem praetexens valeat excusari, cum praedictae prohibitiones satis manifestae sint, et quisque ante petitionem vel acceptationem beneficiorum huiusmodi, num illorum capax sit, debeat se probare. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum,

1 Similem constitutionem, n. XLIV, tom. VII, pag. 533, edidit Pius V, *Cum ex apostolatus;* de aliis poenis haereticorum vide in Pauli IV constitutione XXVII, *Cum ex apostolatus,* tom. VI, pag. 551.

anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo, idibus novembris, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 13 nov. 1580, pontif. anno IX.

CXXIV.

Statuit ut prior generalis et visitator congregationis Sancti Salvatoris, Ordinis S. Augustini canonicorum regularium, sint triennales, nec nisi elapso triennio reeligi possint [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum alias felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, qui in generali reformatione congregationis Sancti Salvatoris, Ordinis Sancti Augustini canonicorum regularium, edita per eius litteras in forma brevis sub die V decembris MDLXXI, pontificatus sui anno VI, confectas, motu proprio et ex mera voluntate et certa scientia suis, recte et salubriter statuit et ordinavit quod de cetero eiusdem congregationis capitulum generale quolibet triennio tantum, non autem singulis annis, ut antea, celebraretur, in eisdem litteris de procuratore generali et visitatoribus creandis, deque eorum electionis forma et tempore multa provide etiam decrevisset; quia tamen in eisdem de praedictorum prioris generalis et visitatorum officiorum et munerum vacatione nihil statutum et determinatum esse reperitur.

Facti series et ratio.

§ 2. Nos, ad dictae congregationis pacem et concordiam conservandam, quae dubitandi et alterandi[2] materiam suggerere possent nostrae declarationis remedio resecanda et praecidenda esse censentes, motu simili et ex mera nostra voluntate ac deliberatione et certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, statuimus, ordinamus et praesentium nostrarum litterarum tenore declaramus quod, quemadmodum capituli generalis celebrandi, in eoque prioris generalis et visitatorum eligendorum tempus, iuxta eiusdem praedecessoris nostri praedictas litteras, triennale est et esse debet, prout etiam per varias nostras litteras triennale esse voluimus et confirmavimus, sic eorumdem officiorum prioris generalis et visitatorum huiusmodi vacatio quoque triennalis esse debeat, ita ut quicumque prior generalis vel visitator eiusdem congregationis per triennium fuerit, statim post officii generalatus et visitatoriatus abdicationem et dimissionem, ad eadem munera, officia vel administrationes nequaquam confirmari, eligi vel assumi, nisi per simile triennium ab eodem munere et officio vacaverit, aliquo modo possit, audeat vel praesumat. Quo vacationis tempore trium annorum, ut praefertur, elapso, liberum esse decernimus eidem congregationi et eius praelatis et personis in capitulo generali, iuxta praedictas reformationis litteras congregatis, eosdem iterum ad easdem dignitates, officia et administrationes eligere, prout quemque dignum et idoneum esse iudicaverint.

Declaratio constitutionis san. memoriae P. V, de qua praesenti mentione.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari non posse, sed illas semper validas et efficaces esse, nec per quemquam, cuiuscumque privilegii, statuti, consuetudinis vel styli et usus praetextu vel colore, ullatenus infringi, vel contra illas et in eis contenta venire non posse ne-

Clausulae.

1 Ex Regest. in Secret. Brev. 2 Legendum forsan *altercandi* (R. T.).

que debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam Pii V, praedecessoris nostri, si quae emanarunt, pontificatus sui anno quinto, quatenus huiusmodi voluntati et decreto nostro adversentur; ac dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus et reformationibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem congregationi per quoscumque Romanos Pontifices quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decimaoctava novembris, millesimo quingentesimo octuagesimo, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 nov. 1580, pontif. anno IX.

CXXV.

Iurisdictio ordinariorum in puniendis vicariis, familiaribus, colonis et ministris fratrum militum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, iuxta dispositionem concilii Tridentini, sess. XXIV, *cap.* XI.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Circumspecta in omnibus actibus suis Romani Pontificis providentia, interdum ea quae certis etiam rationabilibus tunc suadentibus causis a Sede Apostolica emanata reperiuntur, alia superveniente ratione, qua praesertim populorum offensioni occurritur, et episcoporum iurisdictioni rite consulitur, reducere, ac suam declarationem interponere consuevit, et alias desuper disponit, prout, temporum, rerum et personarum qualitate pensata, perspicit in Domino salubriter expedire.

Causa huius constitutionis. § 1. Cum itaque compertum sit quamplurimos clericos saeculares nec non laicos, gratiis et privilegiis, quibus Sedes Apostolica dilectos filios magistrum, conventum et milites hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, de republica christiana optime semper meritos, ac eorum ecclesias et loca liberaliter prosecuta est, abutentes, unde sibi religiosius vivendi legem imponere deberent, inde laxioris vitae occasionem arripere, dum varios, saepe etiam vanos, exemptionis libertatisque titulos praetexunt; alii quidem quod pro vicariis, cappellanis, ministris et inservientibus ecclesiis dicti hospitalis quomodolibet adscripti sint; alii vero quod coloni, procuratores et familiares ipsorum militum existant, quamvis in propriis domibus licenter degant, nihilominus ex praedictorum militum privilegiis illorumque confirmatione, etiam post concilium Tridentinum a felicis recordationis Pio Papa V, praedecessore nostro, obtenta, praetendant se ab omni iurisdictione ordinariorum exemptos esse, nec ab illis inquiri, visitari, puniri aut corrigi posse, eoque ipso, delictorum suorum sibi impunitate promissa, gravem in populo offensionem praebere, et in episcoporum iurisdictione perturbationem in dies maiorem excitare dignoscantur.

Reductio privilegiorum exemptionum. § 2. Idcirco nos huic malo, quod a praedicto concilio multo ante praevisum fuerat, salubriter providere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera nostra voluntate ac deliberatione et certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, exemptiones, gratias et indulta magistro, conventui, militibus et militiae dicti hospitalis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem

praedictam in genere vel in specie quomodolibet concessa et confirmata, necnon dicti Pii V litteras super eorumdem confirmatione emanatas, sub Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris MDLXVIII, pontificatus sui anno tertio, ad praedicti concilii decretorum terminos, tenore praesentium, reducimus, ac reducta esse, nihilque ex ipsis privilegiis, exemptionibus, gratiis et indultis, ordinariis locorum detractum esse, quo minus ipsorum militum vicarii, cappellani, ministri, servientes, adscripti, coloni, procuratores et familiares militum huiusmodi, quibus ea iam concessa sunt et in posterum concedi contigerit, ab ipsis ordinariis, tamquam Apostolicae Sedis delegatis, de eorum excessibus, criminibus et delictis, etiam extra visitationem, quando et quoties opus fuerit, inquiri, visitari, puniri et corrigi possint, ipsorumque ordinariorum iurisdictioni plene in praedictis subiecti existant (exceptis tamen iis, qui ecclesiis aliisque locis dictorum militum actu serviunt, et intra eorum septa et domos resident, ac sub eorum obedientia vivunt, quae omnia debere simul concurrere intelligantur; sive iis qui legitime et secundum Regulam praedictae Religionis professionem fecerint, de qua loci ordinario constare debeat). Et ita in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari non posse, sed illas semper validas et efficaces esse, nec per magistrum, conventum et milites praedictos, quorumcumque privilegiorum, statutorum, consuetudinum et styli praetextu, ullatenus infringi, vel contra illas et in eis contenta veniri non posse neque debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, necnon declarationibus, sententiis, iuramentis, concordiis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis magistro et conventui ac militibus praedictis et eorum vicariis, cappellanis, colonis, familiaribus, procuratoribus et aliis quibuslibet, ipsorum militum intuitu vel contemplatione, per quoscumque Romanos Pontifices et Sedem praedictam quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium dumtaxat, specialiter et expresse, motu simili, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Confirmatio dictae constitutionis Pii V.

§ 5. Eisdem Pii Papae V litteris memoratis, quoad alia, et in eo maxime quod voluit praedictorum militum privilegia illorumque confirmationem non comprehendere, neque ecclesias neque personas in his, quae ad curam animarum per-

tinent, sed in his dicti concilii Tridentini decreta omnino servari debere, in suo robore permanentibus.

Fides transumptorum. § 6. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides, tam in iudicio quam extra, adhibeatur quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimaquinta novembris, millesimo quingentesimo octuagesimo, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 novem. 1580, pontif. anno IX.

CXXVI.

Erectio novae ecclesiae cathedralis S. Severi in regno Neapolis [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pro excellenti præeminentia Sedis Apostolicae, in qua post beatum Petrum apostolorum principem, quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate, constituti sumus, dirutas ecclesias temporum iniuria aliisve calamitatibus supprimere, ac illarum loco in agro irriguo militantis Ecclesiae novas episcopales sedes et ecclesias plantare Romano Pontifici dignum arbitramur, ut per huiusmodi novas plantationes populorum augeatur devotio, divinus cultus floreat, animarum salus subsequatur et loca humilia illustrentur; idque nos eo libentius agimus in his locis, in quibus, benedicente Domino, incolae et alii christifideles multiplicasse noscuntur, ut, propagatione novae sedis et assistentia honorabilis praesulis cum decenti ministrorum numero, fideles ipsi in devotione persistentes, et etiam devotionis huiusmodi augmentum suscipientes, aeternae felicitatis praemium, Deo eorum pium propositum adiuvante, facilius consequi mereantur.

Facti series. § 1. Sane cum civitas Civitatensis in regno Neapolis, penitus destituta et solo aequata, a nullis incolis habitetur, et vix vestigia cathedralis ecclesiae in ea appareant, et ob id ecclesia Civitatensis amplius in rerum natura non existat, nos, attendentes quod si in ipsa ecclesia Civitatensi, certo modo pastoris solatio destituta, nomen, titulus et denominatio cathedralis ecclesiae perpetuo supprimerentur et extinguerentur; archidiaconatus vero, qui maior post pontificalem, et archipresbyteratus ipsius ecclesiae, qui secunda inibi dignitates existunt, ad infrascriptam erigendam ecclesiam transferrentur; ac oppidum Sancti Severi nullius dioecesis, eiusdem regni, quod insigne ac moenibus et turribus cinctum est, necnon frequentem populum et quamplurimos incolas nobiles continet, et in quo quatuor parochiales ecclesiae existunt, in civitatem; et parochialis ecclesia Beatae Mariae Virginis eiusdem oppidi, quae satis venusta, ac frequenti numero sacerdotum et ministrorum ecclesiasticorum referta, necnon omnibus ad divinum cultum necessariis luculenter instructa, et alioquin insignis existit, in cathedralem ecclesiam, sub invocatione eiusdem Beatae Mariae Virginis, cum alia dignitate et duodecim canonicatibus totidemque praebendis, duobus perpetuis simplicibus personalem residentiam requirentibus beneficiis ecclesiasticis, beneficiatis nuncupandis, erigeretur et institueretur; necnon ecclesiae Civitatensis ac archidiaconatus et archipresbyteratus praefatorum bona, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, dictae ecclesiae erigendae illiusque episcopali

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

et capitulari mensis respective, etiam perpetuo, applicarentur et appropriarentur, inde profecto cleri et populi salus, cum ecclesiae Sanctae Mariae Virginis ac oppidi praedictorum decore, longe magis proveniret.

Erectio cathedralis Sanctae Mariae oppidi S. Severi.

§ 2. Praemissis itaque et aliis rationabilibus causis adducti, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio et assensu ac apostolicae potestatis plenitudine, in dicta ecclesia Civitatensi nomen, titulum et denominationem cathedralis ecclesiaé, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus; archidiaconatum vero et archipresbyteratum suppressae ecclesiae huiusmodi ad dictam erigendam ecclesiam transferimus; necnon oppidum in civitatem Sancti Severi nuncupandam; ac ecclesiam Beatae Mariae huiusmodi in cathedralem ecclesiam, sub invocatione eiusdem Sanctae Mariae, pro uno episcopo Sancti Severi nuncupando, qui eidem cathedrali ecclesiae praesit, illiusque aedificia ampliet et ad formam cathedralis ecclesiae redigat, episcopalem et canonicales domos construi ac aedificari faciat, omnimodamque in clerum et populum praedictum iurisdictionem episcopalem exerceat, necnon omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum in civitate Sancti Severi ac infra assignanda dioecesi pro tempore vacantium dispositionem, ordinario iure, aliaque omnia, quae ad munus episcopale pertinent, habeat; ac archiepiscopo Beneventano iure metropolitico subsit; necnon in eadem cathedrali ecclesia unum archidiaconatum, qui inibi post pontificalem maior, et pro archidiacono olim Civitatensi; et unum archipresbyteratum, pro archipresbytero, qui in erecta ecclesia huiusmodi animarum curam hactenus exercuit et in futurum exercebit, qui secunda; ac unum primiceriatum pro archipresbytero olim Civitatensi, qui tertia et ultima dignitates inhibi existant; et duodecim canonicatus et totidem praebendas, pro duodecim canonicis praebendatis, qui omnes insimul capitulum dictae cathedralis ecclesiae constituant; necnon duo perpetua simplicia et personalem residentiam requirentia beneficia ecclesiastica, beneficiata nuncupanda, pro duobus clericis, beneficiatis nuncupandis.

Episcopalis dignitatis institutio.

§ 3. Praeterea in ea episcopalem dignitatem, cum sede, præeminentiis, honoribus, privilegiis et facultatibus, quibus aliae cathedrales ecclesiae de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, necnon episcopali et capitulari mensis aliisque cathedralibus insigniis, ad omnipotentis Dei eiusdemque B. Mariae laudem, totiusque triumphantis ecclesiae gloriam, et fidei catholicae exaltationem, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo erigimus et instituimus; ac oppidum Sancti Severi, civitatis, et ecclesiam Beatae Mariae, cathedralis, necnon habitatores et incolas huiusmodi, civium nomine et honore decoramus.

Designatio dioecesis et redditum pro mensis episcopali et capitulari.

§ 4. Ulterius, dictae erectae ecclesiae oppidum Sancti Severi, pro civitate; necnon olim civitatem Civitatensem totumque illius territorium, oppida, terras, villas et alia loca, olim in dioecesi Civitatensi existentia, ac etiam locum Turris Maioris, nullius dioecesis, eiusdemque loci Turris Maioris et civitatis Sancti Severi territoria et districtus, pro dioecesi; necnon ecclesiasticas pro clero, et saeculares personas in civitate Sancti Severi et loco Turris Maioris huiusmodi ac territoriis, oppidis, terris, villis et aliis locis praedictis habitantes, pro populo, auctoritate et tenore praemissis, pariter perpetuo concedimus et assignamus; ac civitatem,

dioecesim, clerum et populum huiusmodi futuro episcopo Sancti Severi, quoad episcopalem, et dicto archiepiscopo, quoad metropolitanam ordinariam iurisdictionem et superioritatem, ita quod dictus locus Turris Maioris non amplius nullius dioecesis, sed posthac Sancti Severi dioecesis existat, subiicimus.

§ 5. Necnon ruralem ecclesiam, rectoriam seu praeposituram nuncupatam, olim monasterium Sanctorum Petri et Severi, Ordinis Sancti Benedicti, dicti oppidi Turris Maioris, quam venerabilis frater noster Iacobus episcopus Aprutinensis nuper in commendam ad eius vitam ex dispensatione apostolica obtinebat, ac cuius et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus trecentorum ducatorum auri de Camera, secundum communem existimationem, valorem annuum, ut accepimus, non excedunt (commenda huiusmodi, ex eo quod idem Iacobus episcopus illi necnon omni iuri, sibi in dicta rurali ecclesia vel ad illam quomodolibet competenti, hodie in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem huiusmodi duximus admittendam, cessante adhuc eo quod ante commendam ipsam vacabat, nunc vacante), cum annexis huiusmodi praediis, proprietatibus ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, omniaque et singula praedia, proprietates, census, decimas, primitias ceteraque bona, fructus, redditus, proventus et etiam iurisdictiones, actiones et iura ac alia emolumenta quaecumque olim mensae episcopalis et ecclesiae Civitatensis, et quae hactenus ad ipsam mensam episcopalem, episcopum et ecclesiam Civitatensem quomodolibet et ubilibet spectabant et pertinebant, episcopali, pro eius et episcopi Sancti Severi pro tempore existentis; capitulari autem mensis erectae ecclesiae illiusque massae communi, pro dignitatum, canonicatuum et praebendarum aliorumque beneficiorum in ea erectorum dotibus, illaque pro tempore obtinentium alimentis necessariis, omnia et singula fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque Beatae Mariae in cathedralem erectae, necnon archidiaconatus et archipresbyteratus translatorum praedictorum fructus, redditus et proventus, obventiones et emolumenta quaecumque, ita ut ex dicta massa aliquid certum in praebendam dictis archidiacono, archipresbytero et primicerio necnon canonicis et beneficiatis constituatur, ac reliqua, quae, detractis praebendis huiusmodi dictae massae supererunt, pro rata servitii ab unoquoque eorum praestiti postmodum inter ipsos, modo et ordine a futuro episcopo Sancti Severi praescribendis, dividantur, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ita quod liceat pro tempore existenti episcopo Sancti Severi, olim mensae episcopalis et ecclesiae Civitatensis rectoriaeque praedictae, ac capitulo et beneficiatis praefatis, ipsius erectae ecclesiae necnon archidiaconatus et archipresbyteratus translatorum huiusmodi fructuum, reddituum et proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum corporalem possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate respective libere apprehendere et perpetuo retinere, illaque percipere, colligere, levare, exigere, recipere et recuperare, arrendare, locare et in eorum usus et utilitatem respective convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

§ 6. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; non obstantibus, quatenus opus sit, nostris de non tollendo iure quaesito ac unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, necnon Lateranensis concilii novissime ce- *Clausulae et derogatio contrariorum.*

lebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon dictarum ecclesiarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, et etiam consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in eis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, decorationis, concessionis, assignationis, subiectionis, unionis, annexionis et incorporationis, decreti, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo, decimo kalendas martii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 febr. 1580, pontif. anno IX.

CXXVII.

Confirmatio erectionis confraternitatis Sanctae Mariae Rotundae [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pietatis et christianae charitatis opera, quae Salvator et Dominus noster Iesus Christus, cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris, fidelibus ipsis, antequam pateretur, instanter commendavit, ubique locorum ac praesertim in Urbe nostra, christianae religionis proprio domicilio, exerceri cupientes, his, quae propterea provide et religiose ordinata fuisse dicuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis firmitatem adiicimus, aliasque desuper disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Facti series. § 1. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilecti filii Federici Zuccari, regentis, ac confratrum confraternitatis S. Iosephi in ecclesia B. Mariae Rotundae de Urbe canonice institutae, petitio continebat quod dudum, postquam quondam Desiderius de Auditorio, tunc canonicus dictae ecclesiae, devotione ductus, ex concessione Sedis Apostolicae, Sanctum Sepulchrum Dominicum Hierosolymitanum bis, et Montem Sinai semel, et alia loca Terrae Sanctae, diversos corporis et animae labores, cum summo vitae discrimine, perferendo, ad laudem Dei visitaverat, et exinde nonull. venerabiles reliquias secum detulerat, reliquias praescriptas in loco devoto et convenienti collocari, et tam ipse quam dilecti filii capitulum eiusdem ecclesiae, attendentes quod in ipsa ecclesia a sini-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

stra parte illius ingressus erat una ex maioribus cappellis nondum in titulum perpetui beneficii ecclesiastici erecta, in qua immunditiae dictae ecclesiae reponebantur, et quae a christifidelibus nullo modo aut parum frequentabatur nec in veneratione habebatur, in ecclesiae praedictae dedecus et populi inibi confluentis devotionis diminutionem, ipsam cappellam ad debitam formam et nobiliorem statum deduci ac divinum cultum inibi augeri desiderarent, capitulum praedicti ad sonum campanae, ut moris est, super eo capitulariter congregati, eamdem cappellam dicto Desiderio, ad effectum illam restaurandi et ibidem dictas reliquias honorifice reponendi, eique per cappellanum tunc ab eodem Desiderio, et in certos eventus per confraternitatem praedictam inibi tunc, ipso Desiderio procurante, instituendam, ac aliis modis et formis tunc expressis deputandum inserviendi, missasque certis tunc forsan expressis modo et forma atque diebus celebrandi, cum facultate in dicta cappella confraternitatem huiusmodi institui faciendi: ita quod dictus Desiderius, si sibi placeret et eisdem confratribus parochianum dictae ecclesiae, quae etiam parochialis existit, in dicta cappella sepeliri, quod medietas cerae, quae obveniret ratione dictae sepulturae, pro una inter capitulum, et pro altera medietatibus pro divini cultus in ipsa cappella manutentione inter confratres praefatos dividerentur; quodque ipse Desiderius pro eleemosynis in cappella praedicta recolligendis, quarum quinta pars dictae ecclesiae, residuum vero ipsius cappellae esset, cyppum et truncum, et pro custodia paramentorum et aliarum rerum dictae cappellae in sacristia dictae ecclesiae unam capsam habere et retinere posset, et sub certis aliis pactis et conditionibus necnon modis et formis tunc expressis concesserunt et assignarunt, prout in diversis instrumentis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Erectio institutio altaris et confraternitatis S. Ioseph de Terra Sancta nuncupati.

§ 2. Cum autem, sicuti eadem petitio subiungebat, praedictus Desiderius, in suo proposito perseverans, ex bonis sibi a Deo collatis cappellam ipsam restaurare, et in ea unum altare lapideum formosissimum, sub invocatione S. Iosephi de Terra Sancta nuncupati, construi et aedificari, ac subtus dictum altare reliquias huiusmodi, divinae pietatis intuitu, rite collocari, ac missas iuxta concessionis et assignationis praedictarum tenorem celebrari; necnon, ad omnipotentis Dei gloriam et illius cultus augmentum, ac eiusdem sancti Iosephi honorem, unam confraternitatem christifidelium Deo et ipsi sancto Iosepho devotorum, praecipue insignium operantium architecturae, picturae, sculpturae et metallariae, lignariae, fusariae et diversarum artium, ut praefertur, canonice institui et erigi; ac eidem confraternitati quamdam cameram supra dictam cappellam existentem per dictos capitulum concedi et assignari curaverit, pro parte Federici regentis ac confratrum praedictorum, asserentium, postquam felicis recordationis Paulus Papa III, praedecessor noster, concessionem, assignationem et institutionem huiusmodi, sub data videlicet tertio nonas octobris, pontificatus sui anno nono, confirmari et approbari concesserat, se litteras super concessione huiusmodi non expedivisse, et nihilominus regentem et confratres dictae confraternitatis pro tempore existentes ex tunc dictae cappellae in divinis deservire, ac eorum et ipsius confraternitatis impensis nonnullas virgines annuatim matrimonio collocare, ac missas iuxta concessionem et assignationem huiusmodi celebrari fecisse, necnon pauperum et infirmorum necessitatibus et indigentiis subvenire, ac diversa pietatis et charitatis opera sedulo exercere consuevisse, nobis

fuit humiliter supplicatum quatenus concessionem, assignationem, erectionem et institutionem praedictas ac alia praemissa, pro illorum subsistentia, confirmare et approbare, aliasque desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio confraternitatis praefatae.

§ 3. Nos igitur, Federicum regentem et confratres praedictos ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, *etc.* censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem, assignationem, erectionem et institutiones praedictas, sicuti canonice factae fuerunt, eorumdem capituli ad hoc expresso accedente consensu, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui intervenerunt in eisdem, supplemus, ac illas validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere decernimus; et nihilominus, pro potiori cautela, confraternitatem praedictam, de consensu capituli huiusmodi a dilecto filio nostro in dicta urbe et eius districtu vicario in spiritualibus generali approbando, de novo, sine alicuius praeiudicio, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo erigimus et instituimus; necnon pro tempore existentibus regenti et confratribus praedictis, ut perpetuis futuris temporibus dictam cappellam ac omnia et singula illius res et bona mobilia et immobilia ac se moventia, praesentia et futura, regere, gubernare et administrare, illorumque fructus, necnon oblationes et eleemosynas aliaque pia suffragia inibi pro tempore erogata percipere, exigere et levare, ac in ipsius cappellae usus et utilitatem, ac illius iurium et bonorum conservationem et divini cultus augmentum convertere, necnon unum vel plures presbyterum seu presbyteros, a dicto vicario approbandos, et ad ipsorum regentis et confratrum nutum ponendos et amovendos, qui missas et alia divina officia, iuxta providam dispositionem desuper ab eisdem regente et confratribus faciendam, in ipsa cappella celebrare teneantur, ac in eadem cappella tam confratres quam alios christifideles sepelire; necnon, pro illius et dictae confraternitatis salubri directione, ac rerum et bonorum earumdem administratione, quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et decretis concilii Tridentini non contraria, ab eodem vicario pariter approbanda, condere; eaque, postquam condita fuerint, pro temporum varietate, corrigere, alterare, immutare, limitare, modificare et in meliorem formam redigere seu in totum cassare, et alia, ut praefertur approbanda, de novo condere et edere, quae omnia semper a vicario praedicto sint examinata et approbata, libere et licite valeant; quodque dicta cappella seu illius altare etiam a nobis vel Sede praedicta seu illius legatis, etiam de latere, vel eodem vicario aut quocumque alio in titulum perpetui beneficii ecclesiastici erigi, seu tamquam beneficium ecclesiasticum per quoscumque impetrari, vel alicui alteri cappellae, ecclesiae seu beneficio ecclesiastico vel loco uniri, aut illius fructus et bona applicari, seu alias ex illis disponi nequeat; nullusque, apostolica vel ordinaria aut delegata seu mixta auctoritatibus fungens, de legatis, relictis, rebus et aliis praedictis, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, absque expressa licentia pro tempore existentium regentis et confratrum praedictorum in scriptis tradita, se intromittere aliquatenus possit, apostolica auctoritate et tenore praedictis perpetuo concedimus et indulgemus.

§ 4. Necnon quascumque erectiones,

Clausulae speciales.

provisiones, concessiones, uniones, applicationes et alias dispositiones de cappella illiusque altari, rebus et bonis praedictis, etiam per nos seu quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros et dictam Sedem aut quoscumque alios pro tempore factas, nullas et invalidas fore et esse, nec per eas cuiquam ius adquiri, dictosque regentem et confratres nunc et pro tempore existentes super praemissis omnibus et singulis nullatenus per quoscumque, quavis auctoritate, quomodolibet molestari vel impediri posse; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Mandatur executio.

5. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Amerinensi et Maceratensi episcopis, ac dilecto filio archipresbytero dictae ecclesiae Sanctae Mariae per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte regentis et confratrum praedictorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem regentem et confratres eorumque singulos confirmatione, approbatione, suppletione, novis erectione, institutione, indulto et decretis praedictis aliisque praemissis, pacifice frui et gaudere, ac praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, quos illa concernunt et quomodolibet concernent in futurum, inviolabiliter observari, non permittentes regentem et confratres praedictos seu aliquem ex eis contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias et censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias poenas, eorum arbitrio imponendas, infligendas et moderandas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, etiam ad hoc, si opus fuerit, invocato auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae ecclesiae, iuramento roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae et dilecto filio illius archipresbytero ac capitulo praedictis et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus ac insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et ex certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, et etiam consistorialiter, et alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis et imposterum concedendis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectio-

nis, decretorum, erectionis, institutionis, concessionis, indulti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Tusculi, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo, nonis martii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 7 martii 1580, pontif. anno IX.

CXXVIII.

De confraternitate Annunciationis in ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam constituta [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ut Sanctissimum gloriosissimae Dei Genitricis Mariae nomen, quae salutis nostrae protulit auctorem, et apud Regem, quem genuit, pro nobis omnibus sedulo intercedit, ubique locorum et gentium, ac praesertim in Urbe nostra, christianae religionis proprio domicilio, in qua Petrus apostolorum princeps, vicariorum Iesu Christi et suorum successorum Sedem amplissimam, divina voluntate, locavit, celebretur, dignisque laudibus efferatur, dilectos filios guardianos et confratres confraternitatis sub invocatione Annunciationis eiusdem Beatae Mariae Virginis supra Minervam de eadem Urbe canonice institutae, qui piis et charitatis operibus, sub eiusdem Beatae Mariae Virginis vexillo et nomine, assidue sunt intenti, specialibus gratiis atque favoribus complectendos esse censemus, prout in Domino conspicimus expedire.

Facti series. § 1. Sane, pro parte dictorum guardianorum et confratrum nobis nuper exhibita petitio continebat quod, cum ipsi guardiani et confratres ex proprio eorum instituto annis singulis quamplures pauperrimas virgines nuptui tradere, hocque in opere et in pauperibus virginibus sanctimonialium vitam ingressuris subveniendis, aliisque charitatis et pietatis operibus incessanter et continue laborare maxima cum diligentia consueverint, adeo ut eadem archiconfraternitas, propter diligentem custodiam quam virgines ipsae earum pudicitiæ, et eximiam curam quam earum parentes necnon sorores et aliae consanguineæ et affines, ad honestam vitam peragendam bonamque conversationem sequendam, habent, cum alioquin ad eadem subsidia recipienda pervenire nequirent, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pudicitiae conservatrix appellata fuerit, et ob frequentia ac continua similium virginum connubia, quae, ut sequantur annis singulis, per eamdem archiconfraternitatem procurantur, sit quasi seminarium artificum eiusdem, unde hoc piissimum sanctissimumque opus eisdem Romanis Pontificibus ac nobis adeo gratissimum fuit, ut prae ceteris dictae Urbis archiconfraternatibus aut confraternitatibus, festum principale ipsius archiconfraternitatis, quod est Annunciationis eiusdem Beatae Mariae, nostra et venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegii praesentia decorari, ipsumque opus honestis eleemosynis ab ipsis Romanis Pontificibus et cardinalibus quotannis largiri solitis confoveri et promoveri consueverit, quod praedecessorum nostrorum institutum, ad divini nominis gloriam et exaltationem, nos ipsi una cum praedictis cardinalibus constanter retinuimus.

§ 2. Quo autem hoc adeo laudabile et

[1] Ex Bullar. Ord. Fratr. Praedic., tom. V, pag. 407.

Causa constitutionis edendae.

pernecessarium opus in dies, ad Dei gloriam ipsarumque virginum et aliarum huiusmodi mulierum pudicitiae et honestatis conservationem, augeatur et perpetuo maiori cum charitate exerceatur, pro parte guardianorum et confratrum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus erectionem et institutionem dictae archiconfraternitatis approbare et confirmare, et eorum petitionibus annuere, aliasque in praemissis opportune providere dignaremur.

Confirmatio confraternitatis praedictae.

§ 3. Nos igitur guardianos et confratres praedictos ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, *etc.* censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem et institutionem dictae archiconfraternitatis, sicuti canonice facta fuit, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, et quatenus opus sit, de novo eam in archiconfraternitatem aliarum confraternitatum similium sub invocatione Annunciationis eiusdem Beatae Mariae, tam erectarum quam erigendarum et illi canonice aggregandarum, perpetuo, sine alterius praeiudicio, erigimus et instituimus; ipsisque guardianis et confratribus ut quascumque alias confraternitates, tam in dicta Urbe quam extra eam, nunc et pro tempore existentes, dictae archiconfraternitati aggregare et associare, illisque et earum utriusque sexus confratribus, dictae archiconfraternitatis privilegia, indulta, indulgentias, etiam plenarias, et peccatorum remissiones ac relaxationes per praesentes concessa et in posterum concedenda, non tamen aggregandi, communicare libere et licite valeant, licentiam concedimus et impartimur.

Concessio indulgentiarum.

§ 4. Ut autem ipsius archiconfraternitatis et aliarum illi pro tempore aggregandar. confraternitatum confratres nunc et pro tempore existentes, in tam pio et laudabili instituto eo alacrius persistant, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei, nostra et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam archiconfraternitatem et illi aggregatas et in futurum aggregandas confraternitates ingredientur, si sanctissimum Eucharistiae Sacramentum susceperint, necnon omnibus illis, etiam utriusque sexus pro tempore existentibus, qui, etiam vere poenitentes et confessi, in mortis articulo nomen Iesu devote invocaverint, aut aliquod poenitentiae signum fecerint, ac in Nativitatis et Resurrectionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac Pentecostes, necnon Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Annunciationis et Assumptionis eiusdem Beatae Mariae festivitatibus, necnon sanctae Catharinae de mense maii festo, archiconfraternitatis et confraternitatum huiusmodi ecclesias devote visitaverint; necnon matronis et aliis mulieribus, quae easdem puellas maritandas diebus Annunciationis et Nativitatis Beatae Mariae et Sanctae Catharinae huiusmodi processionaliter associaverint; ipsisque puellis maritandis vere poenitentibus et confessis, ac etiam utriusque sexus confratribus et aliis christifidelibus qui eidem processioni interfuerint et praemissa fecerint ac pias inibi preces ad Deum, prout unicuique suggeret devotio, effuderint, si sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem dicta auctoritate, earumdem tenore praesentium, elargimur.

§ 5. Ac ipsis confratribus, qui semel in quolibet mense anni dictum Sacramentum [1], dum infirmis defertur, ac confra-

[1] Ripoll addit *devote sumpserint, qualibet vice, unum annum; quique dictum Sacramentum, dum* etc. (R. T.).

trum et aliorum in eorum ecclesiis sepeliendorum cadavera ad sepulturam usque associaverint, et missae eiusdem archiconfraternitatis ad altare eiusdem Beatae Mariae Annunciationis, situm in ecclesia dictae domus, devote, qualibet secunda die dominica cuiuslibet mensis totius anni, interfuerint, qualibet die, centum dies; singulis vero diebus sabbati totius anni dictum altare devote visitantibus et inibi, prout uniuscuiusque suggeret devotio, ad Deum preces effundentibus, alios centum dies;[1] necnon visitantibus puellas ab eadem archiconfraternitate nubendas, unum annum de eis iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Praeterea, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, similiter vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, dictas ecclesias in festo Annunciationis eiusdem Beatae Mariae Virginis, ut praefertur, visitantibus et orantibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, dicta auctoritate, earumdem tenore praesentium, elargimur.

Derogatio contrariorum et exceptio pro validitate indulgentiarum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque. Volumus autem quod, si praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti.

Fides transumptorum.

§ 7. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, volumus et dicta auctoritate decernimus quod transumptis earumdem litterarum, etiam impressis, manu secretarii dictae archiconfraternitatis subscriptis, et sigillo eiusdem archiconfraternitatis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo, *etc*. Si quis, *etc*.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXXX, sexto idus martii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 10 martii 1580, pontif. anno IX.

[1] Ripoll addit sequentia verba: *intervenientibus autem ordinariis dictae archiconfraternitatis congregationibus, alios centum dies; necnon* etc. (R. T.).

CXXIX.

Medici hebraei vel infideles ad curandos christianos infirmos non admittantur; et medici omnes servent constitutionem Pii V in monendis infirmis ad confessionem peccatorum [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Paulus IV prohibuit medicos iudaeos curare posse christianos.

Alias piae memoriae Paulus Papa IV, praedecessor noster, edita perpetua constitutione, inter alia, sancivit ne medici iudaei, etiam vocati et rogati, ad christianorum aegrotantium curam accedere aut illi interesse possent.

Pius V constitutionem approbavit.

§ 1. Quam constitutionem postea Pius Papa V, etiam praedecessor noster, per suas litteras approbavit, innovavit et confirmavit, et robur perpetuae firmitatis obtinere decrevit ac voluit, et sub intimatione divini iudicii praecepit et mandavit omnia in eadem constitutione contenta in posterum firmiter observari, non solum in terris et dominiis S. R. E. subiectis, sed etiam ubique locorum.

Innocent. III et Pius V in constit. VI iusserunt medicos non posse, ultra tres dies, infirmos non confessos curare.

§ 2. Quia tamen nobis, non sine magna animi nostri molestia, innotuit eam minime observari, sed per multos adhuc ex christianis hominibus esse, qui dum suos corporum languores illicitis mediis, et praecipue iudaeorum ac aliorum infidelium opera, sanari cupiunt, verae salutis animarum suarum et corporum simul

[1] Hoc idem, quoad medicos hebraeos, statuit Paulus IV in eius const. IV, *Cum nimis*, tom. VI, pag. 498.

immemores fiunt, et, quod valde dolendum est, in damnationis aeternae maximum saepe discrimen incidunt, medicis iudaeis et infidelibus huiusmodi ad ipsorum curationem vocatis et adhibitis; unde fit, ut et iudaeis ac aliis infidelibus magna detur delinquendi occasio, et simul salutare praeceptum negligatur, ab Innocentio Papa III, similiter praedecessore nostro, in concilio generali quondam emissum, et deinde a praedicto Pio V innovatum, quod omnes medici, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati essent, ipsos ante omnia monerent ut idoneo confessori omnia peccata sua iuxta ritum S. R. E. confiterentur, neque tertio die ulterius visitarent, nisi longius tempus infirmo confessor, ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientia onerabatur, concessisset, et eis per fidem confessoris in scriptis factam constaret, quod infirmi peccata sua confessi fuissent.

Pontifex iste approbat et innovat dictas Pauli IV et Pii V constitutiones.

§ 3. Idcirco nos tam iudaeos, qui adversus mandata huiusmodi apostolica committere audent, quam christianos, qui illos ad se accersunt vel medendi licentiam concedunt, et viam ad delinquendum eisdem aperiunt, coercere volentes, supradictas praedecessorum nostrorum constitutiones, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus, confirmamus et innovamus ac inviolabiliter observari mandamus, atque hac nostra in perpetuum valitura constitutione eisdem constitutionibus et praeceptis, pro firmiori illorum observatione, addentes, universis utriusque sexus christifidelibus districte inhibemus et interdicimus ne posthac iudaeos vel alios infideles ad ipsorum christianorum aegrotantium et infirmorum curam vocent seu admittant, aut vocari admittive faciant, concedant vel permittant.

Publicetur haec constitutio singulis annis initio quadragesimae.

§ 4. Mandantes propterea omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, necnon dilectis filiis aliis locorum ordinariis et quibusvis parochis aliisve animarum curam habentibus et exercentibus, sub indignationis nostrae ac aliis arbitrio nostro infligendis poenis, ut praesentes nostras litteras in suis ecclesiis, quae in illis civitatibus vel dioecesibus constitutae sunt, in quibus hebraei vel alii infideles moram trahunt, quamprimum ad eos perlatae fuerint, et deinde singulis annis initio quadragesimalis ieiunii publicent aut publicari faciant.

Contravenientium poenae.

§ 5. Et quod, si quis, post earum publicationem, etiam quomodolibet exemptus, ac cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et præeminentiae existens, adversus illa facere ausus fuerit, sacramenta ei ecclesiastica nullatenus ministrentur, nec etiam a regularibus exemptis, et sic decedens ecclesiastica careat sepultura, quae quidem omnia parochi aegrotantibus significare apto tempore non omittant, praesertim cum iudaeorum vel infidelium medicum ab eis admissum esse cognoverint, et alias ipsi locorum ordinarii contra huius mandati transgressores debita animadversione procedant, iudaeosque ipsos nihilominus, iuxta Pauli et Pii pontificum praedictorum litteras contra illos editas, pro earum transgressione puniant.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, quae iidem Paulus et Pius in suis litteris praedictis voluerunt non obstare; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam regularibus, privilegiatis et exemptis, eorumve Ordinibus et congregationibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam *Mari Magno* seu *Bulla Aurea* nuncupata, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie ac alias, in contrarium quomo-

dolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, expressa et individua mentio seu quaevis alia expresso habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides exemplorum.

§ 7. Et quia difficile foret easdem praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et declaramus quod earum transumptis, etiam impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubicumque habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die trigesima maii, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 30 maii 1581, pontif. anno x.

CXXX.

De auctoritate archiconfraternitatis B. Mariae Virginis Confalonis de Urbe quoscumque christifideles S. R. E. ditioni subiectos, piorum eleemosynis perquisitis, ab infidelium captivitate redimendi, duosque carceratos, in festo eiusdem B. Mariae et in eius honorem, anno quolibet liberandi [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Christianorum apud infideles captivorum mala hic Pontifex deplorat.

Christianae nobiscum religionis consortes, gravi captivitatis et servitutis iugo a christiani nominis hostibus oppressos durisque operibus quotidie vexatos, immensa S. Matris Ecclesiae clementia pie miseratur, eorumque afflictiones, fusis ad misericordiarum Patrem et totius consolationis Deum, devotis precibus, adiuvare, atque in aliorum christianorum memoriam, in mysticis maxime et ad purificandas fidelium mentes sanctius institutis diebus, revocare non intermittit. Quod clemens piae matris officium nos quoque admonet ut miserorum captivorum aerumnis succurramus, fratrumque charitatem ad idem, quantum in nobis est, excitemus, ne, languescente paulatim extremis malis conflictatae carnis infirmitate, et hoste diabolo, se infirmis, et verbi Dei praedicatione, sacrificiorum et sacramentorum solatio destitutis eorum mentibus, insinuante, desperationi succumbentes, ad susceptae in baptismo fidei desertionem inducantur; tandemque, cum nulla, siquam habebant, subsidii spes appareat, ad aeternam redemptarum pretioso Domini nostri Iesu Christi sanguine animarum perditionem misere perducantur.

Et ad liberationem et redemptionem eorum qui sunt de Statu Ecclesiastico.

§ 1. Quare, ne huiusmodi, quae toto animo horrescimus, accidant, neve in qua re sacris rebus et pretiosis vasis non parcitur, et in qua a Deo acriter interrogamur cur tot captivi in captivitatem ducti sunt nec redempti, negligentes diutius fuisse, aut quicquam pretiosius quam animas ipsas habuisse arguamur, quando nostra et Sedis Apostolicae auctoritate

[1] Alia de hac sodalitate superius dixi, ad huius Pontificis const. LVII, *Pastoris*, pag. 145.

redimendorum captivorum opus in alia iamdiu loca est diffusum, illud quoque in alma Urbe nostra constituere decrevimus, ad quod etiam ingemiscentium captivorum matrum aliorumque propinquorum lamentis et lacrymis quotidie urgemur, eorum maxime, qui nostrae et dictae Sedis temporali ditioni subiecti, ut ipsi tutelam primum, et in mari nostro Tyrrheno et Adriatico securitatem, sic, post vincula, liberationem quoque a nobis iure suo exposcere videntur. Quibus omnibus valde ad hoc opus sollicitati, cum adiumenta nobis ad illud requireremus, in dilectos filios custodes et confratres archiconfraternitatis gloriosissimae Virginis Mariae Confalonis nuncupatae de dicta Urbe, quos huic operi praeficeremus, mentem nostram intendimus; de quorum insigni christianae pietatis affectu confisi, qui nobis, cum ob praestitam, in ecclesiarum archiconfraternitati praedictae unitarum divino cultu et conservando et augendo, inopibusque dotandis et locandis puellis, necnon pauperibus aliisque variis casibus afflictis, multos annos in Urbe operam, tum etiam dilecti filii nostri Iulii Antonii S. Bartholomaei in Insula presbyteri cardinalis S. Severinae nuncupati testimonio, nobis satis innotescit.

Archiconfraternitatem Confalonis deputat.

§ 2. Motu igitur proprio et ex certa scientia necnon matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, onus hoc universum, quod magnum esse intelligimus, curae et sollicitudini archiconfraternitatis praedictae in perpetuum imponimus, ad hoc ut ipsa archiconfraternitas, illiusque custodes et confratres pro tempore existentes, quoscumque christifideles dictae Urbis ac provinciarum, civitatum, terrarum et locorum nostrae et dictae Sedis temporali ditioni mediate et immediate subiectorum, ubicumque captos, conquirant, ex infidelium servitute redimant, eaque de causa, in omni loco dictae ditioni nostrae, ut praefertur, subiecto, eleemosynas et oblata quaecumque quaerant et accipiant, collectores probos et ad charitatis officium exercendum propensos ac alias ad id ab ordinariis locorum approbatos, quotquot necessarii fuerint, servata forma concilii Tridentini, constituant; qui eleemosynas, oblationes, legata et quaecumque alia subsidia, tam in dicta Urbe quam in quibusvis provinciis, civitatibus, oppidis, castris et locis ipsi ditioni, ut supra, subiectis, pro huiusmodi redemptione et causis ad eam pertinentibus, perquirant, pecuniasque inde congerendas penes publicum mercatorem fide et facultatibus idoneum deponant, donec illae in redemptionem captivorum huiusmodi, arbitrio ipsorum custodum et confratrum, erogarentur: ita tamen ut de aliis ipsius archiconfraternitatis redditibus ad alios pios usus, iuxta illius laudabilia instituta destinatis, nihil omnino detrahatur.

Hortatur confratres ut redemptionis curam suscipiant.

§ 3. Itaque custodes et confratres praedictos necnon omnes utriusque sexus christifideles per redemptionis nostrae sacramentum omni cordis affectu obtestamur, ut Eius membris laborantibus et oppressis compati non negligant, qui pro omnibus pati ipse dignatus est; custodes siquidem et confratres, ut cum nostrae benedictionis gratia redemptionis captivorum causam prompto animo suscipiant, seque ad salutem animarum in infidelium potestate periclitantium ferventer exerceant, ac tam ipsi quam alii christifideles nascenti huic operi semper et ubique faveant piisque largitionibus prosequantur, centuplum in aeternis coeli tabernaculis feliciter recepturi.

Ordinarii et alii faveant confraternitati.

§ 4. Insuper universis et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, necnon rectoribus parochialium et aliarum ecclesiarum, eorum-

que vicariis et ceteris ordinis ecclesiastici personis, saecularibus et, etiam Mendicantium, regularibus, in quacumque dignitate ecclesiastica constitutis, ditionis praedictae, iniungimus ut quotiescumque pro parte custodum et confratrum praedictorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, laudabile hoc opus, per se vel alium seu alios, etiam adhibitis verbi Dei concionatoribus, in suis quisque ecclesiis, plateis et locis et ubicumque opus erit, omnibus christifidelibus publicent atque denuncient, ipsosque ad illud, omni studio et charitate, ad eleemosynas, oblationes et legata praedicta certatim conferenda, omni studio et charitate accersant, ut miseris et afflictis captivis, quorum animarum periculum imminet, copiosius succurratur.

Facultas sodalitatis condendi statuta etc.

§ 5. Ceterum, ut pium hoc opus, salubribus institutis directum, felicia in dies suscipiat incrementa, custodibus et confratribus praedictis licentiam tribuimus ut, ad faustum et incolumem statum ipsius operis rite atque ordine constituendum, quaecumque statuta, ordinationes et decreta licita et honesta sacrisque canonibus conciliique Tridentini decretis non contraria, et a nostro in Urbe in spiritualibus vicario approbanda condere; ac condita, quotiescumque opus erit, mutare et corrigere, et etiam omnino vel in parte abrogare, aliaque, ut praefertur, approbanda, de novo edere, ac cetera gerere, exequi et exercere, quae in praemissis necessaria fuerint quomodocumque et opportuna.

Clausulae praeservativae et decretum irritans.

§ 6. Decernentes praesentes ac omnia in eis contenta perpetuo inviolata consistere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid contra illas per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Hostiensi et Bononiensi ac Perusino episcopis per apostolica scripta, motu simili, mandamus ut ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte custodum ac confratrum praefatorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsas litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, semper et ubique, firmiter observari; ac custodes, confratres et collectores praedictos ceterosque omnes, quos litterae ipsae concernunt, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes quempiam ipsorum desuper molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam sæpius aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus, conciliis quoque universalibus, etiam facultatum quaestuandi revocatoriis, necnon prohibitionibus desuper factis; ac ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, piorum locorum, collegiorum et aliarum confraternitatum, necnon Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum et B. Mariae de Mercede aliorumque Ordinum

quorumcumque, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam ad imperatoris, regum, reginarum aliorumque principum instantiam, aut etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua et ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, expressam et ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 9. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel dictae archiconfraternitatis munitis, manuque eiusdem archiconfraternitatis vel alterius notarii publici subscriptis, eadem prorsus fides ubique, in iudicio et extra illud, adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo primo, quinto kalendas iunii, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 28 maii 1581, pontif. anno x.

Sequitur indultum liberandi carceratos, de quo in praecedenti rubrica.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Iulius III anno primo sui pontificatus, indultum dedit liberandi unum carceratum.

§ 10. Cum alias felicis recordationis Iulius Papa III, praedecessor noster, dilectis filiis custodibus et confratribus archiconfraternitatis Confalonis de Urbe, ut ad laudem et honorem B. Mariae semper Virginis, in eius Assumptionis festo, unum carceribus detentum, etiam si talis ultimo supplicio plectendus veniret, ad illorum electionem, annis singulis extrahere et liberare valerent indulserit.

Pius IV, anno etiam sui pontificatus I, illud confirmavit.

§ 11. Et deinde piae memoriae Pius Papa IV, etiam praedecessor noster, ut huiusmodi indultum maiorem obtineret roboris firmitatem, illud ac in eo contenta quaecumque approbaverit et confirmaverit, ac perpetuae firmitatis robur adiecerit, necnon, quatenus opus esset, custodibus et confratribus praedictis ea omnia de novo concesserit, prout in supplicationibus motu proprio eorumdem praedecessorum signatis, quorum solam signaturam ipsi Iulius et Pius praedecessores sufficere respective voluerunt, plenius continetur.

Hic Pontifex dedit auctoritatem redimendi captivos, ut in praemissa constitutione.

§ 12. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper, pro parte custodum et confratrum praedictorum, petitio continebat, licet ipsi in possessione excarcerandi et liberandi huiusmodi abinde circa fuerint et sint, ac eleemosynam, quam liberandus huiusmodi ipsi archiconfraternitati offerre et dare vellet, in eiusdem archiconfraternitatis usus convertere possint; tamen, quia nuper nos, per quasdam nostras sub plumbo ex-

peditas litteras, onus universum, quod magnum esse intelleximus, redimendi captivos curae et sollicitudini dictae archiconfraternitatis in perpetuum motu proprio imposuimus *etc.*, *ut supra*.

Modo hic idem Pontifex, pro huius operis subventione,

§ 13. Volentes ipsi custodes et confratres totoque cordis affectu exoptantes onus huiusmodi eis per nos impositum, quod libenter acceptarunt, iuxta nostram voluntatem et dictas litteras exequi, et totali executioni nunc et in omnibus redimendi dictos captivos occurrentibus necessitatibus demandare; sed cum ad id faciendum quamplurimum christifidelium eleemosynae sint necessariae, et ipsi sperent ex nunc in carceribus dictae Urbis detentis et pro tempore detinendis aliquam eleemosynam habere, et illam in redimendos captivos praefatos convertere parati sint, si in eis non solum unum sed duos carceratos, et pro quocumque crimine (praeterquam laesae maiestatis et assassinii ac propinati veneni, necnon falsificationis litterarum, supplicationum, commissionum et aliarum gratiarum apostolicarum vel monetae) in dictis carceribus existentes, et ad triremes ac etiam ultimo supplicio condemnatos, liberandi quolibet anno in perpetuum eis ac dictae eorum archiconfraternitati licentia et auctoritas per nos concedantur.

Indultum liberandi duos carceratos, recepta ab eis aliqua eleemosyna, concedit.

§ 14. Nos, custodes et confratres huiusmodi in praemissis tam sanctis et laudabilibus operibus confovere, ac eos et ipsam archiconfraternitatem amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu simili et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, praemissa in dictis supplicationibus motu proprio contenta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque nostrum et dictae Sedis firmitatis perpetuae robur adiicimus, ac ea omnia et singula, ad hoc ut ipsi custodes et confratres quolibet anno perpetuis futuris temporibus non solum unum, sed duos carceratos, et pro quocumque crimine et delicto, quantumcumque gravi et enormi (supradictis exceptis), in dictis carceribus detentos et detinendos, et ad triremes et etiam ultimo supplicio condemnatos et condemnandos, in vigilia dicti festi excarcerare, liberare et absolvere libere et licite valeant, qui eo ipso absoluti sint et esse censeantur a quibusvis aliis criminibus (praeterquam praedictis exceptis), auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, harum serie extendimus et ampliamus, ac eis et dictae archiconfraternitati similiter perpetuo concedimus, plenamque et liberam semper licentiam et facultatem impartimur.

Officiales omnes illud observent.

§ 15. Mandantes dilectis filiis dictae Urbis gubernatori, senatori, Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori et vicario aliisque iudicibus, et carcerum custodibus, nunc et pro tempore existentibus, ac eorum cuilibet, quatenus, visis praesentibus, omni mora et dilatione et excusatione postpositis, eisdem praesentibus pareant et obediant, ac illas observent et observari faciant realiter et cum effectu.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 16. Non obstantibus praemissis ac omnibus illis, quae dicti praedecessores nostri in eisdem motu proprio et supplicationibus motu proprio voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die vigesima sexta iulii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus nostri anno decimo secundo.

Dat. die 26 iulii, pontif. anno XII.

CXXXI.

De iudaeorum aut infidelium flagitiis, in quae haereticae pravitatis inquisitores animadvertere possunt [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Iudaei, qui pro eorum conversione in gremio S. R. E. recipiuntur, audent in religionem christianam multa nefanda committere.

Antiqua iudaeorum improbitas, qua divinae bonitati semper restiterunt, tanto execratior consistit in filiis, quanto ipsi, ad cumulandam patrum suorum mensuram, in Dei filio repudiando eiusque in mortem nefarie conspirando gravius deliquerunt, qui propterea suis effecti maioribus nequiores, propriis sedibus expulsi, atque in omnes dispersi orbis terrarum regiones, servitutique perpetuae mancipati, non maiorem in cuiusquam ditione clementiam, quam in christianorum provinciis, maxime vero in apostolicae pietatis gremio, invenerunt, quae, pro eorum conversione laborans, eos misericorditer excepit, atque in cohabitatione una cum filiis suis sustinuit, ad veritatisque lumen allicere pio semper studio conata est, rebusque ad vitam necessariis iuvit, iniuriis et contumeliis prohibuit, multis denique beneficentiae suae privilegiis circummunivit; illi vero nullis beneficiis mansuefacti, nihilque de suo pristino scelere remittentes, Dominum nostrum Iesum Christum in coelo triumphantem adhuc in synagogis suis et ubique persequuntur; Christi quoque membris infensissimi, non desinunt in religionem christianam horrenda facinora quotidie magis audere.

Hic ideo Pontifex decernit quod iudaeus et infidelis

§ 1. Quibus nos, ne pietatis nostrae puritas polluatur, aut a foedis mancipiis Christi christianorumve nomini impune illudatur, obviare volentes, statuimus ac etiam declaramus inquisitores haereticae pravitatis libere procedere posse in omnibus causis et casibus, qui sequuntur.

Negans qu[ae] communia h[a]bet circa fid[em] cum christian[is]

§ 2. Si quis iudaeus aut infidelis, in iis quae circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum unum et aeternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium, et invisibilium et similia, non esse asseruerit, praedicaverit vel privatim alicui insinuaverit.

Daemones [in]vocans et ill[is] immolans,

§ 3. Si daemones invocaverit, consulueritve, aut eorum responsa acceperit, ad illosve sacrificia aut preces ob divinationem aliamve causam direxerit, aut quid eis immolaverit vel thuris alteriusve rei fumigationes obtulerit, aut alia quaevis impietatis obsequia praestiterit.

Christian[os] nefaria ista d[o]cens,

§ 4. Si christianos verbo, facto vel exemplo aut alio quovis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit aut perducere attentaverit.

Blasphemias que circa Christum et eius Matrem proferens,

§ 5. Si Salvatorem et Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem vel etiam peccatorem fuisse, Matremve Dei non esse virginem et alias huiusmodi blasphemias, quae per se haereticae dici solent, in christianae fidei ignominiam, contemptum aut corruptionem impie protulerit.

Christianos fide devians

§ 6. Si, cuiusvis eorum opera, auxilio, consilio vel favore, aliquis christianus a fide desciverit, quamque semel susceperat abnegaverit, vel ad iudaeorum seu aliorum infidelium ritus, caeremonias, superstitiones vel impias sectas transierit vel redierit, seu in haeresim aliquam inciderit; aut qui, ut Christi fidem abneget seu in haeresim incidat, opem, consilium, auxilium vel favorem quomodocumque praestiterit.

Infideles fidem Christi transire impediens.

§ 7. Si quis catechumenum vel quemcumque ex iudaeis aut infidelibus, Deo inspirante, ad fidem christianam venire volentem, post declaratam nutu, verbo, facto aut quocumque alio modo eius vo-

1 Ad hoc facit Nicolai IV const. II, *Turbato*, tom. IV, pag. 88; et de materia iudaeorum notavi in Pauli IV constitutione VI, *Cum nimis*, tom. VI, pag. 498.

luntatem, a fide vel fidei instructione, aut a sacri Baptismi susceptione retrahere, avertere vel dehortari; aut ne ad fidem veniat neve regenerationis lavacro abluatur quovis modo impediverit.

Haereticos scienter receptans vel assistens.

§ 8. Si quis apostatas haereticosve scienter domi suae acceptaverit, aluerit, commeatu iuverit seu quovis modo eis cibaria ubicumque praebuerit, aut dona vel munera dederit vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit seu associaverit, vel deducendos seu associandos curaverit, aut sumptus ministraverit, duces comitesve illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi aut investigari queant, fecerit; quique dictos apostatas aut haereticos scienter aliquo modo receptaverit, occultaverit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium vel favorem quomodolibet praestiterit.

Libros prohibitos retinens.

§ 9. Si libros haereticos vel thalmudicos aut alios iudaicos quomodolibet damnatos aut alias prohibitos tenuerit, custodierit vel divulgaverit, vel in quaecumque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accommodaverit.

[illegible] despiciens aut crucem deridens etc.

§ 10. Si christianos deriserit, redemptionisque nostrae hostiam salutarem in ara crucis immolatam, Christum Dominum, ludibrio et despectui habens, quandocumque, maxime vero in sacro parasceves die, agnum sive ovem aut quid aliud cruci affixerit aut appenderit, in eamve conspuerit, seu quodcumque contra ipsam fecerit.

Nutrices christianas habens sive eas cogens lac in latrinas effundere.

§ 11. Si nutrices christianas, contra sacrorum canonum statuta diversorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum sanctiones, adhuc retinuerit; aut eas retinens, die qua sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, lac, uno vel pluribus diebus, in latrinas, cloacas vel alia loca effundere coegerit.

Ab inquisitoribus coerceantur 1.

§ 12. In quibus casibus universis et singulis, omnes praedictae pravitatis inquisitores omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum et locorum universi orbis christiani, iudices in suis quemque locis perpetuo delegamus, ut super his contra iudaeos atque infideles quoscumque, simul vel separatim, prout in causis fidei, iuxta sacrorum canonum formam necnon Officii inquisitionis huiusmodi constitutiones, diligenter inquirant et procedant, et quos in aliquo vel aliquibus horum flagitiorum excessibus culpabiles repererint, in eos pro culpae modo, ac etiam pro criminum numero vel multiplicatione, aut consuetudine delinquendi, flagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia aliaque atrociora decernant, et alias de eis exempla edant, quae sceleratos illos deterreant ab huiusmodi flagitiis in posterum admittendis.

Praeceptum publicandi hanc constitut.

§ 13. Nos enim venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus inquisitoribus generalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum praelatis, ac etiam aliis praedictis inquisitoribus, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus et mandamus ut praesentes nostras litteras in civitatibus et locis cuique subiectis publicare, et iuxta illarum tenorem procedere, ipsasque debitae executioni mandare procurent.

Decretum irritans.

§ 14. Decernentes irritum et inane quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, commeatibus, in fidem publicam receptionibus et tolerantiis, praedictis iudaeis et aliis infidelibus, maranis et apostatis, tam in dominiis, terris et locis nobis et Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectis, quam alibi ubicumque regnorum, provinciarum et dominiorum, gentium et locorum commorantibus, vel in ea ex qui-

1 Consonat Innocentii IV const. II.

busvis regnis et partibus, tam fidelium quam infidelium, confluentibus, eorumque iudicibus, advocatis et defensoribus, quacumque auctoritate, potestate et dignitate fungantur, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum et quorumvis aliorum principum, tam per felicis recordationis Paulum III, decimo kal. martii, et Iulium etiam III, nonis decembris, tertio anno sui cuiusque pontificatus, quam etiam quoscumque alios anteriores et posteriores Romanos Pontifices ac nos et Sedem Apostolicam eiusque legatos ac etiam Cameram Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et alias quomodocumque hactenus concessis, confirmatis et innovatis, atque in posterum concedendis, confirmandis et innovandis, quae omnia, etiam si de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur praesentibus, pro plene expressis habentes, harum serie, specialiter et expresse revocamus, abrogamus et omnino abolemus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi et exemplis credendi.

§ 16. Volumus autem praesentes in locis Urbis consuetis de more publicari, et earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici et sigillo sanctae Romanae et universalis Inquisitionis vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem ubique, tam in iudicio quam extra illud, adhiberi, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo primo, kalendis iunii, pontificatus nostri anno decimo.

Anno a Nativitate Domini 1581, indictione IX, die vero X mensis iunii, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Gregorii, divina providentia Papae XIII, anno X, retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas ecclesiae S. Ioannis Lateranensis, basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae ac etiam ad valvas septi Hebraeorum, per nos Petrum Aloysium Gaytam, et Nicolaum Tagliettum, apostolicos cursores.

Antonius Ludovicus, mag curs.

Dat. die 1 iulii 1581, pontif. an. X.

CXXXII.

Furnarii Urbis, pro pretio panis, in caussis discussionum, ceteris aliis creditoribus praeferantur, et omnes iudices Urbis in eorum litibus manu regia procedere possint [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Causa constitutionis.

Cum, sicut accepimus, dilecti filii pistores almae Urbis nostrae, ut plurimum, panem et furfur in eorum apothecis pro tempore existentia diversis personis dictae Urbis incolis ad credentiam, ut vocant, dare soliti sint, et pro illorum pecuniis inde recuperandis tam ab ipsis personis quam etiam defunctarum personarum huiusmodi haeredibus, lites suscipere et iudicia movere, non sine maximis eorum impensis et laboribus, cogantur; ac etiam saepe contingat ut, ipsis personis decoctis sive defunctis, eorum bonorum et haereditatum discussione facta, bona seu haereditates ipsae ad omnia eorum debita satisfacienda minime sufficiant; ipsique pistores, quamvis eorum panes inter res

1 Et, quoad praelationem in discussione seu concursu creditorum, vide Pii V constit. XXIV, *Cupientes*, tom. VII, pag. 479, et quae tibi illic indicavi.

cibarias praecipuum et magis necessarium locum obtineant, et iuxta constitutionem felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, super ordine in satisfactione creditorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium et aliorum Romanae Curiae praelatorum servando editam, in priori causa connumerari videantur, tamen saepe, tamquam vigore dictae constitutionis, in prima causa huiusmodi minime comprehendi, sed, ut posteriores eorumdem bonorum seu haereditatum creditores, eorum creditis frustrati remaneant, in maximum eorum, qui granum a Camera Apostolica per eos pro tempore acceptum, via executiva et manu regia solvere coguntur, damnum et praeiudicium. Unde quamplures ex ipsis pistoribus, eorum creditis sic frustrati et aliena fide decepti, et deterioris conditionis effecti, eorum pistoris artem deserere, ac etiam aliquando ab eadem Urbe, ne pro debitis suis exolvendis in carcerem detrudantur et in eo marcescant, recedere coguntur.

Fornarii Urbis in discussionum causis, ceteris creditoribus praeferri debeant.

§ 1. Nos igitur, pro nostri pastoralis officii debito, in praemissis opportune providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, modernis et pro tempore existentibus dictae Urbis pistoribus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, in omnibus et singulis bonorum et haereditatum quarumvis personarum, etiam cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis existentium, coram quibusvis iudicibus dictae Urbis, tam ordinariis quam delegatis et subdelegatis, pro tempore faciendis discussionibus, etsi earumdem personarum potiores et priores creditores non fuerint, in priori et potiori loco sive gradu, primaque causa in eadem constitutione contenta, nempe pro pane tantum, haberi et teneri debeant, ceterisque aliis personis, ratione tantum pecuniarum eis occasione panis debitarum, in similibus causis discussionis praeferri possint et debeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Omnesque iudices Urbis in eorum causis manu regia procedere possunt.

§ 2. Et insuper, pro minori eorumdem pistorum dispendio, in omnibus et singulis eorum causis, litibus, controversiis et differentiis, occasione panis huiusmodi de cetero movendis, illarum omnium iudices quoscumque dictae Urbis, prout etiam in litteris piae memoriae Iulii Papae III, etiam praedecessoris nostri, confirmationis statutorum ac ampliationis iurisdictionum et privilegiorum eiusdem artis, quas, quatenus opus sit, innovamus et confirmamus, cum facultate illas omnes et singulas summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, manuque regia, ac sola facti veritate inspecta, et prout in exactione pecuniarum pretii grani eisdem pistoribus ab officialibus eiusdem Camerae Apostolicae pro tempore dati, contra eosdem pistores procedi solet, audiendi, recognoscendi, decidendi fineque debito terminandi et in forma inhibendi, omnibusque aliis facultatibus necessariis et opportunis, similiter perpetuo constituimus et deputamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon dictae Urbis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis dictae Urbis iudicibus, ordinariis et extraordinariis ac delegatis, et quibusvis aliis personis et locis, etiam piis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili et consistorialiter ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam

si de illis specialis mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem quod praesentium transumptis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur, si praesentes litterae ostensae forent.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die decimo tertio novembris, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 13 nov. 1581, pontif. anno x.

CXXXIII.

Extendit litteras, quibus alias sustulit censuras et poenas, in litteris Pii V contra agitantes tauros contentas, in Hispaniarum regnis, quoad laicos et milites sacris ordinibus non initiatos, ad Portugalliae et Algarbiorum regna etc.[1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Facti series.

§ 1. Exponi nobis fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod cum nos alias excommunicationis, anathematis et interdicti aliarumque ecclesiasticarum sententiarum et censuram poenas in constitutione felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, adversus eos, qui in eorum locis spectacula, ubi taurorum aliarumque ferarum et bestiarum agitationes exercentur, fieri permitterent aut illis quomodolibet interessent, contentas, in eiusdem regis Hispaniarum regnis ad se spectantibus, ex certis causis nostrum animum moventibus, certis modo et forma sustulerimus et amoverimus, prout in nostris desuper confectis litteris in forma brevis sub datum XXV augusti MDLXXV, pontificatus nostri anno quarto, plenius continetur; ipseque Philippus rex in Portugalliae et Algarbiorum regnis huiusmodi postmodum successerit et propterea desideret litteras nostras praedictas ad eadem Portugalliae et Algarbiorum regna, in quibus eaedem causae militant, per nos extendi et ampliari, nobis humiliter supplicari fecit quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Extensio litterarum, de quibus in praesenti constitutione.

§ 2. Nos igitur, ipsius Philippi regis supplicationibus in hac parte inclinati, litteras nostras praedictas, in quibus excommunicationis, anathematis et interdicti aliarumque ecclesiasticarum sententiarum et censurarum in ipsius Pii V praedecessoris constitutione contentas poenas, in eisdem Hispaniarum regnis, quoad laicos et fratres milites tantum quarumcumque militiarum, etiam praeceptorias et beneficia ipsarum militiarum pro tempore obtinentes, dummodo dicti fratres milites sacris ordinibus initiati non essent, et agitationes taurorum festis diebus non fierent, sustulimus et amovimus, cum omnibus in eis contentis clausulis, ad Portugalliae et Algarbiorum regna huiusmodi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Derogat contrariorum.

§ 3. Non obstantibus omnibus quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis constitutionibus contrariis quibuscumque; proviso tamen per eos, ad quos spectabit, quod exinde alicuius mors, quoad fieri potest, sequi non possit.

1 Ex Regest in Secret. Brev.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo tertio decembris, millesimo quingentesimo octuagesimo primo, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 23 decemb. 1581, pontif. anno x.

CXXXIV.

Hortatio ad christifideles ad subveniendum pauperibus collegii Anglicani Rhemis, et ceteris Anglis pro fide catholica dispersis [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Omnipotens Deus, qui immensae misericordiae suae effectus sine ullo adiutore explere potest, plerumque miserorum laboribus per homines subvenit, omniumque Dominus servis pietatis officia praestantibus ampliora praemia pollicetur. Quae tanta coelestis Patris benignitas infirmitatis nostrae studia maxime accendere debet ad bene de calamitosis merendum ut et nos de tali dignatione, quam possumus, ei gratiam referamus, et oppressorum subleventur angustiae, eorum praesertim, qui propter Christum tribulationes patiuntur.

Facti narratio. § 1. Cum igitur ad collegium Anglicanum, quod Rhemis est, ex Anglia et aliis finitimis regionibus, haereticorum furore eiecti, et veluti e saevientis tempestatis turbine naufragi, a dirisque teterrimae mortis erepti cruciatibus, ad propiorem et tutiorem quasi portum quotidie plures (aliis per Galliae atque Italiae et alias christiani orbis partes dispersis) se recipiant; cumque crescente, ob grassantem in dies magis pestem, exulum numero, vitae praesidium, quod collegio praedicto a nobis comparatum est, quodque ei pro Anglorum praedictorum necessitatibus quotidie suppeditamus, minime satis sit ad tantam multitudinem sustentandam; nosque, quibus multis et diversis huiusmodi piis locis subveniendum est, et ad quos pauperes undique confugiunt, integros illi sumptus (ut expediret et certe esset in optatis) subministrare nequeamus, intimo tangimur dolore cordis, nationemque illam tanta quondam pietate insignem, Sedi Apostolicae gratissimam, ex prima pietatis tranquillitate in tam turbulentam seditionem incidisse, cruentaeque impiorum saevitiae esse obiectam, vehementer excruciamur. Quam quanto fortius in fidei fundamento et Dei gratia nitentes perferunt, militiamque Christi, cui se obligarunt, tot periculis postpositis, praesentiori tolerant animo, tanto magis paternum et misericordem nostrae in se provocant sollicitudinis affectum.

§ 2. Quare, Deum in primis humiliter precati ut illis ad calamitates tot et tantas perferendas atque etiam superandas auxilio esse dignetur, omnes christifideles, quantum possumus, in Domino hortamur et per viscera misericordiae Dei obsecramus ut, promissam a Domino nostro Iesu Christo misericordibus benedictionem, quae ipsa est misericordia, memoria repetentes, afflictorumque Anglorum miserias sibi ante oculos ponentes, ministri Dei in pietatis opere effecti, eos vel deputatos ab eisdem, praesentes litteras vel earum authentica exempla ostensuros, largis, ut quisque poterit, hac saeviente persequutione, adiuvent eleemosynis, Christumque, in afflictis et rerum omnium inopia confectis pro Christo fra- Hortatio ad christifideles ad illi subveniendum.

[1] Hic idem Pontifex iam in Urbe instituit collegium pro catholicis Anglis, ac introitus et redditus annuos perpetuos assignavit, et privilegia concessit, ut in eius constit. LXXXI, *Quoniam*, pag. 208 huius tomi.

tribus, suscipiant. Mandantes universis et singulis ecclesiarum praelatis eorumque vicariis necnon rectoribus et verbi Dei praedicatoribus ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, ut eas in suis quisque locis et ecclesiis, etiam in ipsis concionibus, populo promulgari (fraude et lucro cessantibus) faciant et permittant, unamque vel plures probatae fidei personas, non tamen quaestores, pro quaerendis, recipiendis et ipsis Anglis seu deputatis integre consignandis eleemosynis huiusmodi statuant.

Alia hortatio ad principes.

§ 3. Quin etiam carissimos in Christo filios imperatorem ceterosque orbis Christiani reges et principes rogamus ut, pro sua in Deum pietate et propensa in pauperes egenos, praesertim pro fide catholica laborantes, benignitate, facultate illis a Deo miseris subveniendi elargita, pietatis studia exerceant, eorumque, in quibus tanta, adiuvante Domino, elucet christianae religionis perseverantia, tantum viget verae pietatis exemplum, egestatem sublevent, et quibuscumque potuerint favoribus prosequantur. Scituri quicumque illis misericordiam fecerint, sese a Redemptore nostro Iesu Christo, cuius certa sunt promissa, retributionis praemium in aeterna coelestis regni beatitudine percepturos.

Fides transumptorum.

§ 4. Quia vero praesentes ad omnia loca, quibus illis opus esset, deferri nequeunt, decernimus ut illarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae eisdem originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, duodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 21 ianuarii 1582, pontif. anno x.

CXXXV.

Quomodo permittatur Ordini fratrum Sancti Antonii Viennensis pro eorum hospitalibus eleemosynas colligere [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta, dum singulis monasteriis et aliis regularibus locis cogitare impellitur, ad illa vel in primis mentis suae aciem dirigit, quae ex eorum instituto, languidorum et aliarum miserabilium personarum hospitalitati obnoxia, congruo subventionis auxilio indigere dignoscuntur.

Concilium Trident. quaestus prohibuit sed non eleemosynas colligi vetuit in c. 9 sess. 21.

§ 1. Sane, licet sacrum concilium Tridentinum, propter pravos eleemosynarum quaestorum abusus, eorum nomen atque usum penitus aboleverit, neque ipsos ad officium huiusmodi exercendum ullo modo admitti voluerit, attamen noluit ut eleemosynarum, hospitalibus, in quibus hospitalitas actu exercetur, ad eorum sustentationem a devotis christifidelibus erogari solitarum, perquisitio atque collectio ab honestis personis honestoque modo facta prohiberetur.

Hic ideo Pontifex declarat licere Ordini S. Antonii eleemosynas certo modo colligere.

§ 2. Quocirca, ne hoc praetextu monasterium ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens S. Antonii de S. Antonio, Ordinis S. Augustini, Viennensis dioecesis, illiusque hospitalia et domus per orbem christianum longe lateque dispersa, ad quae (sicut dilecti filii abbas et conventus dicti monasterii nobis nuper exponi fecerunt) miserabiles illae personae horrendo sacri ignis cruciatu correptae recursum habere, ibique recipi atque curari et sustentari solent, et in quibus hospitalitas servatur, piis christifidelium eleemosynis, sine quibus hospitalitas huiusmodi exerceri et alia onera

1 Consonat concilium Tridentinum, sess. XXI, cap. IX, et const. CXVIII Pii IV, *Ex debito*, tom. VII, pag. 379. Cetera de hoc Ordine dixi in Bonifacii VIII const. XI, *In dispositione*, tom. IV, pag. 143.

illis incumbentia supportari nequeunt, destituta remaneant, paterna caritate providere, eorumque indemnitati consulere volentes, ipsorum abbatis et conventus supplicationibus in hac parte inclinati, eisdem abbati et conventui necnon dilectis filiis praeceptoribus, administratoribus et aliis religiosis hospitalium dicti monasterii, in quibus hospitalitas actu exercetur, ut, petita et obtenta in primis ab ordinariis locorum annis singulis in scriptis licentia, quam ipsi ordinarii omnino gratis dare debeant, eleemosynas et quaecumque alia caritatis subsidia per personas honestae vitae, ad id ab ipso abbate seu aliis dictae Religionis superioribus pro tempore deputatas, pro usu eius hospitalis S. Antonii, in quo hospitalitas actu exercetur, simulque existit intra fines illius civitatis vel dioecesis in qua eleemosynae perquiruntur, aut eiusmodi est, in quo curari soleant pauperes omnes eo morbo laborantes, qui ex tota illa dioecesi adducuntur, perquirere et colligere, illaque recipere et levare libere et licite valeant, dummodo huiusmodi eleemosynae convertantur dumtaxat in usus pauperum infirmorum et ministrorum deservientium hospitalibus, quae in illa dioecesi sunt, aut in quibus curari solent pauperes illius dioecesis, in qua eleemosynae colliguntur, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus; ipsosque per dictos ordinarios seu eorum vicarios in spiritualibus generales aut officiales, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Cruciatae Sanctae, ac Neapolitanae et aliarum Redemptionis captivorum societatum deputatos vel quoscumque alios nullatenus perturbari, impediri vel inquietari, minusque sub nomine Religionis Sancti Antonii huiusmodi ab aliis quam personis, ut praefertur, deputatis eleemosynas ipsas perquiri et colligi, vel eiusdem Religionis insignia circumferri quocumque praetextu posse.

Ordinariisque huius bullae publicationem et execut. committit;

§ 3. Et nihilominus universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis eorum in spiritualibus vicariis generalibus atque officialibus, necnon abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum praelatis, in virtute sanctae obedientiae, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi omnes et singuli, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte abbatis et conventus necnon praeceptorum, administratorum, religiosorum et personarum, ut praefertur, deputatarum huiusmodi seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat aut spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; ipsosque abbatem, conventum, praeceptores, administratores, religiosos et personas, ut praefertur, deputatas illis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos vel aliquem ipsorum desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari vel impediri. Contradictores quoslibet ac rebelles, per poenas etiam pecuniarias, eorum arbitrio infligendas et applicandas, ac denique per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat;

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, ac in con-

cilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Eleemosynas colligendi formam praescribit;

§ 5. Volumus autem quod personae, ut praefertur, deputatae quaestorum nomen nullo modo gerant, sed simpliciter eleemosynarum collectores nuncupentur, et propter hanc operam, eleemosynarum huiusmodi participes non sint, atque hoc munere citra ullum dolum et cum omni modestia fungantur; quodque ad stabula pro benedictionibus super animalia faciendis accedere, eaque sigillare, et aliqua sigilla, et praeter praesentes seu earum transumpta, alia privilegia necnon instrumenta quaedam quaestorum insignia, reliquias, chartas, imagines, acus et alia his similia ad excitandas personas circumferre, indulgentias publicare, aut per se vel alium praedicare, fideles ad eleemosynas sibi erogandas minis aut imprecationibus inducere, aut tamquam debitas vel solitas, seu aliqua arte, etiam praetextu dicendi orationem Sancti Antonii, extorquere, vel super locis ullam quovis nomine conventionem etiam in utilitatem monasterii, praeceptoriarum, hospitalium et domorum huiusmodi, facere nullo modo praesumant, sed simpliciter, pie, modeste, unica dumtaxat campanella pulsata (cuius usus soli Religioni praedictae a Sede Apostolica concessus fuisse perhibetur), eleemosynas pro subventione hospitalium et domorum huiusmodi petendo, accipiant tantum quod sibi offeretur.

Eam non servantes puniri iubet;

§ 6. Ceterum, praedicti ordinarii diligenter animadvertant ut haec omnia praecise observentur, atque non solum ad delationem aliorum, sed ex suo mero officio, inquirant, si qua fraus, praesertim adversus leges eis praescriptas huiusmodi, committatur ab ipsis collectoribus; quos, si vere reos compererint, pro modo culpae, arbitrio suo puniant, eosque statim a collectione amoveant, atque alios, qui boni et idonei sint, ab eisdem superioribus suffici curent. Et quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca in quibus de illis fides facienda erit, transmittere.

Transumptis credi mandat.

§ 7. Volumus et similiter dicta auctoritate decernimus quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, ea prorsus ubique, etiam in iudicio, fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDLXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 1 februarii 1582, pontif. anno X.

CXXXVI.

Kalendarii nuper restituti, pro festivitatibus S. R. E. suo tempore celebrandis divinisque itidem officiis recitandis, approbatio, et veteris kalendarii abolitio.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas pastoralis officii nostri curas, ea postrema non est, ut quae a sacro Tridentino concilio Sedi Apostoli-

cae reservata sunt, illa ad finem optatum, Deo adiutore, perducantur.

Concilium Tridentinum remisit Pontifici curam restituendi breviarium in sess. xxv, prope fin.

§ 1. Sane eiusdem concilii patres, cum ad reliquas cogitationes breviarii quoque curam adiungerent, tempore tamen exclusi, rem totam ex ipsius concilii decreto ad auctoritatem et iudicium Romani Pontificis retulerunt.

Duo erant corrigenda hic expressa.

§ 2. Duo autem breviario praecipue continentur, quorum unum preces laudesque divinas festis profestisque diebus persolvendas complectitur, alterum pertinet ad annuos Paschae festorumque ex eo pendentium recursus, solis et lunae motu metiendos.

Primum executum est Pio V;

§ 3. Atque illud quidem felicis recordationis Pius V, praedecessor noster, absolvendum curavit atque edidit.

Secundum non fuit usque nunc executum;

§ 4. Hoc vero, quod nimirum exigit legitimam kalendarii restitutionem, iamdiu a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et saepius tentatum est; verum absolvi et ad exitum perduci ad hoc usque tempus non potuit, quod rationes emendandi kalendarii, quae a coelestium motuum peritis proponebantur, propter magnas et fere inextricabiles difficultates, quas huiusmodi emendatio semper habuit, neque perennes erant, neque antiquos ecclesiasticos ritus incolumes (quod in primis hac in re curandum erat) servabant.

Hic igitur Pontifex peritiorum virorum proponit emendationem kalendarii;

§ 5. Dum itaque nos quoque, credita nobis, licet indignis, a Deo dispensatione freti, in hac cogitatione curaque versaremur, allatus est nobis liber a dilecto filio Antonio Lilio, artium et medicinae doctore, quem quondam Aloysius eius germanus frater conscripserat, in quo per novum quemdam epactarum cyclum ab eo excogitatum, et ad certam ipsius aurei numeri normam directum, atque ad quamcumque anni solaris magnitudinem accommodatum, omnia quae in kalendario collapsa sunt, constanti ratione et saeculis omnibus duratura, sic restitui posse ostendit ut kalendarium ipsum nulli umquam mutationi in posterum expositum esse videatur. Novam hanc restituendi kalendarii rationem, exiguo volumine comprehensam, ad christianos principes celebrioresque universitates paucos ante annos misimus, ut res quae omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficeretur; illi cum, quod maxime optabamus, concordes respondissent, eorum nos omnium consensione adducti, viros ad kalendarii emendationem adhibuimus in alma Urbe harum rerum peritissimos, quos longe ante ex primariis christiani orbis nationibus delegeramus. Ii cum multum temporis et diligentiae ad eam lucubrationem adhibuissent, et cyclos tam veterum quam recentiorum undique conquisitos ac diligentissime perpensos inter se contulissent, suo et doctorum hominum, qui de ea re scripserunt, iudicio, hunc, prae ceteris, elegerunt epactarum cyclum, cui nonnulla etiam adiecerunt, quae ex accurata circumspectione visa sunt ad kalendarii perfectionem maxime pertinere.

Cognovitque tria hic expressa necessaria fore;

§ 6. Considerantes igitur nos, ad rectam paschalis festi celebrationem iuxta sanctorum Patrum ac veterum Romanorum Pontificum, praesertim Pii et Victoris primorum, necnon magni illius oecumenici concilii Nicaeni et aliorum sanctiones, tria necessaria coniungenda et statuenda esse: primum, certam verni aequinoctii sedem; deinde rectam positionem XIV lunae primi mensis, quae vel in ipsum aequinoctii diem incidit, vel ei proxime succedit; postremo primum quemque diem dominicum, qui eamdem XIV lunam sequitur; curavimus non solum aequinoctium vernum in pristinam sedem, a qua iam a concilio Nicaeno decem circiter diebus recessit, restituendum, et XIV paschalem suo in loco, a quo quatuor

et eo amplius dies hoc tempore distat, reponendam, sed viam quoque tradendam et rationem, qua cavetur, ut in posterum aequinoctium et XIV luna a propriis sedibus nunquam dimoveantur.

Primo igitur loco reponit vernum aequinoctium in sede sua ad diem XXI martii.

§ 7. Quo igitur vernum aequinoctium, quod a patribus concilii Nicaeni ad XII kalendas aprilis fuit constitutum, ad eamdem sedem restituatur, praecipimus et mandamus ut de mense octobris anni MDLXXXII decem dies inclusive a tertia nonarum usque ad pridie idus eximantur, et dies, qui festum S. Francisci IV nonas celebrari solitum sequitur, dicatur idus octobris, atque in eo celebretur festum Ss. Dionysii, Rustici et Eleutherii martyrum, cum commemoratione S. Marci Papae et confessoris, et Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apulei martyrum; septimodecimo vero kalendas novembris, qui dies proxime sequitur, celebretur festum S. Callisti Papae et martyris; deinde XVI kalendas novembris fiat officium et missa de dominica XVIII post Pentecostem, mutata littera dominicali G in C; quintodecimo denique kalendas novembris dies festus agatur S. Lucae evangelistae, a quo reliqui deinceps agantur festi dies, prout sunt in kalendario descripti.

Iudices subtractionis dierum rationem habere iubet;

§ 8. Ne vero ex hac nostra decem dierum subtractione, alicui, quod ad annuas vel menstruas praestationes pertinet, praeiudicium fiat, partes iudicum erunt in controversis, quae super hoc exortae fuerint, dictae subtractionis rationem habere, addendo alios X dies in fine cuiuslibet praestationis.

Et ne inde aequinoctium recedat, ordinem hic servandum proponit;

§ 9. Deinde, ne in posterum a XII kalendas aprilis aequinoctium recedat, statuimus bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, praeterquam in centesimis annis; qui, quamvis bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse volumus annum MDC, post eum tamen qui deinceps consequentur centesimi non omnes bissextiles sint, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine bissexto transigantur, quartus vero quisque centesimus bissextilis sit, ita ut annus MDCC, MDCCC, MDCCCC bissextiles non sint. Anno vero MM, more consueto dies bissextus intercaletur, februario dies XXIX continente, idemque ordo intermittendi intercalandique bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservetur.

Cyclumque epactarum substituit in kalendario, loco aurei numeri,

§ 10. Quo item XIV paschalis recte inveniatur, itemque dies lunae, iuxta antiquum Ecclesiae morem ex Martyrologio singulis diebus ediscendi, fideli populo vere proponantur, statuimus ut, amoto aureo numero de kalendario, in eius locum substituatur cyclus epactarum; qui ad certam (uti diximus) aurei numeri normam directus, efficit ut novilunium et XIV paschalis vera loca semper retineant. Idque manifeste apparet ex nostri explicatione kalendarii, in quo descriptae sunt etiam tabulae paschales secundum priscum Ecclesiae ritum, quo certius et facilius sacrosanctum Pascha inveniri possit.

Et cyclum solarem antiquum ad novam et quamcumque intercalandi rationem accommodatum;

§ 11. Postremo, quoniam partim ob decem dies de mense octobris anni MDLXXXII (qui correctionis annus recte dici debet) exemptos, partim ob ternos etiam dies quolibet quadringentorum annorum spatio minime intercalandos, interrumpatur necesse est cyclus litterarum dominicalium XXVIII annorum ad hanc usque diem usitatus in Ecclesia Romana, volumus in eius locum substitui eumdem cyclum XXVI annorum, ab eodem Lilio, tum ad dictam intercalandi bissexti in centesimis annis rationem, tum ad quamcumque anni solaris magnitudinem, accommodatum; ex quo littera dominicalis beneficio cycli solaris, aeque facile ac

prius, ut in proprio canone explicatur, reperiri possit in perpetuum.

Kalendarium ac restitutum approbat;

§ 12. Nos igitur, ut quod proprium Pontificis Maximi esse solet exequamur, kalendarium immensa Dei erga Ecclesiam suam benignitate iam correctum atque absolutum hoc nostro decreto probamus, et Romae una cum martyrologio imprimi, impressumque divulgari iussimus.

Illudque imprimi prohibet sine licentia Pontificis 1;

§ 13. Ut vero utrumque ubique terrarum incorruptum ac mendis et erroribus purgatum servetur, omnibus in nostro et S. R. E. dominio mediate vel immediate subiecto commorantibus impressoribus, sub amissionis librorum ac centum ducatorum auri Camerae Apostolicae ipso facto applicandorum; aliis vero, in quacumque orbis parte consistentibus, sub excommunicationis latae sententiae ac aliis arbitrii nostri poenis, ne sine nostra licentia kalendarium aut martyrologium, simul vel separatim, imprimere vel proponere, aut recipere ullo modo audeant vel praesumant, prohibemus.

Eodem quoque omnes uti praecipit post diem 1 octobris [illegible] respective;

§ 14. Tollimus autem et abolemus omnino vetus kalendarium, volumusque ut omnes patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi, abbates et ceteri ecclesiarum praesides novum kalendarium (ad quod etiam accommodata est ratio martyrologii), pro divinis officiis recitandis et festis celebrandis, in suas quisque ecclesias, monasteria, conventus, ordines, militias et dioeceses introducant, et eo solo utantur, tam ipsi quam ceteri omnes presbyteri et clerici saeculares et regulares utriusque sexus, necnon milites et omnes christifideles, cuius usus incipiet post decem illos dies ex mense octobri anni MDLXXXII exemptos. Iis vero, qui adeo longinquas incolunt regiones, ut ante praescriptum a nobis tempus harum litterarum notitiam habere non possint, liceat, eodem tamen octobri mense insequentis anni MDLXXXIII vel alterius, cum primum scilicet ad eos hae nostrae litterae pervenerint, modo a nobis paulo ante tradito, eiusmodi mutationem facere, ut copiosius in nostro kalendario anni correctionis explicabitur.

Hortaturque imperatorem et principes, ut kalendarium sic emendatum recipiant atque servari faciant.

§ 15. Pro data autem nobis a Domino auctoritate hortamur et rogamus carissimum in Christo filium nostrum Rodulphum Romanorum regem illustrem, in imperatorem electum, ceterosque reges, principes ac respublicas, iisdemque mandamus ut quo studio illi a nobis contenderunt, ut hoc tam praeclarum opus perficeremus, eodem, immo etiam maiore, ad conservandam in celebrandis festivitatibus inter christianas nationes concordiam, nostrum hoc kalendarium et ipsi suscipiant, et a cunctis sibi subiectis populis religiose suscipiendum inviolateque observandum curent.

Forma publicandi hanc constitutionem.

§ 16. Verum, quia difficile foret praesentes litteras ad universa christiani orbis loca deferri, illas ad basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae valvas, et in acie Campi Florae publicari et affigi; et earumdem litterarum exemplis, etiam impressis, et voluminibus kalendarii et martyrologii insertis et praepositis, sive manu tabellionis publici subscriptis, necnon sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eamdem prorsus indubitatam fidem ubique gentium et locorum haberi praecipimus, quae originalibus litteris exhibitis omnino haberetur.

Sanctio poenalis.

§ 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum praeceptorum, mandatorum, statutorum, voluntatis, probationis, prohibitionis, sublationis, abolitionis, hortationis et rogationis infringere, vel ei auso temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpse-

1 Haec prohibitio fuit postea revocata.

rit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Tusculi, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, sexto kalendas martii, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 24 feb. 1582, pont. anno X.

Sequitur declaratio super observatione kalendarii nuper editi, pro illis, qui de mense octobris MDLXXXII *illud servare non coeperunt.*

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Cupientes, pro pastoralis officii nobis divinitus iniuncti sollicitudine, kalendarium, nuper cura et iussu nostro correctum atque editum, ubique locorum ab omnibus qui illud, propter diversa impedimenta, statuto die mensis octobris proxime praeteriti observare non coeperunt, quamprimum in usum recipi, et, prout maxime expediens est, diligenter et exacte servari. Idcirco, ne subsequens mensis octobris, quod quidem nimis longum esset, expectetur, volentes, vigilantiae nostrae providentia, opportuna remedia hisce difficultatibus celeriter adhibere.

Declaratio super observatione kalendarii pro iis, qui de mense octobris MDLXXXII observare non coeperunt. § 1. Motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura sanctione statuimus, praecipimus et mandamus ut quicumque, in quibusvis regnis, provinciis, civitatibus et locis constituti, kalendarium emendatum praedictum hactenus nondum observare coeperunt, illud modo et formula infrascripta, semotis cunctis excusationibus et impedimentis, omnino servent, videlicet: cum perventum fuerit ad diem decimam februarii anni millesimi quingentesimi octuagesimi tertii, in quam cadit dominica quinquagesimae secundum antiquum kalendarium, transitus statim fiat ad diem XXI eiusdem mensis februarii, omissis decem diebus inter diem decimam et diem XXI februarii huiusmodi interpositis, quae erit feria secunda post dominicam quinquagesimae (mutata littera dominicali F in B), in qua dicatur officium et missa de S. Valentino presbytero et martyre, cum commemoratione Ss. Faustini et Iovitae martyrum et Sancti Simeonis episcopi et martyris; et feria tertia, de Cathedra; proxima autem feria quarta erit dies Cinerum; atque hoc pacto nulla amplius erit discrepantia in festorum tam mobilium quam fixorum celebratione.

§ 2. Verum, quia difficile foret praesentes litteras ad universa christiani orbis loca deferri, volumus quod illarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus indubitata fides ubivis gentium et locorum habeatur, quae originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die septima novembris MDLXXXII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 7 nov. 1582, pontif. anno XI.

CXXXVII.

Qui presbyteri Religionis et Societatis Iesu litteras sacrae Poenitentiariae Apostolicae aperire possint [1].

Gregorius Papa XIII
dilecto filio Claudio Aquavivae,
praep. gen. Societatis Iesu.

Exponi nobis nuper fecisti quod alias quondam Alexander Frumentus, tunc officii Sacrae Poenitentiariae regens, dile- Causae huius concessionis.

1 Plura de hac Societate notavi in Pauli III constitutione XXXIII, *Regimini*, tom. VI, pag. 303.

ctis filiis presbyteris Societatis Iesu, cui præesse dignosceris, etiamsi nullis magisteriis in sacra theologia et doctoratus in iure canonico gradibus insigniti essent, alias tamen idoneis et approbatis ipsius Societatis confessariis, ut quascumque obsignatas, etiam magistris in theologia vel iure canonico doctoribus directas, in foro conscientiae, eiusdem Sacrae Poenitentiariae litteras aperire, et absolutionis beneficium iuxta illarum dispositionem impendere possent et valerent, verbotenus concessit, eaque facultate ipsi presbyteri hactenus usi sunt. Cum itaque ipsius Societatis religiosi ad huiusmodi gradus, nisi pro necessitate scholarum suarum, promoveri non soleant, poenitentes etiam ad ipsos presbyteros cum suis litteris absolutionis in dies recurrant et importune obsecrent, opportune etiam eos iuvari convenit.

Concessio quod aliqui presbyteri Societatis aperiant litteras Sacrae Poenitentiariae.

§ 1. Nos idcirco, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, presbyteris Societatis huiusmodi, per te vel tibi subordinatos illius superiores de tua licentia desigmandis, et ab ordinariis locorum approbatis vel approbandis, etiamsi magisterii vel doctoratus aut aliis gradibus insigniti non sint, litteras huiusmodi aperiendi, confessionibusque fidelium ad ipsos recurrentium auditis, et imposita salutari in illis expressa vel de iure infligenda poenitentia, absolvendi, ac in foro conscientiae quascumque sibi verbo vel scriptis commissas absolutiones, dispensationes et poenitentiarum iniunctiones excipiendi et exequendi, licentiam et facultatem, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo tuo seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDLXXXII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 3 aprilis 1582, pontif. anno x.

CXXXVIII.

De auctoritate praepositi generalis clericorum regularium Societatis Iesu, circa contractus censuum alienationumque et aliorum [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolicae Sedis circumspecta benignitas, in quarumvis Religionum, praesertim earum quae gregi dominico invigilant, ac praedicationibus et lectionibus cum humanis tum sacris insistunt, commodis et utilitatibus consequendis, providentiae suae auctoritatem interponit, et quanto potest favore prosequitur.

Omnis facultas celebrandi contractus residet in praeposito generali ex constitutionibus Societatis, ac etiam ex constitutionibus apostolicis.

§ 1. Sane dilectus filius Everardus Mercurianus praepositus generalis Societatis Iesu nobis nuper exponi fecit quod, cum litteris tam felicis recordationis Pauli tertii quam piae memoriae Iulii etiam tertii, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, in favorem dictae Societatis emanatis, et per dictorum Pontificum successores et nos respective confirmatis, ac eiusdem Societatis constitutionibus, omnimoda collegiorum illius ac etiam temporalium bonorum, ad ipsa collegia spectantium gubernatio ad pro tempore existentem praepositum generalem vel ipsam Societatem, ita tamen quod in ipsius praepositi aut professae Societatis vel alios quam ipsorum

1 Cetera de hac Societate notata habes ad Pauli III const. XXXIII, *Regimini*, tom. VI, pag. 303.

collegiorum usus bona huiusmodi expendi aut distrahi non possint, sed in studentium utilitatem sic converti, ut illi dictis bonis abuti non valeant, spectare et pertinere dignoscatur. Indeque fiat ut collegia ipsa capitulariter nullo modo congregentur, sed omnis facultas celebrandi contractus, prout per easdem constitutiones, ac etiam primam ipsius Societatis generaliter habitam congregationem stabilitum et declaratum fuit, penes eumdem praepositum pro tempore existentem resideat.

Societas privilegiis Ordinum Mendicantium gaudet.

§ 2. Cumque etiam dicta Societas, quae Ordo Mendicans existit, aliorum Ordinum Mendicantium, super contractibus ineundis, a Sede Apostolica concessis privilegiis gaudeat.

Hic Pontifex dem concessit in alia bulla, quam hic non posui, contentus ista pleniore.

§ 3. Nosque eisdem Everardo praeposito et Societati ut, intervenientibus illis dumtaxat, qui, more Societatis praedictae et secundum eius constitutiones et statuta, regimen et administrationem domorum et collegiorum iuvare et promovere solent, servato in eiusmodi congregationibus peculiari ac proprio dictae Societatis procedendi modo, privilegiis illis utendi, necnon contractus ineundi licentiam et facultatem concesserimus, prout in singulis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur.

Idem modo Pontifex, ut connis hic relatis.

§ 4. Tamen, quia nec modus ille quis sit, nec omnes per quos praepositus generalis facultatem huiusmodi alioqui exercere potest, in dictis nostris litteris satis expressi fuere, ac etiam quia eidem Societati privilegiis et litteris apostolicis huiusmodi, tum quod variis litteris et munimentis concessa sunt, uti, et illa ad singulos contractus ineundos afferre dispendiosum molestumque existit, tum quod in nonnullis regionibus emphyteuses ad tres vitas concedi solent, nec particulares homines illas ad brevius tempus accipere facile adducuntur; et propterea, ac etiam ex eo quod nonnunquam, pro collegiorum ipsorum necnon domorum probationis vel aliorum locorum eiusdem Societatis necessitate, bona huiusmodi locare, alienare, permutare vel in emphyteusim seu livellum dare expedit, ac quandoque contingit ut conditio semel oblata, si praetermittatur, non parvam afferat iacturam, pro parte dicti Everardi praepositi nobis fuit humiliter supplicatum ut praemissa omnia plenius declarare et alias in eisdem opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultatem alienandi atque aliis modis contraendi dicto praeposito concedit.

§ 5. Nos igitur, qui operarios in vinea Domini, praesertim pondus diei et aestus sustinentes, sincero prosequimur affectu, nostrarum ac eorumdem praedecessorum nostrorum litterarum, necnon Societatis praedictae constitutionum aliorumque praemissorum tenores praesentibus pro expressis habentes, et eumdem praepositum ac dictae Societatis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Societati ac generali praeposito moderno et pro tempore existenti, ut ex nunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, informatione de contractibus ineundis per litteras vel alias, prout ipse generalis statuerit, a subordinatis localibus praepositis vel rectoribus aut praefectis seu eorum vicegerentibus vel a provincialibus seu visitatoribus aut commissariis vel ab aliis sibi bene visis, auditis iuxta eorum institutum consultoribus, accepta, quaecumque domorum, tum

professarum tum probationis, collegiorum et aliorum locorum eiusdem Societatis ubilibet consistentium bona stabilia et immobilia seu quasi stabilia, necnon et pretiosa mobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis ac valoris, et in quocumque loco posita, pro pretio et sub pactis, conditionibus, modis et formis hinc inde conveniendis, in evidentem tamen domorum et collegiorum huiusmodi utilitatem, per se vel alium seu alios vendere, alienare, permutare, ac etiam in emphyteusim seu livellum ad tres generationes vel nominationes tantum seu aliud longum tempus, pro affictu sibi bene viso, concedere, absque alia a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus aut Sede praedicta vel illius de latere legatis seu nunciis aut etiam locorum ordinariis petenda vel obtinenda licentia seu confirmatione, libere et licite possit et valeat, concedimus et indulgemus. Ita tamen quod, si ex eiusdem generalis praepositi facultate, pro rerum exigentia, opus sit, in Europae videlicet provinciis, ante datam eidem praeposito informationem, contractus alienationum fieri, dominium nihilominus et possessio bonorum quorumvis, super quibus contractus huiusmodi initi fuerint, penes domos, collegia ac loca praedicta, donec ipse generalis rem confirmaverit, aut suum consensum desuper praestiterit, remaneat ac remanere intelligatur; in Indiis vero et aliis extra Europam regionibus, contractuum huiusmodi confirmatio ipsis provincialibus aut viceprovincialibus, visitatoribus seu commissariis, simili per eos informatione accepta, committi possit ab ipso generali praeposito; alias, et in eventum in quem ordo suprascriptus non fuerit observatus, venditio, alienatio, permutatio, locatio et concessio ac contractus, necnon inde sequuta quaecumque, nulla et invalida nulliusque roboris ac momenti existant. Ac ita in praemissis sic perpetuo declaramus et decernimus.

Contractus ab eo initos et ineundos approbat, servatis hic expressis;

§ 6. Et nihilominus ex nunc, prout ex tunc et e contra, postquam venditiones, alienationes, permutationes, locationes, concessiones ac contractus pro tempore, ut praemittitur, facti, et per dictum praepositum generalem approbati et ratificati fuerint, seu consensus eiusdem praepositi generalis intervenerit, easdem venditiones, alienationes, permutationes, locationes, concessiones et contractus et inde sequuta quaecumque, necnon instrumenta et scripturas desuper pro tempore confecta, apostolica auctoritate approbamus et confirmamus ac perpetuae firmitatis robur obtinere debere statuimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, siqui forsan intervenerint quomodolibet in eisdem, supplemus, decernentes ea omnia, absque alio desuper ordinaria vel apostolica aut alia auctoritate seu de Sedis Apostolicae commissione faciendo examine, ac praesentes et in eis contenta validas et efficaces validaque et efficacia perpetuo fore, necnon ab omnibus observari debere, ipsosque contrahentes ad contractuum et stipulatarum conventionum observationem omnino teneri, ac super praemissis et inde sequutis quibuscumque per quoscumque, quavis auctoritate, quomodolibet molestari vel impediri non posse. Necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat;

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis eorum in spiritualibus vicariis aut officialibus generalibus, Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, necnon abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, canonicis et capitulis ac aliis, ad quos id quo-

modolibet spectat et in futurum spectabit, per easdem praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte generalis praepositi vel aliarum personarum eiusdem Societatis aut alicuius eorum super his fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem praesentes et in eis contenta quaecumque ab omnibus, quos illa concernunt, integre et inviolabiliter observari. Non permittentes eos aut eorum aliquem desuper contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat;

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii VIII de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et piae memoriae Symmachi ac Pauli II, praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, vel alienatis recuperandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi mandat.

§ 9. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu etiam ipsius praepositi Societatis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima octava decembris MDLXXVI, pontificatus nostri anno V.

Sequitur ampliatio dictae auctoritatis alienandi.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii ad ea libenter intendimus, per quae religiosorum locorum ac personarum in eis degentium utilitates et commoda valeant procurari.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilecti filii Claudii Aquavivae prae-

Auctoritas praepositi in conferendis contractibus refertur.

positi generalis Societatis Iesu petitio continebat quod, postquam alias per diversas litteras apostolicas diversorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et dictae Societatis constitutiones et decreta, illius praeposito generali pro tempore existenti vel ipsi Societati omnimoda collegiorum et domorum probationum bonorumque ad illa spectantium gubernatio, absque alia personarum in eis degentium capitulari congregatione facienda, etiam cum facultate quosvis contractus emptionum, venditionum aliarumque huiusmodi alienationum, necnon obligationum et cessionum quarumlibet rerum temporalium, mobilium et immobilium, etiam in beneficialibus ac spiritualibus aliisque quibuscumque, etiam praeiudicialibus, necnon instrumenta quaecumque, tam per se quam per alios celebrandi, ac insuper Mendicantium necnon, per nostras litteras, aliorum Ordinum et piorum locorum privilegiis omnibus utendi, et alias sub certis modo et forma inibi expressis concessa fuisset.

Dubia desuper orta itidem recensentur.

§ 2. Denique, cum usus privilegiorum huiusmodi dictae Societati parum prodesset, eo quod contrahentes renuerent, neque adducerentur ad contrahendum solo privilegio communicationis, essetque frequentissimum et maxime necessarium ipsi Societati, in his suis quasi primordiis, pro collegiorum et domorum illius fundationibus et ampliationibus, domos, agros et bona alia commutare et vendere, ac super his census imponere; his aliisque de causis:

Continentia bullae hic praeinsertae refertur.

§ 3. Nos eidem Societati illiusque praeposito generali pro tempore existenti quod, informatione de contractibus ineundis, per litteras vel alias, prout ipse praepositus generalis statuerit, a subordinatis localibus praepositis vel rectoribus aut praefectis seu eorum vicegerentibus vel a provincialibus seu visitatoribus aut commissariis vel ab aliis sibi benevisis, auditis iuxta eorum institutum consultoribus, accepta, quaecumque domorum, tum professarum tum probationis, collegiorum et aliorum locorum eiusdem Societatis ubilibet consistentium bona stabilia, necnon etiam pretiosa mobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis ac valoris, et in quovis loco posita, pro pretio et sub pactis, conditionibus, modis et formis hinc inde conveniendis, in evidentem tamen domorum et collegiorum huiusmodi utilitatem, per se vel alium seu alios, vendere, alienare, permutare, in emphyteusim seu livellum ad tres generationes vel nominationes tantum, pro affictu sibi beneviso, dare licite valerent, etiam absque alia Sedis Apostolicae vel locorum ordinariorum licentia seu confirmatione desuper obtinenda, ita quod venditiones, alienationes, permutationes, locationes, concessiones, contractus, instrumenta et inde sequuta quaecumque, postquam ab ipso praeposito generali ratificata fuissent, seu illius consensus intervenisset, eo ipso apostolica auctoritate, nullo alio desuper habendo examine vel commissione, approbata et confirmata essent, indulsimus, prout in singulis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur.

Alia dubia sunt postea exorta.

§ 4. Cum autem, sicut eadem subiungebat petitio, ea quae de novo emergunt, novo indigeant auxilio, ipsique contrahentes, praesertim in Curia, varias quotidie requirant cautelas, sine quibus existimant sibi non fore satis cautum, inter quas ea potissima est quod in indulto huiusmodi non fuerit expressum quod etiam census redimibiles super eisdem bonis possent vendi, quae tamen species est, eaque minima, venditionis, et idcirco ab aliquot iam annis frequens fuit ut census redimibiles alias iuxta formam

privilegii huiusmodi venderentur et imponerentur. Quare pro parte dicti Claudii nobis fuit humiliter supplicatum quatenus sibi dictaeque Societati in praemissis consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Datur itaque dicto praeposito amplior facultas.

§ 5. Nos igitur, eumdem Claudium et singulares ipsius Societatis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac praedictarum litterarum et constitutionum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Claudio et pro tempore existenti praeposito generali dictae Societatis vel ipsi Societati, dum ea scilicet erit generaliter congregata, ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, per se vel alios, ut, informatione, sicut praemittitur, vel si utrilibet visum erit, extraiudicialiter ac summarie et simpliciter accepta, vel etiam ea omnino omissa, bona domorum, collegiorum et locorum huiusmodi stabilia et etiam mobilia pretiosa, praesentia et futura, pro illorum utilitate seu necessitate, quibuscumque personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, cuiuscumque gradus, ordinis et dignitatis existentibus, etiam collegiis, communitatibus et universitatibus, ad eam rationem quae facilius inveniri poterit, et pro pretio reperibili vendere, alienare, permutare, in emphyteusim seu livellum ad tres generationes vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis seu investiturae receptione, ac repraesentata pecunia, sine tamen illorum reditus diminutione, necnon generaliter et specialiter obligare et hypothecare, super illis census quoscumque redimibiles imponere et vendere, necnon de bonis eisdem compromittere, et quomodolibet super illis transigere, illisque simpliciter, vel liti desuper habitae ac actioni, etiam in non possessorem, cedere, et reum citare, utilitatemque venditionum et aliorum huiusmodi vel etiam necessitatem aut aliam causam, propter quam fiunt, simpliciter et absque figura iudicii, cognoscere, iudicare, definire et penitus terminare libere et licite valeat, et alias iuxta dictarum litterarum tenorem, harum serie, apostolica auctoritate concedimus. Et ad hoc, si opus sit, licentias et facultates omnes praedictas extendimus et ampliamus. Ipsosque contrahentes, habita sola praepositi generalis vel congregatae Societatis per litteras patentes, more ipsius Societatis vel alias, confirmatione aut consensu, solo contractu securos existere, nec ad venditionum, commutationum et aliarum huiusmodi alienationum utilitatis seu necessitatis, aut in aequivalentia vel meliora bona pretii conversionis vel aliam demonstrationem teneri. Necnon contractus quoscumque super his hactenus initos perpetuo valere, partesque ipsas ad illorum observationem omnino obligari, et tam ipsos hactenus initos contractus, quam in futurum ineundos, quibus ipsius generalis praepositi nunc et pro tempore existentis vel etiam congregatae Societatis consensus seu confirmatio accesserit, alia Sedis Apostolicae confirmatione et approbatione non indigere.

Clausula sublata etc.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon quicquid secus super his a quoquam, quavis

auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executorum deputatio. § 7. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Toletanensi et Trevirensi ac Rigensi archiepiscopis per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Claudii vel pro tempore existentis praepositi generalis aut Societatis huiusmodi vel alicuius eorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos litterae ipsae concernunt, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel aliquem eorum desuper contra praesentium tenorem per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum. § 8. Non obstantibus felicis recordationis Symmachi et Pauli aliorumque Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, de rebus ecclesiae non alienandis, seu alienatis recuperandis, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus; necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam motu proprio et consistorialiter, ac de apostolicae potestatis plenitudine concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac dictis litteris, si in aliquo obstent, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

§ 9. Ceterum, quia difficile foret easdem praesentes ad singula quaeque loca, ubi necessarium fuerit, deferre, volumus quod illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam ipsius Societatis praepositi generalis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio et extra, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo *etc.* Fides transumptorum.

Datum Romae, apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, nonis augusti, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 augusti 1582, pontif. anno XI.

CXXXIX.

Quod personae Societatis Iesu a quocumque antistite, etiam extra tempora, de licentia suorum praelatorum, ad sacros ordines promoveri, et ad quoscumque alios regulares Ordines transire possint, habita licentia praepositi generalis [1].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Pium et utile Societatis Iesu institu- Exordium.

1 Quamplura de hac Societate indicavi in Pauli III constitutione XXXIII, tom. VI, pag. 303, qui illam primo approbavit, et in alia eiusdem constitutione LXV, *Licet*, ibid., pag. 394.

tum non patitur certa quaedam ab iis, qui sub eius vexillo et disciplina salutari militant, obiri, quae in sacris ineundis generaliter praescribuntur.

Paulus III concessit sociis ut, cum praepositi licentia, a quolibet antistite promoverentur ad sacros ordines.

§ 1. Quocirca, cum dictae Societatis ac disciplinae alumni nulli ecclesiae nullive loco certo mancipati sint, ut ibi permaneant, sed veluti viatores omni tempore parati expectantesque diem et horam qua vel ad extremas orbis regiones, cum venit usus, emittantur, ubi quisque, pro captu suo et iuxta datam sibi a Domino sapientiam, sese in vinea Domini excolenda exerceat; eiusque rei causa, felicis recordationis Paulus Papa III praeposito eiusdem Societatis concesserit ut idoneos et comprobatos ab ipsa Societate, quibuscumque mallet, catholicis antistitibus, et gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, praesentare posset, qui illos sic praesentatos, absque ulla promissione vel obligatione, ad ordines huiusmodi promoverent.

Nonnulli tamen ordinarii, concilii Trid., sessione XXIII, c. VIII, cum observantiam requirerent,

§ 2. Nonnulli tamen antistites, post concilii Tridentini decreta, eos sic praesentatos, prius in cuiusque tam minorum quam sacrorum ordinum huiusmodi praescripto munere exercitatos, temporumque determinatorum post susceptos praescriptum finem, antequam ad superiores ordines ascendant, omnino expectandum, eosque in eorumdem ordinum functionibus chorique officiis plene instructos, et denique super eorumdem vita, moribus, aetate et natalibus, ad parochi inquisitionem aut alias, testimonium et certa alia requisita habenda esse contendunt, quamvis nonnisi ad eosdem ordines suscipiendos numeris alioqui omnibus idonei dimittantur.

Hic ideo Pontifex dictam facultatem reintegrat et ampliat.

§ 3. Nos, his incommodis, quantum in nobis est, occurrere volentes, omnibus episcopis et aliis antistitibus, praesentibus et futuris, in perpetuum praecipimus atque interdicimus ne ab huiusmodi promovendis, qui licentiam a praeposito generali dictae Societatis pro tempore existenté vel ab eo delegatis habuerint, quidquam praedictorum requirant vel exigant, sed ipsos, etiam absque ulla functione in ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis et caeremoniis ecclesiasticis idoneitate, proprii ordinarii licentia et aliis in aliis requisitis, ad minores, ac etiam extra tempora a iure statuta, tribusque dominicis vel aliis festis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam presbyteratus, ordines promoveant, ac si illi omnibus requisitis praediti essent. Nos enim illis ordines omnes praedictos sic suscipiendi, ac praedictis antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentis autem gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. Ceterum, quia difficile esset praesentes quocumque illis opus erit deferre,

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus ut earumdem praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu etiam dicti praepositi munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra illud, adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDLXXXII, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 22 sept. 1582, pontif. anno XI.

Sequitur facultas transeundi ad alios Ordines regulares.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Paulus III iussit egredientes a Societate

Cum alias felicis recordationis Paulus Papa III Societati Iesu, inter alia, con-

...sium ad Carthusiens. transire posse, ut in eius const. LXV cit. in ... ad praemissum ... cesserit ut eorum nemo, sive professus sive scholaris sive coadiutor, ex dicta Societate egrediens, ad alium quam ad Carthusiensium Ordinem nisi de expressa Romani Pontificis vel praepositi generalis dictae Societatis licentia, se conferret.

Pius IV, eius constitutione ... § 1. Itemque Pius Papa IV voluerit, ut ne quis praedictorum ab eadem Societate, praetextu cuiusvis indulti, vel quaesito colore melioris vitae vel strictioris observantiae, etiam ad Mendicantium vel Cisterciensium seu Sancti Benedicti aut aliorum monachorum Ordinem (Carthusiensi excepto) transire possit, dubitare contingit an praepositus pro tempore existens valeat etiam professos, ex causis id exigentibus, ab ipsa Societate emittere, aut eis sic emissis liberum sit de eius licentia se ad quemvis alium Mendicantium vel non Mendicantium Ordinem transferre.

Hic modo ... ad ... Ordinem transire posse declarat, licentia habita a praeposito. § 2. Nos, re perpensa atque diligenter examinata, Societatis ipsius puritati atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes, statuimus ut deinceps in perpetuum liceat dicto praeposito, quos iudicaverit, ab ipsa Societate emittere; eosque, de ipsius praepositi licentia, non tantum ad Carthusiensium, sed ad quemvis alium Mendicantium vel non Mendicantium, paris, laxioris aut arctioris observantiae, Ordinem, per ipsum praepositum illis praescribendum, de consensu tamen superiorum loci illius, quo destinabuntur, demigrare; in eisque professionem, per loci illius monachos aliosque regulares eiusdem emitti solitam, emittere, habitumque suscipere et consueta uti eorum disciplina. Ipsis inhibentes, sub excommunicationis latae sententiae poena, ne quid contra praesentium tenorem quomodolibet audeant attentare.

Quibuscumque non obstantibus. § 3. Non obstantibus omnibus iis, quae dicti Pontifices voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentis autem gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum praedicta Societate copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

§ 4. Ceterum, quia difficile esset praesentes quocumque illis opus erit deferre, volumus ut praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam dicti praepositi munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra illud, adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Fides transumptorum.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDLXXXII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 22 sept. 1582, pontif. anno XI.

CXL.

Nova constitutio super duellis [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Firmum ita quicquam vix statui, sanctionibusque communiri pro salute animarum potest, quod veritatis inimicus falsis suggestionibus non convellere et labefactare conetur, idque nunc in duellorum atrocitate experimur, quae, licet inter alios felicis recordationis Iulii II, Leonis X, Clementis VII et Pii IV, Romanorum Pontificum, constitutionibus et concilii Tridentini decreto exterminata, procul ab orbe christiano exulare debuissent, dolosa tamen patris mendacii interpretatione persuasum est eos in dictis constitutionibus et decreto tantum comprehendi, qui, propositis provocantium ad pugnam libellis, patrinis intervenientibus ceterisque ex pristino abusu introductis, se in locum tutum (quem vulgus *cam-* Exordium et causa constitutionis edendae.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

pum francum appellat) provocant, non autem eos, qui privatim inter se, sine praedictis circumstantiis, quamvis de industria et animo deliberato, certamen singulare committunt vel committere procurant.

Declaratio constitutionum contra duellum facientes editarum.

§ 2. Nos, huic malo, antequam radices altius agat, occurrere volentes, praesentium auctoritate statuimus omnes et quoscumque sub constitutionibus et decreto supradictis omnino comprehendi, censurasque et poenas omnes ecclesiasticas et temporales in illis contentas incurrere, qui se ad singulare certamen provocaverint, etiamsi soli et sine patrinis aut arbitris, nullisque propositis libellis, nec circumstantiis nec aliis servatis, quae in similibus servari consueverunt, in locum publicum vel privatum, extra vel intra civitates, terras et castra vel etiam domos se conduxerint, quique illum vel illos forte comitati aut etiam pugnae spectatores fuerint, vel in loco vel etiam longe steterint vel spectaverint, et praeterea eos, qui sic invitantibus vel provocantibus, aut invitatis vel provocatis, equos, arma, pecuniam, commeatus, cibaria et alia subsidia contulerint, aliasque auxilium, consilium vel favorem praestiterint, aut conferri et praestari curaverint, etiam per alium seu alios, directe vel indirecte, quovis modo vel colore, etiamsi postea ad dictum certamen vel destinatum aut alium locum non descenderint, adiicientes ut invitans vel provocans atrociori poena plectatur.

Qui sub hac comprehendantur constitutione.

§ 3. Eos autem sub hac nostra sanctione nolumus comprehendi, qui in rixa de improviso nata, statim in ipso iracundiae furore, certum aliquem locum ad huiusmodi certamen condixerint alterve condixerit, etiam si ibi confligendi causa tum convenerint, et inter eos sit pugnatum; hi tamen et comites ac quicumque alii eis astiterint, seu auxilium, consilium vel favorem praestiterint, ut praefertur, alias severe puniendi, prout criminis qualitas et in eo progressus ac circumstantiae postulabunt.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, nonis novembris, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 nov. 1582, pontif. anno XI.

CXLI.

Concilii Tridentini prohibitio de duellis extenditur ad duella privatim commissa.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Concilii Tridentinum sess. XXV, c. XIX, prohib. duella.

Ad tollendum detestabilem duellorum usum, concilium Tridentinum excommunicationem et alias gravissimas poenas in concedentes locum ad monomachiam, ac pariter in pugnantes necnon patrinos, consulentes, suadentes et spectatores salubriter quidem decrevit: sed, crescente hominum malitia, facinorosi non desunt, qui quod publice prohibitum est, privatim exequi non dubitent, dum se poenas praedictas hoc modo eludere posse arbitrantur.

Hic Pontif. prohibitionem ampliat;

§ 1. Nos, ad haec coercenda, plenius evidentiusque providendum esse rati, considerantesque duellum privatum non minus cruentum et animae et corporis noxium esse, quam quod publice perpetratur, auctoritate apostolica statuimus omnes illos, qui ex condicto, statuto tempore et in loco convento, monomachiam commiserint, etiam si nulli patrini sociique ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullaeve provocatoriae litterae aut denunciationis chartulae praecesserint, censuris et poenis omnibus a dicto concilio propositis teneri, perinde ac si publico

et consueto abusu singulare certamen inivissent. Volentes etiam locorum dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut, quantum in se fuerit, non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum et alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores vel socios quovis modo sese praebentes, eisdem censuris et poenis subiacere, etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti, pugnam non commiserint, si per se ipsos non steterit quominus illa committeretur.

Contrariis derogat.

§ 2. Non obstantibus privilegiis, immunitatibus et exemptionibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Aliae constitutiones firmae remaneant.

§ 3. Constitutionibus tamen et aliis sanctionibus apostolicis hac de re disponentibus in suo robore duraturis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, nonis decembris, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 déc. 1582, pont. anno XI.

CXLII.

Erectio ecclesiae episcopalis civitatis Bononiae, in provincia Lombardiae, in ecclesiam archiepiscopalem [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Universi orbis ecclesiis, Eo disponente qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, meritis licet imparibus, praesidentes, in omnes agri dominici partes oculos nostrae mentis, vigilis more pastoris, intendimus, inspicientes quid ecclesiarum ipsarum, praesertim cathedralium insignium, statui et decori maxime conveniat: atque hoc quidem tanto liberalius promptiusque curandum censemus, quanto magis civitatum celebritas, ac civium et populorum suorum vota id exposcunt; ac divino fulti praesidio Illius qui cuncta ex sua benignitate ad fidelis populi sui salutem disponit, ad ea, quae ad dignitatem et statum ecclesiarum huiusmodi augendum pertinent, officii nostri partes libenter convertimus, prout cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Ecclesiae Bononiensis commendatio.

§ 1. Cum itaque ecclesia Bononiensis Sedi Apostolicae immediate subiecta, cui dilectus filius noster Gabriel tituli S. Martini in Montibus presbyter cardinalis Paleottus nuncupatus ex dispensatione apostolica præest, et quae, in primis Sancti Petronii episcopi et protectoris Bononiae intercessionibus et meritis, omni quidem tempore, divinae pietatis abundantia, magnis multisque ornamentis exculta, non modo dioecesis magnitudine satis in omnem partem patens, sed cleri populique pietate, dignitate et amplitudine florens, episcoporum quoque ordine succedentium, quos item multos ab initio fere nascentis religionis, saevientibus adhuc infidelium persecutionibus, fidei defensores et in sanctorum consortio adscriptos habet, numero affluens, sacrarum praeterea reliquiarum copia abundans, religiosissimis quoque templis, basilicis, monasteriis, locis piis et aliis, quae ad omnem eiusdem cleri populique Bononiensis laudem insignia sunt, pietatis christianae monimentis ornata, valde per se ipsa eluceat.

Civitatis Bononiensis commendatio.

§ 2. Cumque civitas ipsa iam inde usque a Theodosio imperatore amplissimis illustrata privilegiis, et a diversis Romanis pontificibus praedecessoribus nostris ad regum congressus, imperatoris coro-

1 Similem erectionem de ecclesia Senensi statuit Pius II in const. IV, *Triumphans*, tom. V, pag. 150.

nationem, concilii oecumenici translationem, aliasque maximas res gerendas delecta, eiusdemque Apostolicae Sedis primogenita, et studiorum mater ab omnibus merito nuncupata, nobilissimo gymnasio, doctorumque et scholarium ex omnibus orbis christiani partibus illuc confluentium frequentia clarissimo; quadragintavirum senatu et magistratibus decorata; aliorum item illustrium virorum, apud quos et verae religionis cultus et summa in Romanos Pontifices ipsamque Sedem observantia et studium semper enituit, copia quidem insignis, quippe quae in omnibus schismatibus partes veri pontificis perpetuo sustinuerit, et viros dignitatibus ecclesiasticis claros, episcopos, cardinales pontificesque de Ecclesia Dei optime meritos saepenumero tulerit; aedificiorum item magnificentia, opibus, fertilitate, populi magnitudine, egregia erga exteros hospitalitate ac praecipua erga omnes benevolentia et caritate omnique alia virtute illustris et sit et habeatur.

Ecclesiae Bononiensis erectio in ecclesiam metropolitanam et archiepiscopalem cum privilegiis omnibus archiepiscopalib.

§ 3. Nos, aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui eodem honore patriam suam condecorarunt, morem exemplumque secuti, et eiusdem etiam cardinalis episcopique Bononiensis, cuius non ignota est cura et sollicitudo in gloria Dei saluteque animarum procuranda, pio studio adducti, et patriae ipsius nostrae Bononiensis, quam unice in Christo diligimus, singularibus erga hanc Sedem meritis commoti, paternoque desiderio et ea spe, qua tenemur id fore ut patria ipsa Bononiensis, hoc singulari beneficio nostro excitata, sese in dies ad bene agendum magis magisque conformet, accensi, necnon ecclesiae ipsius, quam totis in Christo visceribus complectimur, meritis permoti, ad illam meritis honoribus augendam et promovendam adducti, piis quoque supplicationibus dilectorum filiorum eiusdem civitatis quadragintavirum aliorumque magistratuum excitati, post habitam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus maturam deliberationem, de illorum consilio atque apostolicae potestatis plenitudine, ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis Dei ac Beatae Mariae semper Virginis et [1] S. Petronii episcopi et patroni Bononiensis, necnon ad universalis Ecclesiae exaltationem, ecclesiam ipsam Bononiensem in metropolitanam ecclesiam, et sedem episcopalem Bononiensem in archiepiscopalem, archiepiscopalisque et metropolitani praesidis sedem et provinciae caput pro illius archiepiscopo pro tempore existenti, qui pallii et crucis usum aliorum archiepiscoporum more habeat, omnibusque aliis insignibus archiepiscopalibus, necnon privilegiis, honoribus et praerogativis, aliis archiepiscopis debitis et concessis, gaudeat, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus, ac nomine, titulo et honore archiepiscopali et metropolitano decoramus.

Ecclesiarum Placentinae et Parmensis etc. subiectio archiepisc. Bononiensi.

§ 4. Necnon Placentinam, Parmensem, Regiensem, Mutinensem, Imolensem, Cerviensem et Cremensem ecclesias, earumque omnium et singularum civitates et dioeceses, cum omnibus et singulis earum territoriis et terminis, ac dilectos filios clerum et populum universum, cum suis collegiatis, parochialibus et aliis ecclesiis necnon monasteriis utriusque sexus ceterisque beneficiis et officiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, necnon hospitalibus, domibus, collegiis et locis religiosis quibuscumque, ab eiusdem Sedis Apostolicae immediate sive alterius cuiuscumque, etiam metropolitani, subiectione etiam perpetuo dividimus et separamus; illasque et earum dioeceses ac civitates posthac in provincia Bononiensi esse et consistere, neque in alia provincia censendas et numerandas esse decernimus

1 Ughellius addit *et Ss. apostolorum Petri et Pauli eiusdemque* (R. T.).

et declaramus; et quatenus alteri provinciae archiepiscopove, etiam Mediolanensi et Ravennatensi, tam antiquo iure, consuetudine, privilegio, vel alterius metropolis erectione sive institutione, quam iure electionis ex sacri concilii Tridentini decreto factae, vel alia quavis ratione et causa antea adiunctae subiectaeque, in toto aut in parte, essent vel censerentur, sive in illius possessione vel quasi se esse praetenderent, ab omni illius sive alterius provinciae vel archiepiscopi, etiam Mediolanensis et Ravennatensis aut illorum capitulorum, iure metropolitico, correctione, visitatione, subiectione et omni quacumque alia iurisdictione, obedientia et superioritate, si qua forsan quavis occasione illis competeret sive competat, similiter perpetuo eximimus et liberamus.

Episcoporum suffraganeorum eidem archiepiscopo subiectio.

§ 5. Necnon dictae Bononiensi ecclesiae praedictas Placentinam, Parmensem, Regiensem, Mutinensem, Imolensem, Cerviensem et Cremensem civitates et dioeceses pro sua metropolitana provincia, ac Placentinam, Parmensem, Regiensem, Mutinensem, Imolensem, Cerviensem et Cremensem ecclesias praefatas modernosque et pro tempore existentes illarum singularum praesules, pro suis et pro tempore existentis archiepiscopi Bononiensis suffraganeis, qui necnon earum singularum capitula, etiam quocumque privilegio suffulta, tamquam membra capiti, eidem archiepiscopo Bononiensi iure metropolitico subsint, sibique obedientiam et reverentiam tamquam proprio metropolitano prorsus exhibeant, pariter perpetuo subiicimus; eidemque archiepiscopo Bononiensi praedictos suos suffraganeos consecrandi, ad provinciales synodos evocandi ac cum eis etiam ecclesiastica negocia terminandi, eorum ecclesias disponendi, et causas quarumcumque appellationum sive querelas alias iuxta sacrorum canonum statuta cognoscendi, omniaque alia et singula, quae de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet ad archiepiscopos et archiepiscopale munus spectare et pertinere solent et debent, gerendi et exercendi plenam et omnimodam concedimus facultatem. Provinciae quoque Bononiensi clerum et populum universum pro eorumdem ecclesiae et archiepiscopi Bononiensis provincialibus similiter perpetuo concedimus et assignamus.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus regula nostra de iure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Placentinae, Parmensis, Mutinensis, Regiensis, Cerviensis, Imolensis, Cremensis ac Ravennatensis et Mediolanensis ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ecclesiis illarumque praesulibus et administratoribus ac capitulis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de simili apostolicae potestatis plenitudine, et consistorialiter, etiam de simili consilio ac alias quomodolibet, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, exprimerentur et

insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, de consilio et potestatis plenitudine similibus, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis et institutionis, derogationis, divisionis, separationis, declarationis, exemptionis, liberationis, subiectionis, concessionis, assignationis, decretorum et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, quarto idus decembris, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 dec. 1582, pontif. anno XI.

CXLIII.

Abbatissae et aliae praefectae monasteriorum monialium in Italia ad triennium tantummodo eligantur [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exposcit debitum pastoralis officii, quod, disponente Domino, gerimus, ut ad ea sollicite intendamus, per quae monasteria et alia religiosa loca, praesertim Deo dicatarum sanctimonialium, secundum regularis disciplinae normam regantur et gubernentur.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Perpendentes igitur varia et multiplicia damna, quibus plerumque afficiuntur monasteria monialium, quae per abbatissas vel alias praefectas perpetuas reguntur; contra vero abbatissas et alias praefectas triennales, scientes se, lapso triennio, suae administrationis rationem esse reddituras, ac sperantes de bene gestis laudem promereri, poenam vero, si male gesserint, metuentes, maiori studio ac diligentia, regimen et administrationem monasteriorum sibi commissorum gerere.

Abbatissae monialium triennium tantummodo eligantur, iuxta suorum Ordinum instituta et concilii Tridentini.

§ 2. His et aliis rationabilibus causis adductis, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus et ordinamus quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, in omnibus et singulis monasteriis monialium S. Benedicti, Cisterciensis, Carthusiensis et aliorum quorumcumque Ordinum in Italia, et praesertim in utriusque Siciliae regnis, consistentibus, quae nunc per abbatissas vel alias praefectas perpetuas reguntur et gubernantur, cum primum abbatissae aut aliae praefectae huiusmodi regimini et administrationi ipsorum monasteriorum cesserint, etiam apud Sedem Apost., vel decesserint, eorumque abbatissatus seu praefecturas vacare contigerit, abbatissae aut aliae praefectae non amplius perpetuae seu ad vitam, quarum nomen ac titulum ex nunc prout ex tunc, apostolica auctoritate, ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, perpetuo extinguimus et abolemus, sed triennales tantum a conventu uniuscuiusque monasterii et alias iuxta decreta sacrosancti concilii Tridentini et regularia suorum Ordinum instituta eligantur et praeficiantur, quae postmodum, elapso triennio, suis officiis perfunctae, praeesse desinant, omnique prorsus careant auctoritate, ac a regimine et administratione monasterii per triennium, a die finitae administrationis inchoandum, abstineant; quo elapso, servata eadem forma concilii Tridentini, iterum et pluries eligi possint.

1 Quoad modum eligendi habes Concil. Trid. in sess. XXV, *De Regular. et monial.*, cap. VII.

§ 3. Districtius inhibentes omnibus et singulis dictorum monasteriorum conventibus, superioribus et personis ne aliquam abbatissam aut aliam praefectam perpetuam, seu ad vitam, sed triennalem tantum, eligere et praeficere ullo modo audeant vel praesumant.

Prohibitio aliter eligendi.

§ 4. Quod si secus a quoquam, quavis auctoritate, fuerit attentatum, electionem et praefectionem huiusmodi ac omnia et singula, quae inde sequentur, irrita, nulla et inania nulliusque roboris vel momenti fore. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere decernimus.

Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictorum monasteriorum et Ordinum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem monasteriis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in genere vel in specie ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores, ac si ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras ad singula quaeque loca, ubi necessarium fuerit, deferre, volumus quod illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I ianuarii MDLXXXIII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 1 ian. 1583, pontif. anno XI.

CXLIV.

Facultas archiepiscopis et episcopis Indiarum et ab eis subdelegandis absolvendi Indos et Mauros ac eorum filios a crimine haeresis et idololatriae ac aliis peccatis Sedi Apostolicae reservatis et in bulla Coenae contentis [1].

Gregorius Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, nonnulli confessores suorum regnorum Hispaniarum tenuerint, vigore facultatum Cruciatae dudum a felicis recordationis Pio Papa V, praedecessore nostro, regnis praedictis ac subditis eiusdem Philippi regis et aliis ad illa declinantibus concessae, poenitentes a crimine haeresis absolvi posse, unde nos per nostras in forma brevis desuper expeditas litteras declaravimus mentis eiusdem Pii praedecessoris et nostrae non fuisse nec esse, eiusdem Cruciatae et quarumcumque indulgentiarum vigore, alicui facultatem aliquos a crimine haeresis seu aliis casibus Officio Sanctissimae Inquisitionis praedictorum regnorum per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos specialiter reservatis absolvendi concessisse. Cumque huiusmodi declaratio per nos, ut praefertur, facta in ipsis

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

litteris eiusdem Cruciatae in eisdem regnis ac Indiis eiusdem Philippi regis impressis et distribui solitis apposita fuerit, dubitatum propterea ab aliquibus extitit utrum per praedictam nostram declarationem abrogatae censerentur facultates per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis Indiarum eiusdem Philippi regis concessae circa absolutiones Indorum utriusque sexus ab haeresi et casibus nobis et Apostolicae Sedi reservatis. Quare, pro parte eiusdem Philippi regis, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in praemissis, prout locorum et temporum ac eorumdem Indorum noviter ad fidem catholicam conversorum qualitates exigunt, prospicere, eorumdemque archiepiscoporum et episcoporum in dictis Indiis residentium facultates declarare, aliasque desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Quocirca per praesentes declaramus mentis nostrae non fuisse nec esse per quascumque nostras litteras, ut praefertur, emanatas, facultates eorumdem archiepiscoporum et episcoporum circa huiusmodi absolutiones restringere, suspendere seu revocare; ac potiori pro cautela, Indisque praedictis utriusque sexus in eorum necessitatibus sollicita nostra vigilantia subvenire cupientes, ac litterarum praedictarum quarumcumque tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, eisdem archiepiscopis et episcopis in Indiarum partibus nunc et pro tempore degentibus ac ab eis subdelegandis quascumque facultates, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos, circa absolutiones eorumdem Indorum tenore praesentium revocamus, et quatenus opus sit, illas eisdem denuo concedimus, ita ut, tam eorumdem priorum quam praesentium litterarum virtute, quoscumque utriusque sexus Indos, ac a Mauris et Indianis, ac Indianis et Mauris genitos, a crimine haeresis et schismate et idolatriae necnon aliis omnibus casibus nobis et Sedi Apostolicae quomodolibet, etiam in bulla in die Coenae Domini per Romanos Pontifices legi solita contentis, reservatis, in utroque foro absolvendi et totaliter liberandi, iniuncta eis pro modo culpae aliqua poenitentia salutari, licentiam et facultatem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur. Non obstantibus litteris praedictis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra, ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima ianuarii MDLXXXIII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 1 ian. 1583, pontif. anno XI.

CXLV.

Confirmatio institutionis, privilegiorum et exemptionum Societatis Iesu, cum nonnullis declarationibus [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quanto fructuosius in colenda Domini vinea se exercet veneranda Iesu Societas, Exordium.

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dignisque aeterna mercede operariis abundare conatur, tanto propensius contendimus eam religiosamque subinde, quam instituit, prolem, unde tota respublica christiana ubique sublevatur, prosequi et confovere, simulque omnia removere, quibus et spiritualis ipsorum profectus retardari, et charitatis fervor, qui ab eisdem in regeneratas pretioso Domini nostri Iesu Christi Sanguine animas se diffundit, alicubi frigescere, aut in lubricum defluere posset.

Cum constitutionis instituto, et commendatio Societatis Iesu.

§ 1. Cum enim, sicuti iuxta dictae Societatis constitutiones et laudabile institutum, a felicis recordationis Paulo tertio et Iulio etiam tertio confirmatum, ac etiam a Paulo quarto, Romanis Pontificibus praedessoribus nostris, diligentissime examinatum, et a concilio Tridentino commendatum, Societas ipsa non solum professis et novitiis, sicuti et reliqui regulares Ordines, constet, sed varii in eadem Societate religiosarum personarum gradus sint, in quibus singuli, iuxta commissi cuique a magno Patrefamilias talenti mensuram et praepositorum suorum directionem, Altissimo famulantur; sicut enim finis dictae Societatis est fidei propagatio et defensio, animarumque in vita et doctrina christiana progressus, ita etiam gratiae eius vocationis proprium est diversa loca ex Romani Pontificis ac praepositi generalis eiusdem Societatis directione peragrare, vitamque in quavis mundi parte agere, ubi laboriosam eorum operam et industriam fructuosam copiosiores salvandarum animarum proventus ad Dei aeterni gloriam consequi posse sperant, ad quem finem Spiritus Sanctus, qui bonae memoriae Ignatium Loyolam, ipsius Societatis institutorem, eiusque socios excitavit, media etiam praeclara maximeque opportuna, huius Sedis ministerio, eis tribuit atque confirmavit, publicarum scilicet praedicationum verbi Dei, ministerii cuiuscumque spiritualium exercitiorum et charitatis operum, Poenitentiae et Eucharistiae sacramentorum administrationis ac frequentis usus, ad quae pro dignitate exequenda et ad difficultates superandas subeundaque pericula, quibus dictae Societatis religiosi in huiusmodi excursionibus et ministeriis exponuntur, cum haec magnum tum virtutis tum devotionis praesidium postulent, statutum est ut et novitii in Societate praedicta per biennii spatium probentur, et qui, expleto novitiatu, litteris operam dederint, illarum studiis absolutis, tertium etiam annum probationis in humilitatis exercitiis expendant, ut si qua in re, vel huius virtutis amor vel pietas ac devotionis fervor per litterarum occupationem distractus intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem et divinae gratiae ardentiorem invocationem restauretur; qui enim professionem emittere debent, eos vocatio haec viros in vitae puritate ac litteris conspicuos, diuturnisque et diligentissimis experimentis probatos, eosque sacerdotes et in verbi Dei ac sacramentorum administratione diu multumque versatos exigit, ut et constitutionibus dictae Societatis et a Summis Pontificibus est decretum.

§ 2. Sed neque omnes ad eamdem professionem idonei esse possunt, neque qui temporis progressu futuri sunt, tales evadere aut cognosci, sine longa exercitatione atque experimento; quapropter Societatis corpus in sua membra, ordinem et gradus idem Ignatius divino instinctu ita duxit disponendum, ut, biennio novitiatus absoluto, omnes qui in Societate perseverare voluerint, tria vota substantialia quidem paupertatis, castitatis et obedientiae, simplicia tamen, emittere debeant, ac novitii esse desinant; quibus votis emissis, in corpus eiusdem Societatis cooptati, et quantum ex parte ipsorum

perpetuo obligati remanent. Quod si iniussi discedant, apostasiae notam et excommunicationis ac alias, quibus ipsi professi subiacent, poenas incurrant, quamvis, rationabili ex causa, iuxta constitutiones easdem, ab ipso praeposito generali dimitti et votis huiusmodi liberari possint; quae omnia ipsis primo ingressu per aliquot dies in separata habitatione constitutis, antequam ad aliorum novitiorum communem convictum admittantur, in ipsius Societatis privilegiis, constitutionibus et regulis consideranda traduntur.

§ 3. Biennio itaque novitiatus completo et emissis votis simplicibus, una est omnibus omnino vivendi et obediendi ratio, debentque omnes in communi vivere, ac in omnibus obedire, non secus ii, qui professionem non emiserunt quam professi; quod vero ad paupertatem attinet, quamvis bonorum suorum ius atque dominium iustas ob causas, pro superiorum arbitratu, ad tempus retinere valeant, ut in pios usus, iuxta evangelicum consilium, distribuant, in illorum tamen usu religiosam paupertatem servant, nec ulla re tamquam propria et sine superioris facultate uti possunt; peractis igitur huiusmodi probationibus et experimentis, cum dictae Societati fuerit per ea in Domino satisfactum, quos idem praepositus generalis idoneos iudicat, eos vel ad professionem per vota solemnia, vel ad gradus coadiutorum formatorum spiritualium, si sacerdotes, vel temporalium, si laici sint, per vota eadem publice emissa, quamvis non solemnia, iuxta constitutiones admittit; quibus emissis, eo ipso nihil omnino proprii amplius vel domi vel foris habere possunt, fiuntque incapaces cuiusvis haereditariae successionis, nec, propter emissa huiusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato, in illorum sicuti nec in professorum bonis domus ulla aut ecclesia vel collegium dictae Societatis succedere potest. Et licet, eos qui, post biennium novitiatus emensum, dicta tria vota simplicia sicuti ab hac Sede probata sunt emittentes, et extra novitiorum numerum habiti, ac in corpus ipsius Societatis cooptati, illiusque meritorum et privilegiorum, non secus atque ipsi professi, ex praedictae Sedis dispositione, participes effecti, quique, quantum in eis est, et professionem emittere parati, si ipse praepositus generalis id praedictae Societatis instituto congruere iudicaverit, et in perpetuo Dei servitio consecrati, et sua sorte, prout illorum laudabile institutum exigit, contenti, ac denique excommunicationis et aliis apostatarum poenis subiecti sunt, vere et proprie religiosos esse,

Confirmat. privilegiorum Societati les concessorum.

§ 4. Compertum sit; nonnullorum tamen animos, qui pii alioqui et utiles operarii existunt, sollicitari et affligi interdum contingit, quasi non sint religiosi, eo quod non sint professi; nec etiam desint qui, Religionis praetextu, transfigurante se satana in angelum lucis, non solum ea occasione inquieti sunt, sed etiam aliorum pacem et vocationem disturbare, eosque in fraudem et defectionem deducere conantur, unde gravissima posset haec Religio, tantopere utilis et ubique ab omnibus expetita, concipere detrimenta. Nos, considerantes divinae sapientiae atque providentiae thesauros, pro temporum necessitate, varia et inter se dissimilia, eademque salubria, Ordinum instituta in Ecclesia sua produxisse, et nunc maxime (ut felicissimi toto orbe successus testantur) mirificos in agro Domini fructus hoc peculiari dictae Societatis instituto proferri; quare, ad summovenda circumstantia huiusmodi pericula, eamque in sincera vocatione sua continendam, partes nostras adhibendas decrevimus, ut, praecisis huiusmodi perturbationum causis, Religio ipsa, quae in propagandam religionem

christianam, emendandosque in ea mores, corde, animo viribusque omnibus, sine intermissione, insistit, votivo munere perfruatur. Motu proprio certaque scientia nostra et de apostolicae potestatis plenitudine, laudabile huiusmodi institutum, ac praedicta ceteraque omnia dictae Societatis privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta, tam a praedictis quam aliis praedecessoribus nostris et etiam a nobis concessa, constitutiones quoque et statuta, qualiacumque sint, ea omnia, ac si ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, supplentes omnes iuris et facti defectus, si qui intervenerint in praedictis constitutionibus et statutis; ac decernentes ex nunc irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Declaratio favore Societatis.

§ 5. Ad haec, dictam Societatem firmo declarationis nostrae praesidio communire volentes, statuimus ac etiam decernimus non modo eos, qui in coadiutorum formatorum, sive temporalium sive spiritualium, gradus et ministeria admittuntur, sed etiam alios omnes et quoscumque qui, in ipsa Societate admissi, biennio probationis a quoquam peracto, tria vota praedicta, tametsi simplicia, emiserint emittentque in futurum, vere et proprie religiosos fuisse et esse, et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere, ac si in professorum praedictorum numerum adscripti fuissent; praecipimusque et interdicimus ne quisquam scrupulum de hoc neutiquam iniicere, neque illud in controversiam, dubium vel suspicionem ponere audeat quoquo modo.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon dictae Societatis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu secretarii Societatis vel notarii publici subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, statuti, decretorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, kalendis februarii, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 1 feb. 1583, pont. anno XI.

CXLVI.

Dissolutio trium prioratuum Camaldulensis congr. alias unitorum [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regimini universalis ecclesiae, disponente Domino, praesidentes, pro monasteriorum et aliorum religiosorum locorum quorumlibet statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis iniuncti pastoralis officii tenemur, sollicite considerationis intuitum circumquaque protendimus, et ad ea per quae meliori eorum directioni, personarumque ibi divinis beneplacitis dicatarum commoditati consulitur, mini-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

sterii nostri partes, prout opportunum fore conspicimus, propensius impartimur.

Petitio abbatis generalis congreg. Camaldulensis.

§ 1. Sane pro parte dilecti filii Cherubini de Lendinaria, abbatis generalis totius Ordinis et congregationis Camaldulensis, nobis nuper exhibita petitio continebat quod, cum Sancti Nicolai in Fortioribus de Urbe et Sanctae Crucis Eugubinensis et Sancti Damiani Bononiensis monasteria seu prioratus Ordinis et congregationis huiusmodi, quorum regimini et administrationi abbates seu priores pro temp. existentes, per generalem, visitatores et diffinitores dictae congregationis in illius capitulo generali annis singulis, iuxta eius statuta et laudabiles consuetudines, eligi soliti, praeesse dignoscebantur, et quae seu qui postmodum, dignitatibus abbatialibus seu prioratibus in eis perpetuo suppressis et extinctis, Sancti Nicolai vel Sancti Gregorii etiam de Urbe, necnon Sanctae Crucis, Beatae Mariae Angelorum Pisaurensis et Sancti Damiani monasteria seu prioratus huiusmodi Sancti Ioannis Baptistae Faventinensis monasterio eiusdem Ordinis et congregationis, apostolica auctoritate, perpetuo unita, annexa et incorporata, seu illorum bona, fructus, redditus et proventus eiisdem Sancti Gregorii ac Beatae Mariae Angelorum et Sancti Ioannis Baptistae monasteriis applicata et appropriata fuerunt, ex propriorum abbatum seu priorum defectu, non parva in spiritualibus et temporalibus detrimenta, divinique cultus et regularis essentiae diminutione sensim patiantur, ac ex unionibus seu applicationibus huiusmodi fructus nequaquam provenerint, expediensque sit, pro illorum salubri et feliciori directione, religionis conservatione et propagatione, ac spiritualium et temporalium incremento, ut, unionibus, annexionibus et incorporationibus seu applicationibus et appropriationibus praedictis perpetuo dissolutis, monasteria seu prioratus Sancti Nicolai necnon Sanctae Crucis ac Sancti Damiani huiusmodi per proprios abbates seu priores, ut praefertur eligendos, de cetero regantur, gubernentur et administrentur.

Petitionis continuatio.

§ 2. Cumque alias Sancti Martini prope et extra Castrum de Domo et Sancti Nicolai Castri *del Piro* ecclesiae seu cappellae sine cura, cum illis annexis, monasterio Sanctorum Salvatoris et Romualdi de Valle Castri eiusdem Ordinis et congregationis, Camerinensis dioecesis, dicta auctoritate, etiam perpetuo unitae fuerint, si ecclesiae seu cappellae praedictae ab eodem monasterio Sanctorum Salvatoris et Romualdi, quod sufficientibus redditibus, absque ecclesiarum seu cappellarum praedictarum fructibus, redditibus et proventibus, suffultum modo existit, etiam perpetuo dissolverentur, illaeque sic dissolutae monasterio seu prioratui Sancti Nicolai huiusmodi, cuius fructus, redditus et proventus adeo tenues existunt, ut ad congruam sustentationem monachorum in eo iugiter degentium nullatenus sufficiant, perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, ex hoc profecto necessitatibus monachorum eiusdem non parum subveniretur, sed etiam illorum numerus, ac ibi divinus cultus, cum Ordinis huiusmodi decore, ad omnipotentis Dei laudem augeretur; pro parte dicti Cherubini abbatis, asserentis fructus, redditus, proventus dictarum ecclesiarum seu cappellarum insimul centum ducatorum auri de Camera valorem annuum non excedere, nobis humiliter fuit supplicatum ut omnes et singulas uniones, annexiones et incorporationes, seu eorumdem Sancti Nicolai et Sanctae Crucis ac Sancti Damiani monasteriorum seu prioratuum fructuum applicationes et appropriationes factas praedictas perpetuo dissolvere, et seu Sancti Nicolai et Sanctae Crucis et Sancti Damiani monasteria seu prioratus, necnon ecclesias seu cappellas praedictas a sin-

gulis monasteriis praedictis, quibus illa alias, ut praefertur, unita, seu eorum fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta, praedia ac bona quaecumque applicata et appropriata fuerunt, etiam perpetuo dismembrare et separare, illaque omnia adversus singulas uniones seu applicationes huiusmodi restituere et plenarie reintegrare; necnon ecclesias seu cappellas praedictas, illarum unionibus sic dissolutis, eidem monasterio seu prioratui Sancti Nicolai etiam perpetuo unire et annectere et incorporare, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum de quo in rubrica

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod praetendentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum extimationem praedictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique monasteriorum aliorumque religiosorum locorum in melius directiones ac spirituale incrementum sincero desideramus affectu, Cherubinum abbatem praedictum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac quascumque uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et appropriationes de Sancti Nicolai et Sanctae Crucis ac S. Damiani monasteriis, necnon ecclesiis seu cappellis, eorumque fructibus praedictis factas per praedecessores, litterarumque desuper confectarum tenores, ac illorum omnium veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et appropriationes praedictas, apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium, perpetuo dissolvimus; et seu Sancti Nicolai et Sanctae Crucis ac Sancti Damiani monasteria seu prioratus, eiusque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, emolumenta, praedia, res et bona huiusmodi a dictis monasteriis, quibus sic unita, annexa et incorporata fuerunt, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, dismembramus et separamus; illaque omnia et singula, adversus quasvis uniones, annexiones et incorporationes, applicationes et appropriationes litterasque apostolicas desuper confectas praedictas et in eis contenta quaecumque, ac in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, etiam quoad nomen, titulum et denominationem abbatialium seu prioratuum dignitatum, ita quod S. Nicolai et Sanctae Crucis ac S. Damiani monasteria seu prioratus huiusmodi per proprios abbates seu priores, ut praefertur eligendos, adinstar aliorum ipsius congregationis monasteriorum, de cetero regi et gubernari debeant; ac tam illa quam etiam abbates seu priores et personae omnibus et singulis privilegiis, indultis, praerogativis, exceptionibus, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, indulgentiis, favoribus et aliis tam spiritualibus quam temporalibus gratiis, quibus alia eiusdem congregationis monasteria seu prioratus eorumque abbates seu priores et personae, de iure seu consuetudine, aut ex privilegio vel indulto seu alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite possint, ac alias in omnibus et per omnia, perinde ac si uniones, annexiones et incorporationes aliaque præmissa omnia non emanassent, auctoritate et

tenore similibus, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

Uniones ecclesiarum dissolvuntur.

§ 4. Necnon unionem ecclesiarum seu cappellarum praedictarum dicto monasterio Sanctorum Salvatoris et Romualdi, ut praefertur, factam, auctoritate et tenore similibus etiam perpetuo dissolvimus, illasque, per dissolutionem huiusmodi vacantes, eidem monasterio seu prioratui Sancti Nicolai, ita quod liceat dilectis filiis illius monachis, nunc et pro tempore existentibus, illarum corporalem, realem et actualem possessionem, per se vel alium seu alios, eorum ac monasterii seu prioratus Sancti Nicolai huiusmodi nominibus, propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, illarumque fructus, redditus et proventus percipere et levare, ac in suos et dicti monasterii seu prioratus S. Nicolai usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

Clausulae speciales.

§ 5. Decernentes praesentes litteras, quovis praetextu, etiam ex eo quod causae, propter quas emanarunt, coram locorum ordinariis vel aliis, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatis, examinatae et verificatae, interesseque habentes ad hoc vocati non fuerint, neque eorum accesserit assensus, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, aut adversus eos quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari nullatenus posse; ac ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac voluntate nostra praedicta; ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Ordinis et congregationis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque generali et aliis abbatibus, diffinitoribus, visitatoribus, conventibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, concessis, ac etiam pluries approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod, propter posteriores nostras uniones, annexiones et incorporationes praedictas, divinus cultus in eisdem ecclesiis seu cappellis nullatenus minuatur, sed earum congrue supportentur onera consueta.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, disiunctionis, dismembrationis, separationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, unionis, annexionis, incorporationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum,

anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, v kalendas aprilis, pontificatus nostri anno xi.

Dat. die 28 martii 1583, pontif. anno xi.

CXLVII.

Excommunicatio et anathematizatio quorumcumque haereticorum necnon aliorum omnium, qui contentis in hac bulla Coenae Domini contraveniunt.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Consueverunt Romani Pontifices praedecessores nostri, ad retinendam puritatem religionis christianae et ipsius unitatem, quae in coniunctione membrorum ad unum caput, Christum videlicet eiusque vicarium, principaliter consistit, et sanctam fidelium societatem ab offensione servandam, arma iustitiae per ministerium apostolatus in praesenti celebritate exercere.

Excommunicantur infrascripti haeretici eorumque fautores et libros prohibitos legentes, et ab obedientia Romani Pontificis recedentes;

§ 1. Nos igitur, vetustum et solemnem hunc morem sequentes, excommunicamus et anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, quoscumque Ussitas, Viclefitas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios ac omnes et singulos haereticos, quocumque nomine nuncupentur, et cuiuscumque sectae existant, et eorum credentes, ipsorumque receptatores et fautores, et generaliter quoslibet defensores, ac eorumdem libros haeresim continentes vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicae, scienter legentes aut tenentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, necnon schismaticos et eos, qui se a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

Appellantes a Papa ad futurum concilium et eorum fautores;

§ 2. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, et interdicimus universitates, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententiis seu mandatis nostris ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad universale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio vel favore appellatum fuerit.

Piratas eis auxilium dantes;

§ 3. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, latrunculos maritimos, et illos praecipue qui, mare nostrum a Monte Argentario usque ad Terracinam discurrentes, eos, qui in illo navigant, depraedantur, mutilant, interficiunt, rebusve et bonis suis spoliant, omnesque receptatores eorumdem, et eis auxilium scienter dantes vel favorem.

Naufragorum bona scienter rapientes, aut ab aliis rapta accipientes;

§ 4. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, qui, christianorum quorumcumque navibus tempestate in transversum, ut dici solet, iactatis, naufragium passis, aut etiam submersis, sive in ipsis navibus sive ex eis delapsa et in mari vel littore inventa cuiuscumque generis bona, tam in nostri Tyrrheni et Adriatici, quam in quibuscumque aliis cuiuscumque maris regionibus et littoribus rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab aliis rapta seu accepta scienter receperint, ita ut nec etiam ob quodcumque privilegium, consuetudinem aut longissimi, etiam immemorabilis, temporis possessionem seu alium quemcumque praetextum excusari possint.

Pedagia nova, absque potestate, imponentes;

§ 5. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia seu gabellas, ad id potestatem non habentes, imponunt vel augent, aut imponi vel augeri prohibita exigunt.

Falsificantes litteras apostolicas, vel falso fabricantes;

§ 6. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios litterarum apostolicarum et in forma brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel S. R. E. vice-cancellarium seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum; aut sub nomine eiusdem Romani Pontificis seu vice-cancellarii aut gerentium vices praedictorum signantes supplicationes easdem; ac etiam falso fabricantes litteras apostolicas et in forma brevis ac supplicationes huiusmodi. Extendentes constitutionem felicis recordationis Innocentii Papae III, quae incipit *Ad falsariorum*, cum omnibus poenis in ea contentis ad eosdem fabricantes et etiam ad falsificantes seu mutantes supplicationes per nos seu de mandato nostro signatas et datas, sine nostra aut datarii nostri licentia.

Arma et alia quibus christiani impugnantur ad infideles deferentes, aut concernentia statum reipublicae christianae eisdem nunciantes;

§ 7. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalybem omniaque alia metallorum genera atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape quam ex quacumque alia materia, et ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus christianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis et aliis Christi nominis inimicis. Necnon illos qui, per se vel alium seu alios, de rebus christianae reipublicae statum concernentibus, in christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas et christianae religionis inimicos certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis et concessionibus quibuscumque principibus et dominis sive privatis personis, per nos et Sedem praedictam hactenus concessis, quae illis nolumus in aliquo suffragari.

§ 8. Item excommunicamus et anathematizamus omnes impedientes sive invadentes eos, qui victualia seu alia ad usum Romanae Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur vel afferantur impediunt seu perturbant, vel pro eis aliquid exigunt aut solvere faciunt, seu haec facientes defendunt per se vel alium seu alios, cuiuscumque fuerint ordinis, praeeminentiae, conditionis et status, ac etiam si pontifificali vel regali aut alia quavis ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate.

Victualia et alia id genus ad Urbem deferentium perturbatores eorumque fautores,

§ 9. Item excommunicamus et anathematizamus omnes ex proposito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu depraedantes romipetas seu peregrinos ad Urbem causa devotionis seu peregrinationis et prorsus omnes alios ad Sedem Apostolicam accedentes, vel apud eam morantes, aut recedentes ab ipsa, et illis dantes auxilium, consilium vel favorem.

Peregrinorum et aliorum ad Sedem Apostolicam venientium, etc. ex proposito offensores;

§ 10. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, non habentes in eadem Curia iurisdictionem ordinariam vel delegatam, eius praetextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

Commorantium in Curia, absque iurisdictione, perturbatores;

§ 11. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales ac patriarchas, archiepiscopos, episcopos Sedisque Apostolicae legatos seu nuncios, aut eosdem eiicientes a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis, eaque mandantes vel rata habentes, seu praestantes eis auxilium, consilium vel favorem.

Cardinalium et aliorum praelatorum offensores eorumque auxiliatores;

§ 12. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos qui, per se vel alium seu alios, quascumque personas ecclesiasticas vel saeculares ad dictam Curiam super earum causis et negociis recurrentes, illasque in eadem Curia pro-

Offendentes eos, qui ad Romanam Curiam recurrunt, vel eorum procuratores;

sequentes aut procurantes, negociorumque gestores, advocatos, procuratores et agentes ipsarum, seu etiam auditores vel iudices super dictis causis vel negociis deputatos, occasione causarum vel negociorum huiusmodi, verberant, mutilant, occidunt, bonis spoliant; seu qui, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, praedicta exequi vel procurare aut in eisdem consilium, auxilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque praeminentiae et dignitatis fuerint.

Impedientes executionem apostolicarum litterarum et earum expeditionem, vel prohibentes recursum ad Sedem Apostolicam vel gratiarum impetrationem;

§ 13. Ac etiam omnes, tam ecclesiasticos quam saeculares, cuiuscumque dignitatis, qui, praetexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine vel futura executione litterarum apostolicarum et in forma brevis, tam gratiam quam iustitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium et aliorum decretorum, a nobis et a Sede praedicta seu legatis, nunciis, praesidentibus, Camerae Apostolicae auditoribus, commissariis aliisque iudicibus et delegatis apostolicis emanatorum, et quae pro tempore emanaverint, aut alias ad curias saeculares et laicam potestatem recurrunt, et ab ea, instante etiam fisci procuratore, appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria et alia praedicta capi et retineri faciunt. Quive illa, simpliciter, vel sine eorum beneplacito, consensu vel examine, exequutioni demandari, aut ne tabelliones et notarii super huiusmodi litterarum et processuum executione instrumenta vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt vel prohibent; ac etiam partes seu earum agentes, notarios, executores et subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum et aliorum praedictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis et regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt et comminantur, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, seu capi, carcerari, detineri, percuti, vulnerari minisque agitari faciunt. Quive alias quibuscumque personis, in genere vel in specie, ne, pro quibusvis eorum negociis prosequendis seu gratiis vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe vel indirecte, prohibere, statuere seu mandare, vel eos apud se aut notarios seu tabelliones vel alias quomodolibet retinere praesumant.

Avocantesque causas ecclesiasticas a iudicibus ecclesiasticis et horum fautores;

§ 14. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos cancellarios, vice-cancellarios et consiliarios ordinarios et extraordinarios quorumcumque regum et principum, ac praesidentes cancellariarum, consiliorum et parlamentorum, necnon procuratores generales eorumdem vel aliorum principum saecularium, etiamsi imperiali, regali, ducali vel alia quacumque praefulgeant dignitate, quocumque nomine nuncupentur, aliosque iudices, tam ordinarios quam delegatos, necnon archiepiscopos et episcopos, abbates, commendatarios, vicarios et officiales, qui, per se vel alium seu alios, auctoritate propria et de facto, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum et litterarum apostolicarum praetextu, beneficiales et decimarum ac alias causas spirituales et spiritualibus annexas ab auditoribus et commissariis nostris aliisque iudicibus ecclesiasticis avocant, illarumve cursum et audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt; quique partes actrices, quae illas committi fecerunt et faciunt, ad revocandum et revocari facien-

dum citationes vel inhibitiones aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris et poenis in illis contentis absolvi, per statutum vel alias compellunt, vel executionem litterarum apostolicarum seu executorialium, processuum ac decretorum praedictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium aut assensum praestant, etiam praetextu violentiae prohibendae vel aliarum praetensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis et Sede Apostolica legitime prosequantur.

Trahentes ad saecularia tribunalia praeter iuris dispositionem personas ecclesiasticas, vel ecclesiasticam libertatem laedentes;

§ 15. Quive, ex eorum praetenso officio, vel ad instantiam partis aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus et collegia ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium vel parlamentum, praeter iuris canonici dispositionem, trahunt vel trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecte, quovis quaesito colore. Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas seu quaevis alia decreta, in genere vel in specie, ex quavis causa et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu litterarum apostolicarum usu non receptarum seu revocatarum, vel cuiusvis consuetudinis aut privilegii vel alias quomodolibet, fecerint, ordinaverint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur vel deprimitur aut alias quovis modo restringitur, seu nostris et dictae Sedis ac quarumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe vel indirecte, tacite vel expresse, praeiudicatur.

Impedientes iurisdictionem iudicum ecclesiasticorum eorumque fautores;

§ 16. Necnon qui archiepiscopos, episcopos aliosque superiores vel inferiores praelatos et omnes alios quoscumque iudices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet impediunt quo minus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod canones et sacrae constitutiones ecclesiasticae et decreta conciliorum generalium, et praesertim Tridentini, statuunt. Ac etiam eos qui, post ipsorum ordinariorum vel etiam delegatorum quorumcumque sententias et decreta aut alias, fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias et alias curias saeculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata, etiam poenalia, ordinariis aut delegatis praedictis decerni, et contra illos exequi procurant. Eos quoque qui haec decernunt et exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem.

Usurpantes Sedis Apostol. et quarumcumque ecclesiarum iurisdictionem et fructus, vel eos sequestrantes;

§ 17. Quive iurisdictiones seu fructus, redditus et proventus, ad nos et Sedem Apostolicam et quascumque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione vel causa, sine Romani Pontificis vel eorum ad quos iure pertinent expressa licentia, sequestrant.

Imponentes decimas et alia onera personis ecclesiast. aut ecclesiis aut eorum fructibus, absque licentia Pontificis;

§ 18. Quive collectas, decimas, taleas, praestantias et alia onera clericis, praelatis et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum et ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali et expressa licentia, imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus et concedentibus, recipiunt. Necnon qui, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, praedicta facere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem aut votum seu suffragium, pa-

lam vel occulte, praestare non verentur, cuiuscumque sint præeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiam si imperiali aut regali praefulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones, respublicae et alii potentatus quicumque, etiam regnis, provinciis, civitatibus, terris quoquomodo praesidentes, aut quavis, etiam pontificali, dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis conciliis generalibus edita, etiam cum censuris et poenis in eis contentis.

Iudices saeculares se interponentes in causis criminalibus contra personas ecclesiasticas;

§ 19. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et quoscumque magistratus, senatores, praesidentes, auditores et alios iudices, quocumque nomine vocentur, ac cancellarios, vice-cancellarios, notarios, scribas ac executores et subexecutores, et alios quoquo modo se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas banniendo, capiendo, processando, seu sententias contra illas proferendo vel exequendo, etiam praetextu quorumcumque privilegiorum a Sede Apostolica, ex quibusvis causis ac sub quibuscumque tenoribus et formis, in genere et in specie, concessorum quibuscumque regibus, ducibus, principibus, rebuspublicis, monarchis, civitatibus et aliis quibuscumque potentatibus, quocumque nomine censeantur, quae nolumus illis in aliquo suffragari, illa omnia ex nunc in irritum revocando.

Occupantes terras et loca S. R. E. aut in illis iurisdictionem usurpantes, eorumque fautores;

§ 20. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore, de facto occupant vel detinent, vel hostiliter destruunt vel invadunt, aut occupare, detinere vel destruere aut invadere hostiliter praesumpserint, in totum vel in partem, almam Urbem, regnum Siciliae, insulas Sardiniae et Corsicae, terras citra Pharum, patrimonium Beati Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, comitatum Venaissinum, Sabinensem, Marchiae Anconitanae, Massae Trebariae, Romandiolae, Campaniae et Maritimae provincias, illarumque terras et loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, civitatesque nostras Bononiam, Caesenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avinionem, Civitatem Castelli, Tudertum et alias civitates, terras et loca vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta; quive supremam iurisdictionem, in illis nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis praesumunt. Necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestantes.

Raptores bonorum Camerae Apostolicae tempore infirmitatis Pontificis, aut vacationis Sedis Apostolicae.

§ 21. Necnon omnes et singulos supellectilium, librorum, scripturarum et bonorum Camerae et Palatii Apostolici ex eodem Palatio, infirmitatis Romani Pontificis ac Sedis Apostolicae vacationis tempore, ablatores, raptores et illorum detentores, ac quoscumque alios, ad quorum manus bona praedicta quocumque titulo et ex quavis causa scienter pervenerint.

Haec constitutio durat usque ad publicationem alterius similis constitutionis.

§ 22. Volentes praesentes nostros processus ac omnia et quaecumque his litteris contenta, quousque alii huiusmodi processus a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Reservatio absolutionis.

§ 23. Ceterum a praedictis sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae[1] et satisfaciendo cautione praestita, absolvi possit, etiam praetextu qua-

1 Cherub. addit *mandatis* (R. T.).

rumvis facultatum et indultorum, quibuscumque personis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium et militiarum, regularibus, etiam episcopali vel alia maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus et locis piis, necnon laicis, etiam imperiali, regali et alia mundana excellentia fulgentibus, per nos et dictam Sedem ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris aut alia quacumque scriptura, in genere et in specie, concessorum et innovatorum, ac concedendorum et innovandorum.

Absolventes alios a casibus hic reservatis excommunicantur.

§ 24. Quod si forte aliqui, contra tenorem praesentium, talibus excommunicatione et anathemate laqueatis vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Absolutio Pontificis quos comprehendat.

§ 25. Declarantes ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter, per nos faciendam, praedictos excommunicatos sub praesentibus comprehensos, nisi prius a praemissis, cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint; ac, quoad eos qui contra libertatem, ut praemittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas et decreta huiusmodi publice revocaverint, et ex archiviis seu capitularibus locis, aut in libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri et cassari, ac nos de revocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari. Quin etiam per huiusmodi absolutionem aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam et tolerantiam nostram vel successorum nostrorum quantocumque tempore continuatam, in praemissis omnibus et singulis ac quibuscumque iuribus Sedis Apostolicae ac S. R. E. undecumque et quomodocumque quaesitis et quaerendis, nullatenus praeiudicari posse seu debere.

Clausulae derogatoriae.

§ 26. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis vel eorum alicui seu aliquibus et aliis, cuiuscumque ordinis, status vel conditionis, dignitatis et præeminentiae fuerint, etiamsi, ut praemittitur, pontificali, imperiali, regali seu quavis ecclesiastica et mundana praefulgeant dignitate, vel eorum regnis, provinciis, civitatibus seu locis, a praedicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus aut remunerationis, et sub quavis alia forma et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, concessis, etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem; necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac praescriptionibus, quantumcumque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis vel non scriptis, per quae contra hos nostros processus ac sententias, quominus includantur in eis, se iuvare valeant vel tueri, quae omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur praesentibus, pro expressis habentes, penitus tollimus et omnino revocamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicandi hanc constitutionem in Urbe.

§ 27. Ut vero praesentes nostri processus ad communem omnium notitiam facilius deducantur, chartas seu membranas

processus ipsos continentes valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, quae processus ipsos quasi sonoro praeconio et patulo indicio publicabunt, ut ii quos processus huiusmodi contingunt, quod ad ipsos non pervenerint aut quod ipsos ignoraverint nullam possint excusationem praetendere aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Ordinarii locorum debent quotannis hanc constitutionem in ecclesiis frequenti populo publicare.

§ 28. Insuper, ut processus ipsi ac praesentes litterae ac omnia et singula in eis contenta eo magis fiant notoria, quo in plerisque civitatibus et locis fuerint publicata, universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum ordinariis, praelatis et rectoribus ubilibet constitutis per haec scripta committimus, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus ut, per se vel alium seu alios, praesentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries, in ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et ad christifidelium mentes reducant, nuncient et declarent.

Confessarii habeant transumptum huius constitutionis.

§ 29. Ceterum hortamur eosdem universos et singulos patriarchas, archiepiscopos, episcopos aliosque locorum ordinarios et ecclesiarum praelatos, necnon rectores ceterosque curam animarum exercentes, ac presbyteros saeculares et quorumvis Ordinum regulares, ad audiendum confessiones quavis auctoritate deputatos, ut transumptum harum litterarum penes se habere, legere et diligenter examinare procurent.

Transumptis subscriptis detur fides.

§ 30. Volentes earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo iudicis ordinarii Romanae Curiae vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, in iudicio et extra illud, ubique locorum adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 31. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, anathematizationis, interdicti, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, innodationis, mandati, hortationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, pridie nonas aprilis, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 4 aprilis 1583, pont. anno XI.

CXLVIII.

Quod praeceptoriae militiae et Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani vacent per promotionem ad episcopatum [1].

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Controversia super vacatione, de qua in rubr.

Controversia inter venerabilem fratrem nostrum Thomam episcopum Melevitanum, et dilectum filium Michaelem Palentin. proxime suscitata, occasione praeceptoriae de Masdeusi, prioratus Cathalauniae, hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, de qua, pridem vacante per susceptionem muneris consecrationis eiusdem episcopi, dicto Michaeli canonice provisum fuerat, ipse vero episcopus, illam, non

1 De hac militia vide ad Anastasii IV const. XV, *Christianae*, tom. II, pag. 618.

ut beneficium vacationi obnoxium, sed ut praedium possidere posse contendebat.

Decisio dictae controversiae emanata ab auditore Cam.

§ 1. Nos causam huiusmodi causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori audiendam commisimus et fine debito terminandam, omni et quacumque appellatione remota, qui, voto auditorum causarum Palatii Apostolici de mandato nostro adhibito, provisionem praedictam canonicam declaravit, perpetuum episcopo silentium imponendo, ac praetensam eius appellationem reiiciendo.

Approbatio Pontificis.

§ 2. Quare nos, attendentes episcopum dictam praeceptoriam sive praedium sive beneficium sive quodvis aliud, cum sua ecclesia sine dispensatione apostolica retinere non posse, ideoque iustae Michaelis postulationi assentientes, praedictam declarationem et quicquid ab ipso auditore in hac re decretum est, praesentium tenore approbamus et confirmamus, appellatione huiusmodi et quacumque provocatione vel protestatione ex parte episcopi interiecta non obstante.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, tertio kalendas maii, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 29 aprilis 1583, pontif. anno XI.

CXLIX.

Prohibitio sub poenis etc. ne cuiquam liceat contractus contra dispositionem statutorum aut iuris communis, seu monopolii in comitatu Rossilionis [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quaecumque improbi quaestus cupiditate ab hominibus adinventa, quae non ad commodum reipublicae, sed detrimenta, pertinent, reprobanda penitus, nec quoquomodo toleranda esse censemus.

Facti series

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, nonnulli mercatores comitatus Rossilionis, cupiditatis voragine ducti, ut famem in comitatu praedicto pro eorum libito inducant, ac christifidelibus pauperibus frumentum eo, quo volunt, pretio vendant, diversis sub praetextibus et cautelis excogitatis, etiam in iuris civilis et pontificii fraudem, quo annonam cariorem faciant, frumentorum diversa monopolia exercent, ex quibus aut pauperes in dies fame perire contingit, aut omnia eorum bona una die, quo victum sibi parent, vendere coguntur; diversique contractus, vulgo *quietamenti* nuncupati, eo in comitatu a mercatoribus in usum inducti sunt, dum communitates et universitates oppidorum, locorum seu villarum comitatus praedicti, aere alieno gravatae, illud exsolvere quaerunt, et mercatores ad eum effectum pecuniam offerunt, ac, loco pecuniae, frumenti, vini oleive aliquam quantitatem infra certum temporis vel plurium etiam annorum spatium, prout inter ipsos conventum est, ab eisdem exigunt, sive a communitatibus vel universitatibus recolligatur sive non recolligatur, exactasque quantitates vini, frumenti et olei huiusmodi congerunt et conservant, ut magno pretio suo tempore illa vendant, qua ratione eorumdem mercatorum lucrum, dum nulli periculo iidem sunt obnoxii, in infinitum excrescit; hinc dum de vendendis mercibus agitur, iidem in frumento sibi de eorum pretio satisfieri procurant, aliisque veris aut simulatis locationibus, fructuumque arrendationibus, fere universum, quod in comitatu praedicto colligitur, frumentum in eorum potestatem redigunt, ac in propriis horreis congregant servantque, donec annonae caritas eo in comitatu invalescat, ac tum demum vel iniquo pretio illa venalia vix proponunt.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium. Similis prohibitio facta fuit pro comitatu Ceretaniae et Regno Valentiae, quas, utpote huic simillimas, iisdemque compactas terminis, omittendas putavi.

Causa constitutionis edendae.

§ 2. Haec cum pessima sint, animaeque periculum et detrimentum afferant, et publicam eius comitatus quietem perturbent, maximisque incommodis et difficultatibus illud afficiant, communitatesque et universitates, concepta spe deceptae, vini ac frumenti vel olei quantitatem conventam pro pecunia praestare nequeuntes, maioribus debitis et oneribus se involvunt atque implicant, ac demum, eam ob causam, facultatum suarum iacturam omnino faciant; agricolae vero et rustici, dum sibi quae quotidiano usui necessaria sunt summo labore undique corradunt, semen ad serendos agros in unum redigere nequeunt; in eos, qui huiusmodi negotia contra iuris rationem pertractare, ac comitatum amplissimum his in difficultatibus adducere non erubescunt, pro munere nobis iniuncto, animadvertendum et providendum esse censemus, prout dudum felicis recordationis Adrianus Papa VI, praedecessor noster, similibus rationibus inclinatus, civitati Caesaraugustanae et regno Aragoniae per suas expeditas litteras desuper providit, quas per alias nostras desuper in forma brevis, sub datum xiv maii, pontificatus nostri anno sexto, expeditas litteras innovavimus, ac nedum antiquitus a dicto praedecessore contra similia agentes sancte statutas et propositas poenas ad usum revocavimus, verum etiam severius animadvertendum esse censuimus.

Innovatio litterarum Adriani VI, dictarumque ampliatio et extensio ad comitatum [illegible].

§ 3. Itaque, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra, dictarumque praedecessoris et nostrarum litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, expressis habentes, easque renovantes, et ad comitatum praedictum extendentes et ampliantes, sub excommunicationis latae sententiae ac amissionis dicti frumenti, vinei et olei, pro una videlicet regi, et alia executori, reliqua vero partibus denuntiatori applicandis, poenis ipso facto incurrendis, prohibemus ne cuiquam, quovis praetextu, liceat vini, frumenti seu olei quantitatem aliquam, causa revendendi, in praedicto comitatu, quacumque ratione, cum anticipatione solutionis pretii seu alias, retinere, aut dictos quietamentos vulgariter nuncupatos, seu quascumque alias similes vel dissimiles arrendationes frumentorum et fructuum ac cuiusvis generis contractus[1], ex quibus publica utilitas laedatur, caritasque annonae sequatur; quas etiam poenas incurrere volumus quoscumque dantes in his auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis praetextu aut quaesito colore, praeter a iure communi propositas et constitutas poenas in exercentes monopolia, quibus talia committentes omnino obnoxios esse volumus; ac praesenti nostro edicto sancimus ne super contractibus praedictis, quos omnino reprobamus, tabelliones vel notarii publici, sive apostolica aut imperiali, regali vel alia quacumque creati fuerint auctoritate, aliquod instrumentum conficere, vel in protocollum redigere, vel aliquam scripturam, etiam privatam, desuper conscribere pro cautela simplici audeant vel praesumant; quod si secus fecerint, in tabelliones, tamquam crimen falsi committentes, animadvertatur, et ad eadem et alia quaecumque munera publicasque functiones perpetuo inhabiles sint.

Poena in tabelliones.

Aeterna maledictio in eos qui praemissis prohibitionibus non obtemperaverint, et aliae poenae.

§ 4. Eos vero, qui in aliquo praedictorum contravenerint, praeter dictas sententias, censuras et poenas, maledictioni aeternae, quam ex parte omnipotentis Dei in scriptis ferimus, ac infamiae perpetuae et crimini monopolii et indebitarum et iniustarum usurarum, confiscationi ac privationi bonorum quorumcumque immobilium seu iurisdictionalium ac feudorum omnino esse subiectos, et a Christi corpore et Ecclesiae Dei unitate separatos, ac omni et quo-

1 Deest forsan *facere* vel *inire* (R. T.).

cumque beneficio et officio ecclesiastico vel saeculari, sive temporali sive perpetuo, existere privatos, et ad illa inhabiles esse statuimus et declaramus; et in casibus praedictis, absolutionem a sententia excommunicationis, nobis et Romano Pontifici, praeterquam si in articulo mortis constituti fuerint, reservamus.

Clausulae. § 5. Sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiamsi S. R. E. cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores fuerint, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executores praesentis constitutionis. § 6. Mandantes omnibus et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis abbatibus ceterisque ecclesiarum praelatis, quacumque auctoritate et dignitate fulgentibus, comitatus praedicti, quatenus praedictas litteras et in eis contenta quaecumque in eorum necnon singulorum parochialibus et aliis ecclesiis, si id necessarium esse iudicaverint, publicent seu publicari faciant, et ab omnibus exacte servari curent.

Derogatio contrariorum. § 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum. § 8. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, in quibus eædem publicari debent, volumus quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate *etc.*

Exceptionem ignorantiae admittendam non esse. § 9. Et ne aliqui, ex eo quod notitia praedictarum litterarum ad eos non pervenerit, se excusare possint, volumus eorum transumpta, etiam, ut praefertur, impressa et in singulis cathedralium et metropolitanarum ecclesiarum dicti comitatus valvis affixa, verae et realis publicationis et intimationis vim et effectum sortiantur, ac omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde afficiant, ac si singulariter et personaliter singulis intimatae forent.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die II mai MDLXXXIII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 2 maii 1583, pontif. anno XI.

CL.

De electione, numero et qualitatibus magistrorum sacrae theologiae, de cetero in provinciis Italiae eligendorum ex Ordine fratrum Eremitarum S. Augustini [1].

Dilectis filiis priori generali et fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini provinciarum Italiae.

Gregorius Papa XIII.

Dilecti filii, salutem et ap. benedictionem.

Exordium. Dominicum gregem sollicitudini nostrae commissum internis oculis perspicacius introspicientes, religiosorum et eorum, qui, mundanis abiectis illecebris, Altissimo in humilitatis spiritu famulantur, praecipuam curam gerere, et ea quae professioni illorum adversari seu quomodolibet illorum quietem et felicem statum perturbare posse videntur, de medio tollere, quantum ex alto nobis conceditur, satagentes, mentis nostrae aciem ad Ordinem vestrum ab ipso sancto Aurelio Augustino institutum, praecipua cura convertimus.

Causae huius constitutionis. § 1. Cumque inter vos, summa cum totius agri dominici fertilitate, quamplurimi

[1] Alia de hoc Ordine lege apud Alex. IV, const. XXIX, *Licet*, tom. III, pag. 635.

sacris litteris operam navantes, ad lectoris, baccalaurei et postremo magistri seu doctoris in sacra theologia gradum promoveri, et promoti certis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis et superioritatibus, iuxta Ordinis et Regulae vestrae, statutorum et institutionum formam et continentiam, frui et gaudere consueverint. Et propterea multi, propriis potius quam communibus commodis servientes, seipsos publicis officiis, oneribus et laboribus subtrahere satagentes, ad magisterii seu magistri sive doctoris gradus properanter anhelant, illum modis omnibus ambientes, adeo ut, nisi malo huiusmodi celeriter occurratur, brevi tempore dubitandum sit ne plures magistri quam discipuli in vestro Ordine, praesertim in provinciis Italiae, reperiantur, et cum omnes privilegio magisterii seu magistri vel doctoris suffulti fuerint, nemo, qui necessaria singulorum monasteriorum seu domorum vestrarum munia exercere velit, reliquus futurus sit. Unde factum est ut fratres Eremitae Ordinis vestri provinciarum extra Italiam constitutarum, magistros seu doctores, nisi magna cum cautela et parvo in numero, a certis annis citra non admiserint, nec admittant de praesenti.

Praescriptio numeri et qualitatis magistrorum in theologia efficiendorum

§ 2. Nos igitur, malis huiusmodi occurrere, et communi utilitati vestrum omnium consulere, et ut posthac nonnisi idonei et in numero decenti ad magisterium sive magistri aut doctoris gradum promoveantur, providere volentes, praedecessorum nostrorum et praesertim felicis recordationis Bonifacii Papae noni, qui alias per suas litteras, sub Datum Romae apud Sanctum Petrum, quinto kalendas maii, pontificatus sui anno decimotertio, Ordinis fratrum Praedicatorum magistros huiusmodi creandi modum et normam praescripsit, vestigiis inhaerentes, motu proprio, non ad vestram seu alicuius vestrum super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex nostra certa scientia et spontanea voluntate, ac de apostolicae potestatis plenitudine, statuimus, decernimus, ordinamus, volumus, mandamus, vetamus et prohibemus, ne posthac prior generalis Ordinis vestri pro tempore existens, neque etiam ipsum capitulum generale capitulariter congregatum, aut quodcumque capitulum sive congregatio provincialis, cuiuscumque provinciae intra Italiam constitutae, sive alii quicumque, quacumque ecclesiastica sive mundana praefulgeant dignitate et potestate, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, praetextu cuiuscumque consuetudinis, etiam immemorabilis, sive privilegii aut indulti apostolici ex quacumque causa quomodolibet pro tempore, etiam motu proprio, per quoscumque praedecessores nostros aut nos forsan concessi et innovati, quoscumque, quantumcumque idoneos et habiles, ad magisterium sive magistri aut in sacra theologia doctoris gradum et dignitatem quomodolibet efferre aut promovere, seu efferri et promoveri permittere possint aut valeant, audeant seu praesumant, nisi singulis sex annis, in singulis capitulis generalibus, coram definitoribus, et in ipso definitorio, et non ultra duos ex singulis Italiae provinciis seu congregationibus, ac alias modis, formis, locis, temporibus et a personis infrascriptis examinandos et approbandos, videlicet, ut in capitulis provincialibus, a vobis et singulis vestris Italiae provinciis seu congregationibus statutis temporibus celebrari solitis, ex vobis ipsis et ex singulis quibusque respective provinciis seu congregationibus, si fieri possit, sin autem, ex vicinioribus, viri magistri in sacra theologia moribus et doctrina idonei duo, qui ad magisterii gradum, modo et forma infrascriptis promovendos examinare, et in eorum et cuiuslibet eorum vitam et mores inquirere, il-

lorumque concursus audire, ut de eo sive eis recte iudicare possint et valeant, eligantur; iurentque electi ipsi se solo religionis zelo, omni humano affectu postposito, illos sese electuros, quos vita, moribus et doctrina idoneos seu idoneiores ex suae cuiusque conscientiae iudicio iudicabunt.

Experimentum et examen eorumdem.

§ 3. Omnes vero et singuli de singulis quibuscumque Italiae provinciis seu congregationibus respective, qui se ad magistri seu magisterii vel doctoratus huiusmodi gradum et dignitatem ascendere posse confident, ex ipsis quibusque respective provinciis seu congregationibus (si aderunt), sin autem, etiam ex aliis, dummodo promovendi ipsi ad aliquod monasterium illius provinciae, in qua promovendi fuerint, transferantur, et ab eo in filios legitime suscipiantur, summa cum diligentia et maturitate ab electis huiusmodi examinentur, et in eorum omnium et singulorum scientia et doctrina periculum fiat et experientia; et, centum formatis schedulis, distinctiones et punctos ex quatuor Magistri sententiarum libris, vigintiquinque scilicet ex libro quolibet, excerptos continentibus, illisque in urnam coniectis, singulae sorte extrahantur, quae singulis promovendis incontinenti assignentur, et super schedulis ipsis sive punctis sibi assignatis, qui forte obvenerint, singuli promovendi, vigintiquatuor horarum spatio, in praesentia duorum, sicut praemittitur, electorum et aliorum doctorum virorum ac patrum vocalium ipsius capituli provincialis, lectionem, ut vocant, scholasticam legere, et ex ea conclusiones suo arbitrio disputandas proponere, et contra ipsos omnes et singulos, sicut praefertur, legentes et substentantes, magistri graduati, sic ut praefertur, electi, seu alias praesentes, saltem tres, magistri arguere et contradicere teneantur. Et insuper inter promovendos ipsos fiat concursus, ut quis eorum alio seu aliis magis idoneus repertus fuerit, aliis posthabitis, praeferatur; examinibus vero et concursibus singulis in suis quibusque provincialibus capitulis modo et forma praemissis perfectis, omnes et singuli, qui examinibus et concursibus ipsis, sicut praefertur, electi praefuerint, praevio eorum et cuiuslibet ipsorum iuramento, singuli pro suis conscientiis solum Deum et religionis christianae profectum prae oculis habentes, omni et quocumque alio affectu postposito, quos idoneos seu magis idoneos reputaverint, in schedula eorum et cuiuslibet eorum, propria manu scripta seu subscripta, adnotare, et priori generali in generali capitulo quolibet sexennio celebrari solito, coram definitoribus seu maiori illorum parte, et in ipso definitorio, et non alibi, sub poena excommunicationis, praesentare curabunt.

Facultas ris geni eos promo di.

§ 4. Ex ipsis autem, modo et forma praemissis, et singulis provinciis seu congregationibus, electis examinatis et pro idoneis seu magis idoneis approbatis et receptis, prior generalis pro tempore existens, in loco ipso definitorii, et non alibi, et coram ipsis definitoribus seu maiori illorum parte, duos et non plures, singulis sex annis, et in generali capitulo ex singulis Italiae provinciis seu congregationibus eligere, illosque in sacra theologia magistros sive doctores creare et facere, auctoritate nostra possit et valeat; sicque per ipsum priorem generalem assumpti et promoti, in ipsa sacra theologia magistri vere et realiter, ubique, tam tota Italia quam extra in quacumque provincia vel congregatione, censeantur et existant, omnibusque et singulis gratiis, privilegiis, exemptionibus, praeeminentiis et superioritatibus, tam a iure communi quam statutis et consuetudinibus Ordinis vestri in sacra theologia magistris et doctoribus concessis et indultis, et quibus alii qui-

cumque in sacra theologia magistri seu doctores, in publicis quibuscumque gymnasiis aut Universitatibus ad magisterii seu magistri vel doctoris gradum promoti et assumpti, uti, frui, potiri et gaudere soliti sunt et consueverunt, utunturque, potiuntur et gaudent, uti, frui, potiri et gaudere possint, utanturque, fruantur, potiantur et gaudeant libere et licite, ac pacifice et quiete. Nos enim tibi dilecto filio priori generali moderno et pro tempore existenti, modo et forma praemissis a provincialibus capitulis electos et pro tempore eligendos, etiam absque alicuius loci ordinarii sive collegii aut Universitatis, sive Studii aut gymnasii generalis, sive illius rectoris aut cuiuscumque administratoris, quocumque nomine nuncupati, et quacumque ecclesiastica seu mundana auctoritate et potestate fungentis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis, licentia, ad magisterii sive magistri seu doctoris in sacra theologia huiusmodi gradum, præeminentiam, dignitatem, auctoritatem et facultatem promovere, illisque omnibus et singulis magistri seu doctoris in sacra theologia insignia, auctoritates, facultates et potestates singulis magistris et doctoribus in ipsa sacra theologia per nos aut quoscumque locorum ordinarios sive Universitates, collegia, Studia, gymnasia illorumque rectores sive administratores quoscumque aut alias quascumque personas, quacumque auctoritate et potestate suffultas, et S. R. E. cardinales et de latere nostro legatos, vel etiam quaecumque loca, concedi solita, ipsis, sicut praefertur, electis, examinatis et approbatis, quos ex singulis provinciis, modo et forma praemissis, prævia de more professione fidei[1], et in magistros seu doctores assumpseris, dare, indulgere, concedere et attribuere, etiamsi capitulum generale huiusmodi in alma Urbe nostra aut alibi, ubi nos et Curiam nostram Romanam tunc temporis commorari contigerit, aut in aliis quibuscumque civitatibus, in quibus gymnasia et Studia generalia vigere dignoscuntur aut in futurum quomodolibet erigentur, fieri et celebrari contigerit, plenarie concedimus et indulgemus, praesentium per tenorem.

Revocatio privilegii quibuscumque concessi.

§ 5. Decernentes et districte praecipiendo mandantes ne quisquam vestrum, qui posthac, cuiuscumque privilegii, etiam a nobis et successoribus nostris, etiam motu proprio, concessi aut alias quomodolibet impetrati, praetextu, ad cuiuscumque doctoratus aut magisterii gradus, etiam a quibuscumque locorum ordinariis, etiam S. R. E. cardinalibus aut de latere legatis, sive in quibuscumque gymnasiis aut Universitatibus in posterum promoti fuerint, magistri aut in sacra theologia doctoris titulum, nomen, insignia aut præeminentiam seu privilegia et exemptiones quascumque usurpet, aut usurpare, sive alias aut aliter, quam modo et forma praemissis, concessis uti quomodolibet, publice vel occulte, audeat seu praesumat, sub poena privationis ceterorum graduum et inhabilitatis ad magisterium, etiamsi aliquibus, per nos aut successores nostros ac Sedem Apostolicam, ut in sacra theologia vere et realiter magistri seu doctores sint et existant, et omnibus gratiis, privilegiis, exemptionibus et indultis, quibus ceteri magistri et doctores potiri et gaudere consueverint, potiantur et gaudeant, quomodolibet concessum extiterit. Interdicentes etiam, prout earumdem praesentium tenore interdicimus, omnibus et singulis Italiae provinciis praedictis et quibuscumque congregationibus vestris, ne quemquam ad magisterium sive doctoratum approbare aut proponere, aliter, alibi aut alias quam praescriptis modis, formis, personis et locis ac temporibus,

[1] Cherub. addit *elegeris* (R. T.).

possint aut valeant, quovis quaesito colore vel ingenio.

Executorum deputatio.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Iacobo episcopo Portuensi, moderno, ac pro tempore existenti Ordinis vestri protectori, necnon Mediolanensi archiepiscopo, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae nostrae Apostolicae generali auditori per praesentes motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes nostras litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra aut alicuius vestrum fuerint requisiti, seu eorum alter fuerit requisitus, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, praemissa omnia et singula ab omnibus et singulis, quos tangunt seu tangere poterunt quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari. Contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas per eos seu eorum alterum inflictas et comminatas saepius aggravando et reaggravando, etiam invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Gregorii decimi ac Bonifacii octavi, praedecessorum nostrorum, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque et indultis, etiam Mare Magnum appellatis, ex quacumque, etiam onerosa et necessario exprimenda, causa, tam vobis et Ordini vestro, quam singulis vestris provinciis, congregationibus et domibus seu monasteriis aut particularibus personis, quam etiam quibuscumque locorum ordinariis, etiam S. R. E. cardinalibus aut de latere legatis, vel etiam gymnasiis et Studiis seu Universitatibus quibuscumque, etiam magistros ipsos in sacra theologia creandi et promovendi modum, formam et normam praescribentibus, etiam cum quibusvis, etiam insolitis et efficacioribus ac derogatoriarum derogatoriis, clausulis et decretis, etiam motu proprio concessis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDLXXXIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 25 iunii 1583, pontif. anno XII.

CLI.

Dismembratio tertiae partis fructuum ab uno canonicatu et praebenda quarumcumque ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum regnorum Portugalliae et Algarbiorum, et applicatio eorumdem Officio SS. Inquisitionis dictorum regnorum [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncti nobis apostolici muneris debito inducimur, et, rationis ordine suadente, curare tenemur ut his, qui,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

pro fidei catholicae conservatione et puritate ac haeresum extirpatione, iugiter laborare non cessant, pro eorum commoda sustentatione ac necessitatibus sublevandis, et onerum illis incumbentium supportatione, congruae subventionis auxilia ex Christi Domini patrimonio ministrentur.

Facti series. § 1. Cum itaque, sicut carissimus in Christo filius noster Philippus, Portugalliae et Algarbiorum rex catholicus, suo et dilectorum filiorum generalis et aliorum inquisitorum haereticae pravitatis in Portugalliae et Algarbiorum regnis existentium nominibus, exponi nobis nuper fecit, Officium Sanctae Inquisitionis in dictis regnis institutum gravium impensarum mole ita gravatum existat, ut ad generalis et aliorum inquisitorum praedictorum ministrorumque et officialium congruam sustentationem, onerumque ipsi officio diversimode incumbentium supportationem annuus redditus quatuordecim millium cruciatorum non sufficiat, redditus autem et proventus ipsius Officii ad decem mille ducatorum annuatim non ascendant, ac proinde Officium ipsum non parvo subventionis auxilio indigere noscatur: nos, qui alias, procurante clarae memoriae Sebastiano regnorum praedictorum rege, asserente redditus et proventus annuos Officii praedicti summam quinque millium cruciatorum non excedere, ab uno et una Ulixbonensis et Elborensis ac Colimbriensis duas tertias partes, et singularum vero aliarum cathedralium, etiam metropolitanarum, ecclesiarum regnorum praedictorum canonicatibus et praebendis, quibusdam exceptis, etiam tunc vacantibus seu quos primo quovis modo vacare contingeret, medietatem omnium et singulorum fructuum, reddituum et proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum ac distributionum quotidianarum, solis praesentibus et divinis interessentibus dari, et per eos lucrari solitarum, ab ipsis canonicatibus et praebendis dismembravimus et separavimus, illaque eidem Officio perpetuo applicavimus et appropriavimus, prout in nostris desuper in forma brevis confectis litteris plenius continetur.

§ 2. Et, sicut accepimus, dismembratio et applicatio huiusmodi effectum sortitae non sunt, nosque fidei catholicae conservationem et puritatem summopere affectamus, Officii praedicti indemnitati in partem saltem consulere, et ut impensas praedictas commodius perferre valeat, de aliquo subventionis auxilio providere volentes, necnon fructuum, reddituum et proventuum eidem Officio alias quomodolibet apostolica vel alia auctoritate applicatorum seu unitorum quantitates, qualitates verosque annuos valores, ac praedictarum seu quarumcumque aliarum litterarum, unionum seu applicationum huiusmodi tenores, continentias et formas, praesentibus pro expressis habentes, ac posteriores dismembrationem, separationem et applicationem penitus abrogantes, cassantes, irritantes et annullantes, Philippi regis et inquisitorum praedictorum nobis super eo porrectis supplicationibus inclinati, ab uno et una ex Ulixbonensis et Elborensis ac Colimbriensis medietatem, et singularum vero aliarum cathedralium, etiam metropolitanarum, ecclesiarum regnorum praedictorum ab uno etiam et una canonicatibus et praebendis, theologalibus, doctoralibus et poenitentialibus tamen exceptis, etiam nunc actu vacantibus, seu quos primo, per cessum vel decessum aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem aut privationem illos ad praesens obtinentium, seu alias quovis modo et ex quorumcumque personis, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus nobis aut Romano Pontifici

[Margin notes: Causa constitutionis edendae. — Dismembratio fructuum canonicatuum seu dignitatum cathedralium, ut infra.]

pro tempore existenti, et Sedi huiusmodi reservatis, etiam ordinariis collatoribus per constitutiones apostolicas nunc et pro tempore editas, seu litteras alternativarum aut etiam alia privilegia et indulta hactenus concessa vel in posterum concedenda, vacare contigerit, et tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad dictam Sedem legitime devoluta; ipsique canonicatus et praebendae dispositioni apostolicae specialiter, vel ratione cuiusvis, etiam nostrae vel alicuius cardinalis viventis, in Romana Curia praesentis, familiaritatis, continuae commensalitatis, aut alia quavis causa, non tamen ex causa resignationis, generaliter reservati existant, et super eis lis inter aliquos, cuius status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, necnon singulorum canonicatuum et praebendarum praedictorum fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis etiam habentes, tertiam partem omnium et singulorum fructuum, reddituum et proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum, ac etiam distributionum quotidianarum, solis praesentibus et divinis officiis interessentibus dari et per eos lucrifieri solitarum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo separamus et dismembramus, illasque sic separatas et dismembratas eidem Officio, ita quod liceat modernis et pro tempore existentibus generali et aliis inquisitoribus, ministris et officialibus praedictis singulas partes dismembratas ac separatas praedictas, per se vel alium seu alios, propria auctoritate, et ex integris fructibus mensarum capitularium, percipere, exigere, levare, locare, dislocare, arrendare, atque in suos et dicti Officii usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, subreptionis vel obreptionis aut intentionis nostrae seu quovis alio praetextu seu causa annullari, invalidari vel impugnari, aut per loci ordinarios aut capitula ecclesiarum praedictarum seu alios quoscumque revideri vel examinari nullatenus posse; minusque sub similium aut dissimilium separationum, dismembrationum, applicationum, appropriationum, concessionum, assignationum aut aliarum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus minime comprehendi posse, sed tamquam in fidei favorem emanatas, ab illis semper exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et reintegratas esse et censeri; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus nostris de unionibus committendis ad partes, vocatis interesse habentibus, et exprimendo valore, necnon Lateranensis concilii, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon singularum ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis iisdem ecclesiis illarumque praesulibus, superioribus, capitulis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam per quoscumque Romanos Pontifices praede-

cessores nostros et Sedem praedictam, motu proprio et ex certa scientia ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exceptio de canonicatibus, quorum redditus non excedunt cc cruciatos.

§ 5. Volumus autem quod ubi fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta ac distributiones aliquorum ex canonicatibus et praebendis primo vacaturis praedictis ad ducentos cruciatos monetae Portugalliae, secundum communem extimationem praedictam, annuatim non ascendent, ex illis ea tantum pars, quae valorem annuum centum cruciatorum similium excedet, separata et dismembrata, dicto Officio applicata censeatur, ita ut ipsos canonicatus et praebendas pro tempore obtinentibus centum cruciati ad minus annuatim remaneant; quodque canonicatus et praebendae huiusmodi, a quibus partes praedictorum fructuum dismembrari contigerit, aliquibus idoneis viris, qui onera consueta illis incumbentia cum residuo fructuum illis remanentium supportent, conferantur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDLXXXIII, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 28 iunii 1583, pontif. anno XII.

CLII.

Declaratio praecedentiae inter Ordines Mendicantium et inter confraternitates laicorum in processionibus [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exposcit pastoralis officii munus, cui, disponente Domino, praesidemus, ut ad ea sollicite intendamus, per quae discordiarum et litium ac controversiarum quarumlibet, praesertim inter personas ecclesiasticas, materia tollatur.

Causa constitutionis.

§ 1. Sane nobis nuper innotuit quod in multis civitatibus et dioecesibus diversarum mundi partium nonnullae lites, causae et controversiae inter fratres Mendicantes, aliae etiam similes lites et controversiae inter confratres [2] christifidelium, super praecedentia vel iure praecedendi, ortae iam sint et oriri facile possint.

Extinctio litium.

§ 2. Nos, considerantes lites, causas et controversias huiusmodi in Ecclesia, praesertim inter religiosas personas, quae, relictis mundi vanitatibus, famulatum et votum suum in humilitatis spiritu Domino et Deo nostro, qui se pro nobis usque adeo humiliavit ut formam servi acciperet, exhibere et persolvere profitentur, non modicam illi praeclarae Deoque praecipue dilectae virtuti, quae est humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicaeque religionis tranquillitati, ac ministrorum ecclesiasticorum reconciliationi et mutuae dilectioni quamprimum consulendum esse rati, ac supremam huic negocio manum apponere volentes, nec-

1 Adverte quod Pius V, generaliter dedit praecedentiam fratribus Praedicatoribus Ordinis S. Dominici ante alios Mendicantes, ut in eius constit. CVIII, *Digina*, tom. VII, pag. 699.

2 Adde cum Cherub. *confraternitatum* (R. T.).

non causas, lites seu controversias huiusmodi ubilibet et coram quibusvis iudicibus motas, et in quibusvis instantiis indecisas pendentes, ab eisdem iudicibus harum serie ad nos advocantes, illasque penitus extinguentes, eisdemque fratribus Mendicantibus ac confratribus super praemissis perpetuum silentium imponentes:

Diffinitio differentiae circa praecedentiam.

§ 3. De nobis attributae potestatis plenitudine, volumus et apostolica auctoritate decernimus quod quicumque ex dictis fratribus Mendicantibus inter se de praecedentia huiusmodi contendentibus, aut confratribus confraternitatum praedictarum, inter quos lites et causae, praemissorum occasione, ortae iam sint seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione praecedentiae ac iuris praecedendi sunt, ii (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus et aliis subterfugiis prorsus remotis et cessantibus et postpositis) in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur aut non constet de quasi possessione praecedentiae huiusmodi, inter fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiae; inter confratres vero inter se litigantes, ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis quam privatis, praecedere debeant: ita ut, si contigerit nova monasteria aut domus alicuius Ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus monasteria aut domus prius erecta et instituta sint, ille Ordo, qui prius monasterium seu domum in loco habuerit, praecedat.

Declaratio diffinitionis.

§ 4. Praeterea, quia inter praedictos Ordines plerumque alia in processionibus et alia in conciliis generalibus et aliis actibus publicis sive privatis ratio circa modum praecedendi servatur, nolumus per praesentes praerogativis dictorum Ordinum, quoad praecedentias huiusmodi, quae propriis Ordinibus, praeterquam in processionibus praedictis, debentur, aut fratribus Cappuccinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub Conventualium Sancti Francisci aut Minorum de Observantia fratrum nuncupatorum cruce, ut solent, incedere possint, aliquod praeiudicium generari.

Clausula sublata.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, congregationum, domorum ac confraternitatum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis,

eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra, adhibeatur, quae praesentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die xxv [1] iulii MDLXXXIII, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 25 iulii 1583, pontif. anno XII.

CLIII.

Confirmatio erectionis quorumdam monasteriorum Ordinis monachorum Sancti Pauli primi eremitae in Hungaria, Polonia, Istria ac Dalmatia, et privilegiorum [2].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et facti series.

§ 1. Cum inter alios religiosorum Ordines, quibus fides catholica, quasi gemmis rutilantibus, illustratur, Ordo, quem B. Paulus primus eremita, deserti loca petens, vitae sanctimonia et institutis eximiis instituit, singulari quodam splendore refulgeat, convenit nos illum illiusque monasteria omnia specialibus favoribus et gratiis prosequi. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii generalis et monachi ipsius Ordinis quod nonnulla eiusdem Ordinis monasteria seu domus aut loca, tam in Hungariae et Poloniae regnis quam Istria et Dalmatia sive Sclavonia dudum erecta et instituta fuerunt, ipsique erectiones et institutiones dictorum monasteriorum seu domorum aut locorum per nos approbari et confirmari desiderant.

Confirmatio et approbatio omnium domorum atque denominationum factarum Ordini Sancti Pauli primi eremitae.

§ 2. Quare, pro parte eorumdem generalis et monachorum, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eorum desiderio in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, monasteriorum seu domorum aut locorum praedictorum situationes, qualitates, quantitates, denominationes, nuncupationes et veros annuos valores ac quarumcumque scripturarum desuper confectarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas erectiones et institutiones quorumcumque dicti Ordinis B. Pauli primi eremitae monasteriorum, domorum seu locorum in Hungariae et Poloniae regnis, ac Istria et Dalmatia seu Sclavonia huiusmodi, eorumque privilegia, libertates, facultates, favores, gratias, immunitates et indulta, quatenus in usu sint et sacris canonibus et praesertim concilii Tridentini decretis non adversentur, necnon quascumque donationes et legata bonorum et rerum illis per quoscumque facta, et inde secuta omnia, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, necnon omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulae atque executionis mandatum.

§ 3. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabili fratri episcopo Zagabriensi, ac dilectis filiis nostro et Sedis Apostolicae in illis partibus existenti nuncio, ac causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte generalis et monachorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia

1 Cherub. et Matth., xv *iulii* (R. T.). 2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

observari; non permittentes monachos et quasvis alias personas dictorum monasteriorum seu locorum aut domorum desuper a quoquam quomodolibet molestari; contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis, vigore praesentium, ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon quibusvis concessionibus seu unionibus aut applicationibus desuper factis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus et dicta auctoritate decernimus quod transumpto praesentium litterarum, sigillo alicuius praelati ecclesiastici munito, et manu notarii *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV iulii MDLXXXIII, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 25 iulii 1583, pontif. anno XII.

CLIV.

Confirmatio diversorum privilegiorum pro doctoribus philosophiae et medicinae collegiorum Bononiensium [1].

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et facti series.

§ 1. Tanta sunt, quae per philosophiae et medicinae scientiam humanae vitae commoda afferuntur, ut illarum professores, qui pro publica utilitate laborare non cessant, Sedis Apostolicae benignitatem in eorum petitionibus et votis experiri, et amplioribus in dies ornamentis decorari promereantur. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii doctores philosophiae et medicinae collegiorum nostrae civitatis Bononiae, per dilectum filium nostrum Philippum tituli S. Sixti presbyterum cardinalem Boncompagnum nuncupatum, quod ipsi cupiunt privilegia, immunitates, facultates, libertates et indulta ipsis collegiis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ac imperatoribus et regibus aliisque principibus concessa, ut perpetuae firmitatis robur obtineant, nostrae approbationis munimine approbari. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt ut eorum votis annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Causa constitutionis edendae, et confirmatio privilegiorum.

§ 2. Nos igitur, qui liberalium artium professores speciali dilectione prosequimur, collegiorum praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, praeeminentias, facultates, praerogativas, libertates, gratias et indulta collegiis praedictis, tam ab ipsis Pontificibus praedecessoribus nostris, quam ab imperatoribus et regibus Romanis ac aliis principibus concessa, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, haberi volumus pro expressis, quatenus sint in usu et sacris canonibus ac praesertim decretis conci-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

lii Tridentini non repugnent, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, eaque firmiter observari debere decernimus, supplentes omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Doctores artium liberalium philosophiae et medicinae creat equites auratos.

§ 3. Et nihilominus praemissa omnia et singula, prout per praedecessores nostros, imperatores, reges aliosve principes concessa sunt, apostolica auctoritate, tenore praesentium, de novo concedimus; ac omnes et singulos doctores in artium liberalium philosophiae et medicinae collegiis huiusmodi cooptatos, praesentes et futuros, milites et equites auratos, auctoritate apostolica, earumdem tenore praesentium, creamus, constituimus, ac aliorum militum et equitum auratorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, eosque pro talibus haberi, nominari et reputari, necnon omnibus et singulis praerogativis, privilegiis et exemptionibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri milites et equites aurati de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, gaudere libere et licite posse et debere decernimus.

Facultas aggregandi doctores ad militum auratorum cum aliis privilegiis.

§ 4. Et insuper eisdem doctoribus quoscumque, quos militari dignitate et honore dignos esse putaverint, huiusmodi dignitate et honore, cum solita militaris cinguli et calcarium deauratorum exhibitione, decorandi, et aliorum militum et equestrium virorum Ordini aggregandi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, auctoritatem et facultatem concedimus. Praeterea, quod omnes et singuli, in collegiis huiusmodi ad doctoratus vel magisterii seu licentiaturae aut alios gradus pro tempore promoti, omnibus et singulis antelationibus, privilegiis, praerogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, honoribus, facultatibus, gratiis, favoribus et indultis, quibus alii doctores, licentiati et graduati in quibuscumque aliis Universitatibus, tam citra quam ultra montes, ad doctoratus vel magisterii aut licentiaturae gradum iuxta illorum ritus et mores promoti, de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet, utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere in omnibus et per omnia, perinde ac si doctoratus, magisterii, licentiaturae et alios gradus huiusmodi in eisdem Universitatibus iuxta illorum ritus et mores suscepissent, libere et licite possint et valeant, praedicta auctoritate apostolica, earumdem tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Mandatur executio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Bononiensi, et episcopo Imolensi, et dilecto filio abbati monasterii S. Stephani, Ordinis S. Benedicti Bononiensis, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte doctorum praedictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos quos praesentes litterae concernunt, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando,

invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, et quibusvis aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac Cancellariae Apostolicae per nos et Sedem eamdem in contrarium forsan pro tempore editis; necnon legibus imperialibus, statutis et consuetudinibus, etiam civitatum et locorum, ac illorum reformationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; necnon quibusvis privilegiis, indultis et litteris apostolicis, etiam quibusvis Universitatibus Studiorum generalium, collegiis, etiam archivii Romanae Curiae, et quibusvis aliis locis, etiam ad instantiam imperatoris, regum et reginarum, ducum, principum et aliorum dominorum temporalium concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die vigesima quinta iulii MDLXXXIII, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 25 iulii 1583, pontif. anno XII.

CLV.

Forma publicandi resignationes beneficiorum ecclesiasticorum in Curia et extra [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa constitutionis.

Humano vix iudicio ita bene quicquam et providenter sanciri potest, quin usus saepe aperiat doceatque id, quod salubre fore credebatur, minus experiendo prodesse, quod in illis constitutionibus, quas ad prohibendas simulatas occultasve beneficiorum ecclesiasticorum resignationes diversi Romani Pontifices multifariam ediderunt, et felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, novissime promulgavit, cognoscimus accidisse.

Resignationes et iurium concessiones publicari debent intra sex menses, si beneficia sint citra montes; si ultra, intra novem.

§ 1. Nos hoc malum, prout occasio necessitasque postulant, coercere volentes, statuimus ut posthac omnes et quaecumque resignationes, etiam causa permutationis ac commendarum, et etiam litteris apostolicis non confectis, et possessione non habita, necnon litis et iurium quorumcumque concessiones et retrocessiones, quae deinceps de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, in nostris seu Romani Pontificis pro tempore existentis manibus ac etiam coram notario publico et testibus fient, et a nobis vel illo seu nostro vel illius mandato admittentur, et super eis provisiones et quaecumque aliae

1 Quae autem resignationes ab episcopis admitti possint, definivit Pius V in const. XCII, *Quanta*, tom. VII, pag. 664; formamque desuper litteras apostolicas expediendi praefinivit in const. L, *Cogit*, ibid., pag. 552.

dispositiones, sive temporales sive perpetuae, aut ad hoc mandata apostolica, sub quacumque forma et quibuscumque, etiam S. R. E. cardinalibus ac piis locis quocumque privilegio suffultis, facta, publicari debeant cum litteris apostolicis desuper confectis, intra sex menses, si beneficium citra montes fuerit; ultra vero, intra novem, a data concessionis gratiae, non autem a die praestiti super ea consensus, numerandos, etiam si postea concessio gratiae huiusmodi ex quavis causa, diversisque subsequentibus datis, ac quotiescumque et quovis modo reformata et valida reddita fuerit, pluresque et quotquot in alium vel alios cessiones, ac etiam in ipsummet primum resignantem vel cedentem retrocessiones, termino praedicto nondum elapso, intercesserint, ita ut unicus dumtaxat terminus omnibus his successivis cessionibus ac retrocessionibus decurrat, ut qui postremus gratiam habuerit, publicationem huiusmodi facere, ceteraque omnia hic praescripta intra eumdem terminum praestare teneatur.

Forma publicatio resignationes et cessiones.

§ 2. Ipsa autem publicatio in cathedrali et in beneficii ecclesia vel ecclesiis, si in pluribus illud sit, fiat ubique, dum frequens populus ad missarum solemnia convenerit; palam omnibus litterae apostolicae praedictae earumve transumptum authenticum exhibeatur; claraque et intelligibili voce resignatio seu cessio huiusmodi, ac beneficii qualitas et invocatio, nominaque et cognomina resignantis seu cedentis, ac illius in cuius favorem gratia huiusmodi facta est, pronuncientur, ita ut haec omnia possint ad notitiam omnium ibi existentium verisimiliter pervenire; scriptoque de his omnibus exemplo collato, valvis dictarum ecclesiarum affixum relinquatur. Si vero ecclesia beneficii ruralis sit aut populo conventuque careat, eo casu in parochiali, intra cuius parochiae limites beneficium ipsum consistit, et in cathedrali ecclesia; vel si locus bello seu peste aliisve manifestis periculis subiaceat, tunc in proxima parochiali ac etiam in cathedrali ecclesia; vel si aditus ad illas aut utramvis minime sit securus, in alia cathedrali vel parochiali viciniori, periculorum immuni, publicatio huiusmodi peragatur.

Declaratio circa apprehensionem possessionis beneficiorum etc.

§ 3. Is quoque in quem disponi vel mandari de beneficio, etiam litigioso, vel ab accedente non possesso, sub quacumque forma contigerit, possessionem beneficii intra dictum tempus, vigore litterarum apostolicarum desuper confectarum, nec alias apprehendere debeat; et si propter litem aut aliud legitimum impedimentum nequiverit, saltem litteras apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta erit, iudici seu executori illarum, vel aliis ad quos pertinet, per se vel procuratorem suum legitimum, intra idem tempus praesentare, et apud illum vel illos pro ipsarum litterarum executione instare, et possessionem huiusmodi instanter petere teneatur.

Forma praedicta servari debet in omnibus beneficiis specifice et non per aequipollens.

§ 4. Ceterum, modus et forma hic tradita semper et ubique debeat observari, nec alia vel aequipollens ullo modo admitti in omnibus huiusmodi resignationibus, cessionibus et retrocessionibus de quibuscumque ecclesiis, monasteriis, prioratibus, tam virorum quam mulierum, dignitatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum, etiam militiarum, regularibus, etiam electivis et manualibus, ac etiam de iure patronatus laicorum illustrium et alias quomodocumque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio sive in possessorio litigiosis, etiam de quibus in consistorio nostro disponi consuevit seu debet, quae posthac ex quacumque causa fient, et per nos ac praedictos successores, extra tamen dictum consistorium,

admittentur, etiam cum reservationibus nominis, tituli, administrationis, possessionis, fructuum, etiam omnium, ac rerum et iurium quorumcumque. Ad praedictorum tamen observationem eum, in quem iuris fit cessio beneficii, quod, tempore cessionis huiusmodi et ante illam, vigore litterarum apostolicarum, ut supra, si ad id tenebatur, publicatarum, realiter possidebat, nolumus obligari.

Annullatio resignationum et cessionum, non observatis praedictis.

§ 5. Quod si quicquam praedictorum omnium omissum fuerit, dictis terminis, ut cuique praescripti sunt, elapsis, omnes dispositiones et gratiae resignatorum et cessorum beneficiorum aut iurium huiusmodi, cum omnibus inde secutis, sive de pacificis sive de litigiosis, sint irritae et inanes, nullaque alia gratia super huiusmodi beneficio sive iure cesso iis, quibus concessa fuerit, suffragetur, sed ipsi tales inhabiles et incapaces sint ad huiusmodi beneficia sic resignata et cessa quandocumque obtinenda, illaque sive iura, ab ipsa statim prima resignatione seu cessione, etiamsi illae alias nullae et invalidae essent, vacavisse et vacare censeantur eo ipso; nec resignantibus seu cedentibus, si postea in sua possessione remanent, constitutiones de annali et triennali possessore, nec praesumptae aut tacitae retrocessiones, etiam propter diuturnam continuatae possessionis huiusmodi tolerantiam, nec omnino aliud ius vel beneficium ullo tempore suffragetur, sed ipsa beneficia sive iura, sic a principio vacantia, a Sede Apostolica praedicta dumtaxat impetrari valeant ac concedi. Illorum vero impetrationes vel etiam motu proprio concessiones, quibuscumque derogationibus suffultae, numquam sub clausulis generalibus aut vacationum modis conditionalibus vel implicitis comprehendantur, sed specialiter et expresse, ob non servatam praesentis constitutionis formam, ac cum declaratione nominum et cognominum resignantis seu cedentis et gratiam habentis, dispositive et [1] conditionaliter fieri omnino debeant; et quicumque sic impetrans, aut gratiam, etiam motu simili, habens, praefinitum cuique casui tempus praedictum a data concessionis gratiae sibi factae huiusmodi ac omnia, quae cadens a iure praedicto debebat, praestare teneatur; et si pluribus gratiam huiusmodi fieri contigerit, is, prae omnibus, obtineat qui primus publicationem suae impetrationis fecerit, et possessionem adeptus fuerit aut petierit, omniaque requisita praedicta adimpleverit, quamvis in data sit postremus, et possessio ab alio in publicando negligentiore prius apprehensa fuerit vel petita. Reservationibus omnibus nominis, administrationis, fructuum, etiam omnium, ac pensionum et aliarum rerum quarumcumque, necnon facultatibus, indultis et aliis concessionibus, tam ipsis resignantibus seu cedentibus, qui tamen possessionem ab initio re ipsa dimiserint, quam aliis ex huiusmodi resignationibus seu concessionibus a Sede Apostolica factis, nihilominus validis plenumque effectum sortituris.

Declaratio quod procedi possit in causa litigiosi contra cedentem, donec successor venerit ad causam.

§ 6. Sed, ne in beneficiis super possessione vel proprietate litigiosis litis prosecutio turbari valeat vel differri, in causis huiusmodi contra cedentem ad ulteriora, etiam ad sententiam definitivam et rem iudicatam ac illius executionem, quousque ille, qui gratiam ex resignatione seu cessione aut ex omissa forma publicationis huiusmodi obtinuit, ad causam, per se vel procuratorem legitimum, accesserit, litemque huiusmodi susceperit, eodem modo et ordine procedi possit, quo potuisset legitime, si cessio huiusmodi facta non fuisset; ac quicquid interim sic procedendo decretum et expeditum fuerit, sive cum cedente sive contra eum, etiam postquam ipse vel quivis

1 Cherub. legit *et non conditionaliter* (R. T.).

alius incumbentia sibi secundum praedicta praestiterit, non solum circa fructus, sed etiam circa possessionem et ipsum ius, quod cessum est, valeat omnino et vim obtineat; illumque ipsum, cui gratia facta est, non minus afficiat, quam si, ipso legitime citato, contra eum decretum et expeditum fuisset; nec ipse adversus haec, praetextu non acceptatae gratiae, vel etiam illius ignoratae, aut citationis vel intimationis executioni contra ipsum minime demandatae, aliave ratione valeat excusari. Possit tamen ipse, etiamsi in lite et causa huiusmodi subrogatus non sit, quandocumque ad illius prosecutionem et terminationem venire, et a iudice, coram quo causam ipsam, etiam ex delegatione, pendere contigerit, in illis ipsis statu et terminis, in quibus tunc eam esse repererit, etiam absque rescripto speciali, admitti.

Forma admittendi et publicandi resignationes, quae fiunt coram ordinariis vel legatis.

§ 7. De beneficiis autem, quae deinceps in manibus ordinariorum collatorum, etiam cardinalium, etiam indulta et facultates ad hoc ab Apostolica Sede habentium, ac legatorum, etiam de latere, et delegatorum, etiam specialium, eiusdem Sedis extra Romanam Curiam resignari, etiam ex causa permutationis, contigerit, ipsi intra mensem negocium universum admissionis vel reiectionis resignationis huiusmodi et, si per eos facienda erit, provisionis resignati beneficii, iuxta apostolicas et alias canonicas sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra tres menses á die sibi factae provisionis, illam publicet et possessionem beneficii capiat modo et forma supradictis, alioquin, illis elapsis, nulla sit eius provisio, et beneficium vacare censeatur eo ipso.

Poena inobedientium.

§ 8. Ordinariique et alii praedicti, qui haec, uti eis praescribuntur, non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis beneficiis sint ea vice privati, eorumque dispositio eo ipso ad Sedem Apostolicam devoluta existat, ut aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat modo et forma praedictis concedantur; decernentes sic per quoscumque iudicari debere, necnon irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus praedicti Pii V et aliis omnibus aliorum praedecessorum nostrorum constitutionibus de publicandis resignationibus huiusmodi hactenus editis et reformatis, quas omnes omnino abrogamus, ita tamen quod, in publicandis illis resignationibus et cessionibus, quae in manibus nostris hucusque factae et a nobis admissae sunt, et tempus ad eas publicandas iuxta dicti Pii praedecessoris constitutionem nondum effluxit, constitutio ipsa, quoad eas dumtaxat, integre observetur; necnon resignantium sive cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus et clausulis, in ipsismet resignationibus et cessionibus seu procuratorum constitutionibus et mandatis ac alias, etiam ad praeservationem suorum iurium et significationem quod non aliter nec alio modo resignant seu cedunt, appositis, et quacumque verborum vi, formula et multiplicatione expressis, necnon indultis, privilegiis et gratiis apostolicis, etiam praedictis cardinalibus, ac eorum et nostris familiaribus continuis commensalibus, necnon litterarum apostolicarum scriptoribus, abbreviatoribus ceterisque Romanae Curiae officialibus, et ex quibusvis causis quomodocumque concessis et confirmatis, quae omnia etiam tollimus et annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 10. Ut autem praesentes amplius innotescant, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo personae in dignitate

ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique, in iudicio et extra illud, adhibeatur quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Mandamusque illas in librum quinternum appellatum Cancellariae Apostolicae, ad perpetuam rei memoriam, de more referri.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, nonis ianuarii, pontificatus nostri anno XII.

Publicatio. Anno a Nativitate Domini MDLXXXIV, indict. XII, die vero XIX mensis ianuarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Gregorii divina providentia Papae XIII anno XII, retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt in valvis seu portis ecclesiarum S. Ioannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe, necnon in valvis Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, per nos Io. Freile et Nicolaum Taglicttum, cursores.

Claudius Mongeat, mag. cursorum.

Dat. die 5 ianuarii 1584, pont. anno XII.

CLVI.

Maior sacri eremi Camaldulensis potest, quando sibi expedire videtur, conferre Eremitis sibi in eremo subiectis quatuor ord. minores; et cardinales episcopi ad dictum eremum accedentes possunt, etiam extra tempora et non servatis interstitiis, sacros ordines eisdem conferre, si ipsi maiori idonei videntur [1].

Gregorius Papa XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa huius indulti. Cum interna quies fratrum Eremitarum eremi Camaldulensis Aretinae dioecesis, ad quam consequendam ipsi fratres Eremitae deserti loca petierunt, non parum soleat perturbari quando ad ordines sacros suscipiendos foras exeunt.

Indultum de quo in rubr. § 1. Nos, huic incommodo providere volentes, tibi, ut quando expedire videbitur, quatuor minores, necnon S. R. E. cardinalibus, qui ad dictum eremum pro tempore accesserint, si episcopi fuerint, ut omnes sacros, etiam presbyteratus, ordines, etiam extra tempora a iure statuta, et non servatis interstitiis, fratribus Eremitis praedictis, dummodo ad id iudicio tuo idonei existant, super quo conscientiam tuam oneramus, conferre, ipsisque fratribus Eremitis illos recipere libere et licite valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus.

Clausulae derogatoriae. § 2. Non obstantibus synodalis, provincialis et generalis conciliorum ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII ianuarii MDLXXXIV, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 7 ianuarii 1584, pontif. anno XII.

[1] Cuncta, quae concernunt Ordinem Camaldulensem vide in Alexand. II const. XXVIII, *Nulli*, tom. II, pag. 48.

CLVII.

Erectio hospitalis pro natione Maronitarum in Urbe [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Salvatoris nostri Iesu Christi, qui nos ad pietatis cultum et caritatis zelum quotidianis eius per totum in hoc orbe progressum exemplis hortatus est, vices, licet immeriti, gerentes in terris, in eam curam cogitationemque nos propensius incum-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

bere decet, per quam provisionis nostrae ministerio debita hospitalitas erga cunctos christifideles, praesertim pauperes ex remotissimis provinciis ad hanc Urbem, veluti devotionis omnium nationum portum, confluentes, exerceatur, illisque gratuita subsidia impendantur.

Causa erectionis hospitalis, necnon constitutionem edentis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, Maronitarum natio, quos infideles et schismatici ac alii christiani nominis hostes undique circumstant, in catholicae fidei sinceritate, S. R. E. obedientia et devotione a multis saeculis persistat, quin etiam eidem Romanae Ecclesiae, in omnibus fidei articulis sibi per visitatores de gremio presbyterorum Societatis Iesu illuc transmissos propositis, se conformet, et multi huius nationis indigenae, devotionis zelo permoti, ad ipsam Urbem accedere consueverint; nos, nationem huiusmodi, ut eius erga nos et Sedem Apostolicam devotio per amplius augeatur, piae voluntatis affectu prosequi, et illius indigenis praefatis de peculiari loco, in quo caritative recipi et confoveri possint, providere volentes, parochialem ecclesiam S. Ioannis de Ficoria, regionis Trivii de Urbe, quae alias a felicis recordationis Pio Papa V, praedecessore nostro, parochiali ecclesiae S. Andreae *de la Fratta* eiusdem regionis, apostolica auctoritate, unita, annexa et incorporata existit, cum suis domibus, aedificiis, hortis, hortaliciis et aliis membris et pertinentiis eidem ecclesiae Sancti Ioannis contiguis, huic usui satis amplam et commodam fore iudicamus, proinde unionis, annexionis et incorporationis huiusmodi tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad ipsius nationis vel alterius pro ea nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, dissolvimus, et in ipsa ecclesia Sancti Ioannis nomen, titulum, denominationem et essentiam parochialis ecclesiae, etiam perpetuo, supprimimus et extinguimus, ab eaque omnimodam curam animarum illius parochianorum, necnon omnia et singula eiusdem ecclesiae Sancti Ioannis fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta, si quae sint, exceptis dumtaxat et salvis remanentibus eidem ecclesiae S. Ioannis illius domibus, aedificiis, hortis, hortaliciis, membris et pertinentiis praefatis, eorumque situ et ambitu, ex quibus triginta scuta monetae vel circa annuatim percipi consueverunt, et pro quibus dictae ecclesiae Sancti Andreæ aequivalentes recompensas in tot locis montium non vacabilium annui redditus triginta scutorum monetae, iuliis decem pro quolibet scuto huiusmodi computatis, dicta auctoritate similiter perpetuo concessimus et assignavimus, una cum dictis parochianis et sepulturae aliisque iuribus parochialibus universis, eisdem auctoritate et tenore, itidem perpetuo abdicamus, dismembramus et separamus, illaque sic abdicata, dismembrata et separata ad eamdem ecclesiam Sancti Andreæ illiusque rectorem nunc et pro tempore existentem transferimus.

Erectio hospitalis Maronitarum.

§ 2. Necnon apud ecclesiam S. Ioannis ac in illius domibus, aedificiis, hortis, hortaliciis, membris et pertinentiis huiusmodi unum hospitale, in quo pauperes peregrini Maronitae et alii eiusdem nationis indigenae ad dictam Urbem confluentes, iuxta ordinationem pro tempore existentis rectoris ipsius hospitalis desuper faciendam, recipi et caritative tractari ac confoveri debeant, auctoritate et tenore similibus, etiam perpetuo, erigimus et instituimus, illique sic erecto et instituto eamdem ecclesiam S. Ioannis sine cura effectam, sive per dissolutionem unionis,

annexionis et incorporationis huiusmodi, sive alias quovis modo, quem, etiam si ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, resultat, praesentibus haberi volumus pro expresso, et ex cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem cuiusvis de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus, sponte factam, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem praedictam legitime devoluta; ipsaque ecclesia S. Ioannis dispositioni apostolicae specialiter vel per dissolutionem unionis, annexionis et incorporationis huiusmodi aut alias generaliter reservata existat, illiusque collatio, provisio et quaevis alia dispositio ad aliquem ex eiusdem S. R. E. cardinalibus, ratione ecclesiae sibi pro titulo seu denominatione sui cardinalatus assignatae, pertineat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus similiter haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum domibus, aedificiis, hortis, hortaliciis, membris et pertinentiis, eorumque situ et ambitu huiusmodi, in perpetuum concedimus et assignamus: ita quod liceat ipsius hospitalis rectori et administratoribus pro tempore existentibus illorum omnium corporalem possessionem, per se vel alium seu alios, propria auctoritate, etiam absque iudicis mandato vel decreto, libere apprehendere et perpetuo retinere, fructusque redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta eorumdem in hospitalis ac ecclesiae Sancti Ioannis huiusmodi usus, utilitatem et necessitatem convertere.

Servitium in ecclesia constituitur.

§ 3. Necnon eidem ecclesiae S. Ioannis per unum vel plures sacerdotes idoneos, a vicario dictae Urbis approbandos, in divinis deserviri facere, seu etiam in ea tot, quot ipsis videbitur, monachos Ordinis S. Antonii primi eremitae, sub monastica disciplina ac ecclesiae Maronitarum praesulis pro tempore existentis obedientia degentes, qui ibidem missas et alia divina officia idiomate Arabico et Caldaico celebrent, introducere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

Exemptio hospitalis a visitatione.

§ 4. Insuper praedictum hospitale et personas in eo pro tempore degentes illorumq. administratores, officiales et ministros, ac ipsius hospitalis res et bona mobilia et immobilia, praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, ac ubicumque locorum, etiam in dicta Urbe, fuerint, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis vicarii, senatoris, conservatorum et reformatorum dictae Urbis, ac gubernatorum locorum, aliorumque iudicum et officialium quorumcumque in ipsa Urbe vel alias constitutorum.

Exemptio quocumque onere.

§ 5. Necnon idem hospitale in propriis eius rebus et bonis, ac alias cum ipso contrahentes a solutione et exactione omnium et singulorum pedagiorum, gabbellarum, bolletinorum, decimarum et aliorum quorumcumque, tam ordinariorum quam extraordinariorum, onerum, ex quacumque causa impositorum et imponendorum eximimus et liberamus, ac sub beati Petri et dictae Sedis atque nostra protectione suscipimus, nobisque et eidem Sedi immediate subiicimus; ac dilectum filium nostrum Antonium tituli Sancti Eusebii presbyterum cardinalem Caraffam nuncupatum, eiusdem hospitalis protectorem et defensorem, cuius consilio et ope omnino supradicta et alia ad ipsius hospitalis illiusque bonorum, rerum et iurium, tam spiritualium quam temporalium, salubrem directionem, administrationem, ac personarum in eo receptionem et directionem, eorumque qualitates, pertinen-

tia et alias quomodolibet necessaria agantur, statuantur et ordinentur, constituimus et deputamus; eidemque Antonio cardinali et pro tempore existenti ipsius hospitalis protectori administratores, rectores, oeconomos, advocatos, procuratores aliosque ministros et officiales hospitalis huiusmodi deputandi ac amovendi et alios illorum loco substituendi, necnon ordinationes et statuta quaecumque, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non contraria, faciendi et edendi, ac illa, quoties pro rerum et temporum qualitate seu alias expedire videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi et reformandi, ac alia ex integro condendi, quae, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint, eo ipso dicta apostolica auctoritate confirmata et approbata esse censeantur, ac ab omnibus, ad quos pro tempore spectabit, etiam sub poenis in contravenientes statuendis, observari debeant, plenam liberamque facultatem tribuimus.

Clausulae. § 6. Decernentes praemissa omnia ac praesentes litteras nullo umquam tempore, sive pro eo quod causae, propter quas haec omnia facta sunt, coram dicto vicario vel quocumque alio examinatae, verificatae et approbatae, ipsiusque ecclesiae Sancti Andreæ rector et quicumque alii interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, sive alias ex quibusvis causis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel contraversiam vocari, seu ad iuris terminos reduci posse; aut sub ullis similium vel dissimilium gratiarum derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis et ex quacumque causa pro tempore factis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restituta ac de novo concessa ac semper valida et efficacia fore et esse; nec non protectores, administratores et personas hospitalis huiusmodi pro tempore existentes ad praesentes litteras in Camera Apostolica, iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, sub data videlicet idibus augusti, pontificatus sui anno sexto, editam, infra tres menses ibi ad id praefixos, seu etiam postea ullo umquam tempore, praesentandum, intimandum, insinuandum vel registrari faciendum minime teneri, nec ad id ulla necessitate cogi posse, et nihilominus easdem praesentes litteras omnino valere et suffragari ac suos effectus sortiri. Sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, ac Lateranensis concilii ultimo celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, necnon, quatenus opus sit, nostris de non tollendo iure quaesito, unionibusque ad partes, vocatis quorum interest, committendis, ac exprimendo valore beneficii, etiam cui aliud uniretur, aliisque apostolicis constitutionibus; necnon Urbis, locorum et Camerae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; Derogatio contrariorum.

privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis ac vicario, senatori, conservatoribus, reformatoribus, ordinariis, officialibus et iudicibus praedictis, necnon eiusdem S. R. E. camerario, dictaeque Camerae praesidentibus et clericis, ac quibusvis dohaneriis, commissariis et aliis personis ad exactionem pedagiorum et aliorum onerum praefatorum pro tempore deputatis, necnon populo Romano ac quorumcumque locorum gubernatoribus, universitatibus, communitatibus et hominibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquis super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarit, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem ac inde sequuta quaecumque ad dictam ecclesiam Sancti Ioannis volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit de verbo ad verbum in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod, propter posteriores concessionem et assignationem nostras praedictas, ecclesiam Sancti Ioannis huiusmodi debitis non fraudetur obsequiis, sed eius congrue supportentur onera consueta.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dissolutionis, suppressionis, extinctionis, abdicationis, dismembrationis, separationis, translationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, exemptionis, liberationis, susceptionis, subiectionis, constitutionis, deputationis, tribuitionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.* *Sanctio poenalis.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae MDLXXXIV, idibus ianuarii, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 13 ian. 1584, pontif. anno XII.

CLVIII.

Confirmatio litterarum Clementis VI contra fabricantes falsam monetam in regno Franciae [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Decet Romanum Pontificem ad ea ex officii sui debito propensius intendere, per quae adulterinae monetae usus, ambitiosa cupiditate passim introductus, *Exordium cum serie facti.*

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

censurarum et poenarum contra illius auctores antiquitus promulgatarum innovatione, valeat opportune coerceri. Sane, licet alias felicis recordationis Clemens Papa VI, praedecessor noster, antea per eum accepto quod nonnulli, nullam habentes auctoritatem iuris vel consuetudinem seu privilegium monetam faciendi, illam false cudebant et fabricabant in regno Franciae et locis circumvicinis; alii vero monetam fabricatam sub signo tunc existentis Francorum regis studiose depravabant, praesertim a suo pondere argenti; quamplures etiam in locis circumvicinis, quibus de iure aut consuetudine seu privilegio competebat monetae fabricandae facultas, monetam suam regiae monetae, in signo, quantitate, rotunditate, figura, specie et forma, quantum poterant, similem insculpebant, constituebant et imponebant.

Continuatio expositionis facti.

§ 2. Et quamvis eorum moneta, ad usurpatam similitudinem huiusmodi sic fabricata, a iusto pondere argenti ac more et consuetudine in regia moneta servari solito deficeret, simplices tamen et populares personae non habentes inter monetas tantum similitudinis peritiam discernendi, quotidie, ea occasione, in usu monetarum fallebant, recipientes monetas falso simulatas pro veris; et denique alii scienter falsas monetas extra regnum praescriptum emebant, et postea intra regnum ipsum portabant, vendebant et expendebant; vestigiis piae memoriae Ioannis Papae XXII, etiam praedecessoris nostri, tunc sui, inhaerendo, eos, qui praemissa moliri aut fabricare seu emere vel portare ad regnum praefatum scienter praesumebant, excommunicationis sententia innodaverit, absolutione praedictorum sibi et suis successoribus, praeterquam in mortis articulo, reservata.

Causa constitutionis, et confirmatio litterarum Clementis VI.

§ 3. Nihilominus, sicut charissimi in Christo filii nostri Henrici, eorumdem Francorum regis christianissimi, insinuatione nuper accepimus, in regno et locis praedictis avaritia omnium malorum radix ita mentes hominum excaecavit, ut multi, propriae salutis immemores, falsas et simulatas monetas huiusmodi, contra litterarum praedictarum ac etiam regiorum edictorum tenorem, fabricare, emere et circumferre non vereantur, et exinde animae periculum et detrimentum afferant, ac publicam eius regni quietem perturbent, maximisque incommodis et difficultatibus involvant; ad funestam horum cupiditatem coercendam, propositas in eos antiquitus poenas ad usum, temporis diuturnitate forsan obsoletum, revocare volentes, ipsius Henrici regis supplicationibus in hac parte inclinati, litteras Clementis praedecessoris huiusmodi cum censuris et poenis in eis contentis perpetuo approbamus et confirmamus, praesentisque scripti patrocinio communimus, ac etiam innovamus.

Transumptorum fides.

§ 4. Volentes ac decernentes quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae. Et ne aliqui, sub prætextu quod notitia earumdem praesentium ad eos non pervenerit, se excusare possint, quod transumpta et impressa huiusmodi, singulis cathedralium et metropolitanarum ecclesiarum dicti regni valvis affixa, vim et effectum verae et realis publicationis et intimationis earumdem praesentium sortiantur, omnesque et singulos, quos illae concernunt, perinde afficiant, ac si singulariter et personaliter eis intimatae fuissent.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 6. Nulli *etc.* nostrae approbationis, confirmationis, communitionis, innovationis, voluntatis et decreti infringere *etc.* Si quis *etc.*

Datum Tusculi, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, quinto idus februarii, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 9 febr. 1584, pontif. anno XII.

CLIX.

Erectio collegii Societatis Iesu Rigae in partibus Poloniae [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Immensa Dei providentia, a qua omnium bonorum operatio procedit, ea in suorum fidelium animis frequenter ingerit, quae ad christianae religionis instaurationem et propagationem, publicamque utilitatem et salutem sunt maxime profutura. Unde nos, quibus cura et salus dominici gregis divinitus est commissa, ipsorum fidelium, praesertim catholicorum regum, vota in id tendentia ex intimo cordis affectu libenter promovemus, et desuper officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout rerum locorumque circumstantiis debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Facti series. § 1. Sane charissimus in Christo filius noster Stephanus, Poloniae rex illustris, suo et dilecti filii Claudii Aquavivae, præpositi generalis Societatis Iesu, nominibus, nobis nuper exponi fecit quod, cum in plerisque regionibus et provinciis temporali dominio dicti Stephani regis subiectis pestifera haeresum et impiorum dogmatum contagio longe lateque grassetur, et divini nominis veraeque fidei et religionis cultus passim prolabatur; ipse autem Stephanus rex in eam curam ac cogitationem, per quam errorum huiusmodi caligo depelli, fidesque et religio ipsa, unde vera salus atque etiam omnis spes redemptionis nostrae pendet, ibidem restaurari et fulciri valeat, sedulo incumbens, nulla commodiori ratione id succedere posse speret, quam ut aliqua collegia clericorum et presbyterorum regularium eiusdem Societatis, qui laboriosam et indefessam operam in agro dominico colendo vepribusque purgando, inter ceteros illius cultores, cum multiplici fructu, dietim praestare non cessant, in diversis regnorum et provinciarum praedictarum locis, praesertim ab eo e Moskovitarum potestate nuper recuperatis, propagentur.

§ 2. Porro inter profligati status ecclesiastici huiusmodi reliquias, monasterium monialium Sanctae Mariae Magdalenae Rigensis, Cisterciensis Ordinis, a duabus dumtaxat sanctimonialibus, centesimum suae ætatis annum vel circa agentibus et omnino decrepitis, nec ullas sui Ordinis sectatrices habentibus, inhabitatum, ac proximae desolationi obnoxium, necnon, quae a tempore memoriam hominum excedente rectore caret, dictoque monasterio contigua et forsan illius membrum existit seu ab eo dependet, ecclesia Sancti Iacobi ad usum ipsorum clericorum seu presbyterorum regularium, expetentibus id maxime praedictis duabus monialibus superstitibus, plurimum apta et commoda fore noscantur, praefatus Stephanus rex nominibus praedictis nobis humiliter supplicari fecit ut monasterium praedictum, ac in eo dictum Ordinem omnemque illius statum, dependentiam et essentiam regulares supprimere et extinguere, necnon in illo eiusque domibus, aedificiis et adhaerentiis unum collegium clericorum seu

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

presbyterorum regularium eiusdem Societatis erigere et instituere, ac alia infrascripta concedere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio collegii praefati.

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, religiosum et fervens dicti Stephani regis in hoc opere aggrediendo studium propensae voluntatis affectu prosequi volentes, ipsosque Stephanum regem et Claudium praepositum ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon fructuum, reddituum et proventuum monasterii et ecclesiae S. Iacobi huiusmodi ac eis annexorum veros annuos valores, illorumque omnium et singulorum bonorum et rerum qualitates, situationes, confines, vocabula et denominationes praesentib. pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, monasterium praedictum, ac in eo dictum Ordinem omnemq. illius statum, dependentiam et essentiam regulares, apostolica auctoritate, tenore praesentium, supprimimus et extinguimus; necnon in illo eiusque domibus, aedificiis et adhaerentiis unum collegium clericorum seu presbyterorum regularium Societatis huiusmodi, per unum rectorem, iuxta ipsius Societatis pium institutum, regendum et administrandum, cum omnibus privilegiis, immunitatibus, praerogativis, favoribus ceterisque tam spiritualibus quam temporalibus gratiis, quibus alia eiusdem Societatis collegia, illorumque rectores, clerici, presbyteri et aliae personae quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt vel consueverunt aut in futurum poterunt, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, erigimus et instituimus.

Designatio dotis pro ipsius substentatione.

§ 4. Illique sic erecto et instituto, pro eius dote ac onerum eidem pro tempore incumbentium supportatione, dictam ecclesiam S. Iacobi, cum omnibus et singulis illius dictique suppressi monasterii ambitu, circuitu, domibus, aedificiis, membris, adhaerentiis, annexis, villis, praediis, terris, agris, possessionibus, insulis, fundis, vineis, censibus, iurisdictionibus, silvis, pascuis, hortaliciis, decimis, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, actionibus, obventionibus, emolumentis, pertinentiis ceterisque mobilibus, immobilibus et semoventibus ac etiam feudalibus et allodialibus, tam intus quam extra civitatem Rigensem, ubilibet, etiam in Livonia et Curlandia seu Semigalea, constitutis, et tam ex fundatione quam dicti Sebastiani eiusque praedecessorum Poloniae regum necnon ecclesiae Rigensis praesulum et administratorum ac aliorum quorumcumque dotatione, donatione, largitione, concessione vel alias quocumque iure, titulo et causa, ad monasterium suppressum et ecclesiam S. Iacobi huiusmodi spectantibus et pertinentibus, et praesertim eidem suppresso monasterio, non ita pridem ab ipso Sebastiano rege restitutis, eorumque proprietate et dominio, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, pretii et valoris annui sint, et in quibuscumque rebus, etiam rei vocabulo latissime sumpto, consistant, ita quod liceat ipsius collegii rectori pro tempore existenti illorum omnium corporalem possessionem, per se vel alium seu alios, dicti collegii nomine, propria auctoritate, etiam absque iudicis mandato vel decreto,

libere apprehendere et perpetuo retinere, eorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque in eiusdem collegii usus, utilitatem et necessitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita. Cum hoc tamen quod dictis duabus monialibus, quoad vixerint, in aliqua dictorum aedificiorum parte interiori, et a corpore ipsius collegii distincta, vel alibi de congrua habitatione ac omnibus rebus ad quotidianum usum et victum necessariis ab ipso rectore provideatur.

Animarum cura iniungitur.

§ 5. Praeterea, ex quo clerici et presbyteri regulares huiusmodi, nedum in iuventute bonis moribus salutaribusque scientiis et disciplinis ornanda et imbuenda, verum etiam in concionibus habendis aliisque fructuosis dictae Societatis ministeriis assidue occupati, particulari curae animarum eorum fidelium, qui in dicta civitate et finitimis locis per misericordiam Dei ad fidei et religionis cultum huiusmodi pro tempore reducentur, exercitio, nec per otium vacare, nec per institutum eorum id amplecti possint, nec adhuc ibidem rectores aut pastores, minusque parochiales ecclesiae vel alia ecclesiastica loca pro exercitio curae huiusmodi instituta reperiantur, praefatus rector unum vel plures vicarios idoneos, ad eius liberum nutum quandocumque et quavis causa subsistente, super quo eius conscientiam oneramus, amovibiles, qui curam animarum huiusmodi et alia parochialia officia exerceant, deputare, eisque locum et domicilium congruum in ipsius suppressi vel praefata S. Iacobi ecclesiis, earum domibus seu prope in loco decenti pro dictis parochialibus officiis obeundis, et eorum commoda habitatione; necnon ex ipsius collegii fructibus et proventibus, cum primum ipse rector eis frui libere coeperit, vel, pro suo arbitratu, aliunde portionem annuam, quae ad dictorum vicariorum substentationem ipsius rectoris iudicio sufficiat, assignare debeat, donec Rigensi ecclesiae de episcopo sit provisum, qui vicarios sive parochos curae animarum praeficiat, ac cuius seu regis munificentia vel alias quomodolibet eisdem vicariis de aliis loco, domicilio, subsidio et ecclesia prospectum sit; quo casu, si rectori praefato ita visum fuerit, praefati vicarii eidem collegio liberum usum tam suppressi monasterii quam S. Iacobi ecclesiarum huiusmodi earumque domorum et locorum relinquere et inde secedere teneantur, et interim ipsi vicarii in bonis et rebus eiusdem collegii nullatenus se intromittere, nec quicquam in suppressi monasterii et S. Iacobi ecclesiis, earumdem domibus et locis huiusmodi, nisi secundum rectoris praedicti directionem, innovare possint, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ac etiam applicamus et appropriamus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem et appropriationem ac alia praemissa, praesentesque litteras nullo umquam tempore, sive pro eo quod causae, propter quas haec omnia facta sunt, coram loci ordinario, etiam tamquam a Sede praefata delegato examinatae, verificatae et approbatae, ac interesse forsan habentes ad hoc vocati non fuerint, nec desuper consensum suum praestiterint, sive alias ex quibusvis causis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu in ius vel controversiam vocari, aut aliis contrariis dispositionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis aut ex quacumque causa pro tempore factis,

comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restituta et de novo concessa, semperque valida et efficacia esse et fore, ac suos plenarios effectus sortiri; sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus priori voluntate nostra praefata, et Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac si opus sit nostra de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; ac suppressi monasterii et Ordinis praefatorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et expressa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exceptio.

§ 8. Proviso quod, propter unionem, annexionem et incorporationem nostras huiusmodi, dicta ecclesia Sancti Iacobi debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura, si quae illi immineat, nullatenus negligatur, sed eius congrue supportentur onera consueta.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, decreti et derogationis infringere. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, kalendis martii, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 1 martii 1584, pontif. anno XII.

CLX.

Constitutiones collegii Germanici [1].

Gregorius Papa XIII, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

Ex collegio Germanico, quod superioribus annis in Urbe constituimus, magnisque hucusque sumptibus auximus et locupletavimus, religionis christianae, praesertimque charissimae nobis Germanicae nationis, cuius causa initio institutum est, magna cum animi nostri voluptate, iam fructus consequuntur non mediocres. Unde magis in dies invitamur ut studiosius in

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

eam curam incumbamus: frustra tamen a nobis suscepta esse omnia satis intelligimus, nisi illud, quemadmodum optimis disciplinis et sacra praesertim theologiae doctrina curamus imbuendum, ita etiam salubribus institutis communiamus, ut iuvenes in ipsum cooptati, normam aliquam habeant, ad cuius praescriptionem, et ipsi suas dirigant actiones, et superiores omnia suorum momenta perpendant officiorum; aetasque illa lubrica ac saepe prolabens, cuius iter cognitum est perdifficile, in circumscripto ei a nobis virtutis curriculo se exercens, suam modestiam probet et continentiam, paternisque nostris monitis innitens, et monstratam semitam assidue tenens, ad propositam gloriae palmam, non illam quidem corruptibilem, sed aeternam, inoffenso cursu deferatur.

Causa constitutionis edendae, et constitutiones pro collegio Germanico.

§ 1. Quare, motu proprio certaque nostra scientia, in perpetuum statuimus et ordinamus ut, pro subveniendo spiritualibus Germaniae necessitatibus, quo collegii institutio spectat, in opportunis ipsius Germaniae locis, viri aliqui pii et prudentes constituantur, qui praeclarae indolis iuvenes conquirant, examinatosque collegio proponant, ex quibus collegii superiores optimos quosque deligent. Sint etiam Romae tres examinatores, qui coram rectore collegii iuvenes examinent, eosque iuramento, quod tamen, si superioribus minime necessarium videbitur, possit remitti, approbent aut reprobent. Debent autem viri religiosi et ecclesiastica beneficia iam obtinentes aliis praeferri.

Ex quibus Germaniae provinciis deligendi sint alumni.

§ 2. Iuvenes vero in hoc collegium admittendi, ex superiore Germania, Wesphalia, Saxonia, Prussia, Rheno atque ex regno Hungariae, ut hucusque factum est, accipiantur: oportet enim ex Germania provinciisque praedictis centum alumnos, quod in aliis litteris apostolicis fuit expressum, in collegio esse. Si vero aliqua collegii loca vacua remanebunt, ea poterunt ex aquilonaribus provinciis, haeresi etiam infectis, expleri, modo iuvenes ex his provinciis valde sint idonei, protectoresque et superiores eorum admissionem catholicae Ecclesiae utilem fore iudicaverint et necessariam. Nemo tamen ex quacumque gente aut provincia admittatur, qui, studiis absolutis et sacris ordinibus susceptis, certum locum non habuerit, ad quem se recipiat et in quo boni et eruditi sacerdotis munere perfungatur.

Qualitates alumnorum.

§ 3. Omnes legitimo matrimonio sint nati, bona fama commendati, sano praeterea sint corpore, lingua minime impedita, et aspectu non deformi, nullius religionis desertores, Latinae et Germanicae linguae periti, nihil Romae negocii aut litium habentes, sint etiam aetatis maturae, viginti circiter annos nati. Quod si fuerint nobiles, quique in superiori Germaniae cathedralibus ecclesiis admitti consueverunt, tunc ad minimum sexdecim annos attingant, et grammaticam sciant; ceteri omnes ad theologica vel philosophica sint idonei; ignoti, amplumque de vita et moribus testimonium non habentes, vel qui extra Germaniam in aulis aut Universitatibus vixerunt, aut vagi, cuivis domino inservientes, ingenitam germanicam illam simplicitatem amiserunt, ad hanc disciplinam idoneos non iudicamus, eosque ab ingressu collegii reiicimus, quod collegii praedicti superiores observabunt in eis omnibus, quos ad hoc vitae institutum minime aptos esse cognoverint. Verum qui bonae fuerint indolis, nullumque huiusmodi habuerint impedimentum, post legitimum examen, a praeposito generali recipi poterunt, iis, qui defectum patientur, reiectis, qui omnino admitti non debeant, nisi gravis aliqua causa intercedat, et de unanimi omnium protec-

torum et superiorum consensu; paterna vero praepositi generalis in hoc maxime se ostendat sollicitudo, ut omnes Germaniae dioeceses, pro singularum necessitate et amplitudine, iuventur, ex eisque quot poterunt in collegii loca distribuantur, quae distributio mutari poterit, ut se mutabit Germaniae status, et animarum salus postulaverit. Si qua vero in dioecesi non reperiantur ad hanc institutionem idonei, iuvenes alii ex finitima aut alia provincia deligantur, qui, in collegio instituti, ad desolatas eiusmodi ecclesias exemplo et doctrina sublevandas, postea dimittantur; plures autem non recipiantur, quam quot superiorum iudicio atque experientia in collegio praedicto poterunt commode sustentari.

Iuramentum ab alumnis praestandum.

§ 4. Antequam collegio quisquam admittatur, vel in fine sex primorum mensium, in superiorum manibus iusiurandum dare debeat velle se statum ecclesiasticum amplecti, et ad omnes sacros et presbyteratus ordines, cum visum fuerit superioribus, promoveri, cumque iidem mandaverint, in patriam statim reversurum, iuris civilis aut medicinae studia non professurum, aliam rationem vitae, aulicam praesertim, non sectaturum, sed continuo, ubi a collegio dimissus fuerit, in Germaniam ad iuvandas animas remigraturum, etiam ante constitutum studiis ordinarium terminum, si ita animarum saluti conducere aut pro collegii commodo superioribus videbitur expedire. Iuret etiam se collegii instituta secundum superiorum interpretationem observaturum, nec a communi omnium alumnorum vivendi ratione discessurum.

Quibus maxime operam dare debeant.

§ 5. Postquam autem praedicti in collegium fuerint recepti, christianam pietatem et Dei timorem primum, et summum religionis studium sibi esse propositum in animum inducant; inde enim salutaris et vera initium habet sapientia. Quare statim pietatis et ecclesiasticae vitae fundamenta iaciant; vocationem, quam Deus illis impertiri dignatus est, etiam atque etiam considerent; generalem totius vitae confessionem instituant. Divinum officium recitare et coelestia meditari discant, cathechismo studeant, iisque in domo Dei et in choro, quae a clericis peragenda sunt, diligenter assuescant, atque id genus alia, quibus novi alumni perdiscendis dies ut minimum quadraginta impendant; nec, antequam in his se bene exercuerint, alumnorum veste induantur aut ad disciplinarum studia mittantur, etiamsi nobiles fuerint aut religiosi et in sacerdotio constituti.

Tempus et probationis ratio.

§ 6. Sex item menses cuique tribuantur, quibus an in collegio perseverare, institutionemque huiusmodi observare et propositum ad finem perducere velint, secum deliberent, et tantum pecuniae penes collegii ministros deponant, quantum, infra sex menses aut post studiorum cursum discedentibus, ad reditum in patriam sufficiat, ne collegium viaticis gravetur; pauperum tamen ratio habeatur, quae sex mensium praescriptio ad novorum alumnorum probationem concessorum superiores non arctabit quo minus, si deprehenderint iuvenes ad huiusmodi disciplinam ad sacrosque ordines parum aptos, eos intra sex menses praedictos sine mora possint dimittere. Nemo enim hoc in collegio est alendus, qui sine spe solidi in pietate fundamenti hinc videatur discessurus, ne forte malus pravi unius alumni exitus ea destruat, quae multorum in religione et pietate profectus aedificaverit; neque enim, quibus severitate poenarum opus est coercendis, digni sunt huius vitae instituto, tantum igitur retineri eos volumus, qui, sua sponte et amore virtutis, pietatis litterarumque studio vacabunt.

§ 7. Omnes in collegio fraterna chari-

Eisdem legibus omnes vivere debent.

tate devincti, eisdem legibus vivant, eadem praecepta servent, sive nobiles sive sacerdotes sint; omnium etiam religiosorum idem sit victus et vestitus, honestus tamen et personis ecclesiasticis superiorum iudicio conveniens; et ut (quod intendimus) spirituale aedificium ad culmen, Deo dante, perducatur, statuantur ante omnia fundamenta pietatis. Itaque sacramentorum pius et assiduus usus conservetur, singulisque mensibus solemnibusque festis ac dominicis Adventus et Quadragesimae, omnes, constitutis per superiores sacerdotibus delicta confessi, nisi legitimum intercedat impedimentum, communicent; quotidie missam audiant; et mane, antequam studiis operam dare incipiant, dimidiatam horam piae meditationi impendant; et vesperi, antequam cubitum eant, quartam horae partem litaniis et discutiendae conscientiae tribuant; et si quis officium ecclesiasticum recitare debet, id aliis horis absolvat; sacerdotes missae sacrificium frequentius Deo offerant, in quo peragendo non minus dimidiata hora insistant; piae quoque consuetudines nascentis collegii omnes praescribantur, et posteris observandae proponantur.

Magistri rerum spiritualium.

§ 8. Praeter constitutos per superiores collegii confessarios, sint in tanta multitudine aliqui rerum spiritualium magistri, qui pietatis disciplinam primum quidem novis alumnis, deinde etiam adultis ceterisque omnibus accuratissime tradant; quod si tales magistri ex ipsa Societate deligi non potuerint, optimi quique ex ipsis alumnis assumantur, qui, ab omni cura omnino vacui, hoc tantum munus sollicite subeant; alumni vero studiis quidem addicti, in pietate vero desidiosi, quique suis moribus alios ab ardenti pietatis studio tepefecerint aut quomodolibet averterint, vel a rectis superiorum consiliis aut obedientia abduxerint, vel huiusmodi facere tentaverint, statim a collegio dimittantur.

Festorum sanctificatio.

§ 9. Festis diebus domi se contineant, orationi, piae lectioni, divinis officiis, sacris caeremoniis perdiscendis et exercendis dent operam. Quod si superioribus incommodum videretur omnibus diebus festis totum divinum officium decantare, in solemnioribus tamen diebus et dominicis Adventus, Quadragesimae, et in diebus festis Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorum Omnium, Apostolorum et Angelorum partim decantetur, partim distincte et devote sine cantu recitetur.

Alumnorum exercitia tempore vacationum.

§ 10. At cum autumni tempore a lectionibus vacant, tum maxime in divinis officiis perdiscendis et cantandis, ut superioribus videbitur, sese exerceant; in quo tamen ne remissius aut indulgentius agatur, rectoris conscientiam oneramus. Eo quoque tempore aut alio, cum studia intermittuntur, ea doceri curent, quae celebrando missae sacrificio sunt accommodata, praesertim hostias et corporalia parare; diebusque festis nulla umquam litteraria exercitatio aut divinum officium aut ecclesiarum curam quomodolibet interrumpat seu impediat; beneficiorum in collegium a Dei benignitate collatorum memoriam pie colant, memoresque sint bene de collegio praedicto et de se meritorum et superiorum praecipue defunctorum, quorum nomina in ecclesiarum suarum sacrario aut in choro descripta habebunt; proque iis, qui maiore fuerint in se usi beneficentia, anniversaria sacra perpetuo solemniter fiant, singulisque hebdomadis pro illis orationes et sacrificia Deo offerantur.

Obsequia alumnis morientibus praestanda.

§ 11. Alumni morientes, et in ipso agone et ab hora transitus usque ad horam sepulturae, fraternis alumnorum obsequiis atque orationibus adiuventur, quorum funeri omnes intersint, et intra octo dies exequiae illis pie persolvantur. Quando

autem contigerit aliquem ex cardinalibus protectoribus decedere e vita, triduo orationes et sacrificia pro illius anima Deo offerantur, cuius misericordia pro futuro protectore rogetur, ut talem dignetur nobis aut pro tempore futuris Romanis Pontificibus suggerere, qui tantum opus amplecti velit, et quam maxima poterit charitate tueri.

Alumni promoveri poterunt ad sacros ordines, etiam sine litteris dimissorialibus.

§ 12. Qui ex alumnis, superiorum iudicio, in pietatis studio et ecclesiasticis functionibus bene fuerint versati, ad omnes sacros, etiam presbyteratus, ordines promoveantur, etiam sine litteris dimissorialibus suorum ordinariorum, et sine titulo beneficii aut patrimonii, etiam extra legitima ordinationum tempora; antequam vero sacris ordinibus initientur, in spiritualibus exercitiis et piis meditationibus per dies, ut minimum, quindecim contineantur; unoque anno, antequam in patriam sint profecturi, aut, si commode fieri possit, adhuc citius, ad sacerdotium assumantur, quo tempore in sacerdotalibus officiis atque in sacramentorum administratione et in concionibus ad populum exerceantur, ita tamen ut hac occasione sacerdotes neque liberiores sint quam antea, neque extra collegium comedant aut pernoctent; omnesque collegii nostri alumni a cauponis et hospitiis locandis et a quorumvis negociorum procuratione abstineant, nullis ecclesiasticorum beneficiorum litibus aut controversiis implicentur, nec per aulas, tribunalia laicorum aut externorum aliorumve domos discurrant; constituatur autem aliquis pius, prudens et experiens vir, qui ipsorum alumnorum negotia, sine eorum interventu, expediri curet. Alumni, sine comite a superiore illis adiuncto, e collegio egredi non audeant; quod si fecerint, aut comitem deseruerint, vel, eo pro foribus relicto, negotia intus occulte tractaverint, in collegium amplius non recipiantur.

Quae servare debeant extra collegium.

§ 13. Non prandium aut coenam extra collegium capiant, sine expressa rectoris et praepositi generalis consensu, qui alumnis ipsis, ut extra collegium pernoctent aut post solis occasum coenent, facultatem concedere minime poterunt. Siquis autem ex alumnis extra collegium ebrius fiat, in collegium amplius non recipiatur; quod si cuiquam in collegio non semel neque casu idem accidat, debet a collegio dimitti. Ad tollendas autem commessationes et quae inde oriuntur scandala, non possit rector quemquam externum in collegii vineas atque hortos introducere sine praepositi generalis consensu, qui eam diligentiam in hoc collegio gubernando adhibeat, quam, si esset suae Societatis collegium, adhiberet: consuetudine autem et modo suae Societatis non utatur, sed novas regulas proponat, quibus alumni collegii privatim et publice secundum canones et clericorum saecularium mores instituantur.

Quas poenas incurrant impudici et seditiosi.

§ 14. Litterae, quas alumni perscribent, item eorum libri diligenter inspiciantur, quae si quidpiam amatorium aut bonis moribus perniciosum contineant, comburantur, et qui eos habuerunt, severe puniantur. Si quis autem deprehendatur litteras impuras scribere, seditiosas vel detractorias, malum aliquod consilium vel vitia quorumvis continentes, statim e collegio eiiciatur; eamdem poenam subeant, qui seditionis speciem aliquam excitarint, vel occasionem praebuerint atque auctores fuerint quominus aliquis superioribus obtemperaverit, aut si quem contra eos re aut verbo concitaverit; ii etiam eiiciantur, qui iniunctam sibi poenam detractaverint, aut, invitis superioribus, pecuniam occulte retinuerint; quique quemvis maledictis aut iniuriosis dictis affecerint aut percusserint, vel collegii pacem quomodocumque turbaverint, factis item et verbis inhonestis, statim, tamquam

pestis quaedam, e collegio extrudantur. Ad ea se quisque studia applicabit, eosque libros habebit, quos rector censuerit; interpretationes auctorum in gymnasio tantum Societatis audient.

Quanto tempore scientiis operam dare debeant.

§ 15. Ad theologica studia quatuor annos assignamus, ad philosophica tres, totidem ad conscientiae casus perdiscendos; iuris autem civilis aut humanarum litterarum studia nullum in hoc collegio locum habeant; harum, quas demonstravimus, disciplinarum studiis ultimus annus alumnis non concedatur, nisi prius in subdiaconatus saltem ordine sint constituti; quod si quis ad sacros ordines aptus non videbitur aut illis indignus, is in collegio nequaquam retineatur, nec ei permittatur theologiae aut quodvis aliud studium inchoare; sacerdotes autem et virtute et doctrina praestantes in theologia magistri creentur, sine ullo tamen collegii sumptu; qui autem sacerdotii ordinem non fuerint consecuti, ad huiusmodi gradus non sunt admittendi.

Studiis absolutis, triginta dies in collegio manere possint.

§ 16. Studiis absolutis, dies triginta in collegio permanendi alumnis concedantur, quibus transactis, non possint superiores amplius eos in collegio retinere; triginta vero illis diebus, non erunt alumni a collegii legibus soluti, sed omnia facient ex superiorum praescripto; quae vero pauperibus alumnis vestes aut, pro vestibus, quae pecuniae in discessu dandae sint, ita rectori praescribatur, ut querelarum et invidiae occasio praecidatur; alumnis vero, qui pauperes non fuerint, aut qui studiorum cursum non absolverint, aut qui ob culpam aliquam dimissi iverint, nihil detur.

Superiorum facultas quosdam diutius retinendi.

§ 17. Superiores facultatem habeant aliquos egregiae virtutis alumnos, etiam post absoluta studia in collegio retinendi, quorum opera utantur in collegii administratione et cura rerum ad collegium pertinentium, vel et ut alumni praedicti concionibus et administratione sacramentorum Germanos iuvent in Urbe commorantes, et ob alias huiusmodi pias causas ad collegii commodum et animarum salutem pertinentes.

Negotia in Urbe nulla possint gerere.

§ 18. Nullus autem in collegio vel postquam e collegio egressus fuerit, causarum in Curia procurator; nec cuiusvis principis aut praelati negocia, etiam spiritualia, procuret; nec, absolutis studiis, quisquam vel in collegio vel in Urbe permaneat, ut Curiae praxim ediscat.

Ad severius vitae genus aspirantes non impediantur.

§ 19. Si quis alumnus, divinae gratiae impulsu, ad perfectionis statum et ad aliquod religiosae vitae genus aspiret, non debet a quoquam, quavis de causa, impediri, etiamsi eo consilio fuisset in collegium ingressus, ut, studiis absolutis, e saeculi fluctibus se in tutum reciperet, dummodo, virtute confirmatus, in aliquam Germaniae provinciam se conferat.

Loca discedentium ultra annum non vacent.

§ 20. Loca discedentium alumnorum ultra annum non vacent, et si ii, ad quos loca vacua pertinent, non advenerint, superiores eorum loco alios recipiant idoneos iuvenes, qua in re nemo poterit superiores impedire erga absentes alumnos atque in Germania commorantes. Rector collegii paterna utatur sollicitudine eorum labores cognoscendo, eosque, qua decet charitate, consolando. Collegii superiores primum pii sint, animarum salutis studiosi, et maximam divini cultus habeant rationem. Deinde iuvenes maximo cum delectu recipiant, receptos statim in Dei timore accurate institui procurent. Postremo pietati negligentius vacantes et ad virtutem non valde propensos sine ulla mora dimittant, quae tria, ut superioribus cordi sint, sub obtestatione divini iudicii mandamus.

In collegii ecclesiis divinus cultus religiosissime servetur.

§ 21. Maxima quoque habeatur cura ecclesiarum, divinusque in illis cultus ac ornatus religiosissime conservetur, piique sacerdotes a superioribus eligantur, qui

in illis semper resideant, ac, ut debebunt, missas et divina officia celebrent; ipsique superiores, pro honore Dei, ecclesiis praedictis liberaliter, quidquid opus erit, provideant, cultumque in eis exhibeant, ut earum reditus primum illis ipsis ecclesiis serviant. Divinorum officiorum tempore nullus alumnus absit, sacerdotesque viri pii et graves choro praesint, sacrarumque caeremoniarum magistri sint divini officii moderatores. Si quis autem ex alumnis indignum quid orationis domo, aut inhonestum dicto vel facto, nutu vel aspectu minus honesto commiserit, confestim e collegio dimittatur; si quis etiam sacras caeremonias discere vel exercere neglexerit, aut ab ecclesiasticis et clericalibus officiis alienus fuerit, vel templum et chorum fugitet, nisi monitus resipuerit, in collegio non tolleretur.

Rectoris praefati collegii munus.

§ 22. Quae omnia, quia a rectoris pietate pendent, praepositus generalis rectorem in hoc collegio constituat virum aliquem rectum, sobrium, prudentem, pietatis et timoris Dei studiosissimum, qui omnes nationes pari charitatis studio complectatur, et christianum inter alumnos amorem conservet, vitae suae exemplis omnes ad sui imitationem et ad caelestis cum sanctis consortii desiderium inflammet, bonos in virtutis soliditate confirmet, malos a bonis discernat, et ex hoc loco intrepide, nulla cuiusque ratione habita, expellat. Saepe alumnis eorum vocationem exponat. In Adventus et Quadragesimae octavo quoque die alumnis verbum Dei pro statu cuiusque explicet. Aliis vero temporibus bis quolibet mense salutaria documenta publice proponat, omnesque ad timorem Dei et amorem excitet atque inflammet; sit etiam rector divini cultus, ecclesiastici officii, sacrarum caeremoniarum ritusque Romani valde studiosus, domus Domini decorem amet, neque tamen suae Religionis non necessarias hic retineat consuetudines aut in collegium inducere studeat, sed pro pia tot alumnorum institutione saecularium clericorum ritum imitetur, ut alumni non solum eum monentem audiant, sed ea quoque facientem videant quae ipsis facienda proponuntur.

Protectorum auctoritas.

§ 23. Spiritualis iurisdictio et animarum cura, quam ecclesiae habent collegio unitae, totam ad collegii ipsius protectores pertinere volumus; quae autem tam in spiritualibus rebus quam ecclesiis curandis fieri debent, marmoreis tabulis incisa in choro affixis habeantur.

Servanda quoad ecclesiarum supellectilem et sacras reliquias.

§ 24. Superioribus non liceat supellectilem ecclesiarum vel earum ornamenta cuiquam commodare; ex reliquiis vero ne minimum quidem, vel ipsis regibus, tradi possit, nisi ex subscripto nostra manu aut pro tempore futuri Romani Pontificis mandato. Si quis aliter fecerit, sententiam excommunicationis incurrat eo ipso.

Ministri a quo eligendi, et quales esse debeant.

§ 25. Et quia spiritualia sine temporalium adminiculo consistere minime possunt, ideo eorum cura esse non debet in postremis. Quare ipse rector viros fideles atque idoneos, quot ad hoc erunt necessarii, habere curet, quibus etiam praestandi ab eis officii leges et quod in pietate et moribus observare debeant praescribat, quorum primus sit oeconomus generalis, quem si superiores eligere recusent, duo vel tres probatae vitae viri, superioribus ipsis et protectoribus cogniti, proponantur, ex quibus protectores, quem omnium aptissimum iudicaverint, eligant, et oeconomum deputent generalem, qui administrationis suae rationem reddat et superioribus ipsis ac protectoribus, quoties ipsi petierint. Œconomo generali adiungantur a superioribus alii particulares oeconomi, praecipue vero fidelis aliquis vir, qui oeconomum generalem in tanta rerum multitudine adiuvet, quique ipsius

absentis vel etiam aegrotantis vices subire et bene gerere sciat et possit; singulis vero oeconomis necessaria suorum cuiusque officiorum functio scripto tribuatur, reditus seu pecunia collegii penes fidelem mercatorem tuto deponantur, ac deinde, prout necessitas postulaverit, mandato a rectore et a duobus oeconomis subscripto repetantur.

Œconomi non sint superiorum consanguinei.

§ 26. Nullus oeconomus vel generalis vel particularis, nullus item qui collegio in quovis munere deserviat, ulli ex protectoribus vel superioribus vel qui in collegio ius aliquod, administrationem vel potestatem habeat, sit sanguine vel aliqua affinitate coniunctus, neque ab aliquo ex praedictis neque ab ullo alio praelato aut domino quovis modo dependeat, aut cum praedictis clientelam habeat. Pater et filius, duo fratres, duo consanguinei in eadem civitate aut provincia non sint alicuius collegii oeconomi; neque quisquam in collegio deserviat, qui sit sanguine propinquus oeconomo generali, neque ad ipsum aliquo modo pertineat.

Bona collegii locari non possunt praedictis.

§ 27. Bona collegii quaecumque non locentur protectorum aut superiorum consanguineis, nullisque cuiusvis Ordinis religiosis, non magnis praelatis, non oeconomis aut aliis collegii ministris, neque eorum consanguineis, neque ulli, qui aliquod ius, potestatem vel administrationem habeat in collegio; bonorum locationes a rectore vel ab oeconomo generali in ipso collegio fiant, rectore praesente atque eas approbante; quicumque autem bona collegii, sive in Urbe sive extra Urbem, locaverit, antequam locatio perficiatur, iusiurandum coram rectore vel alio deputato praestet, affirmans se in ea locatione solam collegii utilitatem spectasse, et propter illam se nullum munus nullamque utilitatem cepisse aut in futurum expectare; iuret item se nihil facere aut fecisse ad alicuius instantiam aut commendationem, aut propter cuiusque consanguinitatem vel amicitiam; et sine hoc iuramento, de quo constet, quaevis, a quocumque et ubicumque facta, locatio irrita sit et invalida: bona praedicta tertio aut quarto quoque anno a peritis et fidelibus viris visitentur, atque una cum visitatoribus, si fieri poterit, adsit aliquis ex collegii superioribus, aut saltem alumnus sacerdos, vir prudens et pius.

Administrationis ratio singulis annis ab oeconomis reddenda.

§ 28. Œconomus, tam generalis quam particularis, aliique praecipui collegii officiales, singulis annis, mense ianuario, fidelis et rectae administrationis et ad officium, quo funguntur, aptitudinis, necnon christianae pietatis et honestae conversationis testimonium a rectore habeant, quod nisi habuerint, eo ipso officiis privati esse censeantur: Societatis vero homines ad temporalem administrationem non obligentur, nisi de sui praepositi generalis mandato, a quo uno in omnibus regantur et corrigantur, et illi soli suae quisque administrationis rationem tantum reddant.

Constitutionum defectus suppleantur a protectoribus et superioribus.

§ 29. Si quid forte in his constitutionibus desiderari usus rerum magister demonstraverit aut obscurum fuerit vel ambiguum, id protectores et superiores, re mature deliberata, ex communi omnium consensu, suppleant et declarent et ad alia extendant; quivis autem, vel protector vel alius, dispensandi potestatem non habeat, sed id fiat ex communi omnium consensu, raro tamen, et nisi ob graves causas, ubi praesertim nulla sit privati commodi aut gratiae suspicio, sed vel necessitas cogat, vel magnum collegii bonum agatur, resque ad maiorem Dei honorem vel collegii ipsius commodum manifeste pertinere appareat.

Sanctio harum constitutionum, contrariis abrogatis.

§ 30. Quae omnia et singula in his constitutionibus contenta, ab omnibus tam alumnis quam aliis quibuscumque, ad quos pertinent, cuiusvis status, conditio-

nis et ordinis, etiam sacerdotibus, in virtute sanctae obedientiae, et sub censuris et poenis nostro aut protectorum vel rectoris arbitrio pro culpae modo infligendis, mandamus inviolabiliter observari. Decernentes quascumque alias dicti collegii constitutiones, a quocumque etiam a nobis emanatas vel approbatas, praesentibus contrarias, nullius esse roboris et momenti, et ex nunc irritum et inane quidquid secus in praedictis per quoscumque, scienter vel ignoranter, etiam obtentu aliarum dicti collegii ordinationum, quae tamen per praesentes, nisi his adversentur, abrogatae non sint, aut alias quomodocumque contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 31. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac aliis ipsius collegii, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam et ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae.

§ 32. Nulli ergo *etc.* nostrorum statuti, ordinationis, reiectionis, onerationis, assignationis, voluntatis, mandatorum et decreti infringere *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 1 aprilis 1584, pontif. anno XII.

CLXI.

Institutio festivitatis S. Annae, matris Mariae Virginis, pro die XXVI *mensis iulii duplici officio celebrandae.*

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sancta mater Ecclesia, quae salutaribus nos semper instruit documentis, annuas fidei filiis venerandas proponit sanctorum celebritates, qui in terris non solum exempla ad salutem reliquerunt, sed in coelo beati fidelium patrocinium suscipere eorumque orationes et vota suis precibus adiuvare non cessant. Quam nobis opem apud misericordem Deum credimus beatam Annam assidue impendere, quae tanta in humanum genus praestitit beneficia; ex ea enim nata est B. Maria semper virgo, digna a Deo effecta, quae nobis Iesum Christum pareret Salvatorem. Et licet eius nomini sanctis obsequiis honorando humana par esse non queat infirmitas, ne tamen quod potest omittatur:

B. Anna peperit Mariam Virginem, ex qua natus est nobis Salvator mundi.

Hic ideo Pontifex S. Annae festum celebrari iubet;

§ 1. Nos, ad eius merita pio cultu decoranda, universalemque Ecclesiam iucundissima illius recordatione laetificandam, necnon ad antiquam in illam devotionem, quam, usque ab exordio nascentis Ecclesiae, insignia quoque templa et religiosa loca in eius honorem toto orbe constructa testantur, in christianorum cordibus excitandam, praecipimus ut, perpetuis futuris temporibus, B. Annae dies festus septimo kalendas augusti per totius orbis ecclesias duplici officio, de sancta, videlicet, nec virgine nec martyre, quod est in communi, quotannis recolatur; diesque praedictus imprimendis Romanis et aliarum ecclesiarum kalendariis addatur, et duplex ei adscribatur. Sicubi vero festus B. Annae dies supradictus ex fidelium devotione seu consuetudine, praecepto aut indulto apostolico, maiore aliqua celebrari consuevit observantia, ea omnino ibidem retineatur.

Et hanc institutionem publicari ubique et observari praecipit;

§ 2. Mandantes omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et ceteris ecclesiarum praelatis per universum orbem constitutis, ut faciant praesentes litteras in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus et dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus ecclesiasticis perso-

nis, tam saecularibus quam quorumvis Ordinum regularibus, inviolate observari, etiamsi in recentibus breviarii et missalis reformationibus praedicta solemnitas fuerit praetermissa.

Fidemque transumptis adhiberi mandat.

§ 3. Volumus autem ut praesentium exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique gentium et locorum adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, kalendis maii, pontificatus nostri anno XII.

Dat. die 1 maii 1584, pontif. anno XII.

CLXII.

Declaratio et extensio constitutionis Pauli III de privilegio mercatorum Ripae Urbis, quod eorum libri concordantes cum libris proxenetarum plene probent, et executionem paratam habeant, sicut obligationes camerales, contra quascumque personas et etiam mulieres coniugatas.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Paulus III decrevit mercatorum libros probare et habere paratam executionem uti camerales obligationes.

Cum alias felicis recordationis Paulus Papa III, praedecessor noster, quadam sua perpetuo valitura constitutione, etiam per recolendae memoriae Pium quartum et Pium quintum, Romanos Pontifices etiam praedecessores nostros, confirmata, inter alia statuerit et ordinaverit quod, ad probandum credita dilectorum filiorum mercatorum Ripae almae Urbis nostrae, sufficerent libri eorumdem mercatorum, cum libris dilectorum filiorum proxenetarum concordantes, qui haberent eamdem executionem ac si essent obligationes in forma Camerae Apostolicae, contra omnes personas, etiam S. R. E. cardinales, cum decreto etiam irritanti, ac sublata quavis aliter iudicandi facultate, et alias prout in dicta constitutione plenius continetur.

Hic modo Pontifex dictum dubium providere declarat contra quascumque personas, etiam mulieres et coniugatas, in dictis libris scriptas;

§ 1. Cumque tractu temporis plures difficultates ortae fuerint, an dicta constitutio etiam contra mulieres in eisdem libris descriptas, tam cum earum viris quam viduas, locum habeat, unde datur ansa debitoribus altercandi, et sic solutiones effugiendi vel in longum protrahendi, in grave ipsorum mercatorum damnum et praeiudicium. Nos, pro pastoralis officii nostri debito, omnes huiusmodi litium et controversiarum occasiones et ambages de medio tollere, omnemque in posterum super praemissis haesitandi vel dubitandi materiam succidere, aliasque super praemissis opportune providere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas ac quascumque lites et causas seu controversias, tam iudiciales, quam extraiudiciales inter praedictos mercatores dictae Ripae et quemcumque vel quoscumque ipsorum ex una, et quascumque mulieres et coniugatas, ac etiam absque vel cum earum viris agentes, ac etiam eosdem viros, necnon etiam viduas et quascumque alias personas ex altera partibus, super praemissis hactenus quomodolibet ortas, ac etiam coram quibuscumque iudicibus et tribunalibus ordinariis et extraordinariis, delegatis et subdelegatis, ac alias quomodolibet et ubilibet, indecisas pendentes, in statu et terminis, in quibus reperiuntur, illarum statum seu status et merita, nominaque et cognomina et gradus et qualitates iudicum et collitigantium, iuraque et titulos illorum, praesentibus pro plene et suffi-

cienter expressis habentes, ad nos harum serie avocamus, illasque sic avocatas perpetuo extinguimus, cassamus et abolemus; dictamque constitutionem ipsius Pauli praedecessoris, etiam contra quascumque mulieres, tam liberas quam coniugatas, et etiam tam per se quam cum earum viris aut absque illis in dictis libris debitrices descriptas, etiam viduas, et quascumque alias personas, etiam perinde ac si ita expresse in eadem constitutione cautum, specificatum et dictum fuisset, omnino comprehendi et locum habere, apostolica auctoritate, tenore praesentium, declaramus, sicque tam in praeteritis quam in praesentibus et futuris perpetuo statuimus et ordinamus.

Aliter iudicari prohibet; et partibus perpetuum silentium imponit;

§ 2. Ac ita per praedictos et quoscumque alios iudices et commissarios, etiam nostri Sacri Palatii causarum auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Ac etiam ipsis partibus colligantibus et quibusvis aliis personis perpetuum in et super praemissis silentium imponimus; necnon tam illis quam ipsis iudicibus, commissariis, auditoribus, cardinalibus et legatis, ne contra praesentium tenorem quicquam facere et attentare audeant districtius et expresse inhibemus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus quibusvis litis pendentiis et aliis praemissis, ac aliorum praedecessorum et nostra de non tollendo iure quaesito, si opus sit, necnon etiam quadam eiusdem Pii IV, praedecessoris, de similibus vel dissimilibus gratiis in Camera Apostolica intra tres menses praesentandis et registrandis, si opus sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon etiam almae Urbis et Curiae Romanae, ac etiam ipsius Ripae et quorumcumque aliorum tribunalium, etiam Camerae Apostolicae, necnon gubernatoris ac vicarii et auditoris dictæ Camerae, ac etiam senatoris et Curiae Capitolii, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis et litteris apostol., etiam illis et cuilibet illorum, ac praedictis, necnon quibusvis aliis iudicibus et personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, et etiam consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet concessis et confirmatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda esset, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis aliis, quae Paulus III, ac Pius IV et Pius V, praedecessores praedicti, in constitutionibus et illius confirmationibus huiusmodi voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III maii MDLXXXIV, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 3 maii 1584, pontif. anno XII.

CLXIII.

Approbatio tertia instituti et constitutionum Religionis clericorum regularium Societatis Iesu, cum aliquorum dubiorum totali remotione et privilegiorum confirmatione.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Ascendente Domino et Salvatore nostro in naviculam, ecce motus magnus factus

est in mari; ipse autem a discipulis rogatus ventis imperavit, et facta est tranquillitas, quam nos, in Petri navicula collocati, turbinibus excitatis, ab eodem Domino assiduis precibus postulantes, nostram interea operam et laborem in frangendis procellosis fluctibus impendere non desistimus, cumque tanti laboris socios et validos remiges divina nobis providentia praeparaverit, eorum opera in superandis saevientis pelagi tempestatibus nos maxime sublevat, qui pro communi fluctuantium animarum salute propria commoda nihil pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt.

Religionum omnium et signanter Societatis Iesu ministerium christifidelibus valde prodest.

§ 1. In quo cum aliarum Religionum studia, tum Societatis Iesu assiduus pro Christo labor, necnon usque ad finem perseverantia promptam se ostendit; cumque prolem catholicae religioni valde proficuam, et ad omnia pericula pro universali Ecclesia subeunda paratam procreaverit, aliam atque aliam a prima non degenerem, praestante gratia Dei, quotidie substituit, ut nobis eorum alumni, per multiplices probationum gradus altius provecti, semper praesto sint, quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios adsciscamus; eos autem, ut firmiorem nobis opem ad praedicta navare possint, ab omni non modo iniuria, sed etiam calumnia studemus intactos conservare. Quod ut a nobis efficiatur, ipsius instituta, tamquam fundamenta eius praesidii quod catholicae religioni impendunt, immota atque inconcussa, aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo, debemus apostolica auctoritate tueri.

Cuius regulas Pontifices approbarunt,

§ 2. Quorum felicis recordationis Paulus III et Iulius etiam III constitutiones et laudabile dictae Societatis institutum confirmarunt.

Ordine a iurisdictione ordinariorum exempto.

§ 3. Paulusque idem eam ipsam ab omni quorumcumque ordinariorum iurisdictione exemit.

Pius V inter Ordines Mend. connumeravit.

§ 4. Quo instituto per Paulum quartum examinato, et a synodo Tridentina commendato, Pius quintus, item praedecessor noster, Societatem ipsam Ordinem esse Mendicantem declaravit.

Huius Religionis, ad christifidelium animarum salutem institutae, constitutionibus cavetur quod

§ 5. Quae omnia non immerito ab eis sunt concessa ob egregias virtutes et dona Societati antedictae divinitus elargita, cuius praecipuus finis catholicae est religionis defensio ac propagatio, animarumque in christiana vita et doctrina profectus: gratiae quoque eius vocationis est proprium, diversa orbis terrarum loca, ex Romani Pontificis seu praepositi generalis eiusdem Societatis directione, peragrare, vitamque in quavis mundi parte agere, ubi salvandarum sua opera animarum copiosior proventus ad Dei gloriam speratur. Ad quem finem Spiritus Sanctus, bonae memoriae Ignatii Loyolae, Societatis ipsius institutori, eiusque sociorum excitatori, media quoque praedicationum ac cuiuscumque ministerii verbi Dei doctrinaeque christianae et spiritualium exercitiorum, aliorum item caritatis operum et sacramentorum administrationis, ac praecipue Poenitentiae et Eucharistiae, horumque frequentioris usus accommodavit. Ad quae sufficienter et pro dignitate praestanda, difficultates superandas, periculaque adeunda, quibus dictae Societatis religiosi, in huiusmodi discursionibus et ministeriis exponuntur, necesse est ut ipsi talia obituri magno virtutis et devotionis praesidio muniantur, quod illis gratia in primis omnipotentis Dei, simulque educatio ipsa, longa item in Societate probatio, necnon regularum et constitutionum observantia praestare noscuntur.

Novitii biennio probentur et deinde ad substantialia vota simplicia admittantur;

§ 6. Quibus constitutionibus, ut tantae ponant rudimenta virtutis, ad quam aluntur, statutum est ut novitii in Societate biennio probentur; quo expleto, si ipsi perseverare voluerint, et Societati fuerit ab eis satisfactum (quoniam Societas ipsa non

solis novitiis et professis, ut reliqui regulares Ordines, constat), tria substantialia vota simplicia, nisi quis interdum ad professionem vel gradum coadiutorum formatorum admittendus videretur, paupertatis, castitatis et obedientiae in eadem Societate, ex apostolico indulto, ac iuxta vovendi formulam in eisdem constitutionibus expressam, emittunt, ac secundum illas promittunt se eamdem Societatem ingressuros, hoc est ulteriorem aliquem illius gradum, prout praeposito videbitur generali.

Postea velut scholares, vel ut coadiutores temporales cooptantur.

§ 7. Quibus votis emissis, novitii esse desinunt, et in Societatis corpus, qui litteris operam dederint vel daturi sunt, ut scholares approbati, alii vero ut coadiutores temporales nondum formati, cooptantur, ac quantum est ex parte ipsorum perpetuo, ex parte vero Societatis, iuxta apostolica indulta et constitutiones praedictas, tamdiu obligati sunt, quamdiu praepositus generalis eos in Societate retinendos esse censuerit. Quod ad Societatis conservationem maxime est necessarium, idque ab illius exordio praevisum, et post experimento comprobatum est; idque initio ingressus illis explicite manifestatur, atque ipsi conditionem hanc amplectuntur, quae eis, si quos dimittere oporteat, multo est commodior, ut liberi potius quam votis obligati dimittantur, aliisque iustis et rationabilibus de causis.

Coadiutorum temporalium vota simplicia.

§ 8. Coadiutores temporales non formati, qui non ad studia litterarum, sed ad domestica munia curanda destinantur, post aliquot annos, quibus generali praeposito et Societati satisfecerint, per tria item paupertatis, castitatis et obedientiae vota, quæ, licet publica et in manibus superioris emissa, non tamen solemnia, sed tum ex constitutionum praescripto, tum voventis et admittentis intentione simplicia existunt, in coadiutorum temporalium formatorum gradum admittuntur.

Scholares praedicti tertio probationis anno retinentur.

§ 9. Scholares vero, studiis in Societate absolutis, antequam professi vel coadiutores spirituales formati fiant, non solum tertium adhuc ulterioris probationis annum in devotionis et humilitatis exercitiis impendunt, ut, si qua fortasse in re harum virtutum fervor per litterarum occupationem intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem ardentioremque divini auxilii invocationem, recalescat; sed etiam in verbi Dei, sacrarum et scholasticarum lectionum, Poenitentiaeque et Eucharistiae sacramentorum Societatis ministeriis tamdiu probantur, quamdiu praeposito generali videtur; nec antequam ipsi praeposito sint plane perspecti, eique in omnibus satisfecerint, ad huiusmodi gradus promoventur.

Ex iis, qui deinde ad professionem quatuor votorum admittendi sint.

§ 10. Qui enim ad professionem quatuor votorum admittendi sunt, eos, iuxta constitutiones easdem et apostolica decreta et indulta, viros omnino humiles ac prudentes in Christo, et in vitae puritate ac litteris conspicuos, diuturnisque ac diligentissimis experimentis probatos, atque sacerdotes et in ministeriis huiusmodi prius diu multumque versatos vocatio haec requirit, utpote quos ardua maneant ministeria. Quo fit, ut non omnes ad eamdem professionem idonei esse, nec tales, sine longa exercitatione atque experimento, fieri aut etiam cognosci possint. Quapropter Societatis corpus in sua membra et gradus idem Ignatius divino instinctu ita duxit disponendum ut, praeter eos quos praepositus generalis ad professionem quatuor votorum idoneos esse censuerit, et nonnullos quos interdum ad professionem trium admittere potest, reliqui, etiam sacerdotes, quorum vita et doctrina in Societate diu probata esset, ac praeposito generali perspecta, et de ipsius licentia, in coadiutorum spiritualium formatorum gradum, per tria illa vota similiter publica, sed simplicia, in superioris manibus emissa, admitterentur.

Admissi autem sunt incapaces haereditariae successionis.

§ 11. Quibus emissis, tam hi qui spirituales, quam qui temporales coadiutores formati fuerint, certum in Societate gradum habent, suntque omnis haereditariae successionis incapaces, nihilque omnino proprii iuxta constitutiones easdem habere possunt. Nec propter emissa huiusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato, in illorum, sicuti nec in professorum bonis domus ulla aut ecclesia vel collegium dictae Societatis succedere potest.

Et votum obedientiae erga Papam specialiter emittunt,

§ 12. Qui vero quatuor votorum professi futuri sunt, ii tribus illis solemnibus substantialibus votis quartum similiter solemne addunt, specialis Summo Pontifici obedientiae circa missiones praestandae, ob certiorem Spiritus Sancti in missionibus ipsis directionem, ac maiorem ipsorum mittendorum Sedi Apostolicae obedientiam, maioremque devotionem, humilitatem, mortificationem ac voluntatum abnegationem.

Aliaque simplicia vota.

§ 13. Post emissam vero professionem sive quatuor sive trium votorum, professi, ad paupertatis, quae regularis instituti murus est et propugnaculum, perfectionem tuendam, omnemque ambitionis occasionem excludendam, nonnulla alia simplicia vota emittunt, quibus promittunt se numquam quacumque ratione acturos vel consensuros ut, quae in constitutionibus Societatis circa paupertatem ordinata sunt, immutentur, nisi quando, ex iusta rerum exigentium causa, paupertas magis restringenda videretur, neque praetensuros, ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem vel dignitatem, intra vel extra Societatem, eligantur, nec extra Societatem in sui electionem, quantum in eis fuerit, consensuros, nisi coactos obedientia eius, qui id ipsis possit sub poena peccati praecipere. Item Societati vel eius praeposito manifestaturos si quem sciant aliquid huiusmodi moliri.

Discedentes postea, sine licentia, apostatae censentur.

§ 14. Porro non solum professi et coadiutores formati, sed ex aliis quicumque, absoluto probationis biennio, praedicta tria substantialia vota, etiam simplicia, emiserint, si, absque expressa licentia, a Societate discedant, etiamsi praetextu melioris frugis et transitus ad alium quemcumque Ordinem (Carthusiensium dumtaxat excepto) id faciant, apostasiae et excommunicationis ex Apostolicae Sedis decreto poenas incurrunt, a quibus nonnisi a Summo Pontifice vel a generali praeposito absolvi possunt. Inique enim cum Societate ipsa ageretur, si viris multo labore ad ardua ministeria eruditis, cum religionis catholicae et huius Sedis detrimento, privaretur, praesertim cum Societatis constitutiones et privilegia, quae supradicta continent, in separata, antequam ad novitiorum convictum admittantur, habitatione eis maturius consideranda tradantur.

Omnes, post novitiatum, in communi vivunt.

§ 15. Biennio novitiatus completo, et emissis votis simplicibus, una est omnibus omnino vivendi et obediendi ratio, debent enim omnes in omnibus obedire, et in communi vivere, non secus alii atque ipsi professi et coadiutores formati; idque, in domibus quidem probationum et collegiis, ex redditibus; in domibus vero professorum, quae nullos omnino redditus habere possunt, ex eleemosynis tantum.

Paupertatem servant, licet non professi dominium bonorum retineant,

§ 16. Et licet, qui ad gradus professorum et coadiutorum formatorum nondum pervenerunt, bonorum suorum ius atque dominium, tum alias ob iustas causas, tum etiam ut maiorem Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, cum minore offensione dimittendi, ad tempus, generalis praepositi iudicio praescribendum, valeant retinere, ut in pauperes tandem seu alios pios usus pro ipsorum devotione distribuant, iuxta evangelicum consilium ac promissionem quam initio novitiatus faciunt; interim tamen, quan-

tum ad illorum usum, religiosam paupertatem servant, nec ulla re tamquam propria, et sine superioris facultate uti possunt.

Veri religiosi sunt, et Ordinis privilegiis gaudent.

§ 17. Et quamvis ii omnes, qui post biennium novitiatus dicta tria vota simplicia, ut praefertur, emiserint, ac in corpus Societatis cooptati, illiusque meritorum et privilegiorum, non secus atque ipsi professi, participes effecti, quique, quantum in eis est, et professionem emittere parati, si ipse praepositus generalis id praedictae Societatis instituto congruere iudicaverit, et in perpetuum Dei servitio votis simplicibus consecrati, ac sua sorte, prout laudabile Societatis institutum exigit, contenti, vere et proprie religiosi existant, et si a Societate deficiant, excommunicationis et aliis apostatarum poenis sint subiecti.

Et quia deinde per nonnulla dubia sunt excitata,

§ 18. Tamen, cum non ita pridem intellexissemus nonnullorum animos, qui pii alioqui et utiles operarii existebant, sollicitari interdum et affligi, quasi non essent religiosi, eo quod non essent professi; nec etiam deesse, qui, religionis praetextu, transfigurante se in angelum lucis satana, non solum ea occasione inquieti existerent, sed etiam aliorum pacem et vocationem disturbare, eosque in fraudem et defectionem deducere conarentur, unde fructuosa haec Religio gravissima potuisset accipere detrimenta. Idcirco, cum divina Providentia, pro temporum necessitate, varia et salutaria Ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque subinde in ea nascentibus morbis nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova regularium Ordinum auxilia excitarit, et cuique illorum, iuxta cuiuslibet peculiaris gratiae vocationem, peculiares quasdam notas, propria insignia ac opportuna ad finem, quem intendit, media suggesserit, et nunc maxime (ut felicissimi toto orbe successus testantur) mirificos in agro dominico fructus praedictum Societatis Iesu institutum proferat, quae Societas (quemadmodum et alia nascentium regularium Ordinum exordia) a spiritu contradictionis impugnatur; cumque ipsi Ordines Romanorum Pontificum propterea constitutionibus circummuniri consueverint, cuius rei Sanctorum Dominici et Francisci praeclarissimi Ordines exempla abunde suppeditarunt, ita nos, licet alias institutum praedictum, privilegia et constitutiones ipsius Societatis confirmaverimus et declaraverimus, motu proprio statuentes, eos qui, biennio novitiatus peracto, tria vota, tametsi simplicia, emiserunt, esse vere et proprie religiosos, cum praecepto ne quis haec in dubium revocare audeat, ac cum irritante et aliis decretis, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Quia tamen non defuit temeraria quorumdam audacia, qui post declarationem, decretum, praeceptum et interdictum nostrum huiusmodi, non solum multa ex praedictis et fortasse alia ad Societatis institutum ac vivendi formam spectantia labefactare, sed et ipsa apostolica decreta ac praecepta, publice et ex cathedra, ausu temerario impugnare, mentemque nostram perverse interpretari non erubescunt, disputantes et praedicta in dubium revocantes, omniaque ex aliorum Ordinum communibus rationibus, formis ac statutis metientes, Societatis institutum, peculiares constitutiones ac vim votorum simplicium illius, a Sede Apostolica in eadem Societatis Religione probata admissorum, penitus ignorantes, ac nonnulla iure antiquo, quae post illud, successu temporum, huius Sedis auctoritate, approbatione et confirmatione ac peculiaribus privilegiis sancita et roborata esse dignoscuntur, perperam interpretantes, convellere nituntur, quin etiam nos supradicta, motu simili et ex certa scientia,

de apostolicae potestatis plenitudine decernentes ac praecipientes, privato sensu loquutos fuisse, ac tamquam privatos doctores errare potuisse, immo vere et de facto, ob falsam supradictorum informationem, errasse, ideoque praeceptum nostrum nullam ad obligandum vim habere. Neminem praeterea eorum, qui solemnem professionem in dicta Societate non emiserunt, de illius corpore religiosos esse posse, sed eos mere saeculares ac ordinariorum iurisdictioni subiectos existere; nec Societatem ipsam aut illius superiores, immo nec nos ius in eos ullum ex vi votorum huiusmodi, habere vel acquirere, aut superioribus ipsis conferre posse, non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam esse, triaque huiusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes, in statu Religionis vere constitui, quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant, in quibus votis nullus praeter Romanum Pontificem potest manum apponere; aliisque atque aliis modis Societatem ipsam impetunt universali Ecclesiae perutilem, quae, diversis functionibus et personarum gradibus distributa, a Romanis Pontificibus presbyterorum, a Tridentina synodo clericorum Religio appellata, habitu, nomine plerisque personarum gradibus votorumque differentiis ab aliis regularibus Ordinibus distinguitur. Quibus etiam adiungunt licere iisdem non professis, etiam invitis dictae Societatis superioribus, ad quosvis alios regulares Ordines se transferre. Transgressoresque horum votorum ac inobedientes, aut etiam uxorem ducentes, nullam ipsi Societati iniuriam facere, immo posse episcopos cum eis dispensare, ut, invitis etiam superioribus eisdem, uxorem ducant. Quibus cum glossatores et obtrectatores huiusmodi sua falsa doctrina favere pergunt, horum votorum naturam et poenarum vim vel non intelligentes vel eludere conantes, eo sunt progressi, ut etiam vi facultatum, quae litteris indulgentiarum Cruciatae sanctae nuncupatarum continentur, omnes transfugas et ab ipsa Societate deficientes non professos, quoties ab ea defecerint, ab excommunicationis latae sententiae poena a quocumque confessario absolvi posse, nullamque ipsi Societati, suis operariis privatae, iniuriam fieri aut praeiudicium generari existiment, sed et votorum substantialium Religionis praedictae, ac decretorum contra eosdem apostatas Sedis huius auctoritate editorum vim, quantum in eis est, enervare contendant. Insuper asserunt non posse vota aliqua in saeculo emissa in tria haec substantialia Societatis commutari (cum tamen haec vota sint status, ut praefertur, religiosi adeo utilis et perfecti, ut illa in haec possint, haec vero in aliorum Ordinum, etiam solemnia, vota commutari sit ab hac Sede iustis de causis interdictum). Nec etiam desunt qui alia, in animarum suarum praeiudicium, Societatis perturbationem et scandalum plurimorum, comminiscantur.

Ideo hic Pontifex, his non obstantibus, dictae Societatis institutum et privilegia et constitutiones probat.

§ 19. Nos, universalis Ecclesiae utilitati, quam ex inviolato et inconcusso dictae Societatis instituto et religiosae sobolis educatione sentimus, et maiorem in dies speramus, prospicientes, et praeterea eiusdem Societatis indemnitati, paci, quieti et incremento consulere volentes, motu simili et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, laudabile ipsius Societatis institutum et, quae illud concernunt, praemissa omnia et singula, praedictaque illius ac quaecumque alia privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta, a praedictis praedecessoribus nostris et a nobis, etiam per communicationem, con-

cessa, constitutiones quoque ac statuta et decreta qualiacumque, ac si ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, supplentes omnes iuris et facti defectus, siqui intervenerint in praedictis constitutionibus et statutis.

Ideoque tria vota, etiam simplicia, vere tamen substantialia esse declarat;

§ 20. Ad haec, dictam Societatem firmo Sedis huius praesidio communire volentes, hac nostra perpetua constitutione, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, statuimus atque decernimus tria vota huiusmodi, etsi simplicia, ex huius Sedis institutione ac nostra etiam declaratione et confirmatione, esse vere substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate, tamquam in Religione approbata, per Sedem eamdem admissa fuisse et esse, ac per nos admitti, nec in illis a quoquam, praeter nos et Sedem huiusmodi, dispensari, nec ea ullo alio modo, quam per legitimam dimissionem a Societate, cessare posse.

Ideoque emittentes veros esse religiosos decernit;

§ 21. Et non modo eos, qui in coadiutorum formatorum, sive spiritualium sive temporalium, gradus et ministeria, ut praefertur, admittuntur, sed et scholares ipsos ac supradictos alios omnes et quoscumque, qui, in ipsam Societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia praedicta, tametsi simplicia, emiserint aut emittent in futurum, vere et proprie religiosos fuisse et esse ac fore, et ubique, semper et ab omnibus censeri et nominari debere, non secus atque ipsos tum Societatis tum quorumvis aliorum regularium Ordinum professos; suisque praepositis in omnibus et per omnia obedire, et huic Sedi immediate subiectos, et a quorumvis ordinariorum et delegatorum seu aliorum iudicum iurisdictione omnino exemptos, prout nos etiam vigore praesentium eximimus.

Discedentes ideo a dicta Religione apostatas declarat;

§ 22. Denique, ut omnium Societatis privilegiorum, iuxta generalis praepositi dispositionem, sunt participes, ita quoque excommunicationis maioris latae sententiae et aliis apostatarum poenis, siqui a Societate deficiant, subiacere, ac tamquam veros apostatas puniri posse, nec a quoquam, nisi per nos et Sedem praedictam aut generalem praepositum ab eisdem poenis absolvi, nec, ante huiusmodi absolutionem et a Societate dimissionem, matrimonium contrahere, quinimmo eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos et irritos esse, prout irritos facimus et annullamus.

Et supradicta dubia reprobat;

§ 23. Et ut contradicentium audacia coerceatur, praemissas omnes et quasvis alias illis similes assertiones, contra dictae Societatis institutum vel quomodolibet in illius praeiudicium pronuntiatas aut scriptas, falsas omnino et temerarias esse et censeri debere.

Impugnari dictum institutum prohibet;

§ 24. Praecipimus igitur, in virtute sanctae obedientiae ac sub poenis excommunicationis latae sententiae, necnon inhabilitatis ad quaevis officia et beneficia, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem nobis et successoribus nostris reservamus, ne quis, cuiuscumque status, gradus et praeminentiae existat, dictae Societatis institutum, constitutiones, vel etiam praesentes, aut quemvis earum vel supradictorum omnium articulum, vel aliud quid supradicta concernens, quovis disputandi vel etiam veritatis indagandae quaesito colore, directe vel indirecte, impugnare, vel eis contradicere audeat, districtius inhibentes ne quis, sive extra sive intra dictam Societatem, nisi de illius generalis aut inferiorum praepositorum licentia, notationes, declarationes, glossas vel scholia ulla super praemissis facere, vel ea, nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari,

aut de eis disceptare, seu scrupulum cuiquam iniicere, vel in controversiam aut dubium revocare audeat quoquomodo; nec glossas aut interpretationes, sive impressas seu scriptas, ad id pertinentes, legere, docere, aliisque tradere, vendere vel apud se retinere praesumat.

Dubiorum declarationem reservat praeposito;

§ 25. Si quid vero dubii de eisdem oriri contigerit, ad Sedem praedictam, vel ad generalem praepositum dictae Societatis, aut ad eos, quibus id ipse commiserit, referatur.

Et ita ubique iudicari mandat;

§ 26. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Observantiam huius bullae praecipit;

§ 27. Mandantes universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et ceteris ecclesiarum et locorum, etiam regularium, praelatis per universum orbem constitutis, ut praesentes litteras in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus, dioecesibus et iurisdictionibus ab omnibus inviolate observari: quin etiam praepositum ac personas Societatis huiusmodi defendant, eosque praemissis omnibus et singulis pacifice frui faciant et gaudere, non permittentes ipsos per quoscumque quomodolibet molestari. Contradictores per censuras ecclesiasticas et alia iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo. Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat;

§ 28. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, quae incipit *Quod votum*, et aliis apostolicis constitutionibus; ac etiam aliorum Ordinum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque huiusmodi Ordinibus, universitatibus, locis vel personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis irritativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias quomodolibet, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et forma in illis expressis, derogari possit, vel, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Communicationem harum gratiarum aliis denegat;

§ 29. Praesentis autem constitutionis et gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

Transumptis credi mandat.

§ 30. Ceterum volumus ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu secre-

tarii dictae Societatis vel notarii publici subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem omnino fides adhibeatur, in iudicio et extra illud, quae litteris ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 25 maii 1584, pontif. anno XIII.

CLXIV.

Erectio collegii Societatis Iesu in civitate Iprensi [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. Immensa Dei providentia, a qua omnium bonorum operatio procedit, ea in suorum fidelium animis frequenter ingerit, quae ad christianae religionis instaurationem et propagationem, publicamque utilitatem et salutem sunt maxime profutura. Unde nos, quibus cura ac salus dominici gregis divinitus est commissa, ipsorum fidelium, praesertim catholicorum regum, vota in id tendentia ex intimo cordis affectu libenter promovemus, et desuper officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout, rerum locorumque circumstantiis debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Facti series. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium monialium de Mercheten., Ordinis S. Benedicti, Iprensis dioecesis, cui quondam Margarita Van Suelle, ipsius monasterii abbatissa, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Margaritae abbatissae, extra Romanam Curiam defunctae, vacaverit et vacet ad praesens, et sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exposuit, si in inferiori Germania, in qua, propter intestinos et diuturnos tumultos bellicos aliaque turbulenta tempora, christiana religio non parum labefactata reperitur, presbyteri Societatis Iesu, qui iuxta eorum laudabile institutum iuventutem bonis moribus imbuant, simulque liberales disciplinas doceant, ac verbum Dei praedicent, aliaque opera exerceant, introducerentur, ex hoc profecto religio ipsa restaurari ac restaurata conservari posset; et propterea ipse Philippus rex unum collegium eiusdem Societatis in civitate Iprensi perpetuo erigi, illique sic erigendo, pro eius stabilimento, ac rectoris et collegialium in eo introducendorum substentatione et manutentione, dictaeque religionis instauratione, monasterium praedictum, quod a dicta civitate vix tribus leucis distat, quodque ita dirutum et collapsum est, ut sine ingenti sumptu restitui nequeat, imo ob id nulla sit spes illud umquam restauratum iri, et in quo tantum duae moniales supersunt, una cum prioratu Sanctorum Martini ac Amati loci de Mercheten., Ordinis et dioecesis praedictorum, cum primum per cessum vel decessum illum obtinentis vacare contigerit, uniri summopere desiderat.

§ 2. Quare idem Philippus rex, asserens monasterii CC, prioratus vero praedictorum et illis forsan annexorum fructus, redditus ac proventus CCL ducatos auri de Camera, secundum aestimationem, valorem annuum non excedere, nobis humiliter supplicari fecit quatenus eius pio desiderio annuere, aliasque in praemissis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio collegii.

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum aestimationem praedictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, ipsum Philippum regem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in praedicta civitate et aedibus ibidem ad hoc designandis, unum collegium dictae Societatis cum ecclesia seu cappella ac officinis necessariis et opportunis, adinstar ceterorum eiusdem Societatis collegiorum, et iuxta eorum statuta et consuetudines aliasque ipsius Societatis constitutiones per presbyteros eiusdem Societatis in omnibus et per omnia regendum et gubernandum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus, illique sic erecto et instituto ac pro tempore existentibus illius rectori, collegialibus et personis, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, concessionibus, indultis, indulgentiis ceterisque spiritualibus et temporalibus gratiis, quibus cetera eiusdem Societatis collegia, eorum rectores, collegiales et aliae personae, de iure, usu aut consuetudine vel alias quomodolibet, utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter et absque ulla prorsus differentia, etiam perinde ac si illis specialiter concessa fuissent, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis, de speciali gratia indulgemus.

Designatio eius.

§ 4. Insuper eidem collegio erecto, pro rectoris et collegialium ac aliarum personarum in eo pro tempore degentium sustentatione et subventione, prioratum, qui conventu et animarum cura caret, cum primum per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem aut privationem illum ad praesens in titulum vel commendam obtinentis, seu alias quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti ac dictae Sedi reservatis, aut ordinariis collatoribus, etiam per constitutiones apostolicas pro tempore editas seu litteras alternativarum vel alia privilegia et indulta, concessa hactenus aut in posterum concedenda, vacare contigerit, etiam si ille actu nunc, necnon monasterium praedictum, sive ut praemittitur sive alias quovis modo, quem, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, non tamen per obitum apud dictam Sedem, resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso, aut monasterium ex alterius, prioratus vero praedicti ex cuiuscumque persona, seu monasterium per liberam cessionem dictae Margaritae abbatissae vel cuiusvis alterius de illius regimine et administratione, et prioratus huiusmodi per resignationem cuiusvis de illo in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut prioratus per assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacent, etiam si tanto tempore vacaverint quod monasterii provisio et prioratus praedictorum collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, aut

provisio praedicta, per alias canonicas sanctiones ad Sedem eamdem legitime devoluta, et illa ex quavis causa ad dictam Sedem specialiter vel generaliter pertineat, ipseque prioratus dispositioni apostolicae reservatus existat, ac super eo et eiusdem regimine et administratione inter aliquos lis, seu illorum possessorio vel quasi molestiae, cuius litis statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium eidem monasterio de abbatissa canonice provisum non sit, cum annexis huiusmodi, ac omnibus dicti prioratus iuribus ac pertinentiis, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, unimus, annectimus et incorporamus, ita quod liceat pro tempore existentibus praeposito provinciali dictae Societatis inferioris Germaniae huiusmodi, ac rectoribus et collegialibus, dicti collegii erecti huiusmodi nomine, propria auctoritate, corporalem, realem et actualem possessionem monasterii et, sine praeiudicio illum obtinentis, prioratus ac annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictorum libere apprehendere et perpetuo retinere; ac etiam monasterio et prioratui praedictis illorumque ecclesiis, per se ipsos vel alios ex eis seu quoscumque alios presbyteros, ad eorum liberum nutum et arbitrium ponendos et amovendos, in divinis deservire aut deserviri facere; necnon fructus, redditus et proventus, iura et obventiones et emolumenta universa illorum et annexorum eorumdem percipere, exigere, levare, locare, arrendare, ac in suos et collegii erecti huiusmodi usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita; proviso tamen quod dictis duabus monialibus de necessariis ad earum substentationem, earumdem vita durante, congrue pro monasticae vitae frugalitate et continentia provideatur.

Clausulae.

§ 5. Decernentes quascumque collationes, provisiones, electiones, acceptationes vel alias dispositiones de monasterio et prioratu huiusmodi, etiam per Sedem praedictam vel illius legatos, etiam de latere, seu nuncios vel quoscumque alios quavis auctoritate faciendas, nullas et invalidas fore ac esse, ac pro non factis et non concessis haberi, et nemini ullatenus suffragari debere, necnon eisdem praesentibus litteris, per quascumque generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias aliasque efficaciores et insolitas clausulas ac irritantia et alia decreta, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus concepta, in se continentes, nullatenus derogari posse nec derogatum censeri, nisi earumdem praesentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et urgens ac sufficiens causa expressa, et per trinas distinctas litteras dictarum praesentium tenorem continentes, tribus distinctis vicibus eidem Philippo regi legitime intimatas et insinuatas, ac derogationes ipsae motu proprio et ex certa scientia factae fuerint, appareatque Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse; et alias pro tempore factas derogationes nemini suffragari; easdemque praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu impugnari vel invalidari nullatenus posse; nec sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam unionibus, annexionibus aut suppressionibus et extinctionibus effectum non sortitis, posthac per nos vel successores nostros Romanos Pontifices, tam in crastinum assumptionis cuiuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, quam alias quomodolibet, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis pro tem-

pore factis, tamquam effectum non sortitis, etiam si de eisdem praesentibus et earum toto tenore ac data specialis, specifica et expressa mentio fiat, minime comprehendi, sed, illis et quibusvis aliis contrariis non obstantibus, in suis robore et efficacia persistere, ac quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo dicta apostolica auctoritate concessas esse; necnon erectionem, institutionem, unionem, annexionem ac incorporationem huiusmodi, donec illa plenarium sortita fuerint effectum, durare, ac irritum et inane quidquid secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur executio.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Tornacensi et Bruxensi episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Philippi ac praepositi et rectoris seu collegialium praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta quaecumque huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; ipsosque Philippum regem ac praepositum et rectorem ac collegiales erectione, institutione, indulto, unione, annexione et incorporatione aliisque praemissis omnibus et singulis, iuxta earumdem praesentium litterarum continentiam et tenorem pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illas sententias, censuras et poenas ipsos incurrisse declarando, illas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, etiam illa, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere quoquomodo praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii et prioratus ac Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum aut aliorum principum instantiam vel contemplationem, seu etiam motu et scientia similibus, etiam iteratis vicibus, etiam super provisione seu praefectione de dic-

tis monasterio et prioratu, seu praesentatione vel nominatione personarum ad illa, dum pro tempore vacant, aut alias concessis, approbatis et innovatis.

Dum peculiarium privilegiorum. § 8. Quibus omnibus, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliqui super provisionibus seu commendis sibi faciendis de prioratibus huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem et sequuta quaecumque ad dictum prioratum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem prioratuum vel beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Exceptio praeservationis. § 9. Volumus autem quod, propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, monasterium in spiritualibus non laedatur, et in temporalibus detrimentum non sustineat, ac prioratus huiusmodi debitis non fraudetur obsequiis, sed eorum cuiuslibet congrue supportentur onera consueta.

§ 10. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, VIII kalendas iunii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 25 maii 1584, pontif. anno XIII.

CLXV.

Erectio collegii Societatis Iesu in oppido Montensi Cameracensis dioec. [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Immensa Dei providentia, a qua omnium bonorum operatio procedit, ea in suorum fidelium animis frequenter ingerit, quae ad christianae religionis instaurationem ac propagationem, publicamque utilitatem et salutem sunt maxime profutura. Unde nos, quibus cura ac salus dominici gregis est commissa, ipsorum fidelium, praesertim catholicorum regum, vota in id tendentia ex intimo cordis affectu libenter promovemus, et desuper officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout, rerum locorumque circumstantiis debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire. Exordium.

§ 1. Cum itaque, sicuti accepimus, prioratus Sancti Antonii de Barbafosse, Ordinis Sancti Benedicti, prope et extra muros oppidi Montensis, Cameracensis dioecesis, quem Iulianus Gergot clericus ex concessione apostolica in commendam ad eius vitam, dum viveret, obtinebat, commenda huiusmodi, per obitum dicti Iuliani, qui extra Romanam Curiam de mense ianuarii anni Domini MDLXXXIII diem clausit extremum, cessante, adhuc Facti series.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad praesens; et sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exposuit, ipse considerans christianam religionem in inferiori Germania his turbulentis et calamitosis temporibus non parum labefactatam esse, perspiciensque presbyteros ac alias personas Societatis Iesu, si inibi introducantur, ex uberibus fructibus, quos in dies, tam in iuventute bonis moribus imbuenda, et simul cum pietate in liberalibus disciplinis exercenda, quam alias, in vinea Domini passim producere solent, ad ipsam Religionem restaurandam et restauratam conservandam maxime profuturos esse; propterea in dicto oppido, quod insigne est, unum collegium dictae Societatis perpetuo erigi, illique sic erigendo, pro eius stabilimento ac introducendorum rectoris ac collegialium sustentatione, prioratum praedictum perpetuo uniri plurimum desiderat; quare dictus Philippus rex, asserens eiusdem prioratus ac illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus trecentos ducatos auri de Camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedere, nobis humiliter supplicari fecit quatenus eius pio desiderio annuere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio collegii Montensis.

§ 2. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum aestimationem praedictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, ac semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, religiosum ac fervens dicti Philippi regis in hoc opere aggrediendo studium propensae voluntatis affectu prosequi volentes; ipsumque Philippum regem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon verum et ultimum dicti prioratus vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, non tamen per obitum apud Sedem Apostolicam, resultet, praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in dicto oppido et aedibus ibi ad hoc designandis unum collegium dictae Societatis cum ecclesia seu cappella et officinis necessariis ac opportunis, ad instar ceterorum eiusdem Societatis collegiorum, uti praedicti ac aliorum circumvicinorum oppidorum et locorum iuventus in bonis litteris moribusque et pietate simul instituatur, ac verbum Dei praedicetur, aliaque pia opera exerceantur, ac alias iuxta statuta ac consuetudines ipsius Societatis per presbyteros eiusdem Societatis in omnibus et per omnia regendum et gubernandum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus; illique sic erecto et instituto, ac pro tempore existentibus illius rectori et collegialibus, ceterisque personis, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, concessionibus, indultis, indulgentiis, ceterisque spiritualibus et temporalibus gratiis, quibus cetera Societatis huiusmodi collegia eorumque rectores, collegiales et aliae personae de iure, usu et consuetudine vel alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ac absque ulla prorsus differentia,

etiam perinde ac si specialiter illis concessa forent, gaudere libere et licite possint, auctoritate et tenore praedictis, de speciali dono gratiae indulgemus.

Unio prioratus, de quo supra, pro sustentatione.

§ 3. Insuper eidem collegio, pro rectoris et collegialium aliarumque personarum in eo pro tempore degentium sustentatione, prioratum praedictum, qui conventu et animarum cura caret, quovis modo et ex cuiuscumque persona seu per liberam cuiusvis cessionem de illo, in dicta Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit quod eius collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem eamdem legitime devoluta, ipseque prioratus dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservatus existat, et super eo inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in eo alicui specialiter ius quaesitum, cum annexis huiusmodi, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, auctoritate et tenore praefatis, etiam perpetuo, unimus, annectimus et incorporamus: ita quod liceat pro tempore existentibus praeposito provinciali inferioris Germaniae dictaeque Societatis, necnon rectori et collegialibus collegii huiusmodi, per se vel alium seu alios, eorum et collegii erecti huiusmodi nomine, propria auctoritate, corporalem, realem et actualem possessionem prioratus et annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictarum libere apprehendere et perpetuo retinere; ac etiam eidem prioratui illiusque ecclesiae, per se ipsos seu quempiam eorum, etiam in ipsius collegii erecti ecclesia seu cappella, aut per quemcumque alium presbyterum, ad eorum liberum nutum et arbitrium ponendum et amovendum, in divinis deservire aut deserviri facere; necnon fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta universa illius et annexorum eorumdem percipere, exigere, levare, locare, arrendare ac in suos usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari seu invalidari nullatenus posse; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur executio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Cameracensi, et episcopo Atrebatensi, ac dilecto filio nostro Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Philippi regis et pro tempore existentium rectoris et collegialium ac aliarum personarum collegii erecti huiusmodi seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra litteras praedictas et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; ipsosque Philippum regem et pro tempore existentes rectorem et collegiales erectione, institutione, indulto, unione, annexione et incorporatione aliisque praemissis omnibus et singulis, iuxta earumdem praesentium litterarum continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos seu eorum aliquem de-

super per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas ipsas incurrisse declarando, illas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, et Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur; seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere quoquomodo praesumant; ac de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas, aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon prioratus et Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini et quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum aut aliorum principum instantiam vel contemplationem, seu etiam motu proprio et ex certa scientia, et consistorialiter ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, etiam super provisione de dicto prioratu, seu praesentatione vel nominatione personae ad illum, dum pro tempore vacat, aut alias concessis, approbatis et innovatis.

Cum exceptione praeservationis.

§ 7. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusm., ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibusc.; aut si aliqui super provisionibus seu commendis sibi faciendis de prioratibus huiusmodi, speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem ac inde secuta quæcumque ad dictum prioratum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem prioratuum vel beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis et indulgentiis ac litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod, propter unionem annexionem et incorporationem praedic-

tas, dictus prioratus debitis non fraudetur obsequiis, sed eius congrue supportentur onera consueta.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno decimotertio.

Dat. die 25 maii 1584, pont. anno XIII.

CLXVI.

De electione praepositi generalis et aliorum praelatorum congregationis monachorum Eremitarum S. Hieronymi de Observantia, celebrationeque capituli generalis, et retentione regularis observantiae.

Gregorius Papa XIII dilectis filiis praeposito generali et consultoribus congregationis monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi de Observantia salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ea quae ad prosperos Religionis vestrae successus ordinata fuerunt, nonnunquam, pro eorum veritate [1] et temporum ratione, expedit immutare.

Hic Pontifex multa constituit quae habentur in constitutione XXVII huius tomi, pag. 60, quaeque emendatione indigere dignoscit.

§ 1. Alias siquidem, rebus vestrae congregationis emendatione indigentibus, pleraque ad preces vestras decrevimus, et praesertim de tempore celebrationis capituli vestri generalis, deque modo electionis praepositi generalis, consultorum, visitatorum, definitorum, necnon priorum, vicariorum et aliorum ad munia dictae congregationis desumendorum, eorumque qualitatibus, muneribus et officiis, aliisque regimen et salubrem directionem eiusdem congregationis concernentibus, ut diversis aliis nostris litteris plenius continetur; sed, ut probavit eventus, eorum nonnullis, sive mutandis sive corrigendis nova est opera adiungenda.

Capitulum idcirco generale quolibet triennio celebrari iubet.

§ 2. Quare, illis omnibus, quae et quatenus praesentibus obsunt, subductis et rescissis, ceteris in suo robore permanentibus, auctoritate praesentium statuimus et ordinamus ut posthac, in perpetuum, capitulum vestrum generale tertio quoque anno celebretur; interim vero singulis annis praepositus generalis et consultores, qui pro tempore erunt, pro novorum, si eis expedire videbitur, vicariorum et œconomorum dictae congregationis electione congregentur.

Praeposito generali interim decedente vel amoto, alter eligatur.

§ 3. Et si contingat eumdem praepositum intra hoc triennium decedere vel officio amoveri, consultores congregationis huiusmodi suos priores illico ad se avocent, qui intra vigesimum diem ad locum celebrationis futurae electionis novi praepositi generalis praesto adsint.

Antiquior consultor vices gerat.

§ 4. Interim vero consultor professione antiquissimus vices auctoritatemque praepositi generalis in omnibus gerat.

Priores una cum procuratoribus electioni praepositi et definitorum intersint.

§ 5. Ipsi autem priores cum procuratoribus singulorum monasteriorum et aliorum regularium locorum dictae congregationis, iuxta antiquas illius constitutiones, ad capitulum generale accedant, et electioni praepositi generalis ac definitorum huiusmodi intersint.

Illi autem ex prioribus eligantur.

§ 6. Praepositus vero et definitores huiusmodi de priorum eorumdem corpore eligantur.

Prioratu aliquo vacante, praepositus et consultores alium ex vicariis substituant.

§ 7. Ceterum, constitutionibus praedictis inhaerendo, si contingat aliquem dictorum priorum intra triennium, quo capitulum ipsum generale celebrandum erit, decedere, vel a prioratu suo regulariter amoveri, eo casu praepositus generalis et consultores praedicti statim aliquem ex vicariis monasteriorum aut aliorum regularium locorum congregationis huiusmodi, in locum defuncti vel

[1] *Varietate*, Cherub. (R. T).

amoti, substituant, ne hoc negocium ad subsequens capitulum generale deferant.

Praepositus, durante triennio et postea, prioratum quem habebat retinet, et est etiam prior S. Alexii de Urbe.

§ 8. Ad haec, praepositus ipse generalis sic electus, quem obtinebat prioratum non amittat, sed etiam praepositus triennalis huiusmodi illum cum hoc retineat. Triennioque ipso peracto, ipse prior sui prioratus, ut antea, remaneat; et nihilominus ipse, dicto durante triennio sui praepositatus, etiam prior monasterii Sancti Alexii de Urbe eiusdem congregationis, non autem alterius, sit.

Post triennium vacare debet per sex annos a dicto officio.

§ 9. Perfuncto vero praepositurae triennalis huiusmodi officio, nullus ad sequens triennium aut aliud tempus praepositus generalis confirmetur, nec quisquam, ante sex completos annos a fine huius officii, rursum in praepositum generalem eligatur.

Ambitus prohibetur.

§ 10. Nulli praeterea monachorum congregationis huiusmodi, cuiuscumque dignitatis vel conditionis, liceat litteras, etiam commendatitias, seu favorem, auxilium vel gratiam aut quicquam aliud a principibus saecularibus, dominis vel nunciis, per se aut interpositas personas, ex quavis causa aut quovis praetextu, quaerere vel impetrare, quod in detrimentum, praeiudicium vel derogationem dictae congregationis aut illius personarum, seu constitutionum, ordinationum vel statutorum directe vel indirecte cedat; qui secus fecerit, per annum in carcere constrictus poenitentiam agat, sitque praeterea ad dignitates et officia dictae congregationis perpetuo inhabilis.

Pecunia congregationis alicui monasterio non applicetur.

§ 11. Praepositus insuper generalis et consultores pro tempore existentes praedicti, per se vel alium seu alios, nullam pecuniarum ad summam, congregationem ipsam spectantem, alicui monasterio vel regulari loco, pro eius fabrica, sine nostra aut protectoris vestri licentia, erogent; qui contrafecerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, sintque suis dignitatibus et officiis eo ipso privati, ac pariter inhabiles ad futura.

Capitulum generale ubi celebrandum.

§ 12. Postremo, capitulum ipsum generale seu congregatio alibi quam Romae aut Bononiae seu Mediolani vel in monasterio Hospitalis nullomodo celebretur.

Regularis observantia in quibus locis retinenda.

§ 13. Regulae vero observantia saltem in Hospitalis praedicti, necnon Castellatii, et S. Hieronymi Mantuanensis, ac Sancti Sigismundi Cremonensis, et S. Savini Placentini, ac S. Barbatiani Bononiensis monasteriis, numerusque saltem centum sexaginta monachorum inter sacerdotes et clericos, ultra conversos et servientes, perpetuo conservetur. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Huius constitutionis observantia praecipitur.

§ 14. Quocirca vobis et pro tempore existentibus praeposito generali ac consultoribus, necnon universis et singulis prioribus, monachis et personis dictae congregationis per apostolica scripta mandamus ut praesentes litteras humiliter suscipiatis, et quaecumque in eis continentur, alia desuper a nobis non expectata iussione aut mentis nostrae declaratione, inviolate custodiatis.

Eiusque publicatio praeposito committitur.

§ 15. Tibi vero, praeposite, ut ipsas praesentes in omnibus dictae congregationis monasteriis et locis solemniter publicare, et ut illis omnino ab omnibus pareatur, efficere procures. Contradictores quoslibet et rebelles, eisque auxilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, praestantes, tam ecclesiasticos quam saeculares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, censurasque et poenas ipsas etiam saepius aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogatur.

§ 16. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii VIII, prae-

decessoris huiusmodi, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, et aliis apostolicis constitutionibus; necnon congregationis ac Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet concessis et etiam pluries confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si congregationi, prioribus et monachis praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV maii millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus nostri anno decimotertio.

Dat. die 25 maii 1584, pontif. an. XIII.

CLXVII.

Institutio collegii ad scholares nationis Maronitarum pie et catholice bonis artibus christianisque moribus et doctrina instruendos in Urbe; et deputatio cardinalis pro eius regimine; annuorumque redditum assignatio pro eorumdem substentatione.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Humana sic ferunt quandoque consilia, ut quae, vel provida deliberatione ab initio constituuntur, operae pretium sit, spe melioris futurae frugis, postea immutare. **Exordium.**

§ 1. Nuper enim ut nationi Maronitarum, qui, in Libani montibus degentes, a multis saeculis sub S. R. E. obedientia et devotione fidem catholicam inter tot circumstantes infidelium et schismaticorum sectas retinent, ac certis annorum spatiis ad Apostolorum limina visitanda, Sedemque Apostolicam amplectendam et recognoscendam, aliquos destinare soliti sunt, de peculiari loco ad usum hospitalitatis erga eiusdem nationis indigenas ad Urbem confluentes exercendae, nostra ope provisum esset, ipsiusque nationis erga Sedem ipsam devotio continuum susciperet incrementum, nec tanto labore conservata fidei semina arescerent, quasdam unionem, annexionem et incorporationem olim de parochiali ecclesia S. Ioannis de Ficocia, regionis Trivii de Urbe, parochiali ecclesiae Sancti Andreæ, eiusdem regionis, apostolica auctoritate factas, perpetuo dissolvimus, et apud ipsam ecclesiam S. Ioannis, nomine, denominatione et essentia parochialis ecclesiae in ea etiam perpetuo suppressis et extinctis, ac cura animarum illius parochianorum, una cum eisdem parochianis iuribusque parochialibus, ad dictam ecclesiam S. Andreæ translata, unum hospitale in quo

Hic Pontifex instituit in Urbe hospitale pro natione Maronitarum, ad eorum fidem catholicam retinendam et augendam;

pauperes peregrini dictae nationis recipi et confoveri deberent, similiter perpetuo ereximus et instituimus, illique sic erecto et instituto eamdem ecclesiam S. Ioannis sine cura effectam, cum suis domibus, aedificiis, hortis, membris et pertinentiis illis contiguis eorumque situ et ambitu, pariter perpetuo concessimus.

Deinde annuos redditus assignavit.

§ 2. Per alias vero nostras litteras eidem hospitali, ut onera ei incumbentia commodius perferri possent, pensionem annuam, certis modo et forma tunc expressis, liberam, immunem et exemptam ac ad quindecim annos tunc proximos dumtaxat duraturam, ducentorum ducatorum monetae illarum partium, super mensae episcopalis S. Agathae fructibus, redditibus et proventibus, ac rectori vel administratori pro tempore existenti dicti hospitalis seu illius procuratori legitimo, durantibus dictis quindecim annis tantum, per venerabilem fratrem nostrum Felicianum, episcopum Sanctae Agathae, et successores suos ecclesiae S. Agathae præsules seu administratores pro tempore existentes, etsi ipsis mille ducati annuatim ex fructibus, redditibus et proventibus praedictis non remanerent, annis singulis, in certis loco et terminis, ac sub sententiis, censuris et poenis, etiam tunc expressis, integre persolvendam reservavimus et constituimus et assignavimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur.

Hic modo Pontifex dict. hospitale suppremit, ad magis spiritualem dictae nationis utilitatem;

§ 3. Nunc vero, erectionis hospitalis huiusmodi negocio maturius perpenso, etsi illud insigne pietatis opus, dictaeque nationi gratum et commodum sit, meliora tamen aemulando charismata, maiorem Dei laudem utilioremque eidem nationi operam fore censemus, si, loco dicti hospitalis quod in suis primordiis adhuc recens est, unum collegium pro recipiendis et instituendis illius nationis pueris ad bonas litteras capessendas aptis erigeretur et instituerętur. Cum enim in partibus illis, sub gravi Turcarum iugo et tyrannide constitutis, vix facultas detur bonarum litterarum studia excolendi, et exinde multos a fide catholica aversos aeternis tenebris detineri, simplicesque et rudes a susceptae veritatis cultu abduci facile contingat, futurum omnino speramus ut, successu temporis, ipsius collegii alumni, pietatis et verae religionis odore, a Montis Sion cypressis, et S. R. E., quæ sola caput est aliarum, documentis largius imbuti, illum in cedros Libani, nationemque suam refundant, ac collabentem et perturbatam in suis regionibus fidem Dei beneficio sustineant atque resarciant; et ita praedictum corporale opus, quod paucis in hac Urbe tantum profuturum erat, in magis spiritualem ac totius nationis utilitatem et salutem convertatur.

Collegium Maronitarum erigit, ad dictae nationis iuventutem bonis moribus sanaque doctrina instruendam;

§ 4. Quocirca, motu simili et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, in dicto hospitali nomen, denominationem et essentiam hospitalis, ac quodcumque onus hospitalitatis ibidem exercendae, salvis tamen et illaesis remanentibus dissolutione, concessione, pensione et aliis supradictis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, illudque in collegium Maronitarum nuncupandum, ad alendam bonisque moribus ornandam, ac vera pietate sanaque doctrina et reliquis christiano homine dignis virtutibus instruendam ipsius nationis iuventutem, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo erigimus et instituimus; ipsumque collegium sic erectum et institutum in locum dicti hospitalis, quoad ecclesiam S. Ioannis, ac illius domos, aedificia, hortos membra et pertinentia, eorumque situm et ambitum, necnon pensionem ducentorum ducatorum huiusmodi, eiusdemque pensionis terminos decursos et non solutos, siqui sint, in omnibus et per omnia,

perinde ac si pro ipso collegio, non autem hospitali, specialiter et expresse ab initio emanassent, illique concessa et reservata fuissent, subrogamus.

Ipsique domos, hortos et redditus assignat, et missam et alia divina officia Arabico vel Chaldaico idiomate celebrandi licentiam concedit;

§ 5. Et nihilominus eidem collegio ecclesiam S. Ioannis, cum domibus, aedificiis, hortis, membris et pertinentiis, eorumque situ et ambitu huiusmodi, ita quod liceat protectori seu rectori dicti collegii pro tempore existenti illorum omnium corporalem possessionem, per se vel alium seu alios, nomine eiusdem collegii, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere; fructusque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque inde provenientia in collegii et ecclesiæ Sancti Ioannis huiusmodi usus et utilitatem ac necessitates convertere; necnon eidem ecclesiæ S. Ioannis per unum vel plures, etiam dictae nationis, sacerdotes saeculares vel regulares, ad nutum pro tempore existentis protectoris collegii huiusmodi ponendos et amovendos, deserviri, missasque et alia divina officia, etiam Arabico vel Chaldaico idiomate, celebrari facere, cuiusvis licentia desuper minime requisita, eisdem apostolica auctoritate et tenore, similiter perpetuo concedimus. Pensionemque annuam ducentorum ducatorum huiusmodi, super praedictae mensae fructibus, redditibus et proventibus eidem collegio seu illius pro tempore existenti protectori vel rectori aut eius procuratori vel oeconomo, ad id ab ipso protectore seu rectore speciale mandatum habenti, durantibus dictis quindecim annis dumtaxat, per Felicianum episcopum et successores praedictos, annis singulis, in loco et terminis, ac sub sententiis, censuris et poenis, necnon cum omnibus et singulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, decretis et clausulis, ac alias modo et forma, quibus dicto hospitali reservata erat et solvi debebat, integre persolvendam, apostolica auctoritate et tenore similibus, reservamus, constituimus et assignamus.

Exemptionem a iurisdictione quorumcumque ordinariorum et iudicum,

§ 6. Insuper collegium praedictum, illiusque rectorem, oeconomos, magistros, praeceptores atque scholares pro tempore in eo existentes, eorumque domesticos, officiales et ministros, necnon ipsius collegii bona mobilia et immobilia, praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, ac tam in dicta Urbe quam extra eam et alias ubicumque locorum consistentia, ab omni iurisdictione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentium vicarii, senatoris, conservatorum et reformatorum dictae Urbis, necnon rectoris Studii generalis eiusdem Urbis, ac ordinariorum locorum aliorumque iudicum et officialium quorumcumque in ipsa Urbe vel alias ubilibet constitutorum.

Gabellarumque et quorumcumque pedagiorum solutione elargitur;

§ 7. Necnon idem collegium, in propriis eius bonis et rebus, ac, dicti collegii ratione, scholares personasque in eo degentes, ac alios cum ipso contrahentes, ab omnibus et singulis portarum, molendinorum, farinae, trium pro centenario, ac quatuor iuliorum pro quolibet vegete vini solvi solitorum, aliisque datiis, pedagiis, vectigalibus, angariis, ac terrae marisque gabellis, dohanis, bulletinis et quibuscumque aliis oneribus, ordinariis et extraordinariis, hactenus quomodolibet impositis et in posterum quandocumque, quavis occasione vel causa, etiam de necessitate exprimenda, imponendis, etiam adinstar exemptionis dilectorum filiorum clericorum Camerae Apostolicae, etiam ratione Ripae, Ripettae, dohanae terrae, etiam grasciae nuncupatae, Urbis praedictae, necnon carnium, vini, granorum, pannorum, lini, lanae, serici, librorum, chartarum et quarumcumque aliarum rerum ad humanum victum et vestitum necessariarum, ex toto nostro Statu Ecclesiastico et quibuscumque aliis locis extra dictum

Statum consistentibus, ad dictum collegium tam per terram quam per mare et aquam dulcem et alias quomodolibet conducendorum, et etiam iam ad Urbem ipsam conductorum et in ea existentium, ac pro eodem collegio in magna seu parva quantitate tam in barchis quam in magazinis et alias ubilibet emendorum, apostolica auctoritate et tenore praedictis, eximimus et liberamus, ac sub Beati Petri et dictae Sedis atque nostra protectione suscipimus, nobisque et eidem Sedi immediate subiicimus.

Indulta et privilegia Studii generalis almae Urbis, et similium collegiorum in Urbe institutorum, eidem collegio concedit;

§ 8. Ipsis quoque collegio, rectori, scholaribus, praeceptoribus, magistris, oeconomis, officialibus, ministris, personis, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis et indultis, quibus Studium generale dictae Urbis, necnon alia Germanicae, Anglicae et Graecae nationum collegia, in ipsa Urbe a nobis instituta, illorumque rectores, scholares, praeceptores, magistri, oeconomi, officiales, ministri et personae quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere valeant, eisdem apostolica auctoritate et tenore, pariter perpetuo concedimus et indulgemus, illaque eis communicamus.

Officialibus Curiae Romanae et aliis prohibet ne in praemissis collegium perturbent;

§ 9. Districtius inhibentes vicario, senatori, conservatoribus et reformatoribus Urbis, ac rectori Studii, aliisque iudicibus et officialibus huiusmodi, necnon pro tempore existenti S. R. E. camerario, praesidentibus ac praedictis clericis, ac quibuscumque commissariis ad exactionem decimarum et aliorum onerum praedictorum pro tempore deputatis, ne, quarumvis litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum praetextu, collegium Maronitarum, illiusque rectorem, scholares, praeceptores, magistros, œconomos, officiales et ministros praedictos seu eorum aliquem in praemissis quovis modo molestent aut molestari permittant.

Cardinalem eius protectorem et gubernatorem deputat;

§ 10. Ut autem ipsius collegii Maronitici conservationi bonoque regimini, tam in his quae ad instructionem et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportune consulatur, dilectum filium nostrum Antonium tit. S. Eusebii presbyterum cardinalem Caraffam nuncupatum, eiusdem collegii Maronitici protectorem et defensorem, cuius consilio et ope omnia supradicta et alia quaecumque ad eosdem in ipsum collegium Maronitarum admittendos retinendosque scholares spectantia ac alias quomodolibet necessaria agantur, statuantur et ordinentur, constituimus et deputamus. Necnon Antonio cardinali et pro tempore existenti protectori praedicto, pro eiusdem collegii Maronitici illiusque personarum, bonorum, rerum et iurium, tam spiritualium quam temporalium, salubri directione et conservatione, rectores, praeceptores, magistros, œconomos, advocatos, procuratores, ceterosque ministros et officiales in eo deputandi et amovendi, et loco amovendorum alios sufficiendi; necnon statuta, ordinationes et decreta quaecumque, licita tamen et onesta ac sacris canonibus et decretis concilii Tridentini non contraria, faciendi et edendi; ac illa, quoties pro eorum et temporum qualitate seu alias expediens videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, et etiam alia ex integro condendi, quae, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint, eo ipso dicta apostolica auctoritate confirmata et approbata sint et esse censeantur, ac ab omnibus, ad quos pro tempore spectabit, etiam sub pœnis in con-

travenientes statuendis, observari debeant, plenam liberamque facultatem tribuimus.

Clausulas praeservativas huic bullae apponit;

§ 11. Decernentes praemissa omnia et singula ac praesentes litteras nullo umquam tempore, sive pro eo quod causae, propter quas haec omnia facta sunt, coram dicto vicario vel quocumque alio examinatae, verificatae et approbatae, ac quicumque interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, sive alias ex quibuscumque causis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumq. alio defectu, notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci posse; nec quemquam ad easdem praesentes litteras in Camera praedicta, iuxta constitutionem Pii Papae V [1], praedecessoris nostri, desuper editam, aut alias quandocumque praesentandum, insinuandum et registrari faciendum teneri; neque propterea illas irritas esse, sed omnimodo valere, ac si constitutio praedicta et alia contraria minime emanassent.

Decretum irritans adiicit;

§ 12. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulas derogatorias subiicit

§ 13. Non obstantibus praemissis et Lateranensis concilii ultimo celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri, et pensiones annuas super fructibus mensarum episcopalium, nisi ex cessionis aut alia probabili causa, reservari prohibentis, ac, quatenus opus sit, nostris de unionibus committendis ad partes, vocatis interesse habentibus, exprimendoque valore etiam beneficii cui aliud petitur uniri, necnon de praestando consensu in pensionibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac Urbis locorum et Camerae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac vicario, senatori, conservatoribus, reformatoribus, ordinariis aliisque iudicibus et officialibus, necnon camerario, praesidentibus et clericis praedictis, ac quibusvis dohaneriis, commissariis et aliis personis ad exactionem pedagiorum et aliorum onerum huiusmodi pro tempore deputatis, necnon dilectis filiis populo Romano ac quorumcumque locorum communitatibus, universitatibus et hominibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; necnon omnibus illis quae in singulis litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

[1] Cherub., *Pii Papae* IV (R. T.).

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, quinto kalendas, iulii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 27 iunii 1584, pontif. an. XIII.

CLXVIII.

Erectio collegii Societatis Iesu in civitate Brugensi [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Immensa Dei providentia, a qua omnium bonorum operatio procedit, ea in suorum fidelium animis frequenter ingerit, quae ad christianae religionis instaurationem et propagationem, publicamque utilitatem et salutem sunt maxime profutura; unde nos, quibus cura et salus dominici gregis divinitus est demandata, ipsorum fidelium, praesertim catholicorum regum vota in id tendentia ex intimo cordis affectu libenter promovemus, et desuper officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout, rerum locorumque circumstantiis debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Philippi Hispaniarum regis petitio. § 1. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit quod, licet alias in civitate Brugensi unum collegium Societatis Iesu erectum seu inchoatum fuerit, tamen malorum temporum conditio fert ut illud, quod ad fidei catholicae defensionem et propagationem, ac iuventutis in bonis litteris et christianis moribus institutionem non minus utile quam necessarium fuerat, prout est hodie, dissolutum sit, idque agnoscens idem Philippus rex, qui etiam Flandriae comes existit, ac considerans uberes fructus, quos presbyteri dictae Societatis, tam legendo quam praedicando ac alias, in vinea Domini passim producere soleant, et quo ad christianam religionem in inferiori Germania his turbulentis temporibus labefactatam restaurandam, restauratam conservandam utiles sint, huiusmodi collegium in praedicta civitate restitui plurimum desiderat.

Expositio facti. § 2. Et sicut eadem subiungebat expositio, si in dicta civitate unum collegium dictae Societatis, cum ecclesia seu cappella et aliis necessariis, perpetuo erigeretur, ac in monasterio Dulcis Vallis Ordinis S. Augustini canonicorum regularium, olim Tornacensis, nunc vero Brugensis dioecesis, per abbates regi et gubernari solito, in loco deserto fundato, et in quo ad praesens canonici non degunt, et si qui ex illo superessent, ii per saeculum seu alia dicti Ordinis regularia loca dispersi vagantur, cuiusque ecclesia, causa civilis belli, eversa et solo aequata est, ut iam spes non sit quod eius abbas, qui nunc est et pro tempore fuerit, illam restaurare valeat, cum primum vacare contigerit, nomen, titulus ac denominatio monasterii et abbatis perpetuo supprimerentur, et ab eo sic suppresso omnia et singula eires res et bona dismembrarentur et separarentur, ac sic dismembrata ac separata erigendo collegio praedicto, pro eius stabilimento et rectoris ac collegialium in eo introducendorum sustentatione et manutentione, perpetuo applicarentur, ex hoc catholica religio maiora in dies in dicta civitate susciperet incrementa. Quare dictus Philippus rex nobis humiliter supplicari fecerit quatenus eius pio desiderio annuere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio collegii praefati. § 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes benefica eccle-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

siastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum existimationem communem, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, religiosum et fervens dicti Philippi regis in hoc opere aggrediendo studium propensae voluntatis affectu prosequi volentes; ipsumque Philippum regem a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in dicta civitate, ubi iam alias collegium, ut praefertur, inchoatum fuit, seu alibi et aliis aedibus ad hoc ibi designandis, unum collegium dictae Societatis, cum ecclesia seu cappella convenienti, ac campanili humili, campana, sacrario et aliis structuris necessariis atque opportunis, ubi praedicta et aliarum circumvicinarum civitatum, oppidorum et locorum iuventus in bonis litteris moribusque et pietate simul instituatur, ac verbum Dei praedicetur, aliaque pia opera exerceantur, ad instar ceterorum eiusdem Societatis collegiorum, ac alias iuxta statuta et consuetudines ipsius Societatis, per presbyteros eiusdem Societatis in omnibus et per omnia regendum et gubernandum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

Dotis assignatio pro substentatione, cum monasterii Dulcis Vallis suppressione.

§ 4. Necnon in monasterio praedicto, cuius et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus ad centum et viginti florenos in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur, cum primum illud per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam dimissionem, amissionem aut privationem illud ad praesens in titulum vel commendam obtinentis, seu alias quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti et dictae Sedi reservatis, aut ordinariis collatoribus, etiam per constitutiones apostolicas pro tempore editas, seu litteras alternativarum vel alia privilegia et indulta concessa hactenus aut in posterum concedenda, vacare contigerit, etiamsi illud actu nunc quovis modo, quem, etiam si ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso, et ex cuiuscumque persona, seu per liberam cessionem cuiusvis de illius regimine et administratione in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, vacet, etiamsi illius provisio ex quavis causa, qualiscumque sit et undecumque resultet, specialiter vel generaliter ad Sedem praedictam pertineat, et de illo consistorialiter disponi consueverit seu debeat, et super eisdem regimine et administratione inter aliquos lis, seu eorum possessorio vel quasi, molestia, cuius litis statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ex nunc, prout ex tunc et e contra, nomen, titulum et denominationem abbatis et monasteriorum perpetuo supprimimus et extinguimus, et ab eo sic suppresso omnia et singula eius fructus, redditus et proventus, praedia, proprietates, obventiones, census, iura, actiones, iurisdictiones ceteraeque res et ubicumque consistentia dismembramus et separamus, illaque sic dismembrata et separata eidem collegio, pro subventione et manutentione personarum inibi pro tempore degentium, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, applicamus et appropriamus ac unimus, concedimus ac incorporamus, ita quod liceat pro tempore

existentibus praeposito provinciali inferioris Germaniae dictae Societatis, vel rectori et collegialibus dicti collegii, per se vel alium seu alios, eorum et collegii praedicti nomine, propria auctoritate, corporalem, realem et actualem bonorum sic dismembratorum suppressi monasterii et annexorum, iuriumque et pertinentiarum suarum quorumcumque possessionem libere, etiam ex nunc, sine tamen praeiudicio nunc existentis abbatis aut commendatarii dicti monasterii, apprehendere et perpetuo retinere, illaque ac eorum omnium fructus percipere, colligere, exigere et recuperare, ac in suos dictique collegii usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, ita tamen quod si aliqui suppressi monasterii huiusmodi canonici redierint, rector praedicti collegii eis de necessariis ad victum in regulari etiam dicti Ordinis vel alio loco, arbitrio ordinarii erigendo, ut sub illius obedientia, si extra claustra vixerint, providere teneatur.

Privilegia praeato collegio concessa.

§ 5. Et insuper collegio sic erecto et instituto ac pro tempore existentibus illius rectori et collegialibus ceterisque personis, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, concessionibus, indultis, indulgentiis ceterisque spiritualibus et temporalibus gratiis, quibus cetera eiusdem Societatis collegia eorumque rectores, collegiales et personae aliae, de iure, usu ac consuetudine vel alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodo-in futurum, pariformiter et absque ulla prorsus differentia, et perinde ac si illis specialiter concessa fuissent, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis, de speciali gratia indulgemus.

Clausulae speciales.

§ 6. Decernentes quascumque collationes, provisiones, electiones, acceptationes vel alias dispositiones de monasterio praedicto, etiam per Sedem praedictam vel illius legatos, etiam de latere, seu nuncios vel quoscumque alios, quavis auctoritate de cetero faciendas, nullas et invalidas fore et esse, ac pro infectis prorsus haberi, et nemini ullatenus suffragari debere; necnon eisdem praesentibus per quascumque generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias aliasque efficaciores et insolitas clausulas, et irritantia et alia decreta, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus concepta, in se continentes, nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi earumdem praesentium litterarum tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et urgens ac sufficiens causa expressa, et per trinas distinctas litteras, earumdem praesentium tenorem in se continentes, tribus distinctis vicibus eidem Philippo regi legitime intimata et insinuata, ac derogationes ipsae motu proprio et ex certa scientia factae fuerint, appareatque Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse; et alias pro tempore factas derogationes nemini suffragari; easdem quoque praesentes de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari vel invalidari nullatenus posse, nec sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, modificationibus aut aliis contrariis dispositionibus et unionibus, annexionibus aut suspensionibus et extinctionibus, effectum non sortitis, quae posthac, per nos vel successores nostros Romanos Pontifices, tam in crastinum assumptionis cuiuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, quam alias quomodolibet, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis pro tempore factis, tamquam effectum non

sortitis, etiamsi de iisdem praesentibus litteris, ac earum toto tenore ac data, specialis, specifica et expressa mentio fiat, minime includi, sed illis et quibusvis aliis contrariis non obstantibus, in suis robore et efficacia persistere, ac quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo apostolica auctoritate concessas esse; necnon institutionem, erectionem, suppressionem, separationem et dismembrationem, applicationem, annexionem et incorporationem huiusmodi, donec illa plenarium fuerint sortita effectum, durare; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatum executionis.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus Tornacensi et Brugensi episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Philippi regis ac praepositi et rectoris seu collegialium praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; ipsosque Philippum regem ac praepositum et rectorem ac collegiales erectione, institutione, separatione, dismembratione, unione, annexione, applicatione, incorporatione, indulto aliisque praemissis omnibus et singulis, iuxta earumdem praesentium litterarum continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere; non permittentes eos seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores, dicta auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas ipsas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere quoquo modo praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahasur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon monasterii et Ordinis praedictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam vel contemplationem, seu etiam motu et scientia similibus, et consistorialiter ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, etiam super provisione et seu præfectione de dicto monasterio, seu prae-

sentatione vel nominatione personarum ad illud, dum pro tempore vacat, aut alias concessis, approbatis et innovatis.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Quibus omnibus, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, suppressionis, extinctionis, dismembrationis, separationis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, indulti, decreti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, *etc.*

Datum Tusculi, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, nono kalendas iulii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 23 iunii 1584, pontif. an. XIII.

CLXIX.

Erectio collegii Societatis Iesu in civitate Mantuana [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Laboriosam et indefessam operam, quam Societas Iesu, in militantis Ecclesiae agro colendo vepribusque purgando et salutaris disciplinae sementis instaurando, inter ceteros illius cultores assidue praestat, intra cordis nostri arcana revolventes, merito inducimur ut ad ea, per quae eiusdem Societatis collegia ubique propagari et stabiliri valeant, libenter intendamus, ac in his pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponamus, prout ad maiorem ipsius agri fœcunditatem opportunum fore, principumque illustrium vota id salubriter expedire conspicimus.

Facti series.

§ 1. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, apud Sedem Apostolicam tunc vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Cum itaque postmodum parochialis ecclesia Sancti Salvatoris Mantuana, per liberam resignationem dilecti filii Antonii de Ferrariis, nuper ipsius ecclesiae Sancti Salvatoris rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris, ad effectum eorum quae sequuntur, sponte factam, et per nos admissam, apud Sedem eamdem vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illa, praeter nos, hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis. Et sicut exhibita nobis nuper, pro parte dilecti filii nobilis viri Guillelmi, et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Eleonorae ab Austria, ducum Mantuae et Montis Ferrati, petitio continebat, ipsi pio religiosoque erga Societatem praedictam, ob certissimos et multiplices fructus ex illius collegiis in variis christiani orbis partibus salubriter institutis eidem militanti Ecclesiae uberius quotidie provenientes, zelo et affectu ducti, unum collegium eiusdem Societatis in civitate Mantuana, ad omnipotentis Dei gloriam religionisque et spiritualium mini-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

strorum incrementum, ac iuventutis ipsius civitatis et finitimorum locorum in fide, pietate litterarumque studiis ac ceteris christiano homine dignis virtutibus instructionem et aedificationem, publicamque utilitatem et salutem, erigi et institui summopere desiderent; ac pro ipsius collegii fundatione et dotatione dicta Eleonora census seu redditus annuos sexcentorum scutorum (sex libris monetae in eadem civitate cursum habentis, pro quolibet scuto huiusmodi computatis) de bonis sibi a Deo collatis, ipsius Guillelmi ducis coniugis sui ad hoc expresso accedente consensu, donare et assignare intendat; ecclesia autem S. Salvatoris praedicta, cum adiacentibus domibus, membris, iuribus et pertinentiis suis, ad usum ipsius collegii erigendi plurimum apta et commoda sit, pro parte Guillelmi et Eleonorae ducum praedictorum, asserentium dictae ecclesiae S. Salvatoris et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus centum et viginti ducatorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus huic pio et fructuoso eorum desiderio annuere, et desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio collegii praefati.

§ 2. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, piorum operum incrementum iugiter sectantes, ac Guillelmum et Eleonoram duces ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, nunc, prout ex tunc et e contra, postquam dicta Eleonora census seu redditus annuos sexcentorum scutorum pro dote collegii erigendi huiusmodi donaverit et assignaverit, ut praefertur, in dicta ecclesia S. Salvatoris nomen, titulum, denominationem et essentiam parochialis ecclesiae, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac ab ea omnimodam curam animarum illius parochianorum, una cum ipsis parochianis, iuribusque, oneribus et insignibus parochialibus universis, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, abdicamus, illamque sic abdicatam, necnon cappellanias et alia beneficia ecclesiastica in eadem ecclesia Sancti Salvatoris consistentia, etiam de laicorum et aliorum iure patronatus existentia, illorumque fundationes, fructus missarum, anniversariorum et aliorum divinorum officiorum, imbi pro defunctorum suffragiis celebrandorum, commissiones, institutiones et onera, necnon eleemosynas, oblationes et legata ceteraque emolumenta ad id relicta et legata, ipsorumque defunctorum cadavera, ossa et sepulturas et quodcumque ius sepeliendi ad aliam vel alias ecclesias per ordinarium loci designandas, ac alias iuxta ordinationem desuper ab ipso ordinario faciendam, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo, transferimus, et seu eidem ordinario translationem huiusmodi ac alia circa eam quomodolibet necessaria vel opportuna faciendi plenam et liberam facultatem tribuimus.

Unio ecclesiae S. Salvatoris collegio de quo supra.

§ 3. Necnon prope ecclesiam S. Salvatoris, ac in illius domibus, membris et pertinentiis huiusmodi, collegium praedictum, per unum rectorem iuxta ipsius Societatis ritus, mores, consuetudines et instituta regendum et gubernandum, auctoritate et tenore similibus, pariter perpetuo, erigimus et instituimus; illique sic erecto et instituto eamdem ecclesiam San-

cti Salvatoris, sic sine cura remanentem, sive praemisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem resignationem dicti Antonii vel cuiusvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII, praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit quod eius collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque ecclesia S. Salvatoris dispositioni apostolicae specialiter vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, cum annexis et adhaerentibus huiusmodi aliisque domibus, membris, iuribus et pertinentiis suis eidem collegio, ita quod liceat illius rectori et collegiabilibus pro tempore existentibus, per se vel alium seu alios, ipsius collegii nomine, corporalem possessionem ecclesiae S. Salvatoris ac annexorum, necnon domorum, membrorum, iurium et pertinentiarum praedictorum, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque in collegii et ecclesiae S. Salvatoris huiusmodi usus, utilitatem ac necessitates convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita, eisdem apostolica auctoritate et tenore, itidem perpetuo concedimus, unimus, annectimus et incorporamus.

Clausulae speciales. § 4. Decernentes suppressionem, extinctionem, abdicationem, translationem, facultatem, erectionem, institutionem, concessionem, unionem, annexionem, incorporationem aliaque praemissa ac praesentes litteras, etiam ex eo quod causae, propter quas emanarunt, coram ipso ordinario, etiam tamquam dictae Sedis delegato aut alias, examinatae, verificatae et approbatae, ac interesse habentes ad id vocati non fuerint, neque praemissis consenserint, seu quovis alio praetextu, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, infringi seu alias retractari, aut in ius vel controversiam deduci, seu ad terminos iuris reduci aut revocari, suspendi vel excommunicari, seu adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut in aliquo illis derogari nullatenus umquam posse, sed semper perpetuo validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios effectus obtinere et sortiri; sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique ac in quavis instantia, iudicari et diffiniri debere.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, et Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, necnon aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, contrariis quibuscumque. Aut si aliqui, super provisionibus faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras et processus habitos per easdem ad dictam ecclesiam S. Salvatoris volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem bene-

ficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis et litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Exceptio pro ecclesia Sancti Salvatoris.

§ 6. Volumus autem quod, propter concessionem, unionem, annexionem et incorporationem nostras praedictas, ecclesia S. Salvatoris huiusmodi debitis non fraudetur obsequiis, sed alias eius congrue supportentur onera consueta. Nos enim, prout est, irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae MDLXXXIV, XV iulii, pontificatus nostri anno XIII.

Dat die 15 iulii 1584, pontif. an. XIII.

CLXX.

De praedicatione verbi Dei semel in hebdomada facienda hebraeis, pro eorum ad Christi fidem conversione, in terris et locis in quibus extant eorum synagogae [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae constitutionis.

Sancta mater Ecclesia, cuius Christus caput est, ingenitam suam caritatem ad omnes late effundens, antiquae Israeliticae gentis populique Dei peculiares reliquias pio numquam desinit affectu miserari, graviterque contristatur Iudaeorum quondam nationem praecipuis auctam muneribus et gratiis, cuius erat adoptio filiorum, gloria, testamentum, legislatio, obsequium et promissa, unde etiam Christus Salvator noster secundum carnem nasci dignatus est, per diversas orbis partes tot iam saecula dispersam, ac contagiosi gregis more per invia et inaquosa misere vagantem, verbi Dei fame et aquae refectionis siti perire, longeque non a terrena tantum, super quam Dominus flevit, sed, quod gravius est, a coelesti quoque Ierusalem, nisi Christum, quem negavit, confiteatur, exturbari; qua miseratione et moerore nos quoque non leviter commoti, in dies semper aliquid excogitamus, unde eorum conversioni et saluti opportunius provideatur, ipsique ad intelligentiae viam, quam sibi praecluserunt, valeant, Deo propitio, pervenire.

Episcopi et alii curent qualibet hebdomada praedicari iudaeis in terris ubi sunt synagogae, praedicatoresque de hic expressis disserant.

§ 1. Quare, sollicito haec animo meditantes, ac felicis recordationis Nicolai Papae V nonnullorumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, praesenti constitutione generali praecipimus omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, etiam cardinalatus honore praeditis, ut in suis quisque civitatibus, terris et locis in quibus competens aliquis numerus iudaeorum, qui synagogam constituat, commoratur, curent sabbati vel alio cuiuscumque hebdomadis statuto die, ad iudaeos ipsos, in locum praestitutum, non tamen sacrum nec ubi sacra confici solent, convocatos, per aliquem magistrum in theologia aliumve idoneum virum ab eis eligendum, cum mercede congrua illi ex ipsorum hebraeorum collatione aut alias, prout commodius eis videbitur, assignata, Hebraicae (quantum fieri poterit) linguae

1 De materia iudaeorum vide in Pauli quarti const. IV, *Cum nimis*, tom. VI, pag. 498.

peritum, sermones vel lectiones haberi, in quibus illis exponantur scripturae Veteris Testamenti, Moysis scilicet et prophetarum, praesertim vero, quae eo sabbato leguntur seu lectae in eorum sunt synagogis, iuxta sanctorum tamen Patrum interpretationes et verum catholicae Ecclesiae sensum, ac in eis disseratur de veritate christianae fidei, de certo adventu et incarnatione Filii Dei, illiusque nativitate, vita, miraculis, passione, morte, sepultura, descensu ad inferos, resurrectione, in coelum ascensione, de eius Evangelio in toto terrarum orbe per apostolos eius et alios sanctos praedicato, innumeris atque clarissimis virtutibus et illustrium miraculorum gloria confirmato, ac de eius spirituali et vero regno, et de impio idolorum cultu sublato, et gentium vocatione, de perpetua tum Hierusalem et terrae eorumdem iudaeorum desolatione, tum ipsorum ubique terrarum dispersione et captivitate, et de aliis similis argumenti dogmatibus et articulis ex lege et prophetis, de diutina praeterea et irrita iudaeorum adventus Messiae et carnalis illius regni expectatione, de vana eorum, quae saepe, quinimmo quotidie, eos frustrata est, spe reditus in terram promissionis, et restaurationis tertii templi, et demum de multiplicibus et variis erroribus et haeresibus eorum, in quas miserrime se demerserunt, postquam Christum Dominum in carne venientem agnoscere noluerunt, et de falsa per eorum rabbinos tradita sacrarum Scripturarum interpretatione, quarum litterarum sensum fabulis, mendaciis et variis dolis et modis detorquentes corruperunt et depravarunt, et hactenus corrumpere et depravare non desinunt, deque omnibus aliis, quae eos possint ad agnitionem fidei, ad errorum suorum correctionem, ad orthodoxamque fidem convertere, pro loci, temporis sumptique argumenti ratione, prudenter agant, veris et ex sacra Scriptura depromptis demonstrationibus, nulla cum obtrectatione aut iracundia, sed magna cum caritate et modestia, veritatis lumen illis aperire conentur.

Iudaei maiores annorum xii utriusque sexus intersint praedicationibus.

§ 2. Ad quos sermones et lectiones volumus universos et singulos utriusque sexus iudaeos a duodecim annis supra, infirmitate aut alia legitima causa, de qua ordinarios docere debeant, non impeditos, in civitate et locis, ut praefertur, habitantes vel aliunde advenientes, etiamsi inibi domicilium non habeant, vicissim ac tripartite saltem, nec umquam minus convenire [1]. Quod si facere neglexerint, interdicti cum fidelibus commercii et aliis poenis, arbitrio ordinarii pro contumaciae modo imponendis, donec satisfecerint competenter, ad ipsos sermones audiendos compellantur.

Christiani autem iudaeos ab huiusmodi praedicationibus seducentes puniantur.

§ 3. Siquis vero de numero fidelium ita fuerit salutis aut sui aut proximi sui, de quo unicuique mandatum est, immemor, qui eos a salutaribus huiusmodi sermonibus seu lectionibus directe vel indirecte abduxerit aut impediverit seu contenderit quoquomodo, excommunicationis sententia sit eo ipso ligatus et contra eum ad alias poenas ordinarii arbitrio omnino procedatur.

Principes faveant ordinariis in praemissis.

§ 4. Ceterum, imperatorem regesque et principes omnes, necnon respublicas, magistratus et dominos temporales saeculares rogamus et obtestamur in Domino ut patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ordinariis praedictis, eorumque vicariis et ministris suum in praemissis auxilium praestent, amplissimum ab omnipotenti Deo praemium in supremis gloriae aeternae tabernaculis habituri.

Fides transumptis adhibeatur.

§ 5. Et quoniam difficile nimis esset praesentes ad omnia loca, quibus illis opus erit, perferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici

1 Locum hunc ita legit Cherub.: *habeant, ita per circuitum convenire ut tertia saltem eorum pars, nec umquam minus, semper adsit* (R. T.).

notarii subscriptis, et sigillo praelati aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem omnino fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, kalendis septembris, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 1 sept. 1584, pontif. an. XIII.

CLXXI.

Innovatio constitutionis Nicolai III et aliarum sanctionum contra iurantes et iurare facientes illicita, impossibilia, damnosa et ecclesiasticae libertati ac decretis concilii Tridentini adversantia [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Consuetudo erat quod praelati et canonici in eorum ecclesiis non admitterentur, et civitatum officiales ad officia non reciperentur, nisi praedicti prius iuramento observandi statuta illorum.

Inter apostolicas et alias canonicas sanctiones, quae de iurisiurandi religione variis temporibus prodierunt, felicis recordationis Nicolaus Papa III, intelligens in nonnullis ecclesiis de earum consuetudine observari ut earum praelati ad ecclesias ipsas primo accedentes, et in negocio receptionis novorum canonicorum, nec praelatos admitti, nec canonicos aliter recipi in dictis ecclesiis, nisi iurato ab eis statuta et consuetudines ipsarum ecclesiarum, scripta et non scripta, inviolabiliter observare; inter laicos etiam multarum civitatum, castrorum et terrarum eum consuetudinis morbum in assumendis potestatibus, rectoribus vel officialibus suis irrepsisse, ut ipsi potestates, rectores et officiales ad huiusmodi potestarias, rectorias et officia nullo modo admittantur, nisi prius se statuta ipsorum locorum clausa iuraverint servaturos.

Nicolaus III declaravit talia iuramenta non ligare iurantes ad observandum illicita, impossibilia ac libertati ecclesiasticae contraria, ut in cap. 1, *De iureiurando*, in VI.

§ 1. Et quia in statutis et consuetudinibus supradictis interdum aliqua reperiebantur illicita seu impossibilia vel obviantia ecclesiasticae libertati, idcirco, ne sub tali generalitate iurandi sic iurantibus peccandi occasio praeberetur, cum iuramentum non ideo fuerit institutum ut vinculum esset iniquitatis, praedictus Nicolaus Papa, animarum periculis obsistere cupiens, frugifera et salubri constitutione praecepit quibuscumque scientibus contineri in praedictis consuetudinibus et statutis illicita, impossibilia vel libertati ecclesiasticae obviantia, huiusmodi iuramenta ab eis nullo modo praestari; et iuramenta ea intentione facienda vel facta ut etiam illicita vel impossibilia seu libertati ecclesiasticae obviantia observentur, cum etiam sub tali intentione, praestari non possent absque divinae Maiestatis offensa, decrevit in huiusmodi illicitis, impossibilibus seu libertati ecclesiasticae obviantibus non servanda, quin potius, pro animarum salute, si sub forma praedicta vel simili aliquos ignorantes praedicta illicita seu impossibilia vel libertati ecclesiasticae obviantia iurare contingeret, ad observanda dumtaxat licita, possibilia et libertati ecclesiasticae non obviantia iuramentorum intentio referri deberet, declarans iuramenta sub huiusmodi generalitate qualitercumque et sub quacumque verborum forma praestita vel praestanda, ad licita, possibilia ac ecclesiasticae libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque iurantes ad alia per praestationem iuramenti huiusmodi non teneri. Verumtamen multi infirmi cupidique census [1] sese in huiusmodi iuramenta, cum animarum suarum periculo, praecipitant.

§ 2. Nos, quoniam haec sanctorum

1 Haec Nicolai constit. est in capite primo, *De iureiurando*, in VI.

1 Cherub. legit *sensus* (R. T.).

Hic Pontifex Nicolai III et alias canonicas innovat constitutiones circa reprobationem huiusmodi iuramentorum;

quoque Patrum institutis et salubri rerum ecclesiasticarum directioni adversantur, et tamquam de radice ambitionis procedentia omne bonum in ecclesiis rebusque publicis pervertunt, ea novae provisionis subsidio prohibere volentes, praesentium auctoritate innovamus praedictam constitutionem Nicolai Papae itidemque alias omnes canonicas sanctiones de abusu et reprobatione huiusmodi iuramentorum promulgatas, volumusque eas ubique ab omnibus, etiam quoad praeterita, inviolabiliter observari.

Et exigentibus de cetero iuramenta illicita poenas hic expressas imponit.

§ 3. Ac etiam praecipimus et interdicimus praelatis, canonicis et aliis supradictis, necnon ecclesiarum capitulis et monasteriorum ceterisque conventibus, civitatum quoque, castrorum et terrarum communitatibus et personis, quacumque dignitate praeditis, ne ulla omnino iuramenta illicita, impossibilia, damnosa vel libertati ecclesiasticae aut decretis concilii Tridentini obviantia, sive ante sive post electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones aut alios actus, ubicumque ac quocumque tempore, etiam praetextu cuiusvis consuetudinis quantocumque tempore observatae, quae potius corruptela est censenda, sive in genere sive in specie, praestare, reddere vel exigere, neve super praestatis, redditis vel exactis hucusque quemquam, in iudicio vel extra, inquietare audeant quoquomodo vel turbare; illos enim qui iuramenta illicita, impossibilia, damnosa vel ecclesiasticae libertati aut decretis dicti concilii obviantia exigere contenderint, episcopos videlicet et alios quoscumque pontificali dignitate praeditos, suspendimus a divinis; capitula vero et conventus eorumque ecclesias et loca omnia interdicto ecclesiastico supponimus; ac singulares personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta et alia obtinenda eo ipso, nobisque et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis et interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia huiusmodi perpetuo reservamus.

Iurantibus quo que infligit poenas de quibus hic.

§ 4. Decernentes eos, qui talia iuramenta scienter praestiterint, usu et commodo rei et gratiae cuius causa iuraverint, eo ipso privatos esse: alios vero ignorantes ad praestitorum iuramentorum huiusmodi observationem minime teneri; necnon irritum et inane quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter, attentatum est hactenus et deinceps contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis seu quod praelatis, capitulis, conventibus et personis praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum vel in posterum indulgeri contingat quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam et ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Et quoniam difficile nimis esset praesentes ad omnia loca, quibus illis opus erit, perferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo praelati aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, nonis septembris, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 sept. 1584, pontif. an. XIII.

CLXXII.

Deposita pecuniarum actualia supra summam scutorum quinque, occasione litium in alma Urbe fienda, apud Montem Pietatis de cetero fiant.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inter multiplices animi nostri curas, quas pro pastorali officio nobis incumbunt, illa praecipue pectus nostrum pulsat, ut quilibet sibi legitime debitum facile consequatur, et ut pietatis opera, quae in Urbe nostra exercentur, continuum suscipiant incrementum.

Causa huius constitutionis. § 1. Sane, rerum experientia edocti, comperimus saepissime in causis, quae in universis Romanae Curiae tribunalibus, atque etiam in ipso Rotae Auditorio ventilantur, fieri actualia deposita pecuniarum penes notarios actuarios, quorum consignationis cum tandem dies advenerit, novum ipsis creditoribus inchoandum esse iudicium pro ipsius depositi consignatione, cum vel ex morte notarii vel alia quavis occasione difficultates innumerae oriantur. Conspeximus etiam liquido quandoque debitores, cum alia via solutionem ulterius effugere non valeant, curare ut in eorum manibus pecuniae sequestrentur, ut creditor quandoque non ita subito cavere valeat, aut controversiam patiens diutius iure suo frustretur, et nova lis exoriatur, cuius periculo id sit cessurum; ac etiam cavillationibus impediunt quo minus sibi debitam pecuniam consequatur. Saepe etiam pecuniae, discussionum occasione, otiosae iacent, quas in pauperum utilitatem interim mutuare longe praestaret. Conspeximus quoque magnum commodum, quod ex Monte Pietatis omnibus Urbis incolis resultat, cum, sub minima mercede et ea necessaria quidem in sumptus operi incumbentes, omnibus succurratur. Verum, propter ipsius Montis tenues facultates, non posse ea largitate omnibus subveniri, quae in tam magna civitate et pauperum multitudine expediret; et considerantes quam tute in eo Monte pecuniae collocentur, cum ibidem non nisi pignoribus credantur, optimum fore censuimus, si eodem tempore, et abusus ac difficultates, quae circa ipsa deposita et illarum consignationes exoriuntur, tolleremus, et ut pecuniae abundantiores in eodem Monte confluerent [1], et usurarum occasio arceatur consuleremus.

Iudices almae Urbis summas pecuniarum deponendas deponi faciant penes Montem Pietatis. § 2. Itaque, his et aliis animum nostrum digne moventibus rationalibus causis, motu proprio et ex certa nostra scientia, omnibus et singulis Romanae Curiae iudicibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, etiam sacri Palatii Apostolici auditoribus, ac etiam S. R. E. cardinalibus, in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus ut in quibusvis causis, etiam criminalibus, coram eis pendentibus, in quavis instantia, et quas in futurum perpetuo pendere contigerit, ubi actuali pecuniarum deposito supra summam scutorum quinque alias locus sit, iuxta decreta per ipsos iudices facienda, illud non amplius penes notarios, ut hactenus, sed, sine ipsorum notariorum praeiudicio, penes ipsum Montem Pietatis seu illius pro tempore depositarium, qui fide et facultatibus insignis sit, fieri et deponi mandent.

Depositi consignatio fiat, nulla aucta expensa. § 3. Cuius depositi consignatio fiat per mandatum iudicis, absque alia expensa quam ea quae regulariter, iuxta stylum cuiusque tribunalis, pro illius consignatione hactenus penes notarium fieri consueverat, eidem notario tantum solvenda.

Usus cedularum ac pignorum non tollitur. § 4. Sane usum et consuetudinem cedularum bancariarum et cautionum ac pignorum, dum res est dubia et super ea lis pendet, nequaquam tollimus.

1 Cherub. addit: *quo largius et amplius necessitatem patientibus succurratur* (R. T.).

Lite vertente inter aliquos, debitor deponat penes Montem.

§ 5. Porro, ubi super pecuniis sequestratis vel pensionibus domorum, casalis aut aliarum quarumcumque rerum litigiosarum, tam profanarum quam ecclesiasticarum, lis inter alios pendet, verus debitor interim penes ipsum Montem pecunias deponere, nedum ad cuiusvis partis instantiam, sed etiam ex officio, compellatur.

Debitores omnes tuto penes Montem deponent.

§ 6. Insuper, ad evitandum moram et omnem poenam exinde iuridice provenientem, liceat unicuique debitori, qui creditoris sui copiam non habuerit, pecunias in eodem Monte actualiter deponere, quae creditori venienti possint libere consignari; quod si etiam ipse debitor velit morae litem effugere, et praetendat non esse locum consignationi, et desuper audiri, ad ipsum facto prius in ipso Monte pecuniario deposito, tam in futuris quam in pendentibus negotiis, et praecipue in quibuscumque discussionibus, pro loco tuto ipsum Montem eorum arbitrio eligere possint.

Iudicum contravenientium poenae,

§ 7. Iudices vero, quacumque praefulgeant dignitate, aliter decernentes indignationis nostrae poenam incurrant.

Partiumque.

§ 8. Partes vero aliter deponentes periculo omni subiaceant, nec a creditoribus se propterea liberatum iri intelligant.

Ministri Montis sint diligentes.

§ 9. Ac ipsius Montis provisores et ministri ita sint in conservatione fideles et consignatione celeres, ut ceteri etiam non litigantes ad deponendum penes eos alliciantur.

Deponentium assecuratio.

§ 10. Utque magis sic deponentibus sit consultum, volumus non solum ipsius Montis, sed et depositarii ab eo pro tempore eligendi bona fore et intelligi pro dictorum depositorum restitutione efficaciter obligata, perinde ac si cum unoquoque cameralis obligatio intercessisset, eaque, in eventum discussionis, tamquam publico camerali instrumento munita, ceteris praeferri.

Decretum irritans.

§ 11. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Notariorum et iudicum inobedientium poenae.

§ 12. Et quod notarii et iudices contra praemissa venientes, notarii videlicet, omnibus emolumentis suorum officiorum unius anni dicto Monti applicandis, prima vice; deinde ipsis officiis privati sint, et praeterea excommunicationis sententiam prima vice praedicta incurrant eo ipso. Itidemque iudices, etiamsi archiepiscopi, episcopi seu alii praelati fuerint, poena quingentorum ducatorum auri de Camera eidem Monti pariter applicandorum, sine remissionis spe, mulctentur, earumdem praesentium auctoritate statuimus.

Executoris huius constitutionis deputatio.

§ 13. Quocirca dilecto filio nostro Philippo S. Angeli in Foro Piscium diacono cardinali Vastavillano nuncupato, S. R. E. camerario, praesenti, ac pro tempore existenti dicti Montis protectori, tenore praesentium praecipimus et mandamus ut Monti praefato ac illius revisoribus et ministris, in praemissis, efficacis defensionis auxilio assistens, faciat omnia et singula praemissa, etiam sub censuris ecclesiasticis, et pecuniariis eius arbitrio moderandis poenis, per eos ad quos spectat inviolabiliter observari.

Camerarii facultas declarandi dubia.

§ 14. Et ubi super praemissis, tempore procedente, dubium aliquod emerserit, illud auctoritate nostra declaret et interpretetur, et in casibus dubiis semper depositum in ipso Monte faciendum esse decernat.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo Palatii

ceterisque contrariis nonobstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 1 octobris MDLXXXIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 1 octob. 1584, pontif. an. XIII.

CLXXIII.

Erectio collegii Armeniorum in Urbe [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romana Ecclesia, cunctarum gentium pia sollicitaque mater et magistra, ita in omnes partes consuevit suae charitatis ubera protendere, salutarisque doctrinae pabulum esurientibus filiis administrare, ut qui longiori terrarum marisque intervallo a se disiuncti et calamitate oppressi sunt, eos digna miseratione et arctiori pietatis dilectionisque vinculo amplecti ac fovere studeat.

Causa erectionis collegii Armeniorum. § 1. Sane Armeniorum gens numero amplissima ac prope infinita, antiquitate et nomine celeberrima, christianae religionis studio et constantia supra universos Orientis populos laudatissima, cum initio nascentis Ecclesiae, gloriosis apostolis Bartholomaeo et Thaddaeo docentibus, evangelicam degustasset fidem, ac deinde, beati Silvestri Pontificis et Constantini magni imperatoris tempore, publico omnium consensu, una cum rege suo Tyridate (ita videtur dicendum), ut apud eos traditum est, recepisset, adeo pie et religiose illam deinceps coluit, ac tanta praeterea veneratione Pontificem Romanum omni tempore est prosecuta, ipsum scilicet verum Christi vicarium, beati Petri successorem Ecclesiaeque catholicae caput fatendo, eius doctrinam disciplinamque sequendo, ac in omnibus se suosque patriarchas Apostolicae Sedi subiicendo, quemadmodum in generali concilio Florentino, sub Papa Eugenio huius nominis IV, missis illuc praelatis ac procuratoribus suis, non obscure testatum reliquit, ut merito nobis Sedique Apostolicae charissima et acceptissima esse debeat.

Armenii prae ceteris Orientis populis expeditionem Hierosolymitanam adiuverunt. § 2. Et vero, inter alia eiusdem nationis de Ecclesia republicaque christiana merita, illud praecipuum ac singulari memoria dignum est, quod, principibus exercitibusque christianis saepius olim ad recuperationem Terrae Sanctae proficiscentibus, nulla natio, nullus populus promptius alacriusque eis suppetias tulit, quam Armenii, qui viris, equis, armis, commeatu, consilio ac denique omni ope christianos sacro illo in bello fortissime ac fidelissime iuverunt. Postquam vero Turcarum teterrimae servitutis iugum subire coacti sunt, id quod gravissimo cum dolore referimus, nulla illi dominantium vi ac feritate, nullis acerbitatibus, nullis iniuriis, nullis oppressionibus de christianae religionis cultu et observantia ac Apostolicae Sedis obedientia dimoveri potuerunt (ita dicendum); et siqui errores inter eos irrepserunt, ii non pravae aut perversae eorum voluntati seu naturae, sed temporum iniuriae et calamitati omnino adscribendi sunt.

Erectio collegii in Urbe. § 3. Nos igitur, ex intimo corde desiderantes tam numerosae tamque piae nationi, qua possumus ratione, subvenire, in his praecipue, quae ad animarum salutem sanctamque religionem et fidem orthodoxam retinendam augendamque pertinent, proprium collegium eidem nationi in alma Urbe erigere decrevimus, in quo adolescentes selecti bonaeque indolis et expectationis, Sedis Apostolicae impensis, alantur, et bonis moribus sanaque doctrina imbuantur, ut iidem postea, ad

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

suos remeantes, quam maximo eis adiumento et consolationi spiritualibus in rebus esse possint. Ideoque, ad omnipotentis Dei gloriam sanctaeque fidei catholicae incrementum, totiusque Armeniacae nationis honorem, commodum et utilitatem, motu proprio *etc.*, apostolica auctoritate, tenore praesentium, collegium unum adoscentum Armeniorum, de eodem nomine nuncupandum, in hac alma Urbe nostra et in loco per infra nominandos cardinales protectores eligendo, erigimus et instituimus, cui sumptus necessarios, quousque aliter ei provisum fuerit, ex nostris et Camerae Apostolicae pecuniis subministrari omnino volumus atque iubemus.

Privilegia eidem concessa.

§ 4. Volumus etiam hoc ipsum collegium, illiusque rectores, oeconomos, magistros, praeceptores atque scholares pro tempore in eo existentes, eorumque domesticos et officiales ac ministros, necnon collegii et illorum bona mobilia, cuiuslibet qualitatis et quantitatis, in dicta Urbe et extra eam ubique locorum consistentia, exempta esse ab omni iurisdictione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis senatoris, conservatorum ac reformatorum dictae Urbis, necnon rectoris Studii generalis et vicarii Urbis, ac ordinarii cuiusvis locorum, aliorumve quorumcumque iudicum et officialium in ipsa Urbe vel alias ubilibet constitutorum; ipsumque collegium et eos, in propriis eorum rebus et bonis, ac alios cum ipsis contrahentes a solutione et exactione omnium et quorumcumque, ut vocant, pedagii, gabellae, bolletini, decimarum et cuiusvis alterius, tam ordinarii quam extraordinarii, oneris, ex quacumque causa impositorum et imponendorum, eximimus et prorsus liberamus, ac sub beati Petri Sedisque Apostolicae ac nostra protectione suscipimus et collocamus, nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus, ac liberos, immunes et exemptos declaramus.

Officiales aliique ad collegium pertinentes iisdem privilegiis, quibus Studium almae Urbis gaudet, donantur.

§ 5. Eidem quoque collegio, rectoribus, scholaribus, praeceptoribus, magistris, oeconomis, officialibus et ministris, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis, quibus Studium generale almae Urbis, et illius rector, doctoresque in eo etiam actu legentes quovis modo utuntur potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ad eorum instar et pari modo uti, potiri et gaudere valeant in omnibus et per omnia concedimus et indulgemus, illaque eis communicamus. Praeterea senatori, conservatoribus, reformatoribus, rectorique et aliis iudicibus, officialibus personisque praedictis, ac pro tempore existenti S. R. E. camerario praesidentibusque et clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis commissariis ad exactionem decimarum et aliorum onerum praefatorum pro tempore deputatis, ne quarumvis litterarum, eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum, praetextu, collegium, rectores, scholares, praeceptores, magistros, oeconomos, officiales et ministros praedictos seu eorum aliquem in praemissis quovis modo molestent seu molestari permittant, districtius inhibemus.

De promovendis ad gradus universitarios.

§ 6. Et deinde regentibus ac superioribus dicti collegii, cum assistentia tamen cardinalium protectorum, qui pro tempore fuerint, seu alicuius eorum, vel de ipsorum consilio et expresso consensu, illos, quos in dicto collegio et alibi per debitum tempus studuisse, ac litterarum scientia et moribus idoneos esse repererint, ad baccalaureatus, licentiaturae doctoratusque et magisterii gradus, servata forma concilii Viennensis, iuxta Universitatis eiusdem Urbis consuetudinem, seu alias promovendi, et ipsorum gra-

duum solita insignia eis exhibendi; quodque sic promoti facultates, in quibus studuerint, legere et interpretari ac de eis disputare, et quoscumque gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus et singulis gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedicta seu aliis Universitatibus et alibi, iuxta illius et aliarum Universitatum huiusmodi constitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti de iure vel de consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint ac debeant, perinde ac si gradus praedictos in ipsa Universitate, iuxta consuetudinem et mores praedictos, suscepissent, concedendi et indulgendi liberam eadem auctoritate damus facultatem et potestatem.

Deputatio protectorum.

§ 7. Sed ut ipsius etiam collegii conservationi bonoque regimini, tam in his quae ad institutionem et disciplinam, quam quae ad victum vestitumque et alia huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, dilectos filios nostros Iulium Antonium tituli S. Bartholomaei in Insula Sanctae Severinae et Antonium tituli S. Eusebii Carafam nuncupatos presbyteros cardinales, eiusdem collegii protectores ac defensores constituimus et deputamus, quorum consilio et ope, supradicta et alia quaecumque ad eosdem in collegium admittendos spectantia agantur, statuantur et ordinentur. Dantes eisdem et pro tempore existentibus protectoribus plenam et liberam facultatem et auctoritatem, pro salubri directione et conservatione dicti collegii illiusque bonorum et rerum ac iurium, tam temporalium quam spiritualium, rectores, praeceptores, magistros, regentes, oeconomos, advocatos, procuratores aliosque ministros et officiales in eo deputandi et amovendi, aliosque eorum loco sufficiendi, ordinationesque et statuta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et concilio Tridentino non repugnantia faciendi et edendi, eaque, cum visum fuerit, revocandi, mutandi et corrigendi, aliaque denuo condendi, et postquam facta et edita, revocata, mutata et correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac si auctoritate apostolica approbata et confirmata essent; illaque ab omnibus rectoribus, magistris, scholaribus ceterisque in collegio ministrantibus ac servientibus inviolabiliter observari; ac iuxta eorumdem dispositionem a quibusvis iudicibus, sublata eis quavis aliter iudicandi facultate, iudicari et diffiniri debere; et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac ipsius Urbis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem senatori, conservatoribus, reformatoribus, camerario, Universitatibus ac earum collegiis, rectoribus et personis, necnon praedictae Urbi et populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 9. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica *etc.*

Clausulae.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, tertio idus octobris, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 13 octob. 1584, pontif. an. XIII.

CLXXIV.

Quod religiosi Societatis clericorum regularium Iesu, etiam sacris ordinibus non initiati, verbum Dei praedicare possint [1].

Gregorius Papa XIII
dilectis filiis praep. et religiosis Soc. Iesu
salutem et apostolicam benedictionem.

Causa huius declarationis.

Vigore privilegii vestrae Societati a felicis recordationis Paulo Papa III, praedecessore nostro, concessi, ut vestrum quisque idoneus et a praeposito pro tempore existente eiusdem Societatis deputatus verbum Dei publice praedicare, et qui ex vobis presbyteri fuerint quorumcumque utriusque sexus christifidelium confessiones audire possint, ex illo concessionis huiusmodi tempore etiam scholares et alii religiosi vestri, sacris ordinibus nondum initiati, alias tamen idonei, ad praedicandum verbum Dei passim et ubique mittuntur. Verum, quia nonnullis dubitatio curiosius incessit an dictum privilegium praedicandi etiam eos comprehendat, qui ad ordines ipsos nondum ascenderunt.

Declaratio, de qua in rubr.

§ 1. Nos, quemcumque hoc scrupulo eximere volentes, praesentium auctoritate declaramus ac etiam decernimus vestrum unicuique, etiam ad sacros ordines praedictos non promoto, praedicationis munus in vim privilegii huiusmodi exercere potuisse et posse. Vobis insuper concedentes ut etiam clerici vestri, prima tantum tonsura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum ubique populo praedicare.

Inhibitio contra perturbatores.

§ 2. Districtius inhibentes universis et singulis locorum ordinariis et quibusvis aliis, quacumque dignitate et auctoritate fungentibus, ne quemquam vestrum quovis praetextu, praemissorum occasione, impedire vel molestare audeant quoquomodo.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in generalibus et provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici seu secretarii Societatis subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam dictae Societatis praepositi generalis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDLXXXIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat die 20 nov. 1584, pontif. an. XIII.

[1] Alia de hac Religione indicavi tibi in Pauli III constit. XXXIII, *Regimini*, qui eam primo confirmavit, tom. VI, pag. 303.

CLXXV.

De forma qua clerici R. C. Apostolicae expeditiones camerales signare debent, sub nomine et sigillo S. R. E. cardinalis camerarii.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae a Romanis Pontificibus optima ratione sunt decreta ac roborata, ea ne sensim labefactentur et pereant, nostrum in primis est officium providere.

§ 1. Olim igitur felicis recordationis Paulus Papa tertius, praedecessor noster, propositis poenis gravissimis, officiorum et beneficiorum privativis, atque excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendis, perpetua constitutione prohibuit decano et clericis Camerae Apostolicae, qui omnia, quae in eadem Camera agunt, S. R. E. camerarii nomine agunt, ne res camerales, inscio ipso camerario, cui rerum et iurium Camerae cura est specialiter commissa, quique vivae vocis oraculum habet, et in suo officio personam Pontificis repraesentat, ullo modo expedirent, neve ullas expeditiones camerales gratiam vel iustitiam concernentes seu mixtas aut ab illis dependentes, aliter quam sub nomine camerarii et sub sigillis penes ipsum existentibus facere aut expedire possint.

Paulus III. cuius constitutio [illegible] clericos dare expeditiones sub nomine et sigillo camerarii.

§ 2. Postea vero piae memoriae Iulius Papa III dictam Pauli praedecessoris constitutionem cum omnibus suis clausulis approbavit et innovavit, decrevitque quod camerarius solus posset officii sui sigillum tenere, clerici vero et decanus dictae Camerae sigillum nullum habere possent.

Iulius III eam renovavit et approbavit.

§ 3. Et quamvis decreta huiusmodi, et propter suam ipsorum aequitatem, et propter Romanorum Pontificum auctoritatem, et propter poenarum in eis propositarum gravitatem, debuissent diligentissime servari, quemadmodum antea fuerant servata; tamen accepimus nonnullis abhinc annis violari coepta esse, ac multas recentes camerales expeditiones, tam gratiam quam iustitiam aliaque negotia concernentes, sine debito atque usitato nomine camerarii et eius sigillo, sine solita subscriptione, *Visa* etc., privatim autem et singulariter, sub ipsorum clericorum, etiam praetextu rescriptorum et commissionum ipsis singulis seu etiam ipsis omnibus clericis directarum, nominibus et sigillis factas, totidemque in Camera sigilla, quot in ea sunt clerici, irrepsisse, novumque expediendi genus tam in Curia quam extra introductum esse, sub praetensis titulis praefecturae, annonae, praesidentatuum viarum, dohanarum, grasciae, zecchae, riparum, carcerum, superintendentiae Collis Scipionis, aliisque noviter repertis salariae et gabellae carnis, privatis etiam singulorum secretariis quandoque ad huiusmodi expeditiones adhibitis; sicque, tam vigore commissionum et rescriptorum in causis cameralibus et aliis infrascriptis, quam etiam auctoritate ordinaria ac ex decreto Camerae, monitoria, decreta, citationes, mandata executiva, brachia saecularia, aliasque expeditiones, annonam, vias, ripas, dohanas, grasciam, carceres, zeccam, superintendentiam Collis Scipionis, salariam, gabellam carnium, annatam, quindennia, spolia ac commissariorum deputationes, omissis plerumque fideiussionibus et iuramentis praestari consuetis, expedita esse novis cum clausulis, camerario tantum, et non supradictis clericis, permissis ac convenientibus, dum alii ita scribunt: *Expositum fuit nobis in Camera Apostolica*; alii, *auctoritate qua fungimur in hac parte;* alii, *iuxta mandatum Sanctissimi nobis oretenus factum;* alii, *Datum Romae in Camera Apostolica*; alii, *Datum Romae in palatio nostro*; et haec nonnumquam sola cum subscriptione auditorum aut secretariorum dictorum clericorum, talibus etiam expeditionibus in Camera quandoque minime registratis, magna cum summi Camerariatus tribunalis indignitate, et rerum tum privatarum tum publicarum incommodo et iactura; etiam aliquando clericos causas a camerario ad se advocasse, camerarioque inhibuisse.

Sed tamen clerici, absque nomine et sigillo camerarii, novis cum clausulis hic expressis dabant expeditiones.

§ 4. His igitur omnibus intellectis, perspectaque inanitate causarum huius tantae

Ideo hic Pontifex innovat e

Confirmat dictas constitutiones Pauli III et Iulii III, et invalidas esse decernit praedictas expeditiones a clericis faciendas;

rerum perturbationis a dictis clericis ad excusationem propositarum, indignum iudicantes iusta ac legitima Romani Pontificis decreta perfringi privata licentia, neque suum camerario ius atque honorem, ab his praesertim quorum ipse est caput, relinqui et conservari, istumque clericorum expediendi modum contra antiquas expeditiones et constitutiones apostolicas esse intelligentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetua constitutione, supradictas Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, declarationes et decreta omnia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus et, quatenus opus sit, eadem omnia de novo decernimus; dictasque clericorum expeditiones omnes, necnon banna, edicta, causarum a camerario avocationes et inhibitiones de cetero faciendas, nullas, irritas et invalidas ex nunc esse declaramus, omnesque a dictis clericis, ita ut dictum est, ad quaevis officia, exercitia, curationes, administrationes deputatos revocamus, neve se in eis amplius ingerere possint, sub poenis nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio statuendis, prohibemus.

Praecepitque eisdem clericis ut omnes expeditiones sub nomine et sigillo camerarii signent, et cum sola subscriptione *Visa* etc., exceptis causis datorum illis guberniorum;

§ 5. Eisdem quoque decano et clericis universis et singulis, nunc et pro tempore existentibus, sub omnibus poenis, quae per supradictas constitutiones irrogantur, ipso facto incurrendis, praecipimus et mandamus ne ullo umquam tempore, sive universe sive privatim et singulariter, quicquam, etiam vigore quorumcumque officiorum, praesidentatuum et praefecturarum seu rescriptorum et commissionum, etiam manu nostra vel successorum nostrorum signatarum, ipsis clericis et cuicumque eorum directarum, expedire possint, nec quascumque patentes litteras ac supradictas aliasque eiusmodi expeditiones, aliter quam sub nomine et sigillo camerarii, facere aut subscribere audeant, neque alia subscriptione uti quam *Visa* etc., neque expeditiones alibi quam in Camera registrari patiantur; haecque in omnibus expeditionibus per clericos supradictos faciendis diligenter servari volumus et mandamus, exceptis dumtaxat et reservatis guberniis Civitatis Veteris, Tulphae, Caesarum et terrarum Arnulphorum, in quibus de more expedire possint.

Inhibet notariis ne expeditiones aliter scribant;

§ 6. Sub eisdem quoque poenis omnibus eiusdem Camerae notariis inhibemus ne in posterum praedictas nec ullas alias expeditiones, quocumque nomine appellatas, gratiam vel iustitiam concernentes aut mixtas, tam in Romana Curia quam extra eam, aliter quam sub nomine et sigillis pro tempore existentis camerarii, scribere, subscribere aut expedire audeant.

Iubet etiam clericorum auditoribus etc., ne expeditiones super rebus ad Cameram pertinentibus subscribant;

§ 7. Itidem quoque et sub eisdem poenis, simili modo incurrendis, inhibemus dictorum clericorum secretariis et auditoribus et aliis quibuscumque extra Cameram existentibus, ne ullas omnino expeditiones ex supradictis, nec alias quascumque super rebus ad dictam Cameram pertinentibus vel ab eis dependentibus facere aut subscribere, seu in eis se ingerere quocumque praetextu seu colore audeant.

Camerae expeditiones et tractae frumentorum spectant ad camerarium.

§ 8. Omnes autem supradictas et alias camerales expeditiones, necnon tractas tritici et aliarum segetum, etiam extra Statum Ecclesiasticum, earumque expeditiones, ad camerarium solum et non ad alium spectare et pertinere decernimus.

Decretum irritans.

§ 9. Et quas contra formam huius nostrae constitutionis in totum vel in partem in futurum fieri contigerit, omnino nullas atque irritas esse declaramus. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales,

sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et decidi debere mandamus. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Camerarii facultates contra inobedientes.

§ 10. Ac mandantes dilecto filio nostro Philippo S. Angeli in Foro Piscium diacono cardinali Vastavillano, moderno, ac pro tempore existenti nostro et S. R. E. camerario, ut, pro praemissorum observatione, executione et implemento, omnibus et singulis praefatis et quibus opus fuerit praecipiat, mandet et inhibeat, illosque citet, cogat et compellat, et alias, prout sibi videbitur, contra eos procedat, ceteraque alia faciat et exequatur, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, et sibi videbuntur quomodolibet opportuna. Nos enim, motu et potestatis plenitudine similibus, eidem Philippo cardinali et camerario, ultra eius potestatem et auctoritatem, in praemissis plenissimam licentiam et facultatem concedimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus praemissis et nostra de non tollendo iure quaesito, ac aliis apostolicis constitutionibus; dictaeque Camerae, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; necnon privilegiis, indultis et litteris apostolicis illis ac praedictis praesidentibus et clericis quomodocumque concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, illorum tenores, perinde ac si ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, harum serie, ad effectum omnium praemissorum, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si decano, clericis ceterisque praedictis ac quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Dat. Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, nonis decembris, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 5 decemb. 1584, pontif. anno XIII.

CLXXVI.

Institutio confraternitatis seu congregationis externorum scholarium, studiis collegii Soc. Iesu de Urbe insistentium, sub invocatione Annunciationis B. Mariae, ad pia opera exercendum; et facultas alias aggregandi congregationes, cum indulgentiarum communicatione.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Omnipotentis Dei Salvatoris nostri, qui, ex pietatis suae superabundantia, fidelium mentibus caelestis inspirationis gratiam et devotionis ardorem ad divinae Maiestatis obsequia et piorum operum exercitia salubriter peragenda continuo infundit, exemplo adducti, in eam pastoralis officii curam cogitationemque sedulo incumbimus, per quam ipsorum fidelium fructuosis huiusmodi operibus et exercitiis vacantium religio et devotio continuum suscipiat incrementum, eisque votiva salus proveniat animarum.

Pii adolescentes studiis collegii Societatis Iesu de Urbe incumbentes ad pia opera hic enunciata exercendum se consociarunt.

§ 1. Alias siquidem per nos accepto quod plerique probi et pii adolescentes, bonarum litterarum studiis in collegio nostro Societatis Iesu de Urbe insistentes, singulari erga Beatissimam Mariam Virginem Dei Genitricem affectu ducti, ac etiam lectorum et magistrorum suorum spiritualium cohortationibus ad id accensi, ecclesiam Annunciationis eiusdem B. Mariae in corpore aedificiorum dicti colle-

gii consistentem, certis statutis diebus et horis, frequentare, et cum eximia devotionis sinceritate cordisque contritione, conscientiam suam per confessionis et sanctissimae Eucharistiae ministerium expurgare, ac divinis officiis, colloquiis et exhortationibus spiritualibus aliisque piis et salutaribus operibus vacare soliti erant, factoque inde ad illorum exemplum maiore aliorum concursu, mutuis studiis se invicem consociaverant. Nos, ut pium hoc institutum peramplius coalesceret, eisdem et aliis christifidelibus huiusmodi spiritualibus operibus et exercitiis pro tempore addictis, nonnullas indulgentias et peccatorum suorum remissiones concessimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Postea in diversis mundi partibus, ubi sunt dictae Societatis collegia, scholares, eadem imitari coeperunt.

§ 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii praepositi generalis dictae Societatis petitio continebat, in diversis mundi partibus, et praesertim insignioribus Europae civitatibus, eiusdem Societatis collegia, ad iuventutem bonis moribus et virtutibus ornandam, ac vera pietate sanaque doctrina imbuendam, propagari, illorumque externi scholares, ibidem studiorum causa confluentes, optima devotionis et piorum operum huiusmodi exercitia ferventi studio imitari, et exinde multiplices fructus ad Dei gloriam ipsiusque divini Nominis cultum, ac B. Mariae Virginis honorem, necnon publicam salutem et spiritualem consolationem provenire coeperint.

Unde opportunum videtur ut stabiliatur in dicta ecclesia de Urbe primaria congregatio, a qua aliae ortum habuerunt.

§ 3. Et operae praetium sit ut, quemadmodum piarum et fructuosarum exercitationum huiusmodi institutum a scholaribus dicti collegii de Urbe, quod nostris auspiciis et impensis magnifico aedificiorum et structurarum opere a fundamentis innovatur et extruitur, primordium suum in dicta ecclesia Annunciationis B. Mariae habuit, ita quoque inibi eorumdem scholarium primaria congregatio seu primarium sodalitium, sub titulo eiusdem Annunciationis B. Mariae, ad laudabile eorum in piis operibus et officiis huiusmodi studium nostris beneficiis et indulgentiarum praemiis conservandum ac augendum, stabiliatur et instituatur, pro parte ipsius praepositi nobis fuit humiliter supplicatum ut praemissis annuere et desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex eam ibi erigit sub regimine praepositi generalis Societatis Iesu;

§ 4. Nos igitur, religiosorum ipsorum scholarium in his spiritualibus exercitiis studium piae voluntatis affectu prosequi volentes, ipsumque praepositum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, siquibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; necnon litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in eadem ecclesia unam seu unum externorum scholarium dicti collegii nostri ac etiam aliorum christifidelium Societati praedictae devotorum primariam congregationem seu primarium sodalitium, sub titulo Annunciationis B. Mariae huiusmodi, quae seu quod per praedictum et pro tempore existentem praepositum generalem dictae Societatis, seu, illo defuncto, donec alius ad officium praepositi generalis huiusmodi canonice assumatur, per vicarium etiam generalem eiusdem Societatis dirigi debeat, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo, sine tamen ipsius Societatis praeiudicio, erigimus et instituimus.

Sodalibus indulgentiam plenariam in ingressu et articulo mortis elargitur,

§ 5. Ut autem primaria congregatio seu primarium sodalitium huiusmodi, per gratiarum et munerum caelestium largitionem, devotionis ac pietatis iugiter proficiant incrementis, de omnipotentis Dei

misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui deinceps in sodales eiusdem primariae congregationis seu primarii sodalitii recipientur, tam die receptionis eorum, si sanctissimum Eucharistiae sacramentum in praedicta ecclesia, aut ubicumque potuerint, eo die sumpserint, quam in mortis articulo:

Visitantibusque eius ecclesiam die Annunciationis B. Mariae;

§ 6. Necnon ipsis ac omnibus et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis, sacraque Communione refectis, qui ecclesiam praedictam, die festivitatis eiusdem Annunciationis B. Mariae, a primis vesperis usque ad occasum solis ipsius festivitatis, devote visitaverint, et inibi pro reipublicae christianae conservatione et augmento, haeresum extirpatione, principumque christianorum mutua et universali pace, ac nostra et pro tempore existentium Romanorum Pontificum prosperitate vel alias, preces, prout unicuique suggeret devotio, ad Deum devote effuderint:

Sodalibus confessis etc., diebus hic expressis, indulgentiam plenariam concedit;

§ 7. Insuper eisdem sodalibus, similiter vere poenitentibus et confessis, qui in Nativitatis et Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, ac Annunciationis, Assumptionis et Conceptionis necnon Nativitatis B. Mariae Virginis festis diebus, praedictum sanctissimum Sacramentum ibidem vel alibi acceperint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, apostolica auctoritate et tenore praedictis, misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Eisdem associantibus corpora defunctorum,

§ 8. Ipsisque sodalibus, qui de eorum numero existentium vel aliorum christifidelium defunctorum corpora ad sepulturam ecclesiasticam associaverint.

Aut si impediti sunt, pro defunctis vel infirmis orantibus,

§ 9. Aut infirmi vel impediti, audito signo campanae, genuflexi, si per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, pro salute animae defuncti vel corporis infirmi recitaverint.

Interessentibusque congregationi etc.,

§ 10. Necnon qui congregationibus, tam publicis quam privatis, ac divinis officiis, spiritualibusque colloquiis, exhortationibus et aliis piis officiis, etiam in sodalis seu aliorum christifidelium defunctorum suffragium, per primariam congregationem seu primarium sodalitium ordinandis, et ab ipso praeposito seu vicario generali approbandis, quique diebus feriatis missae sacrificio interfuerint.

Conscientiam examinantibus,

§ 11. Aut vespertino tempore, antequam cubent, conscientiam suam diligenter examinaverint.

Infirmos vel carceratos visitantibus,

§ 12. Seu pauperes infirmos, tam sodales quam alios, in hospitalibus vel privatis domibus, necnon carceratos visitaverint.

Inimicosque reconciliantibus, annum poenitentiae relaxat.

§ 13. Aut pacem inter inimicos conciliaverint, quoties horum quodvis fecerint, unum annum de eis iniunctis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis, apostolica auctoritate et tenore similibus, etiam misericorditer in Domino relaxamus.

Revocatio aliarum indulgentiarum.

§ 14. Quascumque alias praesentibus non expressas indulgentias et peccatorum remissiones, etiam plenarias, et relaxationes scholaribus et aliis praedictis, ratione dicti eorum instituti, vel alias in communi per nos et Sedem Apostolicam quomodolibet concessas, revocando et abrogando.

Sodales absentes et dicta opera exercentes gaudeant eisdem indulgentiis.

§ 15. Insuper, ne praefati sodales, si aliquando eos ab ipsa Urbe abesse vel alibi commorari contingat, huiusmodi indulgentiarum et aliarum gratiarum spiritualium effectu et fructu frustrati remaneant, eisdem sodalibus, extra Urbem ubivis locorum pro tempore commorantibus, ut in locis, ubi eos pro tempore residere seu morari contigerit, opera praedicta, quae ipsi sodales in Urbe praesentes pro singularum indulgentiarum, remissionum

et relaxationum huiusmodi consequutione observare deberent, apud ecclesias eorumdem locorum aut alibi, prout poterunt, observando et exequendo, omnes easdem indulgentias, remissiones et relaxationes habeant, et illae eis pariter suffragentur.

Et tam praesentes in Urbe quam absentes stationes Urbis consequi possunt visitando ecclesias, ut hic.

§ 16. Necnon tam in Urbe quam alibi ubivis locorum commorantes sodales primariae congregationis seu primarii sodalitii huiusmodi, qui, singulis quadragesimalibus et aliis anni temporibus ac diebus stationum, ecclesias dictae Urbis et extra illius muros, quae a christifidelibus, pro consequendis indulgentiis et remissionibus, visitari solent, dictae Societatis, si ibi fuerit, alioquin aliam ecclesiam seu cappellam in locis, ubi eos pro tempore residere seu morari contigerit, ut praefertur, devote visitaverint, et ibi septies Orationem Dominicam, et septies Salutationem Angelicam recitaverint, tot et easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur si iisdem temporibus et diebus singulas ecclesias dictae Urbis et extra illius muros huiusmodi, pro eisdem stationibus et indulgentiis consequendis deputatas, personaliter visitarent, ac omnia et singula, quae pro huiusmodi gratiarum consequutione quomodolibet requiruntur, plene adimplerent.

Facultas praepositi generalis aggregandi alias congregationes;

§ 17. Praeterea eidem praeposito seu vicario generali pro tempore existenti, ut in quibusvis aliis dictae Societatis collegiis extra Urbem praedictam, per universum orbem nunc et pro tempore erectis, seu eorum ecclesiis, pro eorumdem piorum operum incremento, quascumque alias seu quaecumque alia scholarium ibidem litterarum studiis insistentium et aliorum christifidelium ipsi Societati devotorum congregationes seu sodalitia, sub eo titulo Annunciationis B. Mariae, quae ab ipsa primaria congregatione seu primario sodalitio tamquam membra a capite dependeant, auctoritate nostra, sine tamen Societatis aut collegiorum et ecclesiarum huiusmodi praeiudicio, erigere et instituere.

Eisque gratias et indulgentias communicandi;

§ 18. Illasque seu illa eidem primariae congregationi seu primario sodalitio aggregare, ac eis sic erectis, institutis et aggregatis eorumque sodalibus praedictas ac omnes et quascumque alias indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, gratias et facultates, tam spirituales quam temporales, a nobis dictaque Sede primariae congregationi seu primario sodalitio de cetero concedendas, ita ut sodales aliarum congregationum seu aliorum sodalitiorum huiusmodi, observantes et exequentes ea, quae ipsius primariae congregationis seu primarii sodalitii sodales, pro indulgentiis, remissionibus et relaxationibus huiusmodi consequendis, observare et exequi debent, easdem indulgentias, peccatorum remissiones et relaxationes pariter consequantur, facultate aggregandi et gratias huiusmodi aliis concedendi dumtaxat excepta, communicare.

Congregationes visitandi et statuta condendi pro earum regimine.

§ 19. Necnon tam primariam seu primarium, quam omnes et singulas ei aggregandas congregationes seu omnia et singula ei aggreganda sodalitia huiusmodi, per se vel alium seu alios eiusdem Societatis presbyteros idoneos ad id ab eo deputandos visitare, et pro earum felici statu, regimine et directione quaecumq. statuta, constitutiones et decreta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et concilii Tridentini decretis non contraria, necnon ab ipso praeposito seu vicario, si per alium vel alios deputandos huiusmodi fiant, examinanda et approbanda, edere; ac, postquam edita fuerint, quoties pro eorum et temporum qualitate aut alias expediens ei videbitur, immutare, corrigere, moderari et reformare, aut alia ex integro condere, libere et licite valeat, eisdem auctoritate apostolica et tenore, perpetuo concedimus et indulgemus. Decernentes statuta, con-

stitutiones et decreta huiusmodi, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint, ab omnibus sodalibus praedictis inviolabiliter observari debere.

Clausulae praeservativae. § 20. Ac praesentes litteras, sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarum et aliarum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum de Urbe seu Cruciatae Sanctae aut alias, per nos vel alios Romanos Pontifices successores nostros aut dictam Sedem, etiam motu proprio et ex certa scientia, apostolicae potestatis plenitudine, seu ad quorumvis, etiam imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, pro tempore quomodolib. factis, minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo concessas esse et censeri; necnon omnibus, quos illae concernunt, suffragari debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae. § 21. Non obstantibus praemissis et nostra de indulgentiis adinstar non concedendis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Transumptorum fides. § 22. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, secretarii ipsius Societatis vel notarii publici manu subscriptis, et personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae vel pro tempore existentis praepositi aut vicarii generalis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, in iudicio et extra, adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, nonis decembris, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 5 dec. 1584, pontif. anno XIII.

CLXXVII.

Contra exules et alios in Italia commorantes, qui animalia et alia bona in Statu Ecclesiastico diripiunt, abducunt, recipiunt vel permutant.

Gregorius Papa XIII
universis et singulis praes. litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Non sine gravi animi nostri molestia nuper accepimus quod, licet nos iampridem per nostras constitutiones, et ministri nostri per proclamata et ordinationes ac etiam cohortibus armatis, exulum ac perduellium flagitiosorumque hominum audaciam in Statu nostro ecclesiastico reprimere, latrociniaque et delicta prohibere, ac delinquentes ad aliorum terrorem graviter punire omnibus modis conati fuerimus, nihilominus complures exules et latrones huiusmodi adhuc supersunt, qui, propriae salutis immemores, poenasque impositas parvifacientes, assidua furta et latrocinia in animalibus et iumentis, in statu et ditione nostra existentibus, committere non verentur; nec desunt alii, tam nobis quam temporalibus dominis circumvicinis subditi, qui animalia et iumenta illa ita subrepta sine timore ab ipsismet latronibus emere, et quoquoversum abigere et distrahere non dubitent, quo fit ut illis maior praebeatur occasio et materia delinquendi, et affidati Camerae Apostolicae, ipsique dohanerii dohanae Causa huius constitutionis.

nostrae Patrimonii ac alii pecudarii et aratores, animalia huiusmodi habentes, maximum inde patiantur detrimentum.

Excommunicantur diripientes animalia et alia bona in Statu Ecclesiastico, vel illa ementes etc.

§ 1. Quare nos, huic malo obviam ire, et quieti ac indemnitati publicae, quantum in nobis est, prospicere volentes, ac, ut quos legum poenaeque corporalis timor non retinet, saltem gladii spiritualis fulgor a malo deterreat, praesertim cum non solum pium et meritorium sed etiam iustum ac necessarium sit tales continuos ac notorie criminosos ac ab eis ementes res furtivas utroque gladio, severitate opportuna, corrigi atque puniri, perpetuo hoc edicto statuimus omnes et quoscumque tam huiusmodi animalia et iumenta aliasque res et bona cuiuscumque generis et speciei in Statu nostro temporali diripientes, abducentes et furto subtrahentes, quam ementes, permutantes seu ab eis illa quovis modo recipientes, et cum eisdem contrahentes, seu quovis titulo, colore, causa vel praetextu penes se habentes et retinentes, cuiuscumque status, gradus, conditionis, sexus, qualitatis, dignitatis aut praeeminentiae fuerint, tam laici quam clerici et presbyteri, etiam regulares et saeculares, et non solum in dicto Statu nostro Ecclesiastico, sed etiam in quovis regno, Statu, dominio, territorio, civitatibus, terris et locis universae Italiae commorantes, ultra alias poenas iuris, constitutionum et proclamatum praedictorum, excommunicationis maioris latae sententiae poenam ipso facto incurrere, a qua nullus ab alio quam a Romano Pontifice, aut de eius speciali mandato, praeterquam in mortis articulo constitutus, factaque aut mandata restitutione vel satisfactione dictorum animalium, iumentorum, rerum et bonorum huiusmodi dictis affidatis, dohanerio et aliis, ut praemittitur, et pro tempore subreptorum, absolutionis beneficium valeat obtinere; ipsamque excommunicationis poenam ex nunc, prout ex tunc et e contra, adversus inobedientes et rebelles quoscumque et ipsorum quemlibet promulgamus per praesentes.

Episcopi etc. Status Ecclesiastici et regni Neapolis ac ducatus Hetruriae, Ferrariae et Urbini faciant publicari hanc constitutionem, quae sic publicata omnes afficiat.

§ 2. Ac mandamus universis et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, eorumque vicariis in spiritualibus generalibus totius nostri Status praedicti, ac etiam in regno Neapolitano, ac Statu Magni Hetruriae, ac Ferrariae, et Urbini ducum, in virtute sanctae obedientiae, ut cum harum exemplaria, etiam impressa, manu notarii publici subscripta, sigilloque personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita, exhibita eis fuerint, in omnibus civitatibus, terris, oppidis, locis, castris ac dioecesibus, praesertim statui nostro praedicto circumvicinis, ad valvas ecclesiae matricis civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum et locorum suae dioecesis quamprimum affigi et publicari faciant. Quae quidem exemplaria seu transumpta sic affixa et publicata, ubique, in iudicio et extra illud, fidem faciant, omnesque supradictos ac alios praesentibus litteris nominatos vel quomodolibet comprehensos taliter ligent, arctent, afficiant et obligent, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Clausulae derogatoriae

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon privilegiis, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis quibuscumque personis, quacumque dignitate ecclesiastica vel temporali praeditis, coniunctim vel separatim concessis, etiam quibus caveatur expresse quod excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam et ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDLXXXIV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 dec. 1584, pontif. anno XIII.

CLXXVIII.

Quod Eremitae congregationis Camaldulensis, Ordinis S. Benedicti, Aretinensis dioecesis, religiosos Ordinum Mendicantium recipere possint; ipsi vero ad alium Ordinem, etiam Eremitarum S. Romualdi Montis Coronae, transire nequeant [1].

Gregorius Papa XIII dilecto filio priori generali monachorum Ordinis Camaldulensis nunc et pro tempore existenti.

Eremi Camaldulensis commendatio. Ea est eremi Camaldulensis Aretinensis dioecesis antiquitas, et monachorum in aspera illa solitudine Deo assidue famulantium religio, ac morum vitaeque innocentia et sanctitas, quae omnia non solum ab aliis saepe audivimus, sed etiam nostris oculis aliquando vidimus et admirati sumus, ut merito sacrum illum locum et Ordinem dignum semper, qui praecipue privilegiis fulciatur, iudicemus.

Confirmatio privilegiorum. § 1. Itaque omnes gratias, indulta et privilegia eidem Ordini et eremo a Romanis Pontificibus praedecessoribus, sub recipiendis quibuscumque quarumvis Religionum et Ordinum Mendicantium fratribus religiosis, ad ipsos transire volentibus, concessa, rata et firma esse volentes, et quatenus opus sit, auctoritate apostolica, tenore praesentium, innovantes, tibi, qui ex illis unus es, ac omnibus tecum in eodem eremo Altissimo famulantibus districte praecipimus et inhibemus ne ad alium Ordinem et Religionem, nec etiam ad aliam, quae Montis Coronae vocatur, eiusdem Ordinis Camaldulensis, sine expresso consensu et licentia superioris ipsius eremi, qui maior appellatur, in scriptis obtenta, transire audeant.

Contravenientibus poenae infliguntur. § 2. Et si qui contrafecerint, excommunicationis, apostasiae et aliis congruis et arbitrio tuo successorumque tuorum infligendis et declarandis poenis, subiacere decernimus, ita ut contrafacientes capi, puniri et ad redeundum cogi possint; ad quae omnia facienda, decernenda et exequenda, et, ubi opus sit, brachium saeculare invocandum, plenam et liberam tibi et successoribus tuis eadem auctoritate damus et concedimus facultatem.

Contraria submoventur. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon indultis, privilegiis, exemptionibus, aliis Religionibus quocumque modo concessis, approbatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV ianuarii MDLXXXV, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 4 ianuarii 1585, pontif. anno XIII.

1 Quae spectant ad istam congregationem Camaldulensem, vide in Alexandri II constit. XXVIII, *Nulli*, tom. II, pag. 48, ubi plene dixi. Quae vero congregationem Eremitarum S. Romualdi respiciunt, attende in Clementis VII constitutione XXVI, *Vestrum*, tom. VI, pag. 117, ubi dixi.

CLXXIX.

Confirmatio privilegiorum Universitatis Studii generalis Lovaniensis [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In praecelsa militantis Ecclesiae Sede divinitus collocati, profundaque considerationis indagine perscrutantes quam praecipuum sit donum a Patre luminum procedens litterarum scientia, quae, tenebrosas discutiens caligines, sapientiam vivificat ac producit, per quam iustitia undique colitur, et omnis humanae conditionis prosperitas augetur, ad illas omnibus rationibus alendas iugiter intenti, Exordium.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

nihil in republica christiana praeclarius aut stabilius, nihilque perinde necessarium arbitramur, quam ea quae a praedecessoribus nostris, pro doctorum virorum conventibus manutenendis, provide concessa dicuntur, ea qua possumus ratione solidemus; ac quorumlibet, praesertim catholicorum regum id expetentium, vota grato admittimus assensu, prout et rerum qualitas exigit, et in Domino conspicimus salubriter expedire.

Facti series.

§ 1. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, tam suo quam dilectorum filiorum Universitatis Studii generalis oppidi Lovaniensis, olim Leodiensis, nunc vero Melscliniensis dioecesis, necnon facultatis artium eiusdem Universitatis nominibus, nobis nuper exponi fecit quod alias felicis recordationis Sixtus Papa IV, praedecessor noster, ex certis tunc expressis causis, bonae memoriae Feruci tituli S. Vitalis presbyteri cardinalis, qui tunc ecclesiae Tornacensis ex dispensatione apostolica præerat, ac clarae memoriae Maximiliani Romanorum imperatoris, tunc Austriae ducis, ac tunc existentium doctorum, magistrorum et scholarium dictae Universitatis supplicationibus inclinatus, ac praedicti cardinalis grata intercessione et fideli consilio inductus, rectori eiusdem Universitatis pro tempore existenti, de quinque magistrorum ad id in congregatione solita ipsius Universitatis deputandorum consilio et assensu nominando, singulis praelatis, capitulis, collegiis, conventibus et personis ecclesiasticis utriusque sexus, saecularibus et regularibus, etiamsi abbatissali, abbatiali, episcopali, archiepiscopali aut cardinalatus fungerentur dignitate et honore, ad quos, quas vel quae canonicatuum et praebendarum ac administrationum et officiorum ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, cum cura vel sine cura, in terris temporalis dominii dicti Maximiliani imperatoris et recolendae memoriae tunc in humanis agentis Philippi, ipsius Maximiliani imperatoris primogeniti, consistentium, collatio, provisio, praesentatio, electio seu quaevis alia dispositio communiter vel divisim pertineret, et eorum cuilibet, etiamsi aliqui extra terras easdem sedem et residentiam haberent, dummodo tamen plus quam de sex beneficiis seu officiis huiusmodi disponere vel providere, ad illa praesentare, eligere vel nominare seu alias illa quovis locorum fundata conferre haberent; si praelati, videlicet vel praelatus aut aliae singulares personae, vita et praelatura ac administratione eorum durante, semel dumtaxat; si vero capitula, collegia vel conventus forent, singulis viginti annis, unum clericum ex studentibus et graduatis dictae Universitatis ac in illa residentibus, qui ultra quadraginta florenos auri de Camera annuatim non haberet, vel qui ob paupertatem gradum assequi non posset, facultatem perpetuis futuris temporibus duraturam per quasdam suas concessit, et ut sic nominare possint de apostolicae potestatis plenitudine indulsit ac voluit; et auctoritate apostolica similique potestate statuit et ordinavit quod praelati, capitula, conventus, collegia et personae huiusmodi ac successores eorum, quibus huiusmodi nominationes factae forent, eisdem clericis sic nominatis perpetuo de uno beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, clerico saeculari in titulum conferri ac per talem regi et gubernari solito, dispositioni apostolicae generaliter non reservato aut generali reservatione non affecto, etiamsi canonicatus et praebenda, administratio vel officium in collegiata, aut scholastria, matricularia vel custodia in parochiali ecclesia vel cappella esset, et ad administrationem vel officium huiusmodi consuevisset quis per

Privilegia a Sixto IV concessa Universitati Lovaniensi.

electionem assumi, eique cura immineret animarum, cuius fructus, redditus et proventus triginta florenorum Remen. aureorum, secundum communem æstimationem, valorem annuum non excederent, quod, post nominationem huiusmodi ipsis praelatis, capitulis, collegiis, conventibus et personis de se factam et praesentatam, quovis mense apostolico vel ordinario nuncupato perpetuis futuris temporibus vacare contingeret, ipseque sic nominatus per se vel procuratorem suum ad id ab eo specialiter constitutum infra unius mensis spatium duceret acceptandum, possent, tenerenturque et deberent omnino providere, inhibitione et decreto opportunis desuper appositis.

§ 2. Et deinde piae memoriae Leo
Alia privilegia a Leone X. Papa decimus, etiam praedecessor noster, eiusdem Maximiliani imperatoris et similis memoriae Caroli V eorumdem Romanorum imperatorum, tunc archiducis, ac Margaritae archiducissae Austriae, necnon decani et facultatis artium huiusmodi supplicationibus inclinatus, per alias suas litteras, quod decanus vel vice-decanus pro tempore dictae facultatis, de assensu et consilio receptoris et procuratorum, etiam pro tempore, quatuor nationum eiusdem facultatis, per se vel ad id ab eis, ob eorum absentiam, vel alias, ne nominationes differentur, ubstituendos, praesentandus, seu maioris partis eorumdem, posset singulis decem annis, a data litterarum Leonis prædecessoris huiusmodi computandis, quibuscumque collegiis, capitulis et conventibus semel; praelatis vero collatoribus, collatricibus et aliis singularibus personis habentibus dispositionem etiam qualemcumque beneficiorum vel officiorum ecclesiasticorum in dictis terris temporalis dominii Maximiliani et Caroli imperatorum praedictorum, seu quae eisdem vel alteri eorum aut legitimis ipsorum haeredibus spectabant seu spectarent et pertinerent pro tempore quo illi vel illis subiectae essent, necnon in civitate et patria Leodiensi, et comitatu Lossensi, et ducatu Bulloniensi, et etiam in civitate Cameracensi, et comitatu Cameracensi, ac Tornacensi, Morunensi, et Atrebatensi civitatibus et dioecesibus, et in civitate Traiectensi consistentium, etiamsi aliqui extra terras et loca praedicta sedem et residentiam haberent, et quacumque praefulgerent dignitate, bis seu duabus distinctis vicibus, vita, praelatura et administratione eorum durante, unum ex dictis magistris in artibus, qui inibi in facultate praedicta sex annis legisset seu rexisset, vel ob doctrinae eminentiam ad docendam logicam aut physicam Aristotelis admissus, seu in illa novem annis promotus et graduatus foret, et de illius consilio esset vel aliquando fuisset, et qui, pro ea prima vice dumtaxat, etiam ultra octuaginta florenos auri de Camera similes annuatim haberet; alius vero de cetero ultra dictos octuaginta florenos auri de Camera similes non haberet, perpetuis futuris temporibus nominare, ipseque nominatus quodcumque beneficium seu officium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, in dictis litteris expressum, eidem dispositioni apostolicae reservatione generali in corpore iuris clausa non reservatum, cuius fructus, redditus et proventus sexaginta florenorum auri de Camera similium, oneribus deductis, ita quod ex illo ipse nominatus commodius sustentaretur, valorem annuum secundum aestimationem praedictam non excederent, quovis etiam mense apostolico vel ordinario acceptare valeret; nec sic nominatus teneretur nominationes huiusmodi communicare capitulis, collegiis, conventibus, praelatis, collatoribus, collatricibus vel singularibus personis praedictis seu alicui eorum, aut, post acceptationem factam de beneficio seu officio vacante,

collatorem ipsum vel collatricem seu capitula, collegia vel conventus huiusmodi pro collatione requirere, sed quod posset, vigore dictae nominationis de persona sua factae, ab executoribus in litteris Sixti praedecessoris huiusmodi deputatis, seu decano ecclesiae S. Petri dicti oppidi Lovaniensis pro tempore existenti, quibus ac dicto decano et cuilibet eorum id idem Leo praedecessor committebat et mandabat, de beneficio seu officio vacante sibi provideri facere, plenarie dicta auctoritate apostolica, absque ulteriori requisitione ipsorum collatorum, capitulorum et conventuum, collegiorum vel personarum praedictarum. Ac post acceptationem, ad instar expectantium apostolicorum, et prout in gratiis expectativis observabatur, insinuare, et se in corporalem possessionem poni et induci facere posset.

Provisio in nominationibus simul baccalaureorum simul magistrorum artium.

§ 3. Et si contingeret per dictam Universitatem seu illius rectorem et decanos aliquem baccalaureum in iure vel medicina, per praedictam vero facultatem artium seu illius decanum et personas praedictas aliquem magistrum artium nominari, eodem vel diversis temporibus, ad eamdem collationem, quod nominatus per facultatem seu personas praedictas, tamquam magis meritus et qualificatus, praeferretur, licet litterae nominationis alterius essent de priori data. Si vero utrobique contingeret artium magistros vel aeque qualificatos nominari, quod tunc, in casu concurrentiae super acceptatione eiusdem beneficii, servaretur ius commune vel dispositio regularum Cancellariae quoad praelationem seu praeferentiam. Quodque soli residentes in dicta Universitate ius nominationum acquirere vel servare, et in locum decedentium seu mutantium residentiam aut nominationibus suis cedentium, alii, toties quoties, per ipsam facultatem modo praemisso nominari possent. Et quod magister artium prius per ipsam Universitatem nominatus, nihilominus per dictam facultatem artium modo praedicto nominari valeret etiam ad eamdem collationem, et utraque nominatione gaudere et uti; ac quod semel nominatus posset secundo et tertio nominari, quamdiu ultra octuaginta ducatos similes de Camera annuatim in annuis redditibus seu fructibus beneficiorum non haberet; et quod nihilominus iuniores magistri eiusdem facultatis, de quibus non fuerat facta mentio, seu qui dictum tempus non attigerant, possent per eamdem facultatem seu illius personas praedictas nominari et acceptare beneficia valoris in litteris Sixti praedecessoris huiusmodi expressi; omnesque sic pro tempore nominati praeferrentur et praeferri deberent quibuscumque aliis, etiam habentibus primarias preces regales et imperiales, seu alias nominationes, etiam vigore quorumvis privilegiorum et indultorum apostolicorum, quibuscumque aliis Studiis generalibus, etiam Parisiensi, tunc et pro tempore, etiam si motu, auctoritate et potestate similibus, concessorum, cum decreto irritanti, si secus scienter vel ignoranter foret ab aliquo attentatum, cum inhibitionibus, antelationibus et praerogativis, derogationibus ac aliis clausulis in litteris Sixti praedecessoris huiusmodi contentis, ceterisque in et contra praemissa necessariis, fortioribus et inexcogitabilibus, perpetuo statuit et ordinavit; seu litteras et facultates Sixti praedecessoris huiusmodi cum inhibitionis, decreti, deputationis executorum, ac omnibus et singulis aliis in eis contentis clausulis ad hoc extendit et ampliavit; quodque litteris Leonis praedecessoris huiusmodi non insertis certo modo et forma tunc expressis nec derogari posset, nec derogatum censeretur decrevit et declaravit.

§ 4. Ac successive per dictum Leonem prædecessorem accepto quod, pro eo quod

Dispositiones circa expectativas et speciales reservationes.

post concessionem litterarum suarum praedictarum, matura deliberatione, de tunc eiusdem S. R. E. cardinalium consilio et assensu, ex certis tunc expressis et aliis rationabilibus causis, omnes et singulas gratias expectativas et speciales reservationes de quibusvis patriachalibus, metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis ac monasteriis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis aliisque beneficiis ecclesiasticis, cum cura vel sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, in favorem quorumcumque, etiam dictorum cardinalium, ac etiam illorum, necnon imperatoris, regum, reginarum, ducum, marchionum et aliorum principum et universitatum, quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fungentium, intuitu vel respectu, et ex quibusvis, etiam urgentissimis et inexcogitabilibus causis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, quoad ea, in quibus, non ex verbis, sed realiter, non erant plenum et verum sortita effectum, concessas, cum irritantis appositione decreti, per quamdam revocaverat, cassaverat, irritaverat et annullaverat, et revocatoriam huiusmodi iuxta illius tenorem per aliam innovaverat, et quas ab eo ex tunc de cetero emanari contingeret similes gratias sub illis comprehensas esse voluerat, et postmodum per alias constitutiones suas, diebus et annis tunc expressis in Cancellaria apostolica publicatas, omnes et singulas specialium reservationum, facultatum et aliarum gratiarum a se emanatarum factas revocationes innovaverat, a nonnullis de viribus facultatis et litterarum praedictarum haesitabatur, idem Leo praedecessor per reliquas suas litteras, motu, auctoritate et potestate paribus, declaravit facultates et desuper confectas litteras praedictas, cum omnibus et singulis concessionibus, indultis, statutis, ordinationibus et aliis in eis contentis clausulis, ac inde sequuta quaecumque, quoad beneficia sub illis comprehensa, tam actu vacantia quam in posterum vacatura, per praedictas et alias quascumque litteras, constitutiones et Cancellariæ prædictae regulas, quae etiam super revocatione et illarum innovatione ac suspensione vel modificatione gratiarum expectativarum, specialium vel generalium reservationum ac similium vel dissimilium facultatum, nominationum, statutorum, ordinationum, concessionum et gratiarum, etiam perpetuarum, etiam ex quibusvis causis, quantumcumque maximis et urgentissimis, quae a se et Sede praedicta, etiam consistorialiter, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus et insolitis, ac inhibitionibus, et decretis, etiam irritantibus, tunc emanassent et in posterum emanarent, minime revocatas, suspensas, limitatas vel modificatas fuisse et esse, aut revocari, cassari, suspendi, limitari vel modificari potuisse neque in futurum posse, nisi dum et quoties, in huiusmodi futuris revocationibus, suspensionibus et modificationibus, de aliis Sixti ac suis praedictis litteris, ac duabus datis earumdem, nomineque et dignitate ipsius Maximiliani imperatoris, tam quamdiu in humanis ageret quam eo vita functo, specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facta foret, et ipse Leo praedecessor vel successores sui Romani Pontifices pro tempore existentes per diversas litteras in forma brevis doceret seu successores praefati docerent publice, in eadem Universitate insinuandas, suæ vel successorum eorumdem intentionis esse litteras huiusmodi ex aliqua causa revocare, suspendere vel modificare, cum intervallo unius mensis inter datas singularum litterarum in forma brevis huiusmodi, et non alias, aliter nec alio modo; et si for-

san ullo modo litteras huiusmodi contingeret revocari, suspendi vel modificari, seu iam tunc revocatas fuisse, ex tunc, prout ex eo die, et quoties sic revocatae vel suspensae forent, in suum pristinum et in eum, in quo ante revocationem, suspensionem vel modificationem huiusmodi quomodolibet erant, statum plenarie reposuit, restituit et reintegravit, ac plenarie repositas, restitutas et reintegratas fuisse et esse declaravit, irritante decreto similiter apposito.

Alia Hadriani VI privilegia, seu concessorum innovatio.

§ 5. Cumque etiam postmodum a recolendae memoriae Hadriano Papa VI, similiter praedecessore nostro, ad summi apostolatus apicem assumpto, nonnullae revocationes nominandi facultatum et illarum vigore factarum nominationum, quae suum non erant sortitae effectum, emanassent, dictus Hadrianus praedecessor, singulas litteras Sixti et Leonis praedecessorum huiusmodi, cum omnibus et singulis derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, necnon ipsam facultatem artium et illius personas huiusmodi adversus singulas revocationes praedictas in pristinum et eum statum, in quo ante illas quomodolibet erant, quatenus opus esset, restituens, reponens et plenarie reintegrans, singulas litteras Sixti et Leonis praedecessorum huiusmodi et in eis contenta quaecumque, motu et scientia similibus ac de apostolicae potestatis plenitudine, approbavit et innovavit, ac perpetuae firmitatis robur obtinere decrevit, et pro potiori cautela, illa omnia de novo, ita quod decanus vel vice-decanus facultatis artium huiusmodi, modo in litteris Leonis praedecessoris huiusmodi expresso, quibuscumque collegiis, capitulis et aliis personis, etiam quacumque dignitate vel honore fungentibus, qualemcumque dispositionem beneficiorum vel officiorum ecclesiasticorum habentibus, in terris temporalis dominii dicti Caroli imperatoris, ac civitate et patria Leodiensi et comitatu Loysensi et ducatu Bulloniensi, nec non in civitate Cameracensi et comitatu Cameracensi, ac Tornacensi, Morinensi, Atrebatensi civitatibus et dioecesibus singulis praedictis, ac in civitate et etiam dioecesi Traiectensi consistentium, magistros in artibus in dicta facultate artium promotos et graduatos, ut praefertur, nominare, ac nominati huiusmodi quaecumque beneficia et officia, videlicet seniores artium magistri, qui dictum tempus attigissent, vel sex annis in facultate praedicta legissent seu rexissent, vel ob doctrinae eminentiam ad docendum logicam vel physicam Aristotelis admissi, seu in illa novem annis promoti et graduati forent, et de illius consilio essent vel aliquando extitissent, ea quorum sexaginta ducatorum auri de Camera; iuniores vero, qui dictum tempus nondum attigerant, quorum triginta florenorum Remensium aureorum grossi fructus, oneribus non solum perpetuis personalibus et realibus, sed etiam pensionibus annuis aliis personis super eisdem beneficiis et officiis reservatis, siquae super iis essent reservatae, et quibuscumque aliis oneribus valorem fructuum, quos absens in Studio aut alio loco privilegiato reciperet, diminuentibus plene et totaliter deductis, ita ut ex illis ipse nominatus in huiusmodi loco privilegiato commodius sustentaretur, valorem annuum respective non excederent, quovis etiam mense apostolico vel ordinario, per se vel procuratorem suum legitimum ad id specialiter constitutum, infra unius mensis spatium, non a die obitus ultimi possessoris, sed a die quo illi sic nominato vel eidem procuratori de huiusmodi beneficii vacatione constaret, computando, etiam si huiusmodi beneficia, cum cura vel sine cura, clerico saeculari in titulum conferri, et per talem regi et gubernari solita, canonicatus et praebendae, digni-

tates, personatus, administrationes vel officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, aut scholastriae, matriculariae seu custodiae in parochialibus ecclesiis vel cappella, seu quocumque alio nomine nuncupata, ac dispositioni apostolicae quomodolibet, præterquam reservatione generali in corpore iuris clausa, reservata forent, etiam si huiusmodi artium magistri modo praedicto nominati pro tempore huius suae nominationis minores annis vel illegitimi existerent, beneficia etiam curata, dummodo tempore vacationis illorum beneficiorum aetatem legitimam attingerent, aut cum eis super aetatis vel natalium defectibus sufficienter dispensatum esset, absque nova nominatione prius facienda, acceptare, et de illis, in vim litterarum Leonis praedecessoris huiusmodi dumtaxat, et processuum desuper pro tempore decretorum, quos totum tenorem litterarum praedictorum Sixti et Leonis praedecessorum continere non oporteret, sed illam litterarum Leonis praedecessoris huiusmodi partem, quae infrascriptis executoribus aut eorum alicui convenire videretur, aut etiam solam particulam, quod notorium esse dignoscitur, inserere sufficeret, quibus etiam omnino, quoad id, staretur et stari deberet in iudicio et extra, ac si totus tenor litterarum Sixti et Leonis praedecessorum huiusmodi de verbo ad verbum insereretur aut foret insertus, per Sanctae Gertrudis intra et Beatae Mariae Parmensis extra muros dicti Lovaniensis monasteriorum abbates, ac Sanctae Oudulae Bruscellensis oppidorum, necnon Sancti Petri etiam Lovaniensis ecclesiarum decanos, dictarum Leodiensis et Cameracensis dioecesum, executores in eisdem litteris Sixti et Leonis praedecessorum deputatos, seu eorum aliquem aut quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam pro executore, seu quemcumque notarium publicum aut presbyterum vel clericum, per dictos magistros artium nominatos, aut eorum quemcumque, pro subexequutore eligendam seu eligendum, sibi provideri facere, ipsique exequutores et subexequutores eos et eorum quemlibet in corporalem possessionem sic pro tempore acceptatorum beneficiorum et illorum iurium et pertinentiarum omnium, pro huiusmodi provisione aut possessione prorsus irrequisitis ordinariis collatoribus, inducere.

§ 6. Et quod tam seniores quam iuniores artium magistri praedicti, secundo, tertio ac toties nominati, videlicet seniores, qui tempus illud praedictum attigissent, donec octuaginta; iuniores vero donec quadraginta florenos auri de Camera in fructibus beneficiorum aut certis annuis redditibus, oneribus modo prius expresso deductis, annuatim haberent. Et quod nominationem Universitatis et facultatis artium huiusmodi insimul habere, ac utraque, sive prius per Universitatem seu illius rectorem, postea vero per facultatem artium seu illius decanum praedictos, sive e contrario nominati essent, uti et gaudere. Quodque, decedentibus collatoribus sub quibus pro tempore factae forent nominationes, quae nondum effectum sortitae essent, eædem nominationes sub successore, absque nova nominatione, valide existerent, et suos effectus sortiri, iidemque iuniores artium magistri omnibus et eisdem praerogativis in litteris Leonis praedecessoris huiusmodi nominatis senioribus concessis potiri et gaudere possent. Salvo quod in vim huiusmodi nominationis isti iuniores beneficia valorem triginta florenorum Remensium aureorum, oneribus modo prius expresso deductis, excedentia acceptare non valerent; ac quod nominationes suas seu de persona sua factas ordinariis collatoribus insinua-

Assignatio annuae pensionis artium magistris.

re non tenerentur; quodque ipsi collatores, vita et praelatura eorum durante, bis seu duabus distinctis vicibus; capitula vero, intra decem annorum spatium modo praedicto computandum, semel unum beneficium valoris prius expressi respective, dictis magistris sic nominatis per dictam facultatem artium, sive tales magistri seniores essent vel iuniores, qui, non secus quam seniores, ad cuiuscumque collatoris aut capituli, qualemcumque beneficiorum vel officiorum dispositionem habentis, collationem nominari possent, conferre tenerentur: ita tamen quod, vigore litterarum Leonis praedecessoris, huiusmodi singuli collatores praedicti ex beneficiis dictae apostolicae dispositioni non reservatis, in eorum mensibus ordinariis nuncupatis pro tempore vacantibus, de uno dumtaxat singulis decenniis eisdem nominatis providere tenerentur.

Magistri artium ad iudicium extra Universitatem trahi nequeunt.

§ 7. Et quod dicti omnes et singuli artium magistri, sive seniores sive iuniores essent, super beneficiis per eos in vim huiusmodi nominationis acceptatis, per qualescumque personas, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existerent, etiam si abbatiali, episcopali, archiepiscopali aut alia maiori dignitate, etiam cardinalatus honore, praefulgerent, aut in vim quarumcumque, etiam conservatoriarum, litterarum, ac privilegiorum ac indultorum apostolicorum, etiam quibusvis ecclesiis, monasteriis et locis, ac archiepiscopis, episcopis et locorum ordinariis, abbatibus, capitulis, conventibus, collegiis, Universitatibus, etiam Parisiensi, et aliorum Studiorum generalium, ac illorum et quibusvis aliis, etiam ex paribus et quibusvis aliis causis, ac sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore concessorum, extra dictam Universitatem ad iudicium trahi non possent; ipsi tamen nominati huiusmodi suos in dictis beneficiis quoscumque adversarios coram aliquo ex conservatoribus privilegiorum eiusdem Universitatis trahere; et quod nominati huiusmodi omnibus et singulis, etiam suis et pro tempore existentibus Romani Pontificis antiquis et descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac in cappella nostra, tunc sua, cantoribus, cappellanis et Romanae Curiae officialibus et aliis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis et conditionis existentibus, quascumque expectativas, etiam in forma pauperum, et alias gratias, etiam regales et imperiales, primarias preces habentibus et prosequentibus, omnino praeferri possent et deberent, perpetuo concessit, statuit et ordinavit; seu etiam praesentes litteras ad hoc extendit et ampliavit, ac alias et alia fecit, prout in singulis praedictis, nec non sanctae memoriae Clementis Papae VII, pariter praedecessoris nostri, litteris super restitutione, repositione, reintegratione, approbatione, nominatione, nova concessione, statuto, ordinatione, extensione, ampliatione Hadriani praedecessoris huiusmodi, cum ipse Hadrianus praedecessor, antequam eius litterae desuper conficerentur, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus, plenius dicitur respective contineri.

Confirmatio dictorum privilegiorum.

§ 8. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora sint ea, quibus saepius dictae Sedis intervenit auctoritas, idem Philippus rex, asserens Universitatem praedictam unicum praesidium et lumen catholicae fidei in inferiori Germania existere, tam suo quam Universitatis et facultatis artium huiusmodi nominibus praedictis, nobis humiliter supplicari fecit quatenus omnibus et singulis litteris praedictis, pro suis in Sedem et fidem catholicam praedictas meritis, etiam nostrae approbationis robur adiicere,

ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet, praesertim catholicorum regum, votis libenter annuimus, ac ea, quantum in nobis est, favoribus prosequimur opportunis, attendentes etiam Universitatis praedictae multa esse in fidem catholicam et Sedem huiusmodi merita, nobis et venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus non incognita; ac Philippum regem et singulas personas Universitatis et facultatis artium huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradicta privilegia, quemadmodum per praedictos praedecessores nostros concessa et confirmata fuerunt, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, cautelis, decretis, derogationibus, praeservationibus, ac, prout illa concernunt, omnia et singula in eis contenta, et prout iacent, dicta auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, eaque suos effectus sortiri volumus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ea omnia valida et efficacia esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari, ac ita ut contra illa, quovis quaesito colore vel ingenio, venire nequaquam possint, ut praefertur, ad illorum observantiam teneri et ad id, etiam sub ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, cogi et compelli posse declaramus.

Privilegiorum ampliatio.

§ 9. Et ut maiori gratia dictam Universitatem afficiamus, redditum et proventum annuum beneficiorum in litteris Sixti praedecessoris huiusmodi expressum ad eam summam, quam dictus Leo praedecessor in suis litteris facultati artium concessis huiusmodi expressit, eadem auctoritate extendimus, ita tamen quod fructus singulorum beneficiorum praedictorum valorem annuum praescriptum non excedant; et si ad beneficia, quorum fructus, redditus et proventus maioris valoris fuerint, nominationes et alia praedicta fiant, illa omnia nullius sint roboris vel momenti. Valor porro praedictus, iuxta declarationem praedicti Hadriani praedecessoris super hoc factam, etiam quoad alias dictae Universitatis facultates habendus intelligatur, videlicet grossorum fructuum, oneribus non solum perpetuis, personalibus et realibus, sed etiam pensionibus annuis aliis personis super eisdem beneficiis et officiis reservatis, siquae essent super illis reservatae, et quibuscumque aliis oneribus, valorem fructuum, quos absens in Studio aut alio loco privilegiato reciperet, diminuentibus, plene et totaliter deductis, ita ut ex illis ipse nominatus in huiusmodi loco privilegiato commodius sustentetur.

Cessiones nominationum vetantur.

§ 10. Et insuper prohibemus expresse ut quicumque, nominationes praedictas nunc et quandocumque habentes aut prosequentes, earum iuri aut prosequutioni, sive simpliciter sive alias, in cuiusvis favorem nullatenus cedere possint; quod si fecerint, cessiones huiusmodi nullae sint, et cedentes ad futuras omnino inhabiles censeantur eo ipso; ius tamen ipsum in rectoris et deputatorum Universitatis, si ab illis; si vero a decano et deputatis artium, eorum manibus respective remittere possunt.

Nominati ad beneficia curata ab ordinariis locorum approbandi.

§ 11. Praeterea volumus et mandamus quod hi, qui ad beneficia curam animarum habentia nominati fuerint, non admittantur, nisi prius ab ordinariis locorum, praevio examine absque concursu faciendo, fuerint approbati, quodque in eis personaliter residere teneantur; nec se eo nomine excusare possint, quod in dictis Universitate et facultate artium scholares sint seu docentes aut magistri; districtius inhibentes tam locorum ordinariis quam quibusvis collegiis, capitulis, conventibus, praelatis, collatoribus, collatricibus et aliis superioribus personis praedictis, in virtute sanctae obedientiae, ne eosdem sic nominatos perpetuis futuris temporibus, quovis quaesito colore vel ingenio, impedire, molestare vel perturbare audeant seu etiam praesumant. Decernentes quoque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores praesentium litterarum.

§ 12. Et nihilominus S. Gertrudis et Beatae Mariae Parmensis abbatibus praedictis, ac dilecto filio decano ecclesiae Sancti Iacobi dicti oppidi Lovaniensis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris et decani vel vice-decani ac deputatorum ac singularum personarum huiusmodi seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant rectorem et decanum vel vice-decanum ac deputatos et singulas personas huiusmodi necnon alios, quos ipsae praesentes litterae concernunt, nostris approbatione, confirmatione, voluntate, nova concessione, adiectione, declaratione, decreto, extensione, prohibitione, mandato et aliis praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel eorum aliquem per locorum ordinarios, conservatores seu quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes, quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super iis habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus similis memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, in qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere quoquomodo praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et a praedecessoribus nostris quoquomodo emanatis, ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; et quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque

totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia ad hoc exquisita forma servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 14. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi opus fuerit, deferre, volumus et apostolica auctoritate praedicta decernimus quod praesentium transumptis, manu publici alicuius notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae *etc.*

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, kalendis martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 martii 1572, pontif. anno I.

CLXXX.

Publicatio litterarum seu potius decreti Pii Papae V super translatione ecclesiae cathedralis Feretranae ab oppido S. Leonis ad oppidum nuncupatum Pinna Billorum, et respectiva unione, augumento ac dotatione utriusque capituli [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Æquum reputamus et rationi congruum ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum sortiantur effectmu.

Ob imminentium bellorum periculum sacra fieri in Feretrana civitate S. Leonis non poterant.

§ 1. Dudum per felicis recordationis Pium Papam V, praedecessorem nostrum, accepto quod ecclesia Feretrana S. Leonis nuncupata, in oppido civitatis nuncupatae eiusdem S. Leonis, Feretranae dioecesis, dilecti filii nobilis viri Guidi Ubaldi ducis Urbini temporali dominio subiecta erat, et in illa dumtaxat unus praepositus, qui praeposituram dictae ecclesiae, dignitatem inibi post pontificalem maiorem, obtinebat, et sex canonici existebant, et quae adeo, turbinibus bellorum imminentibus, suspecta habebatur, quod dictus Guidus Ubaldus dux, pro sui Status tuitione et conservatione, in dicto oppido, cum unum ex principalioribus oppidis ditioni suae subiectis reputaretur, continuum militare praesidium, ac diu noctuque custodiam assidue habere cogebatur; quodque, ob militum in eodem oppido continuo arctam custodiam sive excubias facientium morositatem, illorumque diversum a Statu Ecclesiastico vivendi modum et habitationum necessariarum defectum, tam venerabili fratri nostro, tunc suo, Francisco etiam tunc episcopo Feretrano, quam dilectis filiis praeposito et canonicis ipsius ecclesiae ad illam, quoties opportunum vel alias eis bene visum existebat, liber non pateret accessus, quo fiebat ut tam Franciscus episcopus quam praepositus et canonici praedicti in dicta ecclesia residentiam debitam non faciebant, minusque in ea divina officia, praeterquam in festivitate eiusdem S. Leonis, celebrabantur, in divini cultus diminutionem.

Commodius vero tebant in ecclesia S. Bartholomaei.

§ 2. Cumque in dicta dioecesi oppidum Pinna Billorum nuncupatum, situatione et loci commoditate pulcherrimum, ac populi multitudine refertum, minusque

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

quam oppidum S. Leonis huiusmodi suspectum existeret, in illoque ac praedicta dioecesi una dumtaxat collegiata ecclesia sub invocatione S. Bartholomæi existeret, in qua divinus cultus per dilectos filios ipsius ecclesiae S. Bartholomæi praepositum et canonicos, qui insimul sex numero existebant, exercebatur; quodque tam Franciscus episcopus quam dictae ecclesiae Feretranae canonici praedicti in eadem ecclesia S. Bartholomæi, situatione et loci commoditate praedictis attentis, facile residere, et cum canonicis ecclesiae Sancti Bartholomaei huiusmodi divina officia decantare poterant, praefatus praedecessor, qui divino cultui libenter intendebat, et ut cathedrales ecclesiae situationem commodam haberent sinceris exoptabat affectibus, quique dudum inter alia voluerat quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, circa praemissa, necnon de domicilio tam Francisco et pro tempore existenti episcopo Feretrano quam ipsius ecclesiae Feretranae canonicis praedictis, ut facilius divina officia celebrare possent, et eis via excusationis non residentiae ac divinorum non celebrationis praecluderetur, utque in dicta ecclesia S. Bartholomaei per amplius ministrorum numerus augeretur opportune providere volens, ipsosque Franciscum episcopum ac S. Leonis et S. Bartholomaei ecclesiarum huiusmodi praepositos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum, absolvens et absolutos fore censens.

Feretranam ecclesiam cum insigniis cathedralis ab ecclesia Sancti Leonis ad oppidum Pinnae et ecclesiam S. Bartholomaei transtulit Pius V, respectivis invicem unitis capitulis;

§ 3. Motu proprio, non ad Francisci episcopi et praepositorum et canonicorum praedictorum vel alterius pro eis super eo eidem praedecessori oblatae petitionis instantiam, sed de sua mera deliberatione et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, sub datum videlicet sexto idus iulii, pontificatus sui anno v, ecclesiam Feretranam praedictam, eatenus non frequentatam, et in qua tam Franciscus et qui pro tempore fuerunt episcopi Feretrani ac canonici dictae ecclesiae non resederant, ad dictam collegiatam ecclesiam, una cum eiusdem ecclesiae cathedralis insigniis, auctoritate apostolica, transtulit et translatam esse voluit, ita ut deinceps liceret Francisco ac pro tempore existenti episcopo Feretrano, ipsiusque ecclesiae S. Leonis praeposito et canonicis praedictis in dicta ecclesia S. Bartholomæi residere, et divina officia inibi, una cum illius canonicis praedictis, decantare; quodque dictae S. Leonis et S. Bartholomæi ecclesiae non amplius duae, cathedralis scilicet et collegiata ecclesiae nuncuparentur, sed una tantum ecclesia cathedralis existeret, nuncuparetur et reputaretur, et ecclesiarum earumdem canonici unum corpus efficeretur; et canonici ecclesiae S. Bartholomæi huiusmodi, fructus suos percipientes, canonici cathedralis ecclesiae nuncuparentur et nuncupari, privilegiisque, honoribus, exemptionibus et libertatibus, necnon favoribus, gratiis et indultis, quibus canonici aliarum cathedralium ecclesiarum eatenus uti, gaudere et frui potuerant et debuerant ac poterant et debebant, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite, pariformiter et absque ulla penitus differentia, possent. Voluitque quod tam S. Leonis quam S. Bartholomæi ecclesiarum canonici praefati unum dumtaxat capitulum insimul facerent, praecedentibus tamen ipsius ecclesiae S. Leonis sic translatae canonicis praepositum et canonicos dictae eecclesiae S. Bartholomæi in choro, processionibus et aliis actibus capitularibus; ac quod de

cetero eadem ecclesia S. Bartholomæi non amplius collegiata vocaretur, sed cathedralis ecclesia S. Leonis existeret, remanente tamen eadem ecclesia Feretrana in dicto oppido S. Leonis sub eiusdem sancti Leonis invocatione, cum insigniis cathedralis ecclesiae, cuius festivitas coli die eiusdem S. Leonis non desineret, dicta auctoritate perpetuo statuit et ordinavit.

In eaque archidiaconatum et archipresbyteratum erexit, eorumque dote assignata;

§ 4. Et ut eadem ecclesia Feretrana in eamdem ecclesiam Sancti Bartholomaei sic translata per amplius ministris honoraretur et dignitatibus accresceret, more aliarum cathedralium ecclesiarum insignium, in illa unum archidiaconatum, qui prima post pontificalem, pro uno archidiacono, qui oculus episcopi nuncuparetur, et unum archipresbyteratum, quae secunda inibi dignitates existerent, pro uno archipresbytero, qui, in absentia dicti archidiaconi, caput capituli et canonicorum existeret, perpetuo erexit et instituit; ac, pro archidiaconatus et archipresbyteratus praedictorum sic erectorum et institutorum dote, fructus, redditus et proventus quorumcumque simplicium beneficiorum ecclesiasticorum per Franciscum seu pro tempore existentem episcopum Feretranum mensae capitulari uniendorum, summam centum et quinquaginta ducatorum auri redditus non excedentium, eisdem archidiaconatui et archipresbyteratui, ita quod, cum primum dos, ut praefertur, eis assignata fuerit per ipsum praedecessorem de illis a primaeva eorum erectione vacantibus collatione et provisione, eidem ecclesiae cathedrali, ut praefertur, translatae deservire inciperent, et continuo deinceps inservirent, eadem auctoritate similiter perpetuo applicavit et appropriavit.

Praepositurasque Sancti Leonis et Sancti Bartholomaei tertiam et quartam constituit dignitates;

§ 5. Necnon praeposituram S. Leonis tertiam, ac etiam praeposituram S. Bartholomaei ecclesiarum huiusmodi, quae principalis dignitas in illa existebat, quartam, quamdiu tamen tunc dictae ecclesiae S. Bartholomæi praepositus vitam duceret in humanis, dumtaxat dignitates constituit, et praepositurae ecclesiasticae S. Bartholomaei adveniente pro tempore vacatione per obitum tunc illius praepositi huiusmodi, ad id ut tres dignitates dumtaxat in ipsa ecclesia Feretrana in eamdem ecclesiam S. Bartholomæi translata remanerent, illam eamdem perpetuo suppressit.

Novo capitulo, in dotis augmentum, S. Nicolai parochialem ecclesiam addidit;

§ 6. Necnon, quia tam S. Leonis quam S. Bartholomæi ecclesiarum huiusmodi ac illarum mensarum capitularium fructus, redditus et proventus adeo tenues existebant, quod pro manutentione canonicorum praedictorum non sufficiebant, cum S. Leonis quatuordecim, S. Bartholomæi vero ecclesiarum canonicatuum et praebendarum decem ducatorum auri de Camera fructus, redditus et proventus huiusmodi, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excederent, parochialem ecclesiam S. Nicolai de Billis nuncupatam dictae Pinnae Billorum, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta quatuor ducatorum auri similium, secundum æstimationem prædictam, valorem annuum non excedebant, ex tunc, prout ex ea die et e contra, cum primum illam per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem illam tunc obtinentis, etiam in aliquo ex mensibus Sedi Apostolicae per constitutiones apostolicas seu apostolicae Cancellariae regulas reservatis, seu ordinariis collatoribus etiam per constitutiones apostolicas seu litteras alternativarum vel alias concessis, aut alias quovis modo vacare contingeret, etiam si actu tunc vacaret; necnon etiam fructus, redditus et proventus eiusdem praepositurae suppressae capitulari mensae S. Leonis sic translatae et

Sancti Bartholomæi ecclesiarum huiusmodi, pro distributionibus quotidianis inter canonicos pro tempore residentes et in divinis inservientes ac in choro interessentes dividendis, praefata auctoritate similiter perpetuo univit, annexuit et incorporavit, ac pro distributionibus huiusmodi appropriavit, ita quod liceret praefato capitulo corporalem, realem et actualem possessionem ipsius parochialis ecclesiae sic unitae, per se vel alium seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere; illiusque necnon etiam dictae sic suppressae praepositurae fructus, redditus et proventus in usus et utilitatem mensae capitularis ac distributionum huiusmodi, pro tempore existentibus singulis canonicis praedictis dandarum et applicandarum, convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita; necnon eidem parochiali ecclesiæ, per unum ex ipsis canonicis sufficienter idoneum, per ordinarium approbandum iuxta providam eorum dicti capituli ordinationem desuper faciendam, in divinis deservire, et curam animarum illius parochianorum laudabiliter exercere, ac sacramenta ecclesiastica illis ministrare, decernens praeposituram ecclesiae S. Bartholomæi huiusmodi, cum, ut praefertur, vacare contigerit, perpetuo suppressam existere et esse.

Literis desuper conficiendis perpetuae firmitatis robur adiecit.

§ 7. Ac litteras tunc desuper conficiendas nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis ipsius praedecessoris aut quovis alio defectu notari sive impugnari, vel ad terminos iuris reduci, aut in ius vel controversiam poni vel vocari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus et limitationibus, tam per ipsum praedecessorem quam successores suos Romanos Pontifices, etiam in crastinum eorum assumptionis faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas esse et censeri debere; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi ac definiendi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere; non obstantibus priori voluntate sua praedicta, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, necnon piae memoriae Bonifacii Papae VIII, et praedecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus; ac S. Leonis et S. Bartholomæi ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque; aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus ipsius ecclesiae S. Bartholomæi ac huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales sanctae Sedis vel legatorum eius litteras impetrassent, etsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet esset processum; quas quidem litteras et processus habitos per easdem ac inde secuta quaecumque idem Pius praedecessor ad praeposituram ecclesiae S. Bartholomæi et parochialem ecclesiam ac beneficia unienda huiusmodi voluit non extendi, sed nullus per hoc eis, quoad assumptionem beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibusvis aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus

earum impediri valeret quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in eisdem litteris mentio specialis, proviso quod, propter unionem, annexionem et incorporationem prædictam, præpositura et parochialis ecclesia ac beneficia unienda huiusmodi debitis non fraudarentur obsequiis, et animarum cura in parochiali ecclesia et, siqua illi maneret, praepositura praedictis nullatenus negligeretur, sed earum ac beneficiorum uniendorum praedictorum congrue supportarentur onera consueta. Idem enim Pius praedecessor ex tunc irritum decrevit et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decreta Pii V confirmantur ab Gregorio;

§ 8. Ne autem de absolutione, voluntate, statuto, ordinatione, erectione, institutione, applicatione, appropriatione, constitutione, suppressione, unione, annexione, incorporatione et decreto praedictis, pro eo quod super illis dicti Pii praedecessoris, eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerint, valeat quomodolibet haesitari; ipsique Franciscus ac pro tempore existens episcopus necnon Sancti Leonis et Bartholomæi ecclesiarum huiusmodi praepositi et canonici illorum frustrentur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod absolutio, translatio, voluntas, statutum, ordinatio, erectio, institutio, applicatio, appropriatio, constitutio, suppressio, unio, annexio, incorporatio et decretum Pii praedecessoris huiusmodi perinde a dicta die sexto idus iulii suum sortiantur effectum, non secus ac si super illis ipsius praedecessoris litterae sub eiusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae, ad probandum plene absolutionem, voluntatem, statutum, ordinationem, translationem, erectionem, institutionem, applicationem, appropriationem, constitutionem, suppressionem, unionem, annexionem, incorporationem et decretum Pii praedecessoris huiusmodi, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Clausulae.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 maii 1572, pontif. anno I.

CLXXXI

Institutio collegii presbyterorum regularium Societatis Iesu, Universitatisque Studii generalis diversarum scientiarum bonarumque artium in oppido Pontis Monsonii, Metensis dioecesis, in Lotharingia, cum reddituum assignatione privilegiorumque elargitione.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

In supereminenti Apostolicae Sedis specula, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes quantum ex litterarum studiis catholica fides, tenebrosa ignorantiae caligine ac haeresum peste expulsa, augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscatur, iustitia colatur, reliquae virtutes illustrentur, ac bene beateque vivendi via paretur, ad ea, per quae studia ipsa ubilibet excitentur, et studiosae personae, ad excelsum doctrinae fastigium aspirantes, opportunae subventionis auxilia suscipiant, libenter inten- Prooemium.

dimus, et in his nostrae sollicitudinis partes propensius impartimur, prout pia personarum, praesertim S. R. E. cardinalium ac nobilium virorum ducum, vota exposcunt, nosque, locorum et temporum qualitate pensata, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Carolus cardinalis de Lotharingia, et Carolus dux Lotharingiae et Barriducis decreverunt, accedente tamen Sedis Apostolicae auctoritate, in oppido Pontis Monsonii dioecesis Metensis unum erigere Studium diversarum scientiarum generale et collegium Societatis Iesu;

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum nostri Caroli tituli S. Apollinaris presbyteri cardinalis de Lotharingia nuncupati, et nobilis viri Caroli Lotharingiae et Barriducis ducis, petitio continebat quod alias, cum Carolus cardinalis, qui noster et Sedis Apostolicae in Lotharingiae et Barriducis ducatibus de latere legatus, ac ratione ecclesiae Rhemensis, cui ex dispensatione apostolica præesse dignoscitur, dux Rhemensis et primus par Franciae existit, quique ecclesiae Metensis perpetuus administrator in spiritualibus et temporalibus per dictam Sedem deputatus existit, necnon etiam Carolus dux praedicti pia meditatione cogitassent quod longe lateque diffusum undique esset haeresis malum, quantaque incommoda et damna universo orbi attulisset, illique tutius et fortius remedium afferri nequaquam posse, nisi ubique terrarum doctorum virorum conventus erigerentur, qui, sana imbuti doctrina, populos sibi propinquos catholicam docerent disciplinam, qua et sibi prodesse, et ceteros, haeresibus expulsis, in vera fide valerent confirmare, tanta in Deum religione permoti, necnon ferventi in proximum caritate adducti, decreverunt in oppido Pontis Monsonii, Metensis dioecesis, sub dominio praedicti Caroli ducis existente, unum diversarum scientiarum et artium Studium generale, in quo theologiae, utriusque iuris ac medicinae et philosophiae lectiones continuae haberentur, ac etiam inibi, ut illud Studium maioribus proficiat incrementis, etiam unum presbyterorum regularium Societatis Iesu collegium erigere et instituere, ad effectum ut illarum partium iuventus non solum doctrina, quae ad bene beateque vivendum via praecipua est, sed etiam bonis instituatur moribus et exemplis, si ad id nostra et Sedis praedictae interveniret auctoritas.

Petierunt domum quamdam hospitalis S. Antonii et annuos redditus propterea per hunc Pontificem assignari pro dicto collegio, et praedictum Studium generale institui.

§ 2. Quare, pro parte eorumdem Caroli cardinalis et legati ac Caroli ducis nobis fuit humiliter supplicatum quatenus praeceptoriae et hospitalis S. Antonii Ordinis S. Augustini dicti oppidi domum et illorum ambitum ab eisdem praeceptoria et hospitali illorumque Ordine et superioritate, ac mille scutorum auri in auro annuum redditum ex monasterio S. Gorgonii Gotiensis Ordinis S. Benedicti, dictae dioecesis, seu illius mensa conventuali et ipsius monasterii officiis claustralibus, ac ab illo dependentibus et illi unitis prioratibus, etiam perpetuo dismembrare et separare, illaque sic dismembrata et separata huiusmodi, eidem Societati Iesu, ad effectum ut ipsi presbyteri in dictis domo et ambitu dismembratis unum collegium iuxta illorum instituta erigere, recipere, regere, visitare et corrigere valeant, pro illius collegii dote et personarum ipsius Societatis, quae humaniores litteras, grammaticam et philosophiam ac theologiam edocebunt, substentatione, concedere, applicare et appropriare; necnon ipsi collegio pensionem annuam aliorum mille et quingentorum scutorum similium, quingentorum videlicet super mensae episcopalis Metensis, et reliqnorum mille super universis et singulis quorumcumque monasteriorum et prioratuum cuiusvis Ordinis existentium, in Metensi, Tullensi et Virdunensi dioecesibus consistentium, seu illorum mensarum abbatialium vel conventualium fructibus, redditibus et proventibus, etiam perpetuo, donec episcopus Metensis et abbates, priores seu commendatarii dictorum monasteriorum et

prioratuum aliqua simplicia beneficia ecclesiastica, ad eorum collationem aut aliam dispositionem spectantia, quorum annuus valor dictam summam mille scutorum insimul constituat, dicto collegio, pro pensionis huiusmodi extinctione, uniri procuraverint, pro rata facultatum cuiusque, et iuxta partitionem per ipsum Carolum cardinalem ac venerabiles fratres nostros Virdunensem et Tullensem episcopos faciendam, persolvendam, reservare, constituere et assignare, ac in dicto oppido Universitatem Studii generalis erigere et instituere, aliasque in praemissis opportune providere et statuere de benignitate apostolica dignaremur.

Qui Pontifex concedit petita, et collegium praedictum instituit;

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum extimationem praedictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset; quique hodie praedictum monasterium S. Gorgonii, ex certis tunc expressis causis, regularitate omnique statu et observantia regulari in eo penitus et omnino suppressis, ad saecularitatem per alias nostras litteras reduximus, prout in illis plenius continetur, attendentes quod ex litterarum studio animarum saluti consulitur, ac alia spiritualia et temporalia bona mundo proveniunt, pium et laudabile Caroli cardinalis legati et Caroli ducis praedictorum decretum plurimum in Domino commendantes; ipsumque Carolum ducem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon dicti monasterii suppressionis tenorem praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo praeceptoriae et hospitalis huiusmodi domum et illorum ambitum, una cum horto, hortalitiis aliisque rebus circumcirca adiacentibus, ad praeceptoriam et hospitale huiusmodi legitime spectantibus et pertinentibus, dummodo ad hoc dilecti filii moderni ipsius domus praeceptoris accedat assensus, ab eisdem praeceptoria et hospitali illorumque Ordine et superioritate, ex monasterio vero S. Gorgonii, seu illius mensa conventuali et illius officiis regularibus et ab illo dependentibus et illi unitis prioratibus praefatis, mille et quingentorum scutorum praedictorum annuum redditum dismembramus et separamus, illaque sic dismembrata et separata dicto collegio Societatis Iesu, ad effectum ut presbyteri Societatis huiusmodi inibi unum collegium, iuxta eorum consuetudines et instituta, ac cum omnibus et singulis solitis privilegiis erigere, illudque per seipsos regere et gubernare ac visitare et corrigere possint et valeant; ac Carolus cardinalis et legatus, necnon Carolus dux locum et habitationem idoneam et commodam praestare, supellectilem quoque necessariam et solitam secundum collegiorum usum instruere teneantur, pro illius collegii dote, necnon personarum ipsius Societatis, quæ humaniores litteras, grammaticam et philosophiam ac theologiam edocebunt, substentatione, concedimus, applicamus et appropriamus. Praeterea, ut dictum collegium maiores in vinea Domini proferat fructus, quo maioribus fuerit suffultum praesidiis, eidem collegio pensionem annuam liberam, immunem et exemptam mille et quingentorum scutorum similium, quingentorum videlicet super dictae mensae episcopalis Metensis,

et reliquorum mille super universis et singulis quorumcumque monasteriorum et prioratuum, cuiusvis Ordinis existentium, et in Metensi, Tullensi et Virdunensi dioecesibus praefatis consistentium, seu illorum mensarum abbatialium vel conventualium fructibus, redditibus et proventibus, etiamsi super illis aliae pensiones annuae aliis assignatae existant, per ipsum Carolum cardinalem et legatum ac pro tempore existentem episcopum Metensem et dilectos filios singulos monasteriorum et prioratuum eorumdem abbates et priores seu commendatarios et illorum conventus, annis singulis, in loco et terminis per ipsum Carolum cardinalem et legatum, per se vel alium, statuendis, ipsi collegio ac illius personis vel illarum procuratori ad id ab eis speciale mandatum habenti, perpetuo, donec tamen episcopus Metensis et abbates et priores seu commendatarii praefati aliqua perpetua simplicia beneficia ecclesiastica, ad eorum collationem, provisionem aut aliam quamcumque dispositionem spectantia et pertinentia, quorum annuus valor dictam summam mille scutorum insimul constituat, dicto collegio sufficienter et cum effectu, pro pensionis huiusmodi extinctione, uniri procuraverint, pro rata facultatum cuiusque, et iuxta partitionem seu commodam divisionem per Carolum cardinalem et legatum ac Virdunensem et Tullensem episcopos praefatos faciendam, integre quotannis persolvendam, dummodo ad id Caroli cardinalis ac legati ac omnium et singulorum monasteria et prioratus huiusmodi obtinentium accedat assensus, reservamus, constituimus et assignamus.

Lectorum collegii praedicti munus praescribit et numerum;

§ 4. Et insuper quod in dicto collegio presbyteri praefati plenissimum, et cum qui, iuxta dictae Societatis statuta et formam, in singulis eorum collegiis, etiam quam amplissimis, et quibus Universitates famosae annexae sunt, saltem septuaginta personarum eiusdem Societatis numerum compleant; in eo quoque adsint quatuor theologiae professores, quorum unus sacras litteras, alii duo scholasticam theologiam, quartus vero conscientiae casus, singuli una lectione quotidiana exponant, ac tres philosophiae regentes, quorum quisque duas quotidie legat lectiones: ordine tamen huiusmodi servato, ut quolibet triennio philosophiæ cursus integer absolvatur, et quolibet anno unus incipiat, alter vero desinat; itemque duae lectiones rethoricæ ordinariæ singulis diebus, una quoque humaniorum litterarum, necnon tres aliae grammaticae classes instituantur; duae insuper lectiones grecae, una in alicuius auctoris interpretatione, altera vero in grammatices institutione habeantur; una itidem litterarum Hebraicarum, et altera mathematicarum lectiones quotidie inibi legantur, statuimus. In ipso quoque oppido Universitatem Studii generalis sub invocatione per Carolum cardinalem et legatum ac Carolum ducem praefatos eligenda, in quinque facultatibus praefatis, quarum duae, theologiae scilicet et philosophiae, presbyteris dictae Societatis, iuxta eorum statuta, reliquae tres, earum decanis, doctoribus et professoribus dirigendae, ad instar Bononiensis et Parisiensis Universitatum, et iuxta illarum consuetudines et statuta, erigimus et instituimus.

Personis dicti collegii privilegia personarum Studii Bononiensis et Parisiensis concedit;

§ 5. Illique sic erectae et institutae, ac eius pro tempore existentibus rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, bidellis, nunciis et aliis officialibus et personis, necnon membris et subditis, quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus ac præeminentiis Bononiensi et Parisiensi Universitatibus praefatis illorumque pro tempore existen-

tibus rectoribus, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, procuratoribus, bidellis, nunciis et aliis officialibus ac personis, necnon membris et subditis in genere, tam dicta apostolica quam alias rite imperiali et regia auctoritatibus aut alias quomodolibet concessis seu legitime praescriptis, aut in posterum concedendis et praescribendis, ac quibus illi et illae utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere.

Doctoratus et graduum insignia conferendi et respective recipiendi facultatem tribuit, promotisque indulta promotorum in aliis Studiis generalibus elargitur;

§ 6. Necnon iis, qui in quavis Universitate disciplinis et facultatibus praefatis studere incoeperint, studium suum in ea continuare, et qui in dicta sic erecta aut quavis alia Universitate per tempus debitum studuerint, ac scientia et moribus idonei comperti fuerint, in artibus et medicina et philosophia ac theologia necnon iuribus aliisque facultatibus praedictis, baccalaureatus, etiam formalis, et licentiaturae ac laureae, necnon doctoratus et magisterii et quosvis alios solitos gradus ab ipsius Universitatis rectore seu scientiarum in quibus promovendi pro tempore studuerint lectoribus aut aliis personis, per dictum Carolum cardinalem et legatum in et ad tempus vel in perpetuum deputandis et constituendis, aliisque modo et forma per ipsum statuendis, recipere, et ipsorum graduum solita insignia sibi exhiberi facere, et postquam huiusmodi gradus et illorum insignia susceperint, facultates, in quibus promoti fuerint, legere et interpretari ac in eis disputare, necnon quoscumque actus, gradui seu gradibus per eos receptis convenientes exercere, aliisque omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in Bononiensi et Parisiensi Universitatibus praefatis, iuxta illarum constitutiones et mores, ad gradus ipsos promoti de iure vel consuetudine aut alias utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt, ut praefertur, quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus huiusmodi in Bononiensi et Parisiensi praefatis et aliis quibusvis Universitatibus, iuxta illarum constitutiones et consuetudines, huiusmodi suscepissent.

Carolo cardinali facultatem condendi statuta pro huius Studii regimine concedit;

§ 7. Necnon eidem Carolo cardinali et legato, et per se vel alium seu alios, quos ad id duxerit deputandos, et, si ei videbitur, vocatis Metensi, Virdunensi et Tullensi episcopis, pro salubri dictae sic erectae Universitatis directione et conservatione, ac rectorum, magistrorum, doctorum, lectorum, praeceptorum, procuratorum, bidellorum, nunciorum et aliorum officialium huiusmodi institutione et electione et quavis alia provisione, ac scholarum manutentione, ipsius tamen collegii, quoad theologiam et philosophiam, cum humanioribus litteris, necnon promotionum in dictis facultatibus et scholasticorum inibi pro tempore degentium vitae et studiorum disciplina, et scholasticorum correctione, admissione et dimissione, necnon regimine seu administratione et politiae litterariae forma, iuxta Societatis praefatae statuta et instituta, pro tempore existenti eiusdem collegii rectori et ipsius Societatis superioribus reservata; ac in praemissis et infrascriptis omnibus et per omnia, salva et integra manente personarum, bonorum et exercitiorum huiusmodi Societatis exemptione ac regulari observantia, quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta ac sacris canonibus non contraria facere, edere ac, pro rerum, temporum et personarum qualitate et varietate, corrigere et reformare, seu illa cassare et alia de novo condere, ac super illorum observatione quascumque poenas imponere, ac iuxta eorum dispositionem iudicari debere; ac quidquid

secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernere.

Iurisdictionemque in omnes illius personas (non tamen ipsius Societatis) eidem Carolo cardinali tribuit;

§ 8. Necnon in omnes et singulos dictae Universitatis rectorem et magistros, doctores, lectores, praeceptores et scholares ac procuratores, bidellos, nuntios et officiales et supposita personas, tam saeculares quam quorumvis Ordinum regulares, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et præeminentiae extiterint, etiamsi exemptae et Sedis Apostolicae immediate aut alteri praelato subiectae, seu alterius dioecesis fuerint, praeterquam ipsius Societatis personas, omnimodam tam civilem quam criminalem et mixtam iurisdictionem, apostolica auctoritate praedicta exercere, visitare, reformare et corrigere, ac errantes punire et castigare.

Iusque easdem personas eligendi constituit;

§ 9. Necnon ipsius Universitatis rectores, magistros, lectores, praeceptores et scholares ac procuratores, bidellos et alios officiales huiusmodi eligere, seu eorum electiones aliis committere, easque, postquam factae fuerint, per se vel alium seu alios ad id per ipsum Carolum cardinalem et legatum deputandos, confirmare et approbare libere et licite valeant, concedimus et desuper indulgemus.

Huic institutioni clausulas praeservativas apponit,

§ 10. Decernentes praesentes litteras sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, limitationibus, etiamsi de praesentibus eorumque toto tenore ac data, specialis et specifica mentio fiat, minime includi, sed, illis ac quibusvis aliis contrariis non obstantibus, in suo robore, vigore et efficacia persistere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque data per dictos Carolum cardinalem et legatum ac Carolum ducem eligenda, concessas esse; sicque incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae esse et fore, easdemque praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, aut in ius vel controversiam, quacumque ratione vel causa, etiam rationabili, deduci, causamque seu causas propter quas praemissa facta fuerint, coram quibuscumque locorum ordinariis, etiam tamquam a Sede praedicta delegatis, minime verificari, nec propterea, seu pro eo quod interesse praetendentes vocati non fuerint, per subreptionem obtentas praesumi, viribusque propterea carere.

Et decretum irritans;

§ 11. Et ita in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari debere; ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Recusantibus solvere collegio annuos redditus pœnas indicit;

§ 12. Necnon praefatum Carolum cardinalem et legatum, ac pro tempore existentes Metensem episcopum seu perpetuum administratorem, necnon monasteriorum et prioratuum abbates, priores seu commendatarios ac conventus huiusmodi, ad integram solutionem pensionis praefatae eidem collegio faciendam, iuxta reservationis, constitutionis et assignationis praefatarum tenorem, efficaciter obligatos fore; ac volentes et eadem auctoritate statuentes quod qui ex Carolo cardinali et legato ac episcopo seu administratore Metensi, necnon abbatibus et prioribus seu commendatariis ac conventibus praefatis, in dictis terminis vel saltem intra triginta dies illorum singulos immediate sequentes, pensionem praefatam per eos tunc debitam non persolverint cum effectu, lapsis diebus eisdem, Carolo cardinali et legato seu episcopo vel administratori Metensi, etsi cardinalis aut

antistes sit, abbati ac priori seu commendatario huiusmodi ingressus ecclesiae interdictus existat. Si vero abbas et prior seu commendatarius inferiores cardinali et antistiti sint, aut conventus fuerint, sententiam excommunicationis incurrant, cuius interdicti relaxationem hisce interdictus, excommunicatus vero ab excommunicationis sententia huiusmodi absolutionis beneficium, donec collegio vel procuratori praefato de pensione praefata tunc debita integre satisfactum aut alias cum collegio seu procuratore huiusmodi amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constitutus, nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes interdictus sub interdicto permanserit, excommunicatus vero praefatae excommunicationis sententiam eiusmodi sustinuerit animo, quod absit, indurato, ex tunc effluxis mensibus ipsis, interdictus a regimine et administratione ecclesiae ac monasterii et prioratus huiusmodi suspensus, excommunicatus vero praefati ipso monasterio et prioratu perpetuo privatus existat, illiusque commenda cessare et, ea cessante, monasterium et prioratus huiusmodi vacare censeantur eo ipso.

Executores huius constitutionis deputat;

§ 13. Quocirca dilectis filiis Virdunensi et Tullensi et Metensi mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Caroli cardinalis et legati, ac Caroli ducis, necnon collegii illiusque personarum praefatorum aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque et illorum singulis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi inviolabiliter observari, et illos, quos dictae litterae concernunt, omnibus et singulis praemissis pacifice frui et gaudere, ac pensionem praefatam collegio aut procuratori iuxta praeservationis, constitutionis, assignationis et decreti praefatorum continentiam et tenorem integre persolvi, non permittentes eos aut eorum quemlibet per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari. Et nihilominus quemlibet ex Carolo cardinali et legato ac episcopo seu administratore Metensi, ac abbatibus et prioribus seu commendatariis et conventibus praefatis, quem interdicti et suspensionis aut excommunicationis sententias et privationis poenam huiusmodi incurrisse eis constiterit, quoties super hoc pro parte collegii praefati fuerint requisiti, tamdiu dominicis et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, interdictum et suspensum vel excommunicatum et privatum respective publice nuncient et faciant ab aliis nunciari, excommunicatumque ab omnibus arctius evitari, donec collegio vel procuratori praefato de dicta pensione tunc debita fuerit integre satisfactum, ipseque interdictus et suspensus relaxationem interdicti et suspensionis, aut excommunicatus ab excommunicationis sententia huiusmodi absolutionis beneficium meruerit obtinere. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, si cardinales aut antistites, auctoritate nostra; si vero inferiores cardinali aut antistiti sint, per sententias et censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illos in sententias, censuras et poenas praefatas incurrisse declarando, ac etiam eas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis omnibus derogat;

§ 14. Non obstantibus priori voluntate nostra praefata; et Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas,

nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, etiam illa qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praefata deputati, extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, ac de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus ac ordinationibus; ecclesiae Metensis et monasteriorum, prioratuum et Ordinum ac Universitatum praefatorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et immunitatibus ac litteris apostolicis, illis illorumque superioribus, conventibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si Carolo cardinali et legato ac episcopo seu administratori Metensi, et abbatibus, prioribus seu commendatariis et conventibus praefatis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod ad praestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentijs et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Sanctione que poenal adiicit.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, dismembrationis, separationis, concessionis, applicationis, appropriationis, reservationis, constitutionis, assignationis, statuti, electionis, institutionis, indulti, decreti, voluntatis, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, nonis decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 dec. 1572, pontif. anno I.

CLXXXII.

Unio beneficiorum baliagiorum ab haereticis recuperatorum militiae Sanctorum Mauritii et Lazari [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Decet Apostolicam Sedem, praeci-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Exordium et rei series. puam omnium christifidelium matrem, quae et ipsa christianis quoque principibus veluti columnis innititur, ex eis, illos uberiore gratia ac benignitate complecti, quos, praeter temporalem potentiam ac dignitatem, maiori pietate ac religionis amplificandae studio eminere cognoscit. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux nobis exponi fecerit, pridem bonam partem eorum baliagiorum aliarumque iurisdictionum et locorum ditionis suae temporalis, quae, vivente clarae memoriae Carolo Sabaudiae duce, genitore suo, a Bernensibus aliisque finitimis populis, haeretica pravitate pollutis, occupata fuerant, de ipsorum voluntate recuperasse, et ad pristinam suam temporalem iurisdictionem revocasse; et quamquam speret sub suo dominio, divina favente misericordia, populos illos, erroribus relictis, catholicae fidei, extra quam salvus esse nemo potest, doctrinam amplexuros; nihilominus, quia, ob inveteratam in ipsis haereticae perfidiae malitiam, quam fere omnes ab incunabulis imbiberunt, valde timendum est eos ab hisce pravis opinionibus non ita brevi dimoveri posse, sed temporis beneficio ea in re utendum esse. Interim vero dum religio catholica in illis regionibus restitui poterit, percommodum existimari ut ecclesiae, monasteria, hospitalia, beneficia et bona ecclesiastica, profanis nunc usibus impie subiecta, quando in pristinos usus et officia restitui non possunt, saltem militiae Sanctorum Mauritii et Lazari sub Regula Sancti Augustini proxime a nobis institutae, cuius ipse Emmanuel Philibertus magnus magister existit, ad laudem Dei et christianae fidei propagationem, aliquo pacto inserviant.

§ 2. Cumque, ob has causas, idem Emmanuel Philibertus dux et magnus magister nobis humiliter supplicari fecerit ut militiae huiusmodi propagationi atque incremento, ad fidei catholicae defensionem et haeresum extirpationem, paterne consulere ac alias opportune providere de benignitate apostolica dignaremur; nos, pro certa spe atque fiducia, quam de praesenti ipsius Emmanuelis Philiberti ducis et magni magistri fide ac religione habemus, proque paterno in illum amore nostro, ad annuendum honestis huiusmodi desideriis adducti, ac firmiter nobis pollicentes fore ut, quemadmodum ipsa baliagia illius auctoritate ac virtute antiquae ducatus Sabaudiae ditioni sunt restituta, ita eadem, illo curante et adiuvante, veteris et orthodoxae religionis nostrae cultui et professioni propediem reddantur, ipsum Emmanuelem Philibertum ducem et magnum magistrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, hospitalium et beneficiorum ecclesiasticorum omnium dictorum baliagiorum et locorum qualitates, ordines et dependentias, ac fructuum, reddituum et proventuum bonorum eorumdem conditiones, quantitates verosque annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, in baliagiis et locis ab eius nobilitate receptis consistentia, etsi saecularia, canonicatus et praebendae, dignitates, etiam principales, personatus, administrationes et officia olim collegiatarum ecclesiarum et parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, cappellae

Sancti Mauritii et Lazari.

Unio beneficiorum militiae

et cappellaniae perpetuae; regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria, non tamen consistorialia, prioratus, praepositurae, praepositatus, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes monachales et canonicales portiones, ac officia, etiam curata, claustralia et electiva, necnon hospitalia, leprosariae, xenodochia fuerint, et alia quaecumque loca religiosa, eorumque membra, granciae, possessiones et praedia, in quibus nullus ecclesiasticus cultus saecularis aut regularis seu hospitalitas exercetur, nec de præsenti, saltem quoad parochiales ecclesias et alia beneficia ecclesiastica curata, restitui potest, quaeque nullis canonice collata aut commendata seu commissa, nec unita aut suppressa, in ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium aut aliorum piorum locorum nunc vigentium, etiam extra baliagia et loca praedicta consistentium, commodum et favorem, sint, nec ab ecclesiis, monasteriis, capitulis, conventibus, beneficiis, hospitalibus extra illa consistentibus veluti unita dependeant, aut ad ea veluti membra pertineant, quæ omnia salva et illaesa remaneant, quibusvis modis et ex quorumcumque personis, seu per liberas resignationes quorumvis de illis aut de eorum regiminibus et administrationibus cessiones in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factas, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII, praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint quod eorum collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones, legitime devoluta, ipsaque omnia vel eorum aliqua dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata existant, et ad illa consueverint olim qui per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, ac cuiuscumque annui valoris, ad quamcumque, etiam notabilissimam, summam ascendentis, eorum singulorum fructus, redditus et proventus fuerint, nomine, titulo, denominatione, ordine, statu et essentia, etiam regulari, in singulis illis, prout insunt, perpetuo suppressis et extinctis, cum suis ecclesiis, domibus, bonis, proprietatibus, decimis, iuribus, iurisdictionibus, fructibus, censibus, pertinentiis et actionibus omnibus et quibuscumque, militiae praefatae Sanctorum Mauritii et Lazari, de apostolicae potestatis plenitudine, unimus, annectimus et incorporamus.

Facultas corporalem possessionem capiendi aliaque opportune ordinandi.

§ 3. Ita quod liceat prædicto Emmanueli Philiberto duci et magno magistro, necnon dilectis filiis conventui dictae militiae, illorum omnium corporalem possessionem per se vel alium seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, atque in eis et ex eis prioratus, baiulivias, praeceptorias aliaque beneficia et officia dictae militiae erigere et instituere, dotes assignare, et alias, prout dictae militiae usus et utilitas suadebunt, eique aequum visum fuerit, convertere; ac etiam interim, dum erectiones et institutiones huiusmodi fient, fructus, census, decimas et alia iura praedicta percipere, exigere et levare, ac de illis in praedictos usus disponere, dioecesanorum locorum et quorumvis aliorum licentia minime requisita, quin etiam ipsis ea omnia quae post recuperationem baliagiorum et locorum praedictorum de facto percepta sunt ab ipso Emmanuele Philiberto duce vel eius ordine, cuiuscumque qualitatis et pretii, illi gratiose donamus et remittimus.

Reservat quoad parochiales ecclesias, si populi ab haeresi resipiscerent.

§ 4. Cum eo tamen quod quamprimum eorum baliagiorum et locorum recuperatorum homines ad veritatis lumen per misericordiam Dei redierint, in quacum-

que ipsorum parte id contigerit, parochiales ecclesiae et alia ecclesiastica loca, ad exercitium curae animarum idonea, ab ordinariis locorum, quibus illa subsunt, cum dote non minori quinquaginta ducatorum annuatim de proprietatibus bonorum praedictorum, ad iustum et competentem numerum instituantur, illisque ab eisdem ordinariis de rectoribus et pastoribus idoneis, iuxta concilii Tridentini dispositionem et alias canonicas sanctiones, provideatur.

Clausulae

§ 5. Districtius inhibentes omnibus abbatibus, conventibus et prioribus monasteriorum quorumvis Ordinum, et regularium locorum et hospitalium ac militiarum superioribus, ceterisque, ad quos id quomodolibet pertinet, ne posthac audeant in dictis ecclesiis, monasteriis, beneficiis et officiis aliisque suppressis praedictis, eorumque rebus, iuribus et actionibus sese quoquomodo interponere, seu suppressionem, unionem, annexionem et incorporationem ceteraque alia praemissa illorumque executionem et effectus quomodolibet impedire; ac decernentes Emmanuelem Philibertum ducem et magnum magistrum ac conventum praedictos ad verificandum causam seu causas, propter quas nos ad praedicta facienda inducimur, coram dictis ordinariis locorum vel aliis, etiam tamquam a Sede Apostolica delegatis, aut alibi, numquam teneri; nec propterea, aut etiam quia interesse habentes vocati non fuerint, praesentes per subreptionem obtentas praesumi, viribusque et effectu propterea carere: sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, in quavis causa et instantia, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac nostris de exprimendo vero annuo valore tam beneficii uniti, quam eius cui illud uniri petitur, necnon de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum intersit, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque apostolicis constitutionibus; necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, Ordinum, militiarum, hospitalium et aliorum quorumcumque locorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et eorum singulis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et consistorialiter ac alias, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliqui, super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, ac inde secuta quaecumque, ad ecclesias, monasteria, beneficia, officia, hospitalia et alia praedicta volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad

assecutionem beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Sanctio poenalis. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, unionis, annexionis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, idibus aprilis, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 aprilis 1575, pontif. anno III.

CLXXXIII.

Confirmatio privilegiorum et indultorum a Pio IV concessorum archiconfraternitati Sanctissimae Trinitatis de Urbe [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ad apostolicae dignitatis apicem, meritis licet imparibus, divina dispositione vocati, curis angimur assiduis, et debita meditatione pulsamur, ut charitatis et misericordiae opera ubique locorum, praesertim in alma Urbe, exerceantur, et his, quae propterea per christifideles pie religioseque fieri consueverunt, libenter, dum a nobis petitur, ne aliquando de illis haesitari contingat, nostrae confirmationis robur adiicimus, ac circa ea, per quae salus votiva succedat, ac ecclesiae aliaque pia loca ad exercitium huiusmodi destinata ab ipsis fidelibus in debita veneratione habeantur, creditae nobis potestatis auctoritatem favorabiliter impartimur, fidelesque ipsos ad id spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus, frequenter invitamus.

1 Ex Regest in Secret. Brev.

Facti series. § 1. Exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum confratrum confraternitatis sub invocatione Sanctissimae Trinitatis in alma Urbe canonice institutae petitio continebat quod alias, postquam felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, institutionem confraternitatis sub invocatione eiusdem Sanctissimae Trinitatis, in qua, ut acceperat, dilecti filii illius confratres varia pietatis et laudabilia opera exercuerant, et in pauperibus peregrinis et convalescentibus personis ad hospitale dictae confraternitatis undequaque confluentibus excipiendis et reficiendis, multisque aliis pietatis et caritatis operibus, non solum in peregrinorum et convalescentium huiusmodi maximam commoditatem et consolationem, verum etiam cum totius dictae Urbis et orbis amplissima laude et decore, magis ac magis in dies se exercebant et perpetuo exercere intendebant, nonnullaque statuta et ordinationes desuper condiderant, eorumdem confratrum salubribus votis et gratis in conspectu Dei et hominum pietatis operibus id exposcentibus, apostolica auctoritate perpetuo approbaverat et confirmaverat; eamdemque confraternitatem in archiconfraternitatem eiusdem Sanctissimae Trinitatis, ita ut ab ea, tamquam matrice, aliae, si quae de novo erigerentur, confraternitates dependerent, dicta auctoritate, etiam perpetuo, erexerat et instituerat, ac archiconfraternitatis titulo decoraverat; necnon eiusdem archiconfraternitatis confratribus, ut privilegia et indulgentias, sibi pro tempore concessa, confraternitatibus erigendis huiusmodi communicare possent indulserat; ac tam in approbatione et confirmatione confraternitatis huiusmodi, illiusque in

archiconfraternitatem erectione et institutione praedictis, quam etiam postea, ac alias sub certis modo et forma limitatas et modificatas, et tam perpetuas quam ad tempus indulgentias et peccatorum remissiones ac relaxationes, aliaque facultates, gratias et privilegia seu indulta, eadem auctoritate, concesserat et relaxaverat; piae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, omnes et singulas indulgentias et facultates easdem necnon quascumque alias indulgentias ac privilegia quibusvis confraternitatibus et aliis personis sive locis communicandi, in genere vel in specie quomodolibet concessas, revocavit, prout in diversis tam Pii IV, sub plumbo et in forma brevis, quam Pii V praedictorum huiusmodi respective confectis litteris plenius dicitur contineri.

Dubium circa indulgentias et alia a Pio IV concessa.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, nonnulla ex indulgentiis ac privilegiis per dictum Pium IV, praedecessorem, ipsis confratribus concessis clausulas illas et alias indulgentias necnon communicandi facultatem contineant, ac propterea litterae Pii IV, praedecessoris huiusmodi, et in eis contenta indulgentiae, concessiones, gratiae et indulta huiusmodi a dictis confratribus et aliquibus aliis in dubium revocari possent, pro parte eorumdem confratrum nobis fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio privilegiorum d. archiconfraternitatis.

§ 3. Nos igitur, qui singulorum christifidelium devotionem et pietatis opera nostris potissimum temporibus propagari sinceris exoptamus affectibus, ac ea, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, apostolico munimine roboramus, singulos confratres praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon litterarum praedictarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, institutionem, ordinationes et statuta illorumque approbationem et confirmationem dictaeque confraternitatis in archiconfraternitatem erectionem et institutionem praedictas, apostolica auctoritate prædicta, etiam perpetuo, approbamus et confirmamus, illisque omnibus perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Concessio indulgentiarum.

§ 4. Et insuper, ut ipsius archiconfraternitatis et aliarum illi pro tempore aggregatarum et aggregandarum confraternitatum confratres, nunc et pro tempore existentes, in tam pio et laudabili instituto alacrius persistant quo maioribus caelestis gratiae donis, pro animarum suarum salute, conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui de gremio dictae archiconfraternitatis et seu aliarum confraternitatum illi aggregatarum et in futurum aggregandarum huiusmodi, ubivis locorum consistentium, pro tempore esse desideraverint, in ipsa eorum in confratres archiconfraternitatis et confraternitatum praedictarum receptione et descriptione, plenariam; necnon illis, etiam utriusque sexus, pro tempore existentibus, qui, corde contriti ac vere poenitentes et confessi, in mortis articulo nomen Iesus devote invocaverint, aut aliquod poenitentiae signum fecerint, etiam plenariam; ac tam eisdem confratribus quam omnibus et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus, etiam vere poenitentibus et

confessis, qui, singulis Nativitatis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis festivitatibus, ac die dominica festi eiusdem Sanctissimae Trinitatis, annuatim archiconfraternitatis seu confraternitatum aggregatarum et aggregandarum praedictarum ecclesias seu cappellas vel oratoria devote visitaverint, et inibi ad Deum preces, prout unicuiq. suggeret devotio, effuderint, in die domin. festi Sanctissimae Trinitatis, unam similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem perpetuo duraturam; in reliquis vero Nativitatis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis festivitatibus huiusmodi, septem annos et totidem quadragenas; ac ipsis confratribus, qui ultima dominica cuiuslibet mensis totius anni, vel ipsam dominicam immediate sequentibus lunae sive martis aut aliis diebus, orationi quadraginta horarum nuncupatae, per dictos confratres pro tempore in eorum ecclesiis seu cappellis vel oratoriis faciendae et continuandae, intervenerint, dummodo saltem per dimidiam horam in ea pro reipublicæ christianæ conservatione et augmento, ac principum christianorum mutua et universali pace, necnon nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis ac Romanae Ecclesiae et illius pastorum felici et prospero statu, pias ad Christum preces effundendo, continuaverint, quoties id fecerint, annum unum; eis quoque, etiam vere poenitentibus et confessis, qui sanctissimum Eucharistiae sacramentum singulo mense susceperint, septem annos et totidem quadragenas; ac insuper illis confratribus, qui confratrum et aliorum in eorum ecclesiis seu cappellis aut oratoriis sepeliendorum cadavera ad sepulturam associaverint, unum annum; et tam ipsis confratribus dictarum archiconfraternitatis et confraternitatum quam aliis christifidelibus, tantum similiter vere poenitentibus et confessis, qui, qualibet die veneris totius quadragesimae, ecclesias seu cappellas vel oratoria archiconfraternitatis seu confraternitatum aggregatarum et aggregandarum huiusmodi devote visitaverint, et inibi, prout unicuique suggeret devotio, ad Deum preces effuderint, quoties id fecerint, septem annos et totidem quadragenas; necnon confratribus tam archiconfraternitatis quam confraternitatum aggregatarum et aggregandarum huiusmodi, qui peregrinorum ad dictam Urbem et civitates ac loca, ubi confraternitates aggregatae et aggregandae reperiuntur, ac ad hospitalia pro ipsis peregrinis recipiendis destinata, ad ibi hospitandum confluentium et divertentium pedes laverint, et in mensa iisdem peregrinis caritative ministraverint et inservierint, centum dies; illis etiam confratribus dictae archiconfraternitatis, qui eosdem peregrinos ad ecclesias Urbis huiusmodi pro inibi indulgentiis consequendis associaverint, duos annos de iniunctis sibi poenitentiis, auctoritate praefata, tenore praesentium, misericorditer in Domino concedimus, elargimur et relaxamus.

Facultas eligendi quemcumque confessorem, qui possit eos absolvere a nonnullis criminibus, et vota commutare;

§ 5. Et insuper, ut ipsi confratres et alii christifideles indulgentiarum, remissionum et relaxationum praedictarum, Deo propitio, facilius efficiantur participes, illis et eorum cuilibet, ut temporibus et diebus supradictis quoscumque saeculares vel quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, regulares presbyteros idoneos, ab ordinariis locorum approbatos, in suos possint eligere confessores, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, exceptis contentis in litteris in die Coenae Domini legi consuetis, toties quoties, et

etiam a criminibus in eisdem litteris contentis, semel in vita tantum, et in mortis articulo eadem auctoritate absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem iniungere, necnon vota quaecumque, Hierosolymitani, visitationis liminum eorumdem Beatorum Petri et Pauli apostolorum ac Sancti Iacobi in Compostella, necnon castitatis et Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare.

Statuta et ordinationes condendi

§ 6. Ac postremo eisdem confratribus ut alia quaecumque ordinationes et statuta, felix regimen et prosperum statum ac gubernationem illarum archiconfraternitatis et confraternitatum aggregatarum et aggregandarum praedictarum, rerumque spiritualium et temporalium quomodolibet concernentia, condere et facere, et tam illa quam alia quaecumque licita et honesta ac sacris canonibus et decretis concilii Tridentini non contraria, quoties eis videbitur, immutare, alterare, limitare, corrigere, declarare, modificare et in melius reformare libere et licite valeant, licentiam concedimus et impartimur.

Clausulae.

§ 7. Districtius inhibentes omnibus et singulis, etiam quibusvis commissariis Sancti Spiritus in Saxia, et Sancti Ioannis Lateranensis, etiam S. Rochi de Urbe praedicta, necnon Sancti Bernardi Montis Sionis, et Sanctae Mariae de Populo nuncupatae incurabilium Neapolitanorum, ac Annunciationis Beatae Mariae Virginis Caietanae, aliorumque hospitalium et piorum locorum, necnon quibusvis aliis personis, cuiuscumq. gradus et praeeminentiae fuerint, ne publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, dilectos filios modernos et pro tempore existentes primicerium et custodes, tam archiconfraternitatis quam confraternitatum aggregatarum et aggregandarum praedictarum, vel ab eis etiam pro tempore deputatos, molestare, perturbare, inquietare vel impedire, in toto vel in parte, ullo modo audeant vel praesumant. Ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, contrariis quibuscumque. Quocirca venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis, necnon dilectis filiis eorum in spiritualibus vicariis et officialibus, ac abbatibus, prioribus, capitulis, conventibus, parochialium ecclesiarum rectoribus et eorum vicariis, ac quorumcumque, etiam Mendicantium, Ordinum generalibus, provincialibus et aliis superiorib. ac prædicatoribus, aliisque ad quos spectat et spectare poterit quomodolibet in futurum, tam exemptis, quam non exemptis, ubilibet existentibus, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi et eorum quilibet, quoties pro parte primicerii et custodum aut ab eis deputatorum praedictorum, cum debitis reverentia et honore fuerint requisiti, praesentes litteras, ac earum transumpta, servata forma dicti concilii, recipiant et admittant, ac ab aliis recipi et admitti faciant.

Exceptio pro indulgentiarum consecutione

§ 9. Volumus autem quod, si ecclesiis seu cappellis vel oratoriis praedictis aut alias, ut praefertur, aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, praesentes litterae, quoad indulgentiam per praesentes respective concessam huiusmodi, nullius sint roboris vel momenti.

Fides transumptorum.

§ 10. Et quia difficile foret easdem praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et dicta auctoritate similiter decernimus quod huiusmodi praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii dictae archiconfraternitatis subscriptis, ac sigillo eiusdem archiconfraternitatis munitis, eadem prorsus fides, in iudicio

et extra, adhibeatur, quae ipsis orginalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis. § 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, impartitionis, inhibitionis, mandati, voluntatis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, sexto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 martii 1576, pontif. anno IV.

CLXXXIV.

Confirmatio erectionis confraternitatis nationis Bononiensis in Urbe institutae, cum facultate quotannis liberandi unum carceratum etc. [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, quam supremi Patris filius Iesus Christus, pietatis auctor, instituit, regimini, meritis licet imparibus, praesidentes, pia et salubria fidelium omnium, praesertim nationis Bononiensis, patriae nostrae originariae, sincere nobis exhibita vota, ex quibus divini cultus, praecipue in Urbe, augmentum et animarum salus provenire sperantur, paterno prosequentes affectu, his, quae propterea provide facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robur adiicimus, ut, iuxta ipsius Romanae Ecclesiae praeeminentiam et creditam nobis ex alto coelestis thesauri dispensationem, fideles ipsos, quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia, novis honorum titulis ac spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus, ad pia et meritoria opera exercenda libenter invitemus, ut denique, per eorumdem operum exercitium, macula suorum abolita delictorum, ad aeternae beatitudinis sine fine mansionem feliciter pervenire mereantur.

Facti series. § 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum confratrum confraternitatis dictae nationis Bononiensis in praedicta Urbe pie institutae exhibita nuper petitio continebat quod, cum de proxime praeterito anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, quo sacrum iubilaeum per nos indictum in eadem Urbe celebravimus, quamplurimi christifideles eiusdem nationis, pia devotione ducti, ad Dei laudem et obsequium ac honorem, animarumque suarum salutem, convenientes in unum, et de cultu divino ampliando salubriter cogitantes, Deique servitio ferventius sese mancipare cupientes, unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem nationis huiusmodi in ecclesia Sancti Ioannis Calybitae nuncupati in Insula dictae Urbis ad id per eos acquisita, cum saccis albis, signum crucis in cucula a parte anteriori habentibus, erigendam et instituendam duxerint, ac pro illius statu et directione ac gubernio et regimine diversa statuta, ordinationes et constitutiones condiderint; cupiantque ipsi confratres, ut praedicti christifideles ad praedicta magis incitentur, et eorum devotio magis accrescat quo exinde maiora spiritualia dona adipisci posse cognoverint, confraternitatem et ecclesiam praedictas aliquibus muneribus et gratiis spiritualibus et temporalibus decorari: quare iidem confratres nobis humiliter supplicari fecerunt ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

1 Ex Regest in Secret. Brev.

Confirmatio et denominatio confraternitatis.

§ 2. Nos igitur, pium et laudabile propositum huiusmodi plurimum in Domino commendantes, ac ipsius confraternitatis stabilimento et decori ac ampliationi ac prospero successui paterno affectu consulere volentes; ipsosque confratres et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, confraternitatem praedictam, quam pridem, die videlicet vigesima quarta mensis septembris anni praeteriti, sub invocatione S. Ioannis apostoli et evangelistae, ad Dei laudem et eiusd. Sancti honorem, vivae vocis nostræ oraculo denominavimus, sub eadem invocatione de novo denominamus et perpetuo denominari volumus; ac erectionem et institutionem confraternitatis in ecclesia Sancti Ioannis Calybitae huiusmodi, ut praefertur, factas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque plenarie et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus; necnon ecclesiam ipsam confraternitati et confratribus praedictis perpetuo concedimus et assignamus.

Privilegia confraternitati conceduntur.

§ 3. Et nihilominus confratribus confraternitatis huiusmodi, nunc et pro tempore existentibus, deinceps et quandocumque, ac prout eis videbitur, pro felicis confraternitatis huiusmodi regimine et gubernio ac statu et administratione, quaecumque alia statuta et ordinationes eis benevisa, sacris tamen canonibus et concilio Tridentino non contraria, ac alias licita et honesta, et a dilecto filio praedictae Urbis vicario approbanda, condendi, et tam illa quam etiam alia, tam per eos hactenus, ut praefertur, facta, pro temporum, personarum et locorum qualitatibus, mutandi, alterandi, corrigendi, emendandi, interpretandi et in melius reformandi, illisque addendi, minuendi, ac etiam alia illorum loco de novo faciendi toties quoties ac prout et quandocumque eis videbitur; necnon in festo eiusdem Sancti Ioannis ante Portam Latinam, die sexta mensis maii celebrari solito, unum in Urbe carceratum dictae nationis Bononiensis, si pro tempore reperiatur, quem maluerint, ex quocumque crimine damnatum, citra tamen haeresis, falsae monetae, falsificationis litterarum et supplicationum ac commissionum et aliarum gratiarum apostolicarum, nec non laesae maiestatis et assassinii ac propinati veneni ac etiam incendii ecclesiarum aut aliorum locorum piorum crimina, etiamsi ultimo supplicio plectendus veniret, qui tamen ab haeredibus offensi pacem seu veniam habuerit, ad eorumdem confratrum electionem, quotannis a carceribus educendi, et eductum liberandi, auctoritate et tenore praedictis, plenam et liberam licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Mandantes nunc et pro tempore existentibus dictae Urbis gubernatori et senatori ac causarum Camerae Apostolicae generali auditori et eorum locatenentibus, nec non conservatoribus ceterisque iustitiae ministris, administratoribus et officialibus, ut ad omnem requisitionem et simplicem petitionem et instantiam confratrum praedictorum unum carceratum, per eos, ut praefertur, eligendum, eidem confraternitati in dicto festo relaxent, ac realiter et cum effectu relaxari faciant.

§ 4. Ulterius, confraternitati illiusque confratribus, nunc et pro tempore exi-

Quae aliis communicari possunt.

stentibus praedictis, in perpetuum, ut omnia et singula praedicta quibuscumque aliis confraternitatibus eiusdem nationis Bononiensis, sub eadem invocatione Sancti Ioannis apostoli et evangelistae extra dictam Urbem, tam in Bononiensi quam quibuscumque aliis civitatibus, oppidis, terris, castris, villis et locis, nobis et Romanae Ecclesiae praedictae mediate vel immediate subiectis vel non subiectis, tam in Italia quam extra illam, et in quibuscumque regionibus ac mundi partibus pro tempore erectis, illarumque confratribus et consororibus, ac ecclesiis, altaribus seu cappellis et personis communicare licite possint, eadem auctoritate apostolica, perpetuo concedimus pariter et indulgemus et instituimus ac facimus, constituimus et deputamus.

Concessio indulgentiarum.

§ 5. Praeterea omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus praedictae nationis Bononiensis, qui ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus dictam archiconfraternitatem, solito illius sacco induti, pro tempore ingredientur, die primi illorum ingressus huiusmodi, poenitentibus et confessis ac vere contritis; necnon tam illis quam omnibus et singulis aliis utriusque sexus confratribus archiconfraternitatis huiusmodi, praesentibus et futuris, pro tempore decedentibus, in mortis articulo, si vere poenitentes et contriti fuerint, ut praefertur; ac universis et singulis aliis utriusque sexus christifidelibus, similiter vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam Sancti Ioannis Calybitae praedictam in eiusdem Sancti Ioannis apostoli et evangelistae vigesima septima decembris, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur; illis vero, qui eamdem ecclesiam in Sancti Ioannis ante Portam Latinam praedictam, necnon dicti Sancti Ioannis Calybitae et Sanctorum Marci ac Martae, necnon Audifacis et Abachuc, quorum corpora in ipsa ecclesia Sancti Ioannis Calybitae requiescunt, decima nona ianuarii mensium diebus celebrari solitis festivitatibus, a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet diei festivitatum earumdem inclusive, devote visitaverint annuatim, et pias inibi ad Deum preces pro praedictae S. R. E. conservatione et haeresum extirpatione ac mutua inter christianos principes servanda pace, et alias, prout unicuique suggeret devotio, effuderint, pro qualibet ultimo dictarum festivitatum, qua id pro tempore egerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Clausulae.

§ 6. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si archiconfraternitatem praedictam ingredientibus et seu confratribus dictam ecclesiam Sancti Ioannis Calybitae visitantibus praedictis aliqua alia indulgentia, in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, eaedem praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, denominationis, approbationis, confirmationis, adiectionis, suspensionis, assignationis, concessorum impartitionis, mandati, indulti, erectionis, creationis, facti, institutionis, constitutionis, deputationis, elargitionis, relaxationis et voluntatis infringere. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 aprilis 1576, pontif. anno IV.

CLXXXV.

Communicatio et extensio indulgentiarum et privilegiorum concessorum hospitali Ioannis de Dios *Granatensi ad quaecumque alia hospitalia quibusvis in locis ad instar dicti hospitalis instituenda* [1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In supereminenti Sedis Apostolicae specula, disponente Domino, constituti, ea, quae pro hospitalium aliorumque piorum locorum felici statu, ac personarum ibidem, fallacis huius mundi repudiatis illecebris, sub suavi Religionis iugo virtutum Domino famulantium, ac pietatis et charitatis operibus vacantium, animarum salute provide concessa fuisse dicuntur, libenter, cum a nobis petitur, ad alia eiusdem instituti hospitalia et personas favorabiliter extendimus, ac alias super his providemus, prout, locorum et personarum qualitate pensata, id conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§ 1. Dudum siquidem per felicis recordationis Pium Papam V, praedecessorem nostrum, accepto quod alias quondam Ioannes de Dios, dum in humanis ageret, devotione ductus, inter alia multa bona opera quae exercuerat, ex eleemosynis, quae a christifidelibus sibi elargiebantur, non multo ante eius obitum, in civitate Granatensi unum hospitale insigne, *Ioannis de Dios della Pot* nuncupatum, de loci ordinarii licentia, instituerat; et, post eius obitum, dictum hospitale prope et extra muros eiusdem civitatis canonice translatum fuerat, et in praefati hospitalis regimine ac administratione alii successerant, qui, eiusdem Ioannis exemplo et simili devotione moti, ipsius hospitalis et pauperum in eo degentium gubernio, manutentioni et substentationi assidue incumbebant, ac in illo aderant ducenti et quinquaginta pauperes vel circa, omni infirmitatum genere laborantes, neque in ea civitate, nec etiam in toto regno Granatensi aliquis similis reperiebatur locus, in quo charitatis opera ita abunde exercerentur, cum in eo annis singulis summa decem millium ducatorum vel circa exponeretur ex eleemosynis quoque, quae per dilectos filios confratres ipsius hospitalis colligebantur, et a christifidelibus ibidem erogabantur.

Facti series.

§ 2. Et tunc proxime lapsis temporibus, in bello Granatensi, praedicti confratres multa bona opera erga christianos milites exercuerant, lectos, medicinas et alia necessaria illis subministrando, infirmos et vulneratos medicorum curae supponendo, eosque bene tractando, ac semper magna charitate christianorum exercitus sequendo, necnon infirmis et vulneratis necessaria pro viribus ministrando; et ex singulari zelo servitii Dei omnem curam in praedicti hospitalis pauperibus curandis, absque aliqua mercede, impendebant; idem praedecessor, motu proprio, non ad confratrum ipsorum seu aliarum personarum dicti hospitalis pro eis dicto praedecessori oblatae petitionis instantiam, sed ex mera eius liberalitate, per suas litteras omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, tam extraneis quam indigenis, ac tam pauperibus quam divitibus, in eodem hospitali pro tempore pro sui cura existentibus, de se curari facientibus, qui die sexta idus augusti vel etiam tempore publicationis dictarum litterarum dictum hospitale essent ingressi, infra tempus a dictis confratribus post publicationem earumdem litterarum statuendum; qui vero deinceps ingrederentur, in principio illorum ingres-

Confratrum dicti hospitalis erga infirmos merita.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

sus huiusmodi; et similiter confratribus, administratoribus, servitoribus et aliis personis dicti hospitalis, qui pro tempore infirmarentur, etiam in principio infirmitatis seu durante infirmitate huiusmodi, etiam quod ipsi et alii omnes supradicti non essent in mortis articulo constituti, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, tam dicti hospitalis quam quemcumque alium presbyterum, tam saecularem quam cuiusvis Ordinis regularem, a loci ordinario approbatum in eorum possent eligere confessorem, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, eos et eorum quemlibet, qui poenitentes existerent, a quibuscumque delictis et criminibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam praedictae Sedi reservatis, necnon in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, exceptis tamen casibus haeresis, schismatis, conspirationis in Romanum Pontificem aut Statum Romanae Ecclesiae, falsificationis litterarum aut supplicationum vel commissionum apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac iniectionis manuum violentarum in episcopos aut praelatos vel superiores ecclesiasticos, absolvere, eisque pro praemissis poenitentiam salutarem iniungere auctoritate apostolica posset et valeret, indulsit.

Indulgentiae hospitale visitantibus concessae centum dierum toties quoties, et bis-centum festis diebus.

§ 3. Utque hospitale huiusmodi et illius ecclesia congruis frequentaretur honoribus, ac in debita reverentia haberetur, necnon christifidelium animarum saluti fructuosius consuleretur, ipsique christifideles eo libentius ad hospitale et ecclesiam huiusmodi, devotionis causa, visitandum confluerent, quo exinde coelestis gratiae dono uberius conspicerent se refectos, motu simili omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui pro tempore dictam ecclesiam visitarent, et in ea preces, tam pro se quam, per modum suffragii, pro defunctis Deo effunderent, quoties id egissent, quandocumque, etiam in quibuscumque diebus, in perpetuum, toties centum dies, et in diebus festivis ducentos dies de iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in Domino misericorditer relaxavit. Quam relaxationem etiam suffragari voluit iis, qui aliquam servitutem in praedicto hospitali infirmis facerent aut illos visitarent, qualibet vice qua id seu ea vel eorum quodlibet pro tempore agerent.

Aliae indulgentiae quae etiam defunctis ad modum suffragii possint applicari.

§ 4. Necnon omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam praedictam vel eius cappellam in duabus diversis festivitatibus in anno, per dictos confratres in eorum arbitrio pro tempore eligendis, a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet diei festivitatum earumdem inclusive, devote visitarent, annuatim, durante quinquennio tunc proximo venturo, et ibi pro pace inter principes christianos servanda, vel alias, prout unicuique suggereret devotio, similiter ad Deum preces funderent, quoties id agerent, toties, pro qualibet dictarum festivitatum, septem annos et totidem quadragenas verae indulgentiae de poenitentiis praedictis relaxavit; et si pro defunctis visitarent, relaxationem huiusmodi etiam eisdem defunctis per modum suffragii opitulari voluit.

Plenaria indulgentia in mortis articulo administratoribus etc. concessa.

§ 5. Ac insuper motu pari eiusdem hospitalis administratoribus, rectoribus, gubernatoribus, confratribus et ministris ac servitoribus et familiaribus utriusque sexus, tunc et pro tempore existentibus, in perpetuum, qui vere poenitentes et confessi in eodem hospitali sive etiam in eorum domibus propriis vel extra ubilibet; pauperibus vero et infirmis qui in dicto hospitali pro tempore decederent, ac ipsius hospitalis benefactoribus, necnon etiam confratribus confraternitatis sub

invocatione Sancti Spiritus in ecclesia dicti hospitalis canonice institutae, sive in ipso hospitali sive extra pro tempore decedentibus, in eorum et cuiuslibet eorum mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concessit; utque illam eo purius consequi possent, similiter omnibus supradictis, ut tam dicti hospitalis rectorem quam quemcumque alium presbyterum idoneum, etiam ab eodem ordinario approbatum, in eorum possent eligere confessorem, qui eos et eorum quemlibet a quibusvis delictis et criminibus, etiam Sedi praedictae reservatis, ac etiam in litteris die Coenae huiusmodi legi solitis contentis, casibus supradictis exceptis, absolvere valeret.

Privilegia confessionum, aliorum tempore interdicti aliaque.

§ 6. Necnon tam infirmis et aliis pauperibus, quam administratoribus, rectoribus, gubernatoribus, confratribus, ministris, servitoribus et familiaribus et aliis personis eiusdem hospitalis tunc et pro tempore existentibus, peccata sua presbyteris dicti hospitalis confitendi, et ab eisdem Eucharistiae et Extremae Unctionis omniaque et singula alia ecclesiastica sacramenta recipiendi; necnon missas et alia divina officia ac omnes horas canonicas, nocturnas pariter et diurnas, in hospitali illiusque ecclesia et cappella praedictis, tam alta quam submissa voce, per cappellanos eiusdem hospitalis et alios presbyteros et clericos illuc confluentes et intervenientes, palam et publice celebrari, ac etiam tam pro illis quam pro aliis occurrentiis campanas pulsari; necnon, etiam tempore interdicti, etiam dicta apostolica auctoritate appositi, ac etiam cuiuscumque cessationis a divinis, tam administratorum, rectorum, gubernatorum, confratrum, ministrorum, servitorum et familiarium, quam infirmorum et aliorum pauperum aliarumque personarum dicti hospitalis pro tempore decedentium cadavera in loco sacro, cum pompa moderata, iuxta personarum qualitatem, ecclesiasticae sepulturae tradi, et in altaribus hospitalis illiusque ecclesia et cappella huiusmodi missas et alia divina officia, clausis tamen ianuis, in supradictarum personarum praesentia, per quoscumque presbyteros celebrari faciendi, necnon illa audiendi, similiter facultatem concessit.

Aliae indulgentiae statis diebus lucrandae.

§ 7. Iis quoque, qui, sive pro defunctorum suffragio sive alias, ex devotionis fervore, annis singulis, prima dominica quadragesimae, ac Beati Ioannis Baptistae ac Domini nostri Iesu Christi Nativitatum festivitatibus hospitale praedictum visitarent, quoties facerent, toties centum dies; qui vero dicto hospitali et illius pauperibus pro sua devotione, absque aliqua mercede, pro tempore deservirent, quotiescumque Sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumerent, toties centum dies; ac insuper omnibus et singulis utriusque sexus personis, quae dictum hospitale cum aliquo panno laneo veteri pro infirmis curandis adiuvarent, pro qualibet vice, centum dies et in diebus festivis ducentos dies similiter de poenitentiis praedictis relaxavit.

A iurisdictione parochiali hospitale in pluribus exemptum.

§ 8. Ac praeterea dictum hospitale et eius personas seu agentes a parochiali, infra cuius limites dictum hospitale consistebat, et aliarum quarumvis ecclesiarum illarumque rectorum et in eis beneficiatorum iurisdictione et superioritate, ratione perceptionis eleemosynarum, oblationum, legatorum et relictorum piorum ac aliorum iurium et obventionum quorumcumque, quae eidem hospitali ecclesiaeque ipsius, ex quorumcumque christifidelium largitione, tam in Omnium Sanctorum et Commemorationis Defunctorum, quam aliis quibuscumque festivitatibus et diebus, provenirent, attento quod dictum hospitale rectorem proprium ha-

bebat, ecclesiastica sacramenta omnibus in eo existentibus ministrantem, ita quod parochialis seu aliarum ecclesiarum praedictarum rectores vel beneficiati nihil in dicto hospitali agere tenerentur, etiam motu simili, perpetuo penitus exemit et totaliter liberavit, ac dicti hospitalis administratores ad aliquam eleemosynarum et relictorum aliorumque praedictorum solutionem cuique faciendam minime teneri nec cogi posse, sed eleemosynas et relicta aliaque praemissa in substentationem et subventionem pauperum dicti hospitalis converti debere decrevit, inhibitione et irritanti ac etiam aliis decretis desuper appositis, prout in dictis litteris plenius continetur.

Causa praesentis constitutionis edendae.

§ 9. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii maioris confratris dicti hospitalis petitio continebat, ad dicti hospitalis instar, unum in Hispalensi, et aliud in Cordubensi civitatibus, aliudque in de Madrid, ac aliud in de Lucena oppidis, Toletanæ et Cordubensis diœcesum, ac plura alia in diversis Indiarum maris Oceani provinciis similia hospitalia hactenus, Deo auxiliante, a diversis christifidelibus de bonis a Deo collatis, pro similibus christifidelibus infirmis et pauperibus recipiendis, alendis et curandis, ab eisdem confratribus, qui, ex Sedis Apostolicae auctoritate, sub Regula Sancti Augustini, Ordinem eiusdem S. Augustini expresse profitendo emittere solent, militare noscuntur, non sine maximo et continuo charitatis exercitio, christifidelium pauperum languentium auxilio et refrigerio, regi et gubernari solita, canonice instituta fuerint, ac etiam in dies, Deo permittente et christifidelium charitate crescente, in futurum in diversis orbis christiani regionibus aedificari sperentur; pro parte eiusdem maioris confratris nobis fuit humiliter supplicatum quatenus praedictis hospitalibus, hactenus, ut praemittitur, instar primo dicti hospitalis institutis et in futurum ubilibet instituendis, omnia et singula privilegia, facultates, indulta, exemptiones, libertates, immunitates, indulgentias et peccatorum remissiones, relaxationes et alias quascumque gratias, tam spirituales quam temporales, primo dicto hospitali, ut praemittitur, concessa, communicare, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Extensio praedictorum privilegiorum ad alia hospitalia eiusdem Ordinis.

§ 10. Nos igitur, qui pietatis et charitatis opera latius ubique propagari sincero desideramus affectu, praedictum maiorem confratrem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis hospitalibus praedictis, tam in Hispaniarum regnis quam in Indiis maris Oceani huiusmodi et totius christiani orbis civitatibus, oppidis et locis in posterum, ad instar primo dicti hospitalis, canonice instituendis, omnia et singula privilegia, facultates, indulta et gratias, tam spirituales quam temporales, primo dicto hospitali, ut praefertur, concessa, ita quod illis omnibus et singulis hospitalia huiusmodi illorumque maiores et alii confratres ac infirmi et aliae personae illis inservientes, eaque et eorum ecclesias visitantes, ac in eis ab humanis decedentes, eorumque sepulturas ibidem eligentes, uti, frui, potiri et gaudere libere ac licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si eis specialiter et expresse concessa fuissent, apostolica auctoritate, tenore praesentium, communicamus ac ad illa extendimus et ampliamus.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus

Contrariorum derogatio. et ordinationibus apostolicis, ac primo dicti hospitalis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon omnibus illis, quae dictus praedecessor in ipsis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 12. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad omnia et singula quaeque hospitalia aliaque loca supradicta, dum opus erit, deferri, volumus etiam et apostolica auctoritate praedicta decernimus quod earumdem praesentium transumptis seu copiis impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo *etc.* (Transumptorum fides.)

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, communicationis, extensionis *etc.* (Omnino.)

Datum Tusculi, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, quarto kalendas maii pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 aprilis 1576, pontif. anno IV.

CLXXXVI.

Institutio congregationis clericorum saecularium de Oratorio nuncupatae, in ecclesia Sanctae Mariae de Vallicella de Urbe.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Copiosus in misericordia Dominus et in cunctis gloriosus operibus, a quo omnia dona defluunt, ad hoc nobis, licet immeritis, suae Sponsae universalis Ecclesiae regimen committere, et nostrae debilitati iugum apostolicae servitutis imponere voluit, ut, inter alias multiplices curas, operarios, quos ipse Dominus in messem suam, multitudinem utique magnam populorum, ad fructum divinae gratiae dispositam, ne pereat, quotidie pro sua misericordia dignatur emittere, conducere non differamus, eosque ad suscipiendam ipsius Domini misericordiam in medio templi sui, eiusque vias christifidelibus demonstrandum, eorumque corda divinorum sermonum declaratione illuminandum, novas etiam interdum piorum virorum congregationes propterea constituendo, nostræ sollicitudinis ope apostolicisque favoribus propensius excitemus.

§ 1. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiast., cum cura et sine cura, apud Sedem Ap. tunc vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostræ reservavimus. Decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Cum itaque postmodum parochialis ecclesia B. Mariae Vallicellae nuncupatae, regionis Pontis seu Parionis de Urbe, per liberam resignationem dilecti filii Antonini de Adiuto, nuper ipsius ecclesiae rectoris, de illa quam tunc obtinebat in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam, apud Sedem eamdem vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illa praeter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis. Et, sicut dilectus filius Philippus Nerius, presbyter Florentinus ac praepositus nonnullorum presbyterorum et clericorum saecularium, tam suo quam aliorum presbyterorum et clericorum praefatorum nominibus, nobis nuper exposuit, hi in ipsa ecclesia introduci cupiant, ac ita, illis gratia assistente divina, circa missarum et aliorum divinorum officiorum in eadem ecclesia celebrationem, et verbi Dei populo inibi interessenti praedicationem, aliaque salubria monita ad salutem animarum christifidelium procurandam et quamplurima pietatis opera exercenda intendere sperent, ut ex eorumdem presbyterorum et clericorum

Philippus Nerius supplicat Papae pro erectione congregationis clericorum saecularium de Oratorio nuncupanda in Urbe.

laudabili vita et doctrina dilecti filii ipsius ecclesiae parochiani non parvam consolationem spiritualem suscepturi sint, si in eadem ecclesia una congregatio presbyterorum et clericorum, de Oratorio nuncupanda, perpetuo erigeretur et institueretur, ipsaque ecclesia cum onere curae animarum ipsius parochianorum praefatorum eidem congregationi concederetur, ex hoc profecto divinus cultus, ac ministrorum ecclesiasticorum numerus in ea, ad Dei laudem et eorumdem christifidelium animarum salutem, maximum susciperet incrementum. Quare dictus Philippus, asserens dictae ecclesiae et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus, super quibus pensio annua quadraginta scutorum monetae certae personae ecclesiasticae illam annuatim percipienti, apostolica auctoritate, ut dictus Philippus etiam asserit, reservata existit, centum et triginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, eisdem nominibus nobis humiliter supplicavit quatenus praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Qui illam erigit;

§ 2. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique divini cultus augmentum et christifidelium animarum salutem sinceris desideramus affectibus, pium et laudabile Philippi praepositi ac presbyterorum et clericorum praefatorum desiderium summopere commendantes, ipsosque Philippum praepositum ac presbyteros et clericos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in dicta ecclesia unam congregationem presbyterorum et clericorum saecularium, de Oratorio nuncupandam, sine alicuius praeiudicio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Eique parochialem in Urbe ecclesiam S. Mariae in Vallicella, cum omnibus suis bonis, introitibus et iuribus, concedit;

§ 3. Illique sic erectae et institutae ecclesiam praefatam, sive praemisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem resignationem dicti Antonini vel cuiusvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII, praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit quod eius collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem praefatam legitime devoluta, ipsaque ecclesia dispositioni apostolicae specialiter vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, cum onere curae animarum illius parochianorum praefatorum, aliisque omnibus et singulis oneribus et honoribus, ac annexis, necnon omnibus bonis, censibus, iurisdictionibus, fructibus, redditibus et proventibus, aliisque iuribus et pertinentiis suis, eidem congregationi, auctoritate apostolica et tenore praefatis, etiam perpetuo, concedimus et assignamus: ita quod liceat ipsi congregationi illiusque rectori, presbyteris, clericis et procuratoribus seu agentibus vel deputatis, per se vel alium seu alios, eorum et dictae congregationis nomine, ecclesiae et annexorum ac bonorum iuriumque et pertinentiarum praefatorum corporalem, realem et actualem possessio-

nem propria auctoritate libere apprehendere et etiam perpetuo retinere, curamque animarum eidem ecclesiae imminentem per seipsos presbyteros seu unum vel plures ex eis, sive per alium vel alios presbyteros, illis tamen prius a dilecto filio nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis in dicta Urbe et eius districtu vicario in spiritualibus generali seu Sede praefata approbatis, exercere vel exerceri, eidemque ecclesiae in divinis deservire seu deserviri facere, illiusque fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac in suos et congregationis ac ecclesiae praefatarum usum et utilitatem convertere.

Facultatemque ordinationes pro salubri statu suo condendi et immutandi tribuit;

§ 4. Necnon eidem congregationi illiusque rectori ac presbyteris et clericis pro tempore existentibus, ut, pro salubri statu et directione ecclesiae et congregationis huiusmodi illiusque personarum, quaecumque statuta et ordinationes rationabilia, honesta ac sacris canonibus et concilio Tridentino non contraria edere, et edita reformare, limitare et mutare ac alia de novo condere, prout et quoties eis secundum rerum et temporum qualitates videbitur expedire, quae quidem statuta et ordinationes, postquam edita, reformata, limitata et mutata ac de novo condita fuerint, a Sede praefata approbari, et per singulares personas de gremio dictae congregationis existentes inviolabiliter observari debeant, libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica et tenore praefatis indulgemus, liberamque desuper facultatem concedimus et elargimur.

Clausulas praeservativas apponit;

§ 5. Decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, etiam ex eo quod interesse praetendentes vocati non fuerint, notari, impugnari aut in ius vel controversiam vocari nullatenus posse neque debere, minusque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, annullationibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus a Sede praefata, etiam in favorem quorumvis quomodolibet emanatis et emanandis, nullatenus comprehendi posse aut debere; necnon, quoad concessionem et assignationem, prout est et attentatum forsan est hactenus, ac tam quoad illas quam omnia alia supradicta, ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris patriarchae Alexandrino, ac Amerino et Aquinatensi episcopis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte Philippi praepositi ac congregationis praefatorum et singularum illius personarum nunc et pro tempore existentium seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac singulos, quos ipsae litterae concernunt, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Contraria omnia removet.

§ 7. Non obstantibus priori voluntate nostra praefata, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis venerabili fratri nostro Alexandro episcopo Tusculano, cardinali

Farnesio nuncupato, ad quem, ratione ecclesiae S. Laurentii in Damaso, etiam de Urbe, aut alias dictae ecclesiae S. Mariae Vallicellae, dum vacat, collatio, provisio, praesentatio et omnimoda alia dispositio pertinet, ac dilectis filiis populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine ac fratrum nostrorum consilio, etiam iteratis vicibus, etiam per recolendae memoriae Leonem Papam X aliosque Romanos Pontifices similiter praedecessores nostros, ac forsan etiam nos et Sedem praefatam concessis, approbatis et innovatis, illis praesertim, quibus inter alia caveri dicitur expresse quod de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis dictae Urbis, vacatione illorum pro tempore occurrente, aliis quam civibus Romanis et originariorum civium Romanorum filiis et forsan alias certo modo qualificatis provideri vel alias disponi non possit, et aliter de illis, etiam per Sedem praefatam, pro tempore factae collationes, concessiones, uniones et aliae dispositiones nullius sint roboris vel momenti; quodque eisdem privilegiis et indultis nullatenus aut non nisi modo et forma in illis expressis derogari aut derogatum censeri possit, et si illis aliter derogari contingat, derogationes huiusmodi nemini suffragentur. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quaevis expressio habenda, aut aliqua etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus. Quodque de gremio dictae congregationis diversae personae ex dicta Urbe oriundae vel alias iuxta dicta statuta qualificatae non existant, contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in ipsa Urbe speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras et processus habitos per easdem et inde sequuta quaecumque ad dictam ecclesiam B. Mariae volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum aliorum, praeiudicium generari. Et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso quod ipsa ecclesia Sanctae Mariae debitis propterea non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed illius congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo omnino *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, idibus iulii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 iulii 1575, pontif. anno IV.

CLXXXVII.

Confirmantur privilegia militiae Sanctorum Mauritii et Lazari[1].

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pro apostolicae servitutis onere, et no- Exordium.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

bis commissa omnium Christi populorum cura, magna cor nostrum exultat laetitia, cum in iis, quae ad Dei fidem et gloriam propagandam instituta et directa sunt, susceptum consilium re ipsa comprobatur, et, largiente Domino, optatum cernitur incrementum. Quod nuper usu venisse compertum est de militiis Sanctorum Mauritii et Lazari, sub Regula Sancti Augustini pridem a nobis, postquam alteram institueramus, suadente necessitate, coniunctis, ex quibus, ut tam egregium de se virtutis specimen emicuit, ita maiora in dies speramus reipublicae christianae commoda proventura.

Facti series. § 1. Quidem ante biennium cum dilectus filius nobilis vir Emmanuel Philibertus, Sabaudiae dux, magnus dictarum militiarum magister, pro sua pietate et prudentia, consideratis diligenter periculis quae Sabaudiae et ceteris ditionis suae populis ab haereticis circumiacentibus, et praesertim ab Geneva, haeresum fonte, imminebant, nobis exponi fecisset se, ad haec mala propulsanda, et ad tuendam augendamque religionem catholicam in locis sibi subiectis, cupere ut, ex delectis omnis generis christiani populi militibus, una, ex sancta huius Sedis auctoritate, militia sub B. Mauritii martyris eiusdem ducis antecessorumque ipsius praecipui protectoris nomine conficeretur. Nos, optimo illius consilio ac ipso maioribusque eius clarissimis et praestantissimis principibus digno animo commendato, prospicientes ipsam sic constituendam militiam maximo usui et praesidio fore non solum Sabaudiae et Pedemontis provinciis, sed toti etiam Italiae, ad sustinendos et propellendos quosvis haereticorum et infidelium impetus, ac opportunissimum ibi propugnaculum, munimentum et auxilium habituros, nosque et Ecclesiam Romanam ac universam christianam rempublicam ex ipso militiae robore, maximaque talis ducis virtute ac summa rerum bellicarum peritia, magnum adiumentum recepturos esse, dictique Emmanuelis Philiberti ducis supplicationibus inclinati, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ac fidei catholicae in dictis Sabaudiae et Pedemontis regionibus defensionem, ac universae Italiae totiusque christianae reipublicae salutem et commodum, unam militiam, sub invocatione Sancti Mauritii martyris et Regula Cisterciensi, per universum christianum orbem, cuius suprema sedes et militum conventus in loco ab eodem Emmanuele Philiberto duce in Sabaudia statuendo et assignando perpetuo esset; et in ipsa militia unum magistratum magnum vocandum, supremam eiusdem militiae dignitatem, pro uno magistro, qui illius caput esset, cum eo, qui sibi expedire videretur, militum et ministrorum numero, qui milites, cum unica tantum et virgine coniugati, ad habitum et professionem regularem admitti, seu qui pro tempore admissi forent matrimonium cum simili virgine et unica dumtaxat contrahere possent, alias vero ipsi castitatem coniugalem et obedientiam expresse profiterentur; cum mensa magistrali, officiis, iuribus, iurisdictionibus et insignibus consuetis, ad aliarum huiusmodi militiarum instar, ex tunc prout postquam ipse Emmanuel Philibertus dux dotem annui reditus quindecim millium scutorum de propriis et patrimonialibus bonis suis illi constituisset, et e contra, auctoritate apostolica perpetuo ereximus et instituimus, ac illi sic erectae eiusque mensae dictam dotem quindecim millium scutorum etiam perpetuo applicavimus et appropriavimus, ita ut liceret eidem Emmanueli Philiberto duci et pro tempore existenti magno magistro bonorum dictae dotis corporalem possessionem seu quasi libere apprehendere et perpetuo retinere,

fructusque et proventus in suos et dictae militiae usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia minime requisita.

Magistratum Ordinis Sabaudiae ducibus assignatum, et omnia ad Ordinem ipsum necessaria praestanda concessa.

§ 2. Et nihilominus magistratum praedictum ab eius primaeva erectione vacantem, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, praedicto Emmanueli Philiberto duci eiusque successoribus omnibus Sabaudiae ducibus, qui pariter magni magistri essent, in perpetuum concessimus et assignavimus; ipsis praeterea et eorum singulis liberam facultatem tribuimus ut, quot illis visi forent, milites nobiles aut optima virtute cognitos, vel alios pro eorum arbitrio vel statuto qualificatos, ex omnibus nationibus, post factam ab ipsis, iuxta formam litteris nostris adnotatam, catholicae fidei professionem, ad habitum et regularem professionem admittere, ac etiam in quibuscumque mundi partibus prioratus, baiulivatus, praeceptorias et alia beneficia dictae militiae erigere, eiusque sic erectis patrimonialia et laicalia bona eorum, qui illa relinquere voluissent, dotis nomine assignare. Iuspatronatum fundatoribus seu dotatoribus id petentibus valide reservare, quod sic reservatum idem robur eamdemque vim et efficaciam obtineret, quam haberet si a nobis concessum fuisset. Necnon provincias et nationes dividere, et ex erigendis dictae militiae beneficiis, quae prioratus, quae praeceptoriae, quae superiora vel inferiora beneficia esse; eaque et eorum singula quos fructus habere; et tam ipsa quam illa obtinentes quae onera supportare; ad illa quoque admittendi quibus qualitatibus suffulti et quibus legibus subiacere deberent, aliaque ad usum militiae huius necessaria decernere et declarare; atque tam de praedictis quam aliis quibuscumque rebus et negotiis occurrentibus quaecumque statuta condere, facere et ordinare, illaque, postquam condita et ordinata forent, quotiescumque visum fuisset, pro eorum arbitrio et voluntate interpretari, mutare, alterare, limitare, corrigere, seu in meliorem formam reducere, aut in totum delere, aliaque de novo edere, et quascumque poenas apponere, et ad illorum executionem procedere valerent.

Causa ... stitutionis ... dendae, de q... mentionem ... cit.

§ 3. Postea autem, considerantes istam sic de novo erectam militiam Sancti Mauritii magnos fructus, tali praesertim ductore atque magistro, fidei catholicae esse allaturam, sed multo tamen uberiores, si aliis fulciretur et muniretur adiumentis et auxiliis; ac propterea cernentes militiam hospitalis Sancti Lazari Hierosolymitani, sub Regula Sancti Augustini, iam pridem magistri regimine destitutam, nobilem quidem et antiquam, sed ipsa vetustate ac temporum iniuria valde deiectam et prolapsam esse, optimum nobis visum est si hanc veterem illi novae et recens nascenti adiungeremus, ut, quod una in ipso initio per se agere perfecte non posset, alterius adiuta auxilio, et viribus geminatis, fortior esset ad agendum, atque citius et facilius optatos ecclesiae Dei et christiano populo fructus afferre posset; id vero facere instituimus cum eo quod Emmanuel Philibertus et pro tempore existens dux et magister praedictus, annexionis huiusmodi ratione, duas triremes dictis militibus instructas, pro Sedis Apostolicae defensione, contra haereticos, infideles, piratas et quoscumque alios eius hostes, continue de suo manutenere deberet. Quare, motu proprio et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, militiam Sancti Lazari praedictam, cum illius magistratu ac omnibus et quibuscumque illius prioratibus, praeceptoriis, hospitalibus et aliis beneficiis regularibus, eorumque membris, grangiis, castris, villis, domibus, possessioni-

bus, proprietatibus, fructibus et bonis, tam mobilibus quam immobilibus ac se moventibus, iuribus et actionibus universis, necnon ecclesiis, cappellis, terminis et pertinentiis quibuscumque ad dictam militiam Sancti Lazari spectantibus, quaecumque, quotcumque, qualiacumque essent, non tamen aliis ecclesiis, piis locis et militiis canonice unita, quae ab his, quibus unita sunt, avocari, aut illorum ratione, quemcumque molestari noluimus, eidem militiae Sancti Mauritii, quae in posterum militia Sanctorum Mauritii et Lazari nuncuparetur, ita perpetuo univimus, annexuimus et incorporavimus, ut postea in perpetuum praedictus Emmanuel Philibertus et pro tempore existens Sabaudiae dux militiae Sanctorum Mauritii et Lazari magister esset et appellaretur. Ac prioratus, praeposlturae et alia beneficia militiae Sancti Lazari, et ea obtinentes, aliique milites, servientes, cappellani et personae curae, gubernationi et iurisdictioni ipsius ducis et magni magistri in omnibus et per omnia subessent, prout suo antea magistro suberant, eique tamquam membra capiti obedirent et obsequerentur; liceretque eidem duci et magistro corporalem possessionem militiae Sancti Lazari eiusque magistratus et aliorum unitorum praedictorum, per se vel alium seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, fructusque, redditus et proventus in suos et dictae militiae usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia minime requisita.

Novum habitum dandi facultas duci concessa.

§ 4. Insuper iis qui praeceptorias Sancti Lazari in titulum seu commendam vel aliter quovis modo obtinerent, habitum per dictum ducem et magistrum militibus Sanctorum Mauritii et Lazari designandum suscipiendi, et eidem Emmanueli Philiberto duci et magistro iis, qui habitum Sancti Lazari iam susceperant et deferebant, novum, dimisso antiquo, volentibus tradendi: eos vero, qui dictum Sancti Lazari habitum nondum susceperant, ad novum habitum, ut praefertur, designandum suscipiendum et deferendum opportunis remediis compellendi auctoritatem concessimus; volentes etiam et dicta auctoritate apostolica statuentes eumdem Emmanuelem Philibertum et pro tempore existentem ducem et magnum magistrum in perpetuum, unionis illius ratione, ad duas triremes dictis militibus instructas, pro nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis ac Sedis Apostolicae contra praedictos et quoscumque alios defensione, continue manutenendas teneri, et ad id efficaciter obligatum esse. Postremo, ne post dictam unionem Regularum diversitas incommodo esset, statuimus ut deinceps Regula Sancti Augustini ab omnibus dictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari militibus ubique servaretur, quemadmodum diversis nostris litteris desuper confectis plenius continetur. Nos pro fiducia, quam in ipsius Emmanuelis Philiberti ducis et magni magistri virtute et propagandae religionis studio habemus, animum nostrum in id libenter intendimus, ut illum et dictam militiam Sanctorum Mauritii et Lazari privilegiis, ut fert temporum ratio, fulciamus.

Veterum privilegiorum confirmatio, et nova aliorum concessio.

§ 5. Quare, cum felicis recordationis Pius Papa IV, quarto nonas maii, pontificatus sui anno sexto, multa privilegia, gratias, facultates et indulta hospitali Sancti Lazari illiusque magistro, praeceptoribus, fratribus et personis confirmaverit et ampliaverit, et alia concesserit, eademque etiam Pius Papa V, quinto idus februarii, pontificatus sui anno primo, motu proprio comprobaverit, paucis quibusdam recisis, aliis restrictis, ac rursus Religione Sancti Lazari, ob copiam hu-

iusmodi privilegiorum diffluente, idem Pius Papa V, septimo kalendas februarii, anno secundo eiusdem sui pontificatus, novam formam dictis privilegiis praescripserit, quibusdam sublatis, nonnullis moderatis et declaratis, aliis vero mutatis et antiquatis. Nos, ne illa toties ante erectionem praedictae militiae Sancti Mauritii ad usum et commodum hospitalis Sancti Lazari, illiusque locorum et personarum dumtaxat concessa, referta et refecta cum praesentibus confusionem faciant, sed ut unica hac deinceps privilegiorum, gratiarum, facultatum et indultorum formula militiae Sanctorum Mauritii et Lazari accommodata habeatur, de apostolicae potestatis plenitudine, omnia privilegia, gratias, facultates et indulta supradicta, quibuscumque illa concepta sint modis, ac clausulis et decretis roborata, ad praesentium formam omnino reducimus, decernentes, iis dumtaxat praesentibus de cetero utendum esse; nec non irritum et inane quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Sub Sedis Apostolicae protectione suscipit Ordinem eiusque professores.

§ 6. Ceterum, cognita quotidie magis virtute dicti Emmanuelis Philiberti ducis et magni magistri, propensoque in nos et dictam rempublicam christianam animo, cum in ceteris, tum maxime in comparandis sedulo dictis triremibus, eisdemque strenuorum militum manu instruendis, qui et praelio et tutandis maritimis oris, rempublicam ipsam christianam egregie adiuverunt, prosperos et felices dictarum militiarum successus ad Dei gloriam et Sedis praedictae tutelam vehementer optantes, suscipimus in perpetuum sub nostra et Beati Petri protectione nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus militiam praedictam Sanctorum Mauritii et Lazari, ac illorum magnum magistrum, priores, praeceptores, milites fratres, etiam presbyteros, et personas, eorumque subditos, vassallos, colonos et servitores intra regularia dictae militiae loca degentes, ac etiam curam animarum exercentes, salvis tamen concilii Tridentini decretis, quamdiu illam exercuerint, et in illorum obsequiis fuerint; necnon prioratus, praeceptorias, ecclesias, hospitalia, domos, grangias, praedia, fabricas, molendina, animalia et alia bona quaecumque ipsius militiae Sanctorum Mauritii et Lazari, et quae illi ab ea obtinent et possident ac in futurum, dante Domino, canonice obtinebunt.

Exemptio dioecesanis.

§ 7. Ac iuxta terminos dicti concilii tantum, et salvis illius decretis, eximimus et liberamus illos, illas et illa ab omni iurisdictione, correctione, superiorate, dominio et potestate quorumcumque patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum et locorum ordinariorum, necnon dominorum temporalium, quavis, etiam ducali, regali et imperiali potestate fulgentium, ac etiam Universitatum et illarum regentium aliorumque, praeterquam militiae praedictae Sanctorum Mauritii et Lazari superiorum, in quacumque dignitate, statu, gradu, ordine et conditione, ac ubicumque gentium, tam citra quam ultra mare et montes, constitutorum, illorumque vicariorum, officialium, locatenentium et iudicum praesentium et futurorum.

Necnon a solutione gabel[lae] datii etc.

§ 8. Necnon a solutione, ratione passagii, arreragii, gabellae, datii, collectae, procurationis, iucundi adventus, iurium, etiam synodalium, censuum, decimarum, novalium, hortorum, pratorum, piscationum et molendinorum, ac quod nulli eorum accessus directe vel indirecte prohiberi possit, ac etiam terrarum, quas per se ipsos, vel etiam colonos, arrendatarios, emphiteutas aut alios excolent, ex militia Sanctorum Mauritii et Lazari dumtaxat, etiam ratione cuiusvis oneris personalis, realis et mixti, ordinarii vel extraordinarii, ubicumque et ex quacumque causa

impositi ad praesens, et pro tempore imponendi; ita ut archiepiscopi, episcopi, praelati, ordinarii, vicarii, officiales, locatenentes et iudices in spiritualibus, etiam ratione delicti (dummodo illud non sit de atrocioribus) vel contractus seu rei de qua agitur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, vel res ipsa consistat, si personae ipsae intra regularia loca praedicta degant, et ibi aliquis a dictis magistro et conventu ad id, etiam cum iurisdictione, deputatus fuerit; temporales vero iudices et domini praedicti nullam in eos, eas vel ea iurisdictionem, correctionem et potestatem exercere, nec ipsae ecclesiasticae personae excommunicationis aliasque sententias, censuras et poenas promulgare, nec ulli omnino, ratione personarum, animalium, rerum et bonorum (quae tamen patrimonialia aut alia quam militiae praedictae Sanctorum Mauritii et Lazari non sint), ad aliquam solutionem ratione pontium, fontium, furnorum vel murorum eos coarctare, aut alii cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis, præeminentiae, status vel conditionis, etiam in locis et terrae S. R. E. mediate vel immediate subiectis, ac etiam ad instantiam cuiuscumque principis seu communitatis, sub poenis excommunicationis latae sententiae, seu restitutionis quadrupli, ultra damna et expensas, per contrafacientes eo ipso incurrendis, eos in iudicio vel extra super praemissis vel eorum usu seu possessione vel quasi, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio molestare, impedire, vexare aut alias quomodolibet impetere audeant: sed priores, milites et aliae personae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari huiusmodi sic degentes de iustitia coram solo magno magistro et conventu vel eorum deputato respondere debeant, et quicumque processus contra illos vel eorum aliquem per ipsos locorum ordinarios vel eorum vicarios, alias quam ut praemittitur, seu quosvis alios pro tempore facti, et excommunicationis vel suspensionis aut quaevis aliae sententiae promulgatae, nulla et invalida nulliusque roboris et momenti sint; in delictis tamen atrocioribus, inter magnum magistrum seu deputatos ab eo ac locorum tam in spiritualibus quam temporalibus ordinarios, ita servetur ut eius sit in delinquentes iurisdictio, qui praevenerit ex eisdem.

§ 9. Sed nec aliquis ex dictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari militibus, fratribus, donatis, servitoribus, vassallis et colonis in prioratibus, praeceptoriis, domibus, hospitalibus, leprosariis, membris aut aliis quibusvis praediis sive grangiis quomodocumque ab ipsa militia dependentibus, in quibuscumque locis, sub quorumcumque patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, universitatum, hospitalium, rectorum ecclesiarum limitibus et iurisdictione constitutis, decimas aut canonicam portionem seu caritativum subsidium aut quartas nuncupatas seu alias quascumque collectas aut contributiones, tam ex antiquis culturis quam ex novalibus et recenter cultis militiae et eius beneficiorum prædictorum, alicui quovis modo solvere teneatur, nisi prout alii regulares cuiusvis militiae milites, generalibus vel specialibus circa hoc privilegiis gaudentes, tenentur. Quin etiam bona magistri, priorum, praeceptorum et fratrum ac aliarum personarum huiusmodi, ex fructibus et rebus militiae praedictae dumtaxat licite acquisita ac acquirenda, a die emissae professionis per eosdem priores, praeceptores, fratres et personas, ab omnibus decimis et aliis oneribus, ad exemplum bonorum aliarum regularium militiarum, libera, immunia et exempta existant.

Non debent solvere decimas eodem privilegio quo ceterae regulares militiae.

§ 10. Ut autem, sublatis, quoad potest, obstaculis, magnus magister, conventus et

Facultas disponendi de beneficiis.

militia Sanctorum Mauritii et Lazari, eorumque priores, praeceptores et personae possint de beneficiis ipsius militiae liberius disponere, statuimus et ordinamus ut prioratus, praeceptoriae et beneficia quaecumque dictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari, deinceps quandocumque et quomodocumque ac ubicumque extra Romanam Curiam vacatura, sub quibusvis generalibus vel specialibus reservationibus seu affectionibus apostolicis factis hucusque et deinceps faciendis de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, non tamen apud Sedem Apostolicam pro tempore vacantibus, nullatenus includantur, nec reservata vel affecta existant, sed hospitalium pauperum, quae sub huiusmodi reservationibus non includuntur, quoad id, sortiantur naturam; debeatque de illis per pro tempore existentem magnum magistrum et conventum praedictos dumtaxat, et non alium, iuxta stabilimenta praedicta fratribus dictae militiæ Sanctorum Mauritii et Lazari provideri.

Dispositio circa provisiones, commendas et alia.

§ 11. Nec provisiones, commendae et aliae dispositiones de huiusmodi prioratibus, praeceptoriis et beneficiis, etiam per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem illa pro tempore obtinentium, etiam de dicta militia non existentium, aut alias quovis modo pro tempore vacantibus, aliis fieri possint quam eis, qui professionem, per fratres dictae militiae emitti solitam, expresse emiserint, et alias iuxta illius stabilimenta ac privilegia et indulta apostolica ei concessa qualificati fuerint; alioquin provisiones, commendae et aliae dispositiones huiusmodi nullius sint prorsus roboris vel momenti, et habeantur pro infectis, nec illis, quibus aliter fient, ullum ius ullumve titulum, etiam coloratum, tribuant possidendi.

§ 12. Ac etiam statuimus et ordinamus ut omnes et quicumque priores, praeceptores, fratres et personae militiae praedictae Sanctorum Mauritii et Lazari, illorumque vassalli, servitores et subditi, ubicumque, tam citra quam ultra montes, constituti, etiam commorantes, praesentes et futuri, magno magistro et conventui praedictis et subdelegatis ab eo vel eis, tam personaliter quam realiter, omni exceptione cessante, firmiter parere et obedire teneantur, quocumque, etiam a praedicta Sede Apostolica pro tempore obtento indulto non obstante; ipsique magister et conventus, iuxta stabilimenta praedicta necnon huius militiae laudabiles consuetudines et mores, plenam et omnimodam, etiam meri et mixti imperii, iurisdictionem et superioritatem in omnes illos, necnon prioratus, praeceptorias, domos, hospitalia, membra, bona, loca et alia praedicta habeant; dictusque magister contra rebelles et suis mandatis non obedientes, servatis quatuor terminis ad docendum se paruisse et satisfecisse in loco conventus militiae huiusmodi, ad multam seu poenam corporalem, vel ad privationem habitus et beneficiorum, domorum et praediorum per eos obtentorum, et alias iuxta mores et stabilimenta praedicta edita et edenda, procedere possit.

Iurisdictio meri et mixti imperii.

Iurisdictio ordinaria.

§ 13. Ac tam ipsi magister et conventus, quam etiam maior ecclesiae et ceteri omnes priores et praeceptores dictae militiae, intra limites suarum quisque iurisdictionum, veri ordinarii iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum sint et esse censeantur. Et praeterea iidem magister et conventus, quoscumque priores, praeceptores, illorumque prioratuum et praeceptoriarum fratres et religiosos delinquentes vel inobedientes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et præeminentiae existentes, ac quavis, etiam apostolica, exemptione fruentes, etiam in imperatoris, regum aliorumque principum, et etiam ecclesiarum curiis

(Romana excepta), et denique in quocumque alio loco, quantumvis exempto et qualicumque privilegio munito, per se aut suos officiales et ministros capere et carcerare, ac captos a se vel eorum nomine liberare, ac ad militiam Sanctorum Mauritii et Lazari et magistrum conventumque praedictos, ut ibi iuxta eorum constitutiones et stabilimenta puniantur, sub debita custodia transmittere libere et licite possint. Qua in re tam ecclesiastici quam saeculares officiales et locorum potestates ad assistendum eisdem magistro et conventui, prioribus et praeceptoribus, in praemissis, necnon auxilium, consilium et favorem praestandum, sub excommunicationis et aliis censuris et poenis ecclesiasticis, teneantur.

Iurisdictio fori usque ad tertiam definitivam sententiam.

§ 14. Insuper, ut omnes et quaecumque querelae, quaestiones, lites, causae et controversiae, inter fratres et subditos dictae militiae Ss. Mauritii et Lazari, praesentes et quae ex quibusvis causis et occasionibus oriri et moveri contigerit quovis modo, cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, ac omnium cuiusvis appellationis (praeterquam in defectus aut denegatae iustitiae vel illati perperam contra stabilimenta et consuetudines dictae militiae gravaminis casibus) remoto obstaculo, per pro tempore existentem magistrum et conventum praedictos, seu illos ex fratribus, quibus ipsi magister et conventus id commiserint, etiam usque ad tertiam diffinitivam sententiam, audiantur iuxta laudabiles consuetudines et stabilimenta militiae, et alias, prout iuris fuerit, debito fine decidantur.

Qui comparere teneantur coram magistro in causis et conventu.

§ 15. Omnesque priores, praeceptores, milites et fratres ipsius militiae, postquam de mandato seu auctoritate magistri et conventus praedictorum, in quibusvis praedictarum causarum contra eos intentatarum, ad comparendum coram ipsis et commissariis per eos, ut praefertur, deputatis in locis quantumcumque ab eadem militia eiusque conventu praedicto remotis, citati fuerint, coram eisdem magistro, conventu et commissariis, prout contigerit, legitime comparere teneantur, iuri et iustitiae secundum stabilimenta edita et edenda, necnon approbationes, usus et laudabiles consuetudines praedictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari parituri; qui vero ex prioribus, praeceptoribus, fratribus et subditis praedictis contra eorum aliquem, super quibusvis querelis, rebus et negotiis, praeterquam in praedictis casibus, coram alio quam magistro et conventu praedictis ac per eos pro tempore datis commissariis in causam traxerint, et ad alium, quam ad eosdem, appellationes quascumque interposuerint, causas huiusmodi prorsus perdant, reque super qua contenderint privati existant eo ipso.

Facultas iudicandi in causis ad militiam spectantibus.

§ 16. Nos autem praedictis magistro et conventui facultatem tribuimus omnes causas, lites et querelas, nondum tamen coram aliis iudicibus motas et pendentes, super quibusvis dictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari beneficiis, ac etiam bonis, rebus et pecuniis aerarii et fratrum quorumcumque, ratione ipsius militiae dumtaxat, in quibus alter alterum, sive realiter sive personaliter, conveniet, ac etiam in quibus ipsi ab aliis, etiam clericis saecularibus vel regularibus aut laicis, convenientur, etiam per deputatos ab eis in locis, in quibus causae ipsae cognoscentur, audiendi et decidendi, et ad hunc effectum citandos citandi, et illis ac quibus et quoties opus erit, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, inhibendi: ita ut illorum sententiae et res iudicatae per priorem ecclesiae dicti conventus, propositis etiam censuris et poenis ecclesiasticis, debitae exequutioni contra condemnatos, tam realiter quam personaliter, demandentur, nec huiusmodi causae, quae-

stiones et querelae alibi quam in dictis militia et conventu, aut, extra illos, ex magistri et conventus praedictorum commissione, cognosci et terminari valeant.

us appellationis ad capitulum generale ipsius militiae.

§ 17. Sed nec a sententiis per iudices dictae militiae pro tempore latis ad alium quam ad magistrum et conventum praedictos seu iudices ab eis deputatos, in quavis instantia, beneficialibus causis exceptis, neque etiam a sententiis per ipsum magistrum et consilium latis, alibi quam ad generale capitulum, sive per ipsius militiae fratres sive per eorum subditos et vassallos, quoquo modo appellari possit; quinimmo illi usque ad tertiam sententiam, non tamen in causis beneficialibus huiusmodi, in eodem conventu procedere teneantur; omnesque sententiae per eosdem magistrum et conventum latae, omnes item commissiones, citationes et omnia denique eorumdem rescripta ad omnes suae iurisdictioni subditorum ac reliquorum, etiam quorum intererit, causas, lites et querelas coram ipsis pertractandas directe exequi, nec ab ullis locorum et terrarum dominis, etiam regali aut ducali dignitate fulgentibus, aliqua ratione, etiam non expectati consensus, seu alio quovis quaesito colore, in eorumdem exequutione impediri possint, servato tamen in eis datae ordine, ita ut eorum ultima primis nequeant anteferri.

Facultas recuperandi bona militiae ab iniustis detentoribus.

§ 18. Ad haec, ut magister et conventus praedicti contra omnes et quoscumque, etiam clericos saeculares seu laicos, prioratus, praeceptorias, domos, cameras magistrales et alia beneficia militiae huiusmodi eorumque res et bona, quocumque titulo, sine tamen consensu et expressa licentia ipsorum magistri et conventus, indebite occupantes, seu illi aut eius communi aerario seu fratribus, occasione responsionum annuarum, vacantium, mortuariorum seu alias quomodol. et ex quacumque alia causa debentes, siquidem illi actores sint, modo et forma, quibus contra ipsius militiae Sanctorum Mauritii et Lazari fratres procedi consueverit, pro illorum recuperatione, libere procedere, et eos prioratibus, praeceptoriis, domibus et aliis beneficiis huiusmodi, servata forma iuris, et alias iuxta privilegia praedicta privare; si vero rei fuerint, coram ipsorum competentibus iudicibus ad recuperationem alia praedicta agere, et omnia iuris remedia tentare, ac demum, privatione huiusmodi legitime facta, de prioratibus aliisque beneficiis praedictis, per privationem eamdem vacantibus, libere disponere valeant.

Exceptio litteris Pii contenta salva remanet.

§ 19. Salvis tamen litteris praedicti Pii Papae V, undecima augusti, pontificatus sui anno II, publicatis, per quas ipse rationem habere volens immunitatis illorum hospitalium et religiosorum locorum, quae, sub invocatione Sancti Lazari Leprosorum aliquando fundata, constructa et instituta, deinde aut ecclesiis, monasteriis, xenodochiis, collegiis, Universitatibus, etiam Studiorum generalium, diversisque aliis sacris et religiosis locis unita aut in eorum commoda suppressa fuerant, seu quorum curam seu bonorum administrationem seu fructuum dispensationem vel ipsae ecclesiae vel conventus vel venerabilium locorum sodalitates vel honesti cives vel etiam privatim alii spectatae probitatis viri habebant, et aut in illis aut ex illis praedictis ecclesiis, monasteriis, xenodochiis, collegiis, Universitatibus, piis locis et pauperibus suarum quisque civitatum et locorum, ubi diversae et multiformes charitatis et misericordiae species suadere videbantur, variae item egestates necessitatesque expectabant, pie sancteque suppeditabant, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, inter alia, omnes causas inter magistrum, conventum et fratres praedicti hospitalis Sancti Lazari, etiam collationem, com-

mendam aut aliam concessionem ab eisdem magistro et conventu, ac quoscumque alios curam, regimen et administrationem ac possessionem hospitalium, locorum et bonorum praedictorum quocumque modo habentes, super eisdem hospitalibus, locis et bonis eorumque regimine et administratione, possessorio, spolio, rebusque aliis et illorum occasione, ubicumque et in quacumque instantia pendentes, ad se advocavit, lites penitus extinxit, ac perpetuum silentium imposuit.

§ 20. Praeterea specialiter et expresse renunciavit omnes et quascumque collationes, provisiones, commendas, concessiones, commissiones et alias dispositiones de ipsis hospitalibus et locis ab eisdem magistro et conventu quibuscumque factas, inde secutasque ab Apostolica Sede, etiam motu simili, confirmationes vel novas provisiones, ac etiam concessiones et facultates eisdem magistro et conventui factas, inter cetera continentes quod hospitalia, leprosariae et alia loca sub invocatione Sancti Lazari Leprosorum huiusmodi, et a magistro, conventu et fratribus praedictis non recepta nec possessa, ubi, aliquando fuerat vel esset hospitalitas leprosorum seu infirmorum Sancti Lazari nuncupatorum, hospitali Sancti Lazari praedicto subiecta et incorporata essent, atque ad ius et proprietatem omnimodamque dispositionem magistri et conventus praedictorum, iuxta ipsius hospitalis Sancti Lazari stabilimenta, pertinere censerentur, illaque per fratres praedictos dumtaxat gubernari, et in signum recognitionis superioritatis dicti hospitalis canone seu censu annuo illis respondere. Praeterea hospitalia et loca huiusmodi obtinentes responsiones et iura annatarum, vacantium, mortuariorum, arreragiorum et passagiorum hospitali Sancti Lazari et illius aerario communi solvere tenerentur; necnon quaecumque alia privilegia, facultates et indulta dictis magistro, conventui, fratribus et personis hospitalis Sancti Lazari, super reductione huiusmodi hospitalium ad pristinam hospitalis Sancti Lazari Hierosolymitani naturam ac regimen et administrationem, volens idem praedecessor illa omnia vires et effectum de cetero non habere, ipsaque hospitalia et loca eorumque res et bona deinceps ut antea regi et gubernari ac de illis disponi, nec ullo annuo censu, canone, subsidio vel alio onere per magistrum, conventum et definitores praedictos gravari, nec ad aliam responsionem aut iura aliqua eis praestanda ullo umquam tempore teneri, nec sub aliquo alio iure magistri et conventus et hospitalis Sancti Lazari huiusmodi consistere, decernentes sic perquoscumque iudicari debere, ac irritum et inane quidquid secus per quoscumque contigerit attentari, censuris et poenis tunc expressis in contrafacientes propositis, prout in dictis litteris plenius continetur.

§ 21. Statuimus quoque ut nullae alienationes bonorum, proprietatum, fructuum, censuum, iurisdictionum, iurium, rerum et actionum, ad prioratus, praeceptorias, hospitalia, domos, beneficia et loca militiae praedictae quoquomodo pertinentium, fiant, et qui eas fecerint, in excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, et alienationes ipsae nullius sint roboris vel momenti. *Bonorum alienatio prohibetur.*

§ 22. Utque magister et conventus praedicti quoscumque locorum ordinarios ac alias personas in dignitate ecclesiastica ubilibet constitutas, ipsorumque ordinariorum officiales seu vicarios generales in suos et quorumcumque priorum, praeceptorum et fratrum militiae praedictae eligere possent conservatores, qui, sic electi, sub excommunicationis poena, eosdem priores, praeceptores et fratres ac eorum singulos, non tamen extra regularia dictae *Electio conservatorum.*

militiae loca degentes, adversus inferentes eis aut eorum servitoribus et familiaribus iniurias seu gravamina vel damna in personis, rebus et bonis, seu exigentes ab eis, contra ac supra scriptum est, vectigalia, dacia, pedagia, gabellas, collectas aut alia onera, defendere et praeservare, ac omnem in eos iurisdictionem exercere; necnon, ubi executio realis vel personalis adversus reos fieri non poterit, et eorum contumacia id exegerit, praecedentibus legitimis monitionibus et aliis servandis rite servatis, sententias, censuras et poenas ecclesiasticas contra rebelles et inobedientes cum effectu promulgare, ac privilegia prioribus, praeceptoribus et fratribus praedictis pro tempore concessa, eis observari facere teneantur; nec conservatores praedicti, quamdiu officium huiusmodi exercuerint, a quoquam quominus illud exerceant aliquo praetextu impediri vel molestari possint.

Electio testium in causis.

§ 23. In causis autem militiae praedictae eiusque bonorum et personarum, ubi aliae probationes non existant, eorum magister, priores, praeceptores, milites, fratres, vassalli, subditi, servitores et aliae personae in testes recipi ed adhiberi valeant.

Solutio iurium mortuariorum et vacantium.

§ 24. Statuimus etiam ut iura mortuariorum et vacantium, necnon arreragiorum, passagiorum et aliorum quorumcumque solvantur; et quaevis personae, cuiuscumque dignitatis, beneficia militiae huiusmodi pro tempore obtinentes, ad illa omnino teneantur, et ad id etiam sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ac aliis remediis, etiam privationis et apprehensionis bonorum ad manus suas, iuxta privilegia praedicta, cogi possint.

Iurispatronatus usus.

§ 25. Quod et iura patronatus et praesentandi personas idoneas ad prioratus, praeceptorias, hospitalia, domos aliaque beneficia et loca militiae praedictae a quadraginta annis citra, praeterquam in casibus, qui praedictis litteris Pii Papae V, undecima augusti publicatis, exprimuntur, acquisita et in futurum acquirenda, ex quavis causa, praeterquam ratione fundationis, et iuxta dispositionem concilii Tridentini, nisi, praevia diligenti cognitione a locorum ordinariis habenda, reperta fuerint ob maximam evidentem beneficiorum et locorum necessitatem constituta esse, ab eisdem ordinariis in totum revocentur, et restituto prorsus eo ab ipsis, propterea datum fuerit, in pristinam libertatem reducantur, et ex nunc, sine tamen damno illa canonice possidentium, liceat magistro et conventui praedictis prioratus, praeceptorias, hospitalia, domos, beneficia et loca huiusmodi, cum primum vacabunt, conferre.

Qua de c... ea quisque ... nore mili... privari poss...

§ 26. Insuper, si quisquam priorum, praeceptorum, militum et fratrum dictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari, aut quicumque alius, qui professionem per fratres dictae militiae emitti solitam emiserit, quandocumque pro servitiis dictae militiae aut alias vocatus, seu in solutione iurium communis aerarii morosus fuerit, et citatus coram dictis magistro et conventu personaliter non comparuerit, ac illis obedientiam aliaque iura debita non praestiterit, elapso tempore sibi ad id praefigendo, cessante canonico impedimento, habitu, dignitate, administratione et beneficio ac quocumque honore et officio, alias iuxta formam stabilimentorum et privilegiorum praedictorum, editorum et edendorum, per magistrum et conventum praedictos privari possit. Nec ulla derogatio aut exemptio, realis vel personalis, seu aliae gratiae praeservativae, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus quomodolibet pro tempore factae seu concessae, contra praemissa valeant; nec ipsi magister et conventus illis parere teneantur, sed, illis non obstantibus, de prio-

ratu, praeceptoria, dignitate, officio vel beneficio sic per privationem huiusmodi vacante, iuxta stabilimenta et alia praemissa, libere disponi, aut illud alias ab eo vel eis, ad quem seu quos antianitatis vel alio iure pertinebit, acceptari.

Clausula.

§ 27. Decernentes praemissis, etiam per quascumque litteras apostolicas, speciales vel generales, etiam derogatoriarum derogatorias aliasque clausulas efficaciores et insolitas, ac irritantia et alia decreta sub quacumque verborum expressione continentes, nullatenus derogari posse, nec quoad illa derogatum censeri, nisi tenor illarum ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogationes consistorialiter factae, et per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus magistro et conventui praedictis intimatae et insinuatae fuerint, ac ipsorum magistri et conventus ad id expressus accedat assensus; et aliter factas derogationes minime suffragari; ipsosque magistrum et conventum ad parendum litteris derogatoriis huiusmodi et decretis super illis processibus ac illorum executoribus et subexecutoribus, eorumque mandatis et monitionibus minime teneri, sed litterarum huiusmodi executiones omnino impedire, nec ratione resistentiae censuris ecclesiasticis per eosdem executores vel subexecutores latis innodari posse.

Declaratio et milites sacros ordines possint suscipere.

§ 28. Insuper concedimus ut priores, praeceptores, fratres et cappellani dictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari ab ordinariis locorum, intra quorum dioecesum fines eorum prioratus, praeceptoriae et alia loca fuerint, ac in quibus eos residere oportuerit, vel, si ab ordinariis praedictis legitime impeditis non poterint, ab eis nihilominus examinati atque idonei secundum canonicas sanctiones reperti et approbati, habitisque ab eis dimissorialibus litteris, et a suis superioribus licentia, et servata in omnibus forma concilii Tridentini, a quocumque catholico antistite, sub Romanae Sedis obedentia constituto, in propria dioecesi residente aut in aliena pro dioecesano pontificalia exercente, diligenti praevio examine, sacros ordines, et si id pro utilitate aut necessitate militiae, conventus, prioratuum, praeceptoriarum et aliorum locorum huiusmodi eisdem ordinariis et superioribus videbitur expedire, etiam extra tempora a iure statuta, tribus nec paucioribus diebus festivis suscipere possint.

Magister potest beneficia militum oneribus gravare;

§ 29. Ac etiam concedimus dictis magistro et conventui, ut liceat eis, in suo capitulo generali, praeceptorias et alia beneficia dictae militiae ab eius militibus pro tempore obtentas congrua et rationabili responsione ad necessarias impensas triremium instruendarum contra prioratus[1], et alia onera militiae in communi supportanda, sine tamen divini cultus et debitae hospitalitatis diminutione, gravare.

Procuratorem in Curia Romana et alios officiales constituere;

§ 30. Ac procuratorem generalem in Romana Curia, cum plena aut limitata potestate, generali vel speciali, constituere. Liceat etiam ipsis in singulis prioratibus militiae Sanctorum Mauritii et Lazari praedictae unum vicarium, cum facultate conferendi praeceptorias et domos eiusdem militiae, constituere; ac etiam per eumdem census, responsiones, iura et onera omnia super huiusmodi praeceptoriis et domibus, necnon leprosariis et aliis beneficiis eiusdem imponi solita, a quibuscumque, etiam clericis saecularibus, eorumque colonis et inquilinis, etiam laicis, eo modo quo a fratribus ipsius militiae exigentur, exigere.

Animalibus campanas appendere.

§ 31. Liceatque ipsis magistro et conventui cuiuscumque generis animalibus, quae Sanctis Mauritio et Lazaro vel alteri

1 Forte legendum *piratas* (R. T.).

eorum offerri contigerit, nolas seu campanas appendere, aut nota quapiam ea obsignare. Permittimus insuper omnibus prioribus, praeceptoribus, militibus et personis dictarum militiarum eorumque familiaribus quaecumque arma, pro sua defensione et hostium dictae Sedis offensione, ubique locorum gestare.

Facultas gestandi arma.

§ 32. Ad haec quoque, militiam hanc universam spiritualibus muneribus prosequi volentes, indulgemus priori ecclesiae dicti conventus pro tempore existenti, ut mitra, annulo, baculo pastorali ceterisque insignibus et indumentis pontificalibus, tam in praedicta quam in ceteris dictae militiae ecclesiis, uti, et quoties voluerit, ibi missam aliaque divina officia etiam in habitu pontificali celebrare, ac post missarum solemnia, dummodo non sit praesens aliquis catholicus antistes, alias de illius consensu, benedictionem solemnem populo impendere.

Facultas utendi insignibus pontificalibus;

§ 33. Ac etiam indulgemus fratribus dictae militiae ut in suis ecclesiis missas et quaecumque alia divina officia, etiam alta voce, ac etiam per alios presbyteros idoneos et approbatos celebrare; necnon, servatis decretis praedicti concilii Tridentini quoad ea quae illa concernunt, omnibus et singulis christifidelibus, etiam leprosis, et aliis pauperibus infirmis in dictis hospitalibus degentibus ecclesiastica sacramenta ministrare; ac eorum et, sine alicuius praeiudicio, aliorum quorumcumque fidelium defunctorum id eligentium ac petentium corpora in coemeteriis et ecclesiis dictorum fratrum ecclesiasticae tradere sepulturae.

§ 34. Ac, eisdem decretis servatis, verbum Dei debitis et congruis temporibus in parochialibus quidem, parochianis et populo; in aliis vero ecclesiis suis, pauperibus ipsis et leprosis, per se vel alium seu alios idoneos, proponere. Necnon prioribus et procuratoribus quorumcumque hospitalium et domorum ab ipsa militia dependentium et illam in caput suum recognoscentium die Dominica in Ramis Palmarum, et per eius octavam, si presbyteri et approbati fuerint, ut per se, in suis hospitalibus ac domibus praedictis tantum, confessiones quorumcumque, de consensu ordinariorum locorum, audire, et cum huiusmodi confitentibus, quibuscumque facultatibus et indulgentiis ad peccatorum remissionem eis auctoritate apostolica concessis, non tamen in casibus litteris die Coenae Domini legi consuetis comprehensis, uti, ac easdem illis, de licentia tamen expressa magistri et conventus quotannis renovanda, impartiri, ac etiam alium vel alios probos et idoneos presbyteros, saeculares vel cuiusvis Ordinis regulares, a locorum ordinariis approbatos, ad id libere deputare; aliis vero temporibus ipsi sic sint ut ceteri sacerdotes, nullam a Sede praedicta facultatem habentes.

§ 35. Ac eisdem prioribus, praeceptoribus, militibus, fratribus et personis intra regularia praedictae militiae loca degentibus, de superiorum suorum licentia; aliis vero extra ea degentibus, quoad confirmationem, sine dioecesani; quoad alia vero, sine parochialium ecclesiarum, intra quorum limites eos degere contigerit, praeiudicio, et servatis decretis concilii Tridentini, liceat quaecumque ecclesiastica sacramenta a quocumque maluerint catholico antistite, in sua dioecesi residente aut alio pro eo pontificalia officia exercente, sive etiam alio illa licite administrante, gratiam et communionem dictae Sedis habente, nihil oblato vel soluto, recipere.

§ 36. Ac etiam omnibus prioribus, praeceptoribus ceterisque militibus, fratribus et ministris, etiam presbyteris et beneficiatis eiusdem militiae, de quibuscumque immobilibus et mobilibus bo-

nis, pecuniarium summis, gemmis et lapidibus pretiosis aliisque rebus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris, per eos ratione beneficiorum et rerum militiae praedictae dumtaxat quomodolibet acquisitis et ad illos quovis modo spectantibus, dummodo quintam illorum partem conventui praedicto relinquant, inter quoscumque consanguineos et alias personas testari, ac etiam per codicillos, donationes inter vivos seu causa mortis et alia quacumque via, quae ipsis videbitur, disponere, ac alias illa etiam in non pios, licitos tamen, usus erogare.

Facultas percipiendi legata.

§ 37. Rursus, praedictis magistro et conventui legata et donata, tam inter vivos quam ultima et quacumque alia voluntate, exigere et percipere. Adiicientes ut notarii rogati de testamentis vel aliis voluntatibus, in quibus aliquid disponi contigerit in favorem et commodum dictae militiae, huiusmodi dispositionem praedictis magistro et conventui vel alteri, per quem id poterit ad illorum notitiam deduci, sub poena excommunicationis, quamprimum intimare procurent.

§ 38. Postremo, dictis prioribus, praeceptoribus et fratribus indulgemus ut liceat eis coemeteria in suis parochialibus ecclesiis habere, et quorumcumque christifidelium cadavera, etiam tempore interdicti, dummodo illi causam non dederint huiusmodi interdicto, sine alicuius praeiudicio, recipere et sepelire.

Facultas audiendi confessiones.

§ 39. Et cappellanis eiusdem militiae, examinatis et approbatis ab ordinariis locorum, confessiones priorum, praeceptorum, militum, fratrum, familiarium et subditorum suorum intra regularia loca ipsius militiae degentium audire, poenitentiam salutarem eis iniungere, Eucharistiae et alia Ecclesiae sacramenta ministrare, missasque et alia divina officia, etiam tempore interdicti ordinaria auctoritate appositi, dummodo illi causam non dederint, ut praefertur, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis prorsus exclusis, submissa voce, celebrare. Declarantes quod neque magister neque alius quisquam priorum, praeceptorum, militum et fratrum ceterorumque dictae militiae, propter eius Regulam, ordinationes et statuta, nunc et pro tempore edita, non observata vel minus rite adimpleta, in peccatum mortale incidat, praeterquam propter inobedientiam et contumaciam pluries commissam et continuatam, et ab ipsa Religione rebellionem, et excommunicationis poenae sibi impositae, ac alios casus peccatum huiusmodi ex divinis praeceptis sacrisque canonibus generantes.

Indulgentiarum concessio.

§ 40. Denique, ad salutem animarum magistri, conventus, priorum, praeceptorum, militum, fratrum et personarum praedictorum intenti, omnibus, qui tempore sumptionis habitus et emissionis professionis regularis, ac etiam in articulo mortis constituti, vere poenitentes et confessi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem perpetuo concedimus; talesque facultatem habeant, tempore susceptionis habitus et emissionis professionis ac mortis dumtaxat, eligendi sibi confessorem, qui sit ab ordinario approbatus.

§ 41. Ac tam praedictis quam etiam omnibus aliis vere poenitentibus et confessis, qui ecclesias domorum et aliorum locorum militiae huiusmodi, ubicumque existentes, diebus festis suarum cuiusque dedicationum, a primis vesperis usque ad loccasum solis dierum festorum huiusmodi, devote visitaverint, et pro pace inter principes christiano sconfovenda ter Orationem Dominicam et totidem Salutationem Angelicam recitaverint, septem annos et septem quadragenas de iniunctis eis aut alias debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Decernentes indulgentias praedictas et praeterea omnes fa-

cultates et gratias praedictae militiae illiusque magistro, conventui, fratribus et membris per Sedem praedictam concessas et concedendas, durante quacumque suspensione temporali indulgentiarum et gratiarum concessarum et in posterum concedendarum, nisi de eis et militia praedicta mentio fiat, suspensas non intelligi, sed in suo pristino robore suaque firmitate manere.

§ 42. Sed, ne aliquando dubitare contingat an hospitalia, beneficia et loca ad hospitale Sancti Lazari quomodolibet pertinentia eodem modo post unionem praedictam magno magistro militiae Sanctorum Mauritii et Lazari subiecta esse censeantur, quo ante unionem ipsam magistro Sancti Lazari subiacebant, neve per unionem ipsam iuribus, titulis, praerogativis ad dictam Religionem Sancti Lazari ante unionem ipsam legitime spectantibus derogatum aut detractum fuisse, praesentium auctoritate declaramus omnia et quaecumque hospitalia, beneficia et alia loca ad dictum hospitale S. Lazari quomodolibet spectantia, prout litteris unionis nostrae praedictae ac praesentibus comprehenduntur, magno magistro militiae Sanctorum Mauritii et Lazari, eodem modo quo magistro hospitalis Sancti Lazari ante unionem praedictam subiecta erant, prorsus subiecta esse, nec per unionem huiusmodi quicquam de iuribus, titulis, praerogativis, praeeminentiis ad dictum hospitale S. Lazari ante unionem ipsam legitime spectantibus detractum esse; magnumque magistrum, militiam ac milites Sanctorum Mauritii et Lazari illis omnibus eodem modo frui et gaudere posse, quo magister, hospitale, Religio et milites Sancti Lazari gauderent et fruerentur, ac frui et gaudere possent, si unio ipsa facta non esset; sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; irritumque fore et inane quidquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 43. Volentes ut illi dumtaxat privilegiis dictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari concessis gaudeant, qui a praedicto magno magistro seu de eius licentia habitum susceperint et professionem emiserint, seu de habitu suscipiendo et professione huiusmodi emittenda infra certum tempus arctati fuerint. Nullusque priorum, praeceptorum et fratrum praedictorum, absque mandato seu licentia praedicti magni magistri aut saltem sui prioris seu procuratoris ipsius militiae Sanctorum Mauritii et Lazari in praedicta Romana Curia existentis, privilegiis praedictis in eadem Curia uti valeat, nec illa absque huiusmodi licentia vacantibus suffragentur.

§ 44. Utque tam praesentium quam quarumcumque litterarum apostolicarum seu earum transumptorum et mandatorum magistri et conventus praedictorum publicatio et affixio in singulis prioratibus, praeceptoriis, membris et beneficiis Religionis huiusmodi factae, postquam diligentia de illis personaliter reperiendis in huiusmodi locis facta fuerit, perinde arctent, ac si contra contenta sub eisdem personaliter factae forent.

Executores praesentium litterarum.

§ 45. Postremo, ut verbis in ipsorum magistri et conventus litteris circa habitus susceptionem et professionis regularis emissionem ac debitorum obsequiorum praestationem singulorum fratrum militum dictae militiae appositis plena fides adhibeatur. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Taurinensi, et Maurianensi ac Bellinensi episcopis per apostolica scripta mandamus

ut ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte magni magistri et conventus, necnon priorum, praeceptorum, militum, fratrum et personarum dictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac eosdem magistrum, conventum, militiam, priores, praeceptores, milites, fratres et personas omnesque alios, quos ipsae praesentes litterae concernunt, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eorum quempiam desuper contra ipsarum praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari vel impediri. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Nos enim illis quoscumque, etiam per edictum locis publicis affigendum, constito summarie de non tuto ad eos accessu, citandi, eisque ac quibus et quoties opus fuerit, etiam sub eisdem censuris et poenis ac per simile edictum inhibendi, interdictum ecclesiasticum apponendi, ac cetera omnia in praedictis et circa ea necessaria et opportuna faciendi et exequendi, plenam et liberam, earumdem tenore praesentium, concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 46. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus; ac militiae et Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac etiam ordinariis locorum et aliis militiis, necnon quibusvis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus, locis eorumque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam ad imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum instantiam, necnon motu proprio ac etiam consistorialiter ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 47. Quia vero difficile foret praesen-

tes quocumque illis opus erit perferre, volumus et dicta auctoritate apostolica decernimus ut earum transumptis, etiam impressis, ac magni magistri et conventus dictae militiae Sanctorum Mauritii et Lazari sigillo munitis, ac eiusdem magni magistri et conventus secretarii manu subscriptis, dictisque suis litteris, absque praesentium in toto vel in parte insertione, ea ubique fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Nec ipsi magister et conventus praesentes litteras, seu gratias illarum vigore ab eo vel eis concedendas, inserere teneantur, et nihilominus gratiae ipsae ab eo vel eis quibusvis personis iuxta tenorem earumdem praesentium litterarum pro tempore concessae valeant et illis suffragentur, ac fidem ubique faciant in omnibus et per omnia, perinde ac si eædem praesentes litterae in eis ad verbum insererentur.

§ 48. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae susceptionis, subiectionis, exemptionis, liberationis, statutorum, ordinationum, concessionum, declarationis, tributionis, permissionis, indulti, adiectionis, relaxationis, mandati, derogationis, voluntatis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, idibus octobris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 octobris 1575, pontif. anno IV.

CLXXXVIII.

Institutio Universitatis Studii generalis diversarum scientiarum bonarumque artium in collegio presbyterorum regularium Societatis Iesu in civitate Vilnensi, in Regno Poloniae, per Valerianum illius episcopum fundato, cum privilegiorum elargitione.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Dum attenta considerationis indagine perscrutamur quam pretiosum sapientiae et scientiae donum, per quod ignorantiae et vitiorum tenebrae profligantur, erroresque tolluntur, solliciti reddimur et solertes ut litterarum et pietatis studiosi debitis virtutum insigniantur honoribus, ac indefessi laboris ad Dei gloriam suscepti praemium tandem reportent.

Valerianus episcopus civitatis Vilnensis erexit in ea collegium presbyterorum Societatis Iesu, unde non modicus bonorum morum scientiarumque profectus habitus est, maiorque speratur, ibidem Universitas Studii generalis a Papa instituitur.

§ 1. Sane, pro parte venerabilis fratris nostri Valeriani, episcopi Vilnensis, nobis nuper exhibita petitio continebat quod, cum idem Valerianus episcopus a decem annis vel circa, ad patriae et dioecesis suae, quae multiplici sectarum labe ac schismaticis erroribus itemque Mahometana infidelitate obsidebatur, tutelam, unum collegium presbyterorum Societatis Iesu in civitate Vilnensi canonice erigi et institui, illudque nonnullis redditibus et proventibus annuis dotari curaverit, ac a dicto tempore ex ipso collegio in morum et disciplinarum exercitio non tenuis profectus exortus spectetur, et numerus scholarium mirum in modum accreverit, et singulis diebus, benedicente Domino, augmentetur, in optima theologiae ac philosophiae, necnon liberalium, moralium Graecarumque lectionum studia cumulatissime versans, si in ipsa civitate, quae inter ceteras magni Lituaniae ducatus civitates percelebris fertur, ac ampla dioecesi decoratur, una generalium tam divi-

norum quam humanorum studiorum Universitas erigeretur et institueretur, ac in dicto collegio theologia, philosophia et artes liberales publice, et ea, quae in Studiorum generalium Universitatibus Poloniae et aliorum christianae fidei regnorum perleguntur ac explicantur et auctoritate comprobantur, ad fidei orthodoxae propugnaculum, civitatis praedictae ornamentum felicissimum, totiusque provinciae decus, per ipsos presbyteros interpretarentur et perlegerentur; necnon qui in ipso generali Studio et Universitate et alibi per tempus debitum studuisse ac scientia profecisse, ab eisdem presbyteris, praevio rigoroso examine, in privato seu, adhibitis quaestionibus et argumentis, quae proborum ac doctorum virorum praesentia confirmari solent, publico congressu comperti fuerint, in theologia, artibus et philosophia, baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii, et pro studiorum ratione, ac iuxta decreta sacri concilii Tridentini et ipsius Societatis constitutiones ac morem in illius Universitatibus receptum, et ad instar aliarum Universitatum huiusmodi, gradus consequerentur, ipsique scholares per tot studiorum labores praemii honorificentia et litterarii ludicri favore [1] donarentur, profecto provecti ardentiores fierent, plurimique huius vitae stadium, spretis illecebris, ad superna indagine mentis contemplanda se transferrent, idque carissimo filio nostro Stephano Poloniae regi illustri, cuius expressus ad hoc accedit assensus, gratum foret. Quare, pro parte eiusdem Valeriani episcopi, nobis fuit humiliter supplicatum ut fidei praesidio ac civitatis huiusmodi decori necnon publicae utilitati consulere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos igitur, attendentes quod ex litterarum studio animarum salus maxime procuratur, eumdem Valerianum episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in dicto collegio Studium generale theologiae et pro illius cognitione necessaria artium liberalium et philosophiae, ac in illo Universitatem Studii generalis, quod ibidem perpetuo futuris temporibus vigeat, ad instar aliarum Universitatum huiusmodi, ac iuxta illarum statuta et consuetudines aliasque ipsius Societatis constitutiones, per presbyteros Societatis huiusmodi in omnibus ac per omnia moderandam et gubernandam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Hic ideo Pontifex Universitatem Studii generalis ibi instituit;

§ 3. Illique sic erectae et institutae ac eius pro tempore existentibus rectori, cancellario, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, bidellis, nunciis et aliis officialibus et personis, tam in ipso collegio residentibus, quam Universitatis huiusmodi studia frequentantibus, quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis Universitatibus praefatis illarumque pro tempore existentibus rectoribus, singulis personis et officialibus, necnon membris et subditis, in genere vel specie, tam dicta apostolica quam alias rite imperiali et regia auctoritatibus aut alias quomodolibet concessis seu legitime praescriptis, aut in posterum quovis modo, etiam motu proprio et consistorialiter, concedendis et praescribendis, ac quibus illi vel illae utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in

Illique privilegia aliorum Studiorum generalium concedit,

[1] Cherub. legit: *et litterarum maiori favore* etc. (R. T.).

futurum, pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere valeant. Quod illi qui in quavis aliarum Universitatum disciplinis, facultatibus et artibus praefatis studere incoeperint, studium suum in ea continuare; et tam ipsi, quam qui in dicta vel alia Universitate per tempus debitum studuisse, ac scientia et moribus idonei comperti fuerint, in artibus, philosophia ac theologia necnon facultatibus praefatis, baccalaureatus, etiam formalis, licentiaturæ ac laureæ necnon doctoratus ac magisterii ac quoscumque alios solitos gradus ab ipsius Universitatis rectore seu cancellario aut doctoribus, lectoribus vel aliis personis per dictae Societatis praepositum generalem, aut, de eius licentia, per illius provinciae praepositum provincialem deputandis, praevio rigoroso examine, vel disputationibus peragitatis, iuxta concilii praefati decreta, ipsiusque Societatis et aliarum Universitatum constitutiones, consuetudines et statuta, necnon alias, ut praefertur, recipere, ac graduum eiusmodi solita insignia sibi exhiberi facere; et postquam in ipsis facultatibus promoti fuerint, illas perlegere et interpretari, ac in eis disputari, necnon quoscumque actus gradui seu gradibus per eos receptis convenientes exercere, et alias omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in ceteris Universitatibus iuxta illarum ritus et mores ad gradus ipsos promoti de iure vel consuetudine aut alias utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, aeque principaliter uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus huiusmodi in aliqua ex praefatis Universitatibus suscepissent.

Et auctoritatem statuta condendi pro bono ipsius regimine;

§ 4. Quodque pro felici Universitatis huiusmodi directione, regimine ac litterariae politiae forma, liceat pro tempore existenti eiusdem Societatis praeposito generali, salvo semper manente ipsius Societatis iure, per se vel alium seu alios, quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus dictisque concilii decretis non adversantia, facere et edere, illaque, pro rerum, temporum et personarum qualitate, alterare immutare et abrogare, et alia, toties quoties opus fuerit, de novo, etiam cum impositione poenarum, condere, ac contumaces et rebelles, etiam quantumvis exemptos, debite corrigere, auctoritate apostolica concedimus.

Molestiam eidem inferri omnibus prohibet;

§ 5. Ac quibuscumque aliarum Universitatum ludi moderatoribus et praesidentibus, rectoribus, cancellariis, praeceptoribus et magistris, ac quibuscumque aliis, etiam civitatum et aliorum locorum, in spiritualibus vel temporalibus aut mixtim gubernatoribus, ne rectorem aut Universitatis huiusmodi personas et scholares in aliquo praemissorum, quovis praetextu, per se vel alium, molestare vel inquietare audeant seu praesumant, inhibemus. Nullumque loci ordinarium vel metropolitanum, quovis quaesito, etiam conservationis ac superioritatis, colore vel ingenio seu titulo, praemissis se ingerere aut contravenire posse nec debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Contrariis quibuscumque derogat;

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus ap.; ac dictarum Universitatum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Universitatibus ac quibusvis personis vel locis aliis, sub quibuscumq. tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis in contrarium quo-

modolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et forma in illis expressis, derogari possit, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctionem poenalem apposuit. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, inhibitionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono, tertio kalendas novembris, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 30 oct. 1579, pontif. an. VIII.

CLXXXIX.

Ordini S. Pauli primi eremitae confirmantur omnia monasteria seu domus in Hungaria, Polonia, Istria, Dalmatia et Sclavonia, eorumque iura et privilegia, libertates etc.

Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Cum inter alios religiosorum Ordines, quibus fides catholica quasi gemmis rutilantibus illustratur, Ordo *etc.* [1].

[1] Semel atque iterum haec bulla in tomi IV quarta parte Romanae Editionis legitur: pagina quidem XXXIX, sub num. CLIII, ex *Regesto* desumpta in Secretaria Brevium adservato; pagina vero CXXII, sub num. CLXXXIX ex *Quadripartito Regularium* P. Mallechich (par. II, pag. 254) excerpta. Quum utraque una eademque sit bulla, inque opere eodem, nulla sane apparenti ratione, iterata; nos reliquum omisimus, eius hic nihilominus vestigio relicto (R. T.).

SIXTUS V

PAPA CCXXIX,

Anno Christi MDLXXXV.

Frater Felix Perettus, e Franciscana Minorum Conventualium familia, dictus cardinalis a Montealto, tituli Sancti Hieronymi Illyricorum, electus fuit in Romanum Pontificem die XXIV aprilis MDLXXXV, tertio die postquam cardinales conclave ingressi fuerant. Sequentibus kalendis maii, sacra redimitus est thiara in Vaticana basilica. Sedit annos V, menses IV, dies III, creavitque XXIII cardinales. Obiit die XXVII augusti MDXC, et sepultus est in Vaticano, unde postea eius corpus translatum fuit ad basilicam Liberianam, conditumque in sacello, quod ipse construxerat. Vacavit Sedes dies XVIII.

I.

Erectio Studii generalis in oppido Graecensi Salisburgensis diœc. [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Coelestis patris ad summi apostolatus apicem evecti, tamquam de excelso monte ad ima agri irrigui militantis ecclesiae nostrum dirigentes intuitum, ac considerantes quod per litterarum studia ad bene beateque vivendum via praebetur, veritas agnoscitur, iustitia colitur, ceteraeque virtutes illustrantur, ac humanae prosperitatis conditio augetur, fides catholica et cultus divinus protenditur, ad ea, per quae studia huiusmodi ubilibet, maxime in regionibus ubi maior necessitas urget, propagentur, et humiles personae ad excelsum felicitatis fastigium pervenire cupientes in hoc pio eorum proposito uti- Exordium.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

lius confoveri, ac laborum suorum honores et praemia consequi valeant, praesertim dum principum christianorum vota id exposcunt, libenter intendimus et in his partes apostolicae providentiae impendimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Gregorius XIII collegium Societatis Iesu, a Carolo archiduce Austriae dotatum, erigit in oppido Graecensi.

§ 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Caroli archiducis Austriae, qui etiam Stiriae, Carinthiae et Carniolae dux existit, petitio continebat quod, postquam alias felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, in oppido Graecensi Salisburgensis dioecesis, dicti Caroli archiducis dominio in temporalibus subiecto, collegium presbyterorum Societatis Iesu, propriis sumptibus ipsius Caroli archiducis fundatum et extructum, auctoritate apostolica perpetuo erexit et instituit, ac inter alia eidem collegio, pro illius magistrorum, scholarium et aliorum dictae Societatis religiosorum substentatione, pensionem annuam duorum millium et ducentorum florenorum Rhenensium super bonis monasterii seu domus de Milstat nuncupati eiusdem dioecesis, quod seu quae olim Cisterciensis seu alterius Ordinis, postea vero, Ordine ipso ac statu et essentia regularibus, necnon conventualitate, ac forsan nomine monasterii in eo suppressis et extinctis, militiae seu Ordinis militaris Sancti Georgii, etiam tunc forsan extinctae seu extincti, licet aliquot sacerdotes in militia seu Ordine militari huiusmodi adhuc tunc remanerent; et quod seu quae de iure patronatus eiusdem Caroli ac pro tempore existentis Austriae archiducis et seu praedictae Carniolae ducis, ex fundatione vel dotatione, aut ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur; ac in quo seu qua a quadraginta annis et ultra, ex quo militia seu Ordo militaris huiusmodi defecit, unus administrator constitui, et per eumdem administratorem illud seu illa gubernari, ac per ipsum de eiusdem domus fructibus, redditib. et proventibus huiusm. disponi solet, dicta auctoritate sub certis modo et forma tunc expressis constituit et assignavit; volens ut, quandocumque et quotiescumque dictus Carolus archidux vel eius successores aliqua alia bona, etiam monasterii seu domus huiusmodi, quorum annui redditus, deductis oneribus, ad parem valorem ascenderent, ipsi collegio assignavissent, pensio praedicta cassata et nulla censeretur eo ipso, assignatio vero vim applicationis eadem auctoritate factae obtineret, prout in eiusdem praedecessoris litteris desuper confectis plenius continetur.

Studium generale in eo stitui petit Carolus, aucta id dote.

§ 2. Praefatus Carolus archidux, avitam et a maioribus suis acceptam catholicam religionem sartam tectam et inviolatam in locis sibi subiectis, ubi viget, conservare; sicubi vero collapsa est, hac potissimum ratione restituere, suosque subiectos quamplurimos ad litterarum studia, navandamque bonis artibus operam excitari cupiens, atque utraque in re praedictae Societatis operam et industriam, laboresque ea de causa susceptos, valde utiles et fructuosos in dies magis expertus, ut ampliores manipuli ex diversarum nationum ac linguarum agris, quarum provincias dictus Carolus archidux possidet, opitulante Deo, colligi possint, Studii generalis Universitatem in dicto collegio potissimum auctoritate praedicta erigi, eiusque curam et regimen praedictae Societati committi et mandari desiderat; cumque ad hunc effectum, etiam hortum ipsi collegio contiguum pleno iure ad praedictum Carolum archiducem spectantem, ac certam etiam tunc expressam quantitatem salis ex salinis ibidem ad eumdem Carolum archiducem pertinentibus, per eius ministros eidem collegio quotannis, in certis terminis similiter tunc expressis,

porrigendam, partem etiam tunc designatam Murae fluvii oppidi Graecensis praedicti, cum omnibus suis emolumentis, commodis et iuribus, ut piscium copia eis non deesset, eidem collegio pie ac liberaliter in perpetuum concesserit, et amplioribus etiam immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, privilegiis et gratiis ipsum collegium et Studium generale sic erigendum ornaverit et cumulaverit, ac, ad sustinenda onera impensasque pro ipsius Studii generalis conservatione et amplitudine, collegii praedicti redditus annuos augendos esse necessario existimet, et, quantum in eo est, sedulo providere intendat; propterea nobis humiliter supplicari fecit quatenus, subditorum suorum saluti et commodo consulentes, in praedicto oppido et aedibus dicti collegii Studii generalis Universitatem, in qua Societatis religiosi huiusmodi theologiam, philosophiam ac ingenuas artes publice profiterentur, et iuvenes quoscumque docerent, auctoritate praedicta, perpetuo erigere et instituere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Praefati Sixtus,

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus et ordinavimus quod litterae reservationis vel assignationis cuiusvis pensionis annuae super alicuius beneficii ecclesiastici fructibus expediri non possent, nisi consensu illius, qui dictam pensionem persolvere tunc haberet, praedictum Carolum archiducem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in oppido praedicto et aedibus dicti collegii, ubi nunc scholae sunt, seu forsan in ampliorem formam construentur, Universitatem Studii generalis, in qua religiosi Societatis huiusmodi theologiam, philosophiam et ingenuas artes publice profiteantur, ac iuvenes quoscumque doceant, ad instar aliarum Universitatum Studiorum generalium, tam in transalpinis provinciis et regnis, quam alias ubilibet erectorum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

Universitatem rectori collegii supponit;

§ 4. Ipsamque Universitatem ac Studium generale sic erectum et institutum curae, regimini et administrationi rectoris collegii huiusmodi pro tempore existentis, qui totius Universitatis rector existat, praedicta auctoritate, etiam perpetuo supponimus et submittimus.

Privilegia necerectae Universitati concedit;

§ 5. Ac eisdem Universitati illiusque rectori, magistris, scholasticis aliisque praedictis universis et singulis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis huiusmodi Universitatibus illarumque pro tempore existentibus rectoribus, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholasticis, procuratoribus, bidellis, nunciis, officialibus, ministris et aliis personis, in genere vel in specie, tam praedicta quam imperiali, regia aut ducali auctoritatibus, ac alias quomodolibet pro tempore concessis, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere.

Rectori dat facultatem lauream conferendi;

§ 6. Insuper rectori eiusdem Universitatis et collegii pro tempore existenti, ut illos quos in ipsa erecta Universitate, vel etiam alibi in quavis alia parte, debitum tempus studuisse, ac scientiae et moribus idoneos esse repererit, in praedictis facultatibus artium et theologiae, ad baccalaureatus, etiam formati, licentiaturae, laureae doctoratusque et magisterii gradus,

servata forma Viennensis concilii, et alias iuxta Universitatum aliorum Studiorum generalium consuetudines et erectae Universitatis statuta, promovere, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibere; utque ad dictos gradus sic per illum promoti, postea publice et privatim, etiam in omnibus aliis Universitatibus Studiorum generalium, facultates prædictas interpretari et alios docere et de eis disputare, gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedictis seu aliis Universitatibus et alibi iuxta illarum constitutiones et mores ad gradus praedictos promoti, de iure vel consuetudine, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum, in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus ipsos in Universitatibus huiusmodi iuxta illarum mores et constitutiones rite suscepissent, uti, potiri et gaudere.

Praeposito generali Societatis Iesu adiudicat ius faciendi statuta, et rectorem ceterosque officiales eligendi;

§ 7. Necnon moderno et pro tempore existenti dictae Societatis praeposito generali, ut, per se vel dictorum collegii et erectae Universitatis rectorem aut alium seu alios, pro salubri et felici directione dictae Universitatis erectae, ac rectoris, magistrorum, procuratorum, bidellorum, nunciorum et aliorum ministrorum muneribus et functionibus, modoque et forma docendi, et alias sua officia exercendi, ac scholarium manutentione, quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta, ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non contraria edere et promulgare, eaque, pro temporum, rerum et personarum qualitate, mutare, corrigere et reformare, seu illa cassare et abrogare, ac alia de novo edere, et super illorum observatione poenas eius arbitrio imponere, dictaeque erectae Universitatis doctores, magistros, lectores, scholasticos, procuratores, bidellos aliosque ministros et officiales eligere et amovere, seu electiones factas confirmare licite valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium huiusmodi, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Bona eidem collegio ab archiduce assignata confirmat Pontifex;

§ 8. Demum bona et iura a praedicto Carolo archiduce, ut praefertur, collegio et huiusmodi Universitati per praesentes erectae praedictis concessa et donata, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo applicamus et appropriamus.

Necnon aliam pensionem addit, ita ut collegium pensione quatuor millium et ducentorum florenorum gaudeat;

§ 9. Praeterea, in augumentum dotis collegii et erectae Universitatis huiusmodi, utque dictae Societatis presbyteri et alii inibi pro tempore degentes commodius sustentari valeant, eis de alicuius subventionis auxilio providentes, ultra praedictam tunc, ut praefertur, assignatam, aliam pensionem annuam aliorum duorum millium florenorum etiam Rhenensium, ita ut utraque pensio huiusmodi in universum et insimul ad summam quatuor millium et ducentorum florenorum similium ascendat, super monasterii seu domus huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus, etiam si super illis aliae pensiones annuae aliis personis assignatae existant, ac omnes pensiones huiusmodi insimul eorumdem fructuum, reddituum et proventuum medietatem excedant, ac omnes illos absorbeant, pro tempore existenti rectori vel alteri superiori collegii ac erectae Universitatis huiusmodi, vel eius procuratori ad hoc ab eo speciale mandatum habenti per pro tempore existentem monasterii seu domus huiusmodi administratorem et eius successores, monasterium seu domum huiusmodi pro tempore quomodolibet obtinentes, aut eorumdem fructuum, reddituum et proventuum fictuarios, seu alios monasterii seu domus huiusmodi officiales, annis singulis, in quatuor terminis, singulo videlicet trimestri pro quarta parte, pensionem quatuor millium et ducentorum florenorum huiusmo-

di, prima solutione in principio mensis ianuarii proxime praeteriti incipiente, et sic deinceps pro quarta parte pensionis quatuor millium et ducentorum florenorum hujusmodi de trimestri in trimestri et in fine cuiuslibet trimestris, non obstante quacumque mutatione ipsorum fructuum, reddituum et proventuum aut bonorum quorumcumque ad monasterium seu domum huiusmodi pertinentium, quibuscumque temporibus vel causis contingente, quam propterea quocumque modo aut titulo fieri contigerit, et quatenus eorumdem collegii et erectae Universitatis fundationi, ac eiusdem Caroli archiducis ordinationi, ac pensionum huiusmodi reservationibus, constitutionibus et assignationibus praeiudicet, subreptitiam, irritam et inanem, nulliusque prorsus roboris et momenti esse decernimus, integre persolvendam, auctoritate apostolica, tenore praesentium huiusmodi, pariter perpetuo reservamus, constituimus et assignamus. Decernentes priorem pensionem a dicto praedecessore, ut praefertur, reservatam, etiam non obstante eiusdem praedecessoris decreto praedicto per ipsum apposito, propter praemissa minime cessare, neque priorem pensionem huiusmodi cassatam vel extinctam esse ac fore, sed alias iuxta prioris reservationis formam et tenorem in dictis terminis persolvi debere et in suo robore permanere, perinde ac si decretum praedecessoris huiusmodi appositum ab initio non fuisset. Ac praesentes litteras nullo tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari seu impugnari posse; sicque, in præmissis universis et singulis, per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari; necnon administratorem praedictum et monasterii seu domus huiusmodi pro tempore existentem ad integram solutionem pensionis quatuor millium et ducentorum florenorum praedictis rectori vel superiori collegii et erectae Universitatis huiusmodi faciendam, iuxta posterioris reservationis, constitutionis et assignationis praedictarum tenorem, fore efficaciter obligatos; ac volentes et eadem auctoritate apostolica statuentes quod ille ex administratore et successoribus suis praedictis, qui in dictis terminis vel saltem intra triginta dies illorum singulos immediate sequentes pensionem quatuor millium et ducentorum florenorum huiusmodi per eum tunc debitam non persolverit, lapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrat, a qua, donec rectori vel superiori collegii et erectae Universitatis huiusmodi vel eorum procuratori praedictis de pensione quatuor millium et ducentorum florenorum huiusmodi per eum tunc debita integre satisfactum, aut alias cum dictis rectore vel superiore seu eorum procuratore praedicto super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere; si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, sustinuerit indurato, ex tunc effluxis mensibus ipsis, regimine et administratione monasterii seu domus huiusmodi perpetuo privatus existat, illudque seu illa vacare censeatur eo ipso.

Executores praesentium litterarum deputat;

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Salisburgensi et Amerinensi episcopis, ac dilecto filio causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut

unus eorum, per se vel alium seu alios, faciant pensionem quatuor millium et ducentorum florenorum huiusmodi rectori vel superiori vel eorum procuratori praedictis, iuxta posterioris reservationis, constitutionis, assignationis et decreti tenorem, integre persolvi, et nihilominus quemlibet ex administratore monasterii seu domus et successoribus suis praedictis, quem huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse eis constiterit, quoties super hoc pro parte rectoris vel superioris praedicti fuerint requisiti, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes tamdiu dominicis et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatum publice nuncient et faciant ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctius observari et evitari, donec rectori vel superiori vel procuratori praedictis de pensione quatuor millium et ducentorum florenorum huiusmodi, quae tunc debita, fuerit integre satisfactum, ipseque excommunicatus ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerit obtinere; contradictores, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Contraria tollit.

§ 11. Non obstantibus voluntate priori et ordinatione nostris praedictis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac monasterii seu domus et illius Ordinis ac Universitatum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si administratori et successoribus suis praedictis vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod ad praestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, kalendis maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 maii 1585, pontif. anno I.

II.

Erectio ecclesiae cathedralis Vindensis in Livonia [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Aequum et rationi congruum reputamus ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum sortiantur effectum.

Livoniae provinciam Stephanus Poloniae rex ab haereticorum manibus vindicat.

§ 1. Dudum siquidem cum charissimus in Christo filius noster Stephanus, Poloniae rex illustris, provinciam Livoniae, olim suae temporali ditioni subiectam, et postmodum a finitimis Moscovitis et forsan aliis barbaris nationibus occupatam, haeresibusque misere pollutam et difformatam, superna opitulante gratia, recuperasset, ac illius incolae et habitatores, discussa errorum caligine, ad lumen fidei et sacri Baptismatis lavacrum sanctaeque matris Ecclesiae gremium sensim accedere, et exinde religio christiana ipsaque fides, unde vera ac etiam omnis spes redemptionis pendebat, ibidem instaurari et propagari coepissent.

Eoque instante, Gregorius XIII Vindensem ecclesiam cathedralem ecclesiam erigit.

§ 2. In provincia autem praedicta longe lateque diffusa, et cathedralibus ecclesiis, quibus priscis temporibus instructa erat, infidelium perversitate penitus suppressis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

et profanatis, nullus existeret catholicus antistes ad ea, quae iurisdictionis et muneris episcopalis erant, exercenda, et propterea idem Stephanus rex, pro divini cultus ibidem incremento et animarum salute, oppidum Vindense in meditullio dictae provinciae consistens, et incolarum multitudine refertum, ac in illis partibus plurimum insigne, in civitatem; et ecclesiam S. Ioannis Baptistae eiusdem oppidi in cathedralem ecclesiam erigi pio affectu exoptaret, felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, qui in specula militantis Ecclesiae, disponente Domino, constitutus, ad universi orbis provincias, ut illarum felici statui et decori, animarumque saluti incolarum eorumdem consuleret, aciem suae considerationis more vigilis pastoris frequenter referebat; ac in provinciis ipsis, prout necessitas et aliae rationabiles causae id exigebant, novas episcopales sedes atque ecclesias, pro excellenti Sedis Apostolicae præeminentia, plantabat, ut per novas plantationes huiusmodi nova populorum adhaesio eidem militanti Ecclesiae accresceret, religionisque christianae et catholicae fidei professio inibi validius consurgeret, dilataretur, ac loca, etiam humilia, dignioribus titulis, illorumque incolae et habitatores novarum sedium et honorabilium praesulum assistentia suffulti, proficerent semper in fide, et quod in temporalibus erant adepti, non carerent in spiritualibus incremento, habita super his per ipsum praedecessorem cum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, ac de illorum consilio et assensu, apostolicaeque potestatis plenitudine, prædicto Stephano rege super hoc per suas litteras huiusmodi supplicante et instante, sub datum videlicet quinto idus maii, pontificatus sui anno duodecimo, ad omnipotentis Dei laudem, ac Beatae Mariae Virginis et eiusdem S. Ioannis Baptistae totiusque coelestis curiae honorem, necnon dictae fidei exaltationem et propagationem, oppidum Vindense in civitatem Vindensem nuncupandam, et ecclesiam Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi in cathedralem ecclesiam, sub invocatione eiusdem S. Ioannis Baptistae, quae dictae Sedi immediate subiecta esset, donec alicui archiepiscopo metropolitico iure subiiceretur, pro uno episcopo Vindensi nuncupando, qui illi præesset, et ipsam ecclesiam Sancti Ioannis Baptistae seu illius structuras et aedificia ad formam cathedralis ecclesiae redigi faceret, ac infideles ad cultum verae fidei converteret, et conversos in eadem fide instrueret et confirmaret, eisque Baptismi gratiam impenderet, ac episcopalem iurisdictionem ceteraque omnia, quae ad munus episcopale pertinebant, haberet et exerceret, cum sede, dignitate, mensa aliisque insignibus episcopalibus, necnon privilegiis, honoribus, immunitatibus, præeminentiis, facultatibus, gratiis et iuribus, quibus ceterae cathedrales ecclesiae regni Poloniae earumque praesules, de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet utebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant quomodolibet in futurum.

§ 3. Insuper in eadem ecclesia, sic in cathedralem erecta, unam praeposituram, post pontificalem maiorem, unum decanatum, unum archidiaconatum, unam cantoriam, unam scholastriam et unam custodiam, inferiores dignitates ibidem futuras, necnon sex canonicatus et totidem praebendas pro uno cantore, uno praeposito, uno decano, uno archidiacono, uno scholastico, uno custode, et sex canonicis, qui omnes simul capitulum dictae Ecclesiae Vindensis constituerent, ac in ea missas et alia divina officia celebrare, illisque interesse, ac alia onera sibi pro tempore incumbentia supportare deberent, *Capitulum et dignitates in eadem instituit;*

cum mensa, arca et sigillo ceterisque insigniis capitularibus, apostolica auctoritate, perpetuo erexit et instituit.

Dioecesim constituit;

§ 4. Ac eidem ecclesiae sic in cathedralem erectae et institutae civitatem Vindensem pro civitate, et totam provinciam cum suis castris, villis et locis, eorumque territoriis et districtibus pro dioecesi, necnon ecclesiasticas pro clero, saeculares vero personas in eisdem civitate et dioecesi pro tempore degentes, pro populo, dicta auctoritate, etiam perpetuo, concessit et assignavit; civitatemque, dioecesim, clerum et populum huiusmodi ipsi episcopo Vindensi pro tempore existenti, quoad episcopalem et ordinariam iurisdictionem ac superioritatem, eadem auctoritate similiter perpetuo subiecit.

Dotem episcopo capituloque assignat;

§ 5. Necnon episcopali et capitulari mensis praedictis, pro earum dote, ac pro tempore existentium episcopi, praepositi, decani, archidiaconi, cantoris, scholastici, custodis et canonicorum praedictorum sustentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, tot proprietates et alia bona stabilia, quae ad valorem annuum quatuor millium ducatorum auri de Camera ascenderent, ad id per praedictum Stephanum regem in dicta provincia assignanda, pro episcopali videlicet, duorum; pro capitulari vero mensis praedictis, iuxta eiusdem Stephani regis ordinationem et divisionem inter dignitates ac canonicatus et praebendas huiusmodi pro tempore obtinentes faciendam, aliorum duorum millium ducatorum praedictorum ex nunc, prout ex ea die et e contra, postquam assignata forent, ut praefertur, auctoritate praedicta pariter perpetuo applicavit et appropriavit.

Poloniae regibus ius patronatus tribuit super Vindensem ecclesiam.

§ 6. Necnon Stephano et pro tempore existenti Poloniae regi praedicto ius patronatus et praesentandi personas idoneas ad ecclesiam Vindensem, atque praeposituram, archidiaconatum, scholastriam, cantoriam ac duos tantum ex canonicatibus et praebendis huiusmodi, tam ab eorum primaeva erectione praedicta, quam deinceps illorum vacatione, quovis modo, etiam apud Sedem praedictam, pro tempore occurrente: quoad ecclesiam Vindensem videlicet, unam ipsi praedecessori et pro tempore existenti Rom. Pontifici, per eum in eiusdem ecclesiae episcopum et pastorem, ad praesentationem huiusmodi, praeficiendam; quo vero ad praeposituram, archidiaconatum, scholastriam, cantoriam ac duos ex canonicatibus et praebendis huiusmodi, alias personas prædictas episcopo Vindensi pro tempore existenti, similiter per eum ad praesentationem huiusmodi in illis instituendas, dicta auctoritate itidem perpetuo reservavit, concessit et assignavit; ac ius patronatus et praesentandi huiusmodi Stephano et pro tempore existenti regi praedicto ex meris fundatione et dotatione competere, illique, etiam per Sedem praedictam, quacumque ratione, derogari non posse nec derogatum censeri, nisi ipsius Stephani et pro tempore existentis Poloniae regis ad hoc expressus accederet assensus, et si aliter quovis modo eidem derogari contingeret, derogationes huiusmodi cum inde secutis quibuscumque nullius roboris vel momenti fore decrevit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Non public[...] lis Gregorii [...] toris, Sixtus [...] rem confirm[...] gestam, et [...] tam habet.

§ 7. Ne autem de erectione, institutione, concessione, assignatione, subiectione, applicatione, appropriatione, reservatione et decreto praedictis, pro eo quod super illis dicti praedecessoris, eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipsique Stephanus et pro tempore existentes Poloniae reges ac Vindenses episcopi praefati illorum frustrentur effectu, volumus et similiter dicta auctoritate decernimus

quod erectio, institutio, concessio, assignatio, subiectio, applicatio, approbatio, reservatio et decretum praedecessoris huiusmodi perinde a dicto die quinto idus maii suum sortiantur effectum, ac si super illis dicti praedecessoris litterae sub eiusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae ad probandum plene erectionem, institutionem, concessionem, assignationem, subiectionem, applicationem, appropriationem, reservationem et decretum praedecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc*.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, kalendis maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 maii 1585, pontif. anno I.

III.

Erectio Universitatis Studii generalis et collegii in oppido Mussipontanensi Metensis dioecesis[1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Rationi congruit et convenit honestati ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum sortiantur effectum.

Erectio studio Mussipontan.

§ 1. Cum itaque, in fundatione et erectione Universitatis Studii generalis diversarum scientiarum et collegii Societatis Iesu in oppido Mussipontanensi Metensis dioecesis, ad preces bonae memoriae Caroli cardinalis de Lotharingia nuncupati, et dilecti filii nobilis viri Caroli Lotharingiae et Barri Ducis, iam pridem a felicis recordationis Gregorio Papa XIII, praedecessore nostro, facta, indultum fuisset per eumdem praedecessorem, inter alia, rectori eiusdem collegii ac superioribus et presbyteris dictae Societatis pro tempore existentibus, ut, quoad theologiam, philosophiam ac humaniores litteras, illarum duntaxat professorum et magistrorum deputationes, ac scholasticorum in eas incumbentium vitae studiorumque disciplinam, correctionem, admissionem et dimissionem, necnon regimen et administrationem, ac promotionem ad gradus in dictis facultatibus, atque uno verbo totam politiae litterariae formam, iuxta eiusdem Societatis instituta, dirigerent, concessa in reliquis facultate dicto Carolo cardinali et personis ab eo nominandis, pro eiusdem Universitatis, sic per eumdem praedecessorem erectae, directione, quaecumque statuta condendi, mutandi, corrigendi, eiusdemque Universitatis rectores seu protectores, scholares, procuratores, bidellos et officiales pro tempore eligendi seu electiones aliis committendi.

Gregorius XIII rectori studiorum regimen, cetera vero cardinali Lotharingo adiudicaverat.

§ 2. Ipse vero Carolus cardinalis, sicut idem acceperat, morte praeventus, neque rectorem Universitatis umquam deputavisset, neque facultates huiusmodi alicui personae nominatim delegasset, licet dicti collegii rector per octo annos vel circiter, Caroli ducis praedicti permissu, etiam Universitatis rectoris nomen et officium obtinuisset, idque an iure factum esset in controversiam revocari audivisset.

Lotharingus vero, rectore Universitatis non electo, vita cessit.

§ 3. Idcirco ipse praedecessor, qui, pro munere sibi commisso, diligenter curabat ut Universitates Studiorum generalium, praesertim in locis animarum periculo subiectis constitutae, per rectores fide et religione probatos fideliter dirigerentur, ad tollendam omnem in praemissis conten-

Declaravit itaque Gregorius collegii rectorem, rectorem quoque esse Universitatis cum omni iure, privilegiis etc.;

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tionum et litium occasionem, simul etiam ut nequid praetermitteret eorum, quae ad eiusdem Universitatis salubrem gubernationem et scholasticorum eius piam ac rectam institutionem pertinerent, litterarum erectionis, fundationis ac indultorum huiusmodi tenores pro expressis habens, sub datum videlicet kalendis ianuarii, pontificatus sui anno tertio decimo, motu proprio et ex certa scientia sua, ac de apostolicae potestatis plenitudine, auctoritate apostolica, statuit ut ex tunc in posterum, perpetuis futuris temporibus, qui foret dicti collegii rector, idem etiam ipsius Universitatis rector pro tempore esset, et superior esse sine ulla dubitatione censeretur; cui non modo scholastici quicumque et officiales sed etiam omnes quarumcumque facultatum professores, etiam qui decanus nuncupatur iurisprudentiae eiusdem Universitatis, ceteraeque personae, tamquam membra capiti, subessent omnino et obedirent; is quoque rectoris nomen, insignia, privilegia, facultates, præeminentias ac sigillum ipsum cum hac inscriptione simpliciter, *Sigillum Rectoris Universitatis Mussipontanensis*, quo nemo alius praeter ipsum uti posset, in quibuscumque actibus publicis et privatis obtineret; omnes professores seu lectores quarumcumque facultatum, etiam iuris civilis et canonici, qui publice aut privatim docturi essent, etiam qui pedagogi munere tantum fungi vellent, prius ab ipso rectore vel personis ab eo nominandis super vita et moribus examinari deberent, et in manibus eiusdem rectoris seu alterius ab eo designandi catholicae fidei professionem, iuxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos, emitterent, neque quiquam huiusmodi munia publice vel privatim obire auderet, sine eiusdem rectoris licentia in scriptis obtenta; omnesque etiam in praedictis vel aliis quibusvis facultatibus, etiam iuris canonici et civilis, ad gradus magisterii, doctoratus, laureæ, licentiaturae vel baccalaureatus promovendi, similem emitterent coram eodem rectore vel personis ab eo deputandis fidei professionem; idque etiam servaretur ab omnibus et singulis scholasticis cuiuscumque facultatis, qui etiam in albo ipsius rectoris postea describerentur sive immatricularentur, eique obedientiam debitam, etiam iure iurando interposito, promitterent; nihilominus deinceps in alteram matriculam referrentur decani iurisprudentiae si iuri civili vel canonico operam dare voluissent; qui hoc facere recusarent, a munerum praedictorum functionibus et graduum promotionibus et numero scholasticorum ac audiendis professoribus arcerentur; quotannis festo die Sancti Nicolai, omnes lectores, doctores, scholastici et officiales Universitatis, etiam qui iuri canonico vel civili operam darent, ad solemnia sacra Universitatis in ecclesia collegii praedictae Societatis celebranda convenirent; similiter et interessent supplicationibus et processionibus solemnibus, quas bis aut ter quot annis rector, si ei videretur, indiceret; omnesque, ut illis interessent per ecclesiasticas censuras et poenas, etiam pecuniarias, per inobedientes eo ipso incurrendas, compellere posset. Idem rector collegii et Universitatis omnes et quoscumque theologiae, philosophiae et humanarum litterarum dumtaxat lectores, praeceptores, cancellarium, decanum, secretarios, bidellos ceterosque officiales deputandi et amovendi, quaeque ad illorum regimen pertinerent ordinandi et disponendi, corrigendi, mutandique, iuxta eiusdem Societatis statuta, ut dictum est, plenam et liberam haberet facultatem.

Ducibus l tharingiae eligendi de num et prof sores iurisp dentiae tribu

§ 4. Insuper ipsam Universitatem dicto Carolo duci et eius in ducatu successoribus commendans, illum in Domino rogavit ut, inter ceteros labores, pericula et curas,

quae pro defensione catholicae fidei assidue fortiter subire non recusabat, eiusdem quoque Universitatis patrocinium et protectionem, quam pie susceperat, quamque ei omnino auctoritate apostolica concessit, continuare non dedignaretur, eidem duci tunc et pro tempore existenti decanum et professores iurisprudentiae pro tempore eligendi et amovendi plenam auctoritatem tribuendo.

[illegible] officiales removendi, et decano iuris canonici et civilis concedendi;

§ 5. Ceterum voluit ut ipse decanus iurisprudentiae, cum consilio aliorum professorum, libere posset omnes officiales eidem facultati inservientes eligere atque amovere, cui etiam decano iurisprudentiae professores omnes atque scholastici et officiales iuris canonici et civilis parerent et obedirent, ac ab ipso regerentur, et ab eodem decano iurisprudentiae ad gradus et insignia iuris canonici et civilis promoverentur, et promoti litteras promotionum munitas eiusdem sigillo, in quo esset inscriptio huiusmodi, *Sigillum Decani iurisprudentiae Universitatis Mussipontanensis,* ut moris erat, acciperent.

Episcopis autem Virdunensi ac Tullensi statuta condendi, reformandi etc.

§ 6. Praeterea venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, Metensi et Virdunensi ac Tullensi episcopis, seu tribus aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, ab eodem Carolo duce eligendis, eorumque cuilibet, quoad facultatem iurisprudentiae, ac pro salubri directione scholasticorum in ea incumbentium, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione ac etiam ex integro editione indigere cognovissent, reformandi, mutandi, corrigendi et de novo condendi; condita, sacris canonibus non repugnantia, confirmandi, abusus quoscumque tollendi ac quicquid statuissent et ordinassent, utque ea ipsaque in litteris apostolicis, si desuper confectae fuissent, statuta et ordinata forent, perpetuo observari faciendi; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendi; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas incurrisse declarandi, ipsasque censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravandi, ac interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii saecularis ad ea, si opus foret, invocandi, plenam simili auctoritate concessit potestatem.

Sublatis quibuscumque in contrarium obstantibus.

§ 7. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae octavi, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis ad iudicium non traheretur, aliisque apostolicis constitutionibus; ac dictae Universitatis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, decano et professoribus, scholasticis, officialibus et aliis praedictis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse derogavit, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem esset Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sed cum Gregorii litterae expeditae non fuerint, praedicta omnia confirmat Sixtus.

§ 8. Ne autem de statuto, voluntate, cessione et derogatione praedictis, pro eo quod super illis eiusdem Gregorii praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipseque rector et alii praedicti illorum frustrentur effectu, volumus et praedicta auctoritate similiter decernimus quod statutum, voluntas, concessio et derogatio Gregorii praedecesso-

ris huiusmodi perinde a dicta die kalendis ianuarii suum sortiantur effectum, ac si super illis eiusdem Gregorii praedecessoris litterae sub eiusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur. Quodque praesentes litterae ad probandum plene statutum, voluntatem, concessionem et derogationem Gregorii praedecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Clausulae. § 9. Nulli ergo omnino hominum *etc.* Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, kalendis maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 maii 1585, pontif. anno I.

IV.

Exemptiones et gratiae clericorum regularium congregationis Sancti Maioli, alias de Somascha, a Gregorio XIII elargitae, validantur.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Aequum reputavimus ac rationi consonum ut ea, quae de Romani Pontificis providentia, praesertim in personarum ecclesiasticarum commodum, processerunt, licet, eius superveniente obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum sortiantur effectum.

Gregorius XIII congregationi exemptionem a iurisdictione et superioritate ac visitatione ordinariorum aliorumque iudicum concessit. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorio Papa XIII, praedecessori nostro, pro parte dilectorum filiorum praepositi et clericorum aliarumque personarum regularium congregationis S. Maioli, alias Somaschae, sub Regula S. Augustini canonice institutae et apostolica auctoritate confirmatae, supplicato quatenus eos specialibus favoribus et gratiis prosequi de benignitate apostolica dignaretur, praefatus praedecessor, qui circa statum personarum quarumlibet divino cultui emancipatarum salubriter dirigendum paterna sollicitudine libenter prospiciebat, ac earum oppressiones et gravamina relevabat, ut, quibuslibet perturbationibus semotis, facilius valerent Altissimo suum exhibere famulatum, eosdem praepositum, clericos et personas regulares specialis gratiae favore prosequi volens, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum, harum serie absolvens et absolutos fore censens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub datum III idus martii, pontificatus sui anno XIII, omnes et singulos dictae congregationis praepositum generalem, superiores, officiales, presbyteros, clericos ceterasque personas, professas et non professas, necnon familiares et ministros, cum omnibus et singulis ecclesiis, oratoriis, coemeteriis, cappellis, domibus, conventibus, mobilibus et immobilibus, praesentibus et futuris bonis, ac iuribus et iurisdictionibus quibuscumque, ac rebus, tam sacris et religiosis quam profanis, ad ipsam congregationem spectantibus et pertinentibus, ac ubicumque existentibus, quae de praesenti legitime possident, et in posterum, Deo iuvante, canonice per eos acquiri contigerit, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, superioritate, subiectione, visitatione, correctione quorumcumque ordinariorum, quacumque dignitate, praeeminentia et auctoritate fungentium, et aliorum iudicum ecclesiasticorum et saecularium, apostolica auctoritate, in perpetuum exemit et liberavit, et sub sua et Sedis Apostolicae ac beati Petri

protectione immediate recepit. Ipsique praeposito generali, clericis, et personis ut iidem ordinarii et officiales aut alii quicumque iudices, etiam ratione criminis, delicti, contractus, nullam in praepositum, personas congregationis ac res et bona praefata iurisdictionem, potestatem, superioritatem et dominium exercere possent.

Licentiamque divina sacramenta omnibus christifidelibus, etiam alienae parochiae subditis, omni, praeterquam Paschatis, tempore ministrandi, et exemit etiam a servitiis praelatorum ministrationis et funeralium;

§ 2. Necnon quod omnes et singuli ipsius congregationis presbyteri regulares, a suis superioribus ad id specialiter approbati, eorumque licentia vel consensu desuper requisito et obtento, possent in ecclesiis propriis ipsius congregationis, vel in aliis etiam quibuscumque, de licentia illorum superiorum, missas celebrare, confessiones quorumcumque christifidelium, etiam alienae parochiae subditorum, audire, et sanctum Eucharistiae Sacramentum ministrare, quibuscumque festivis ac non festivis ac dominicis diebus, et omnibus temporibus, Paschatis dumtaxat exceptis; neque, sub prætextu antiquæ consuetudinis, et ex eo quod ecclesiae, in quibus sacramenta huiusmodi ministrarent et munera praedicta obirent aut alio modo iis deservirent, subditae essent alteri ecclesiae tamquam matrici aut cathedrali seu titulari, vel alias, idcirco in aliquibus solemnitatibus aut temporibus, iuxta priscum morem clericorum deservientium in talibus ecclesiis subditis, ipsi presbyteri et clerici regulares dictae congregationis maioribus huiusmodi ecclesiis vel locorum ordinariis, et episcopali vel archiepiscopali aut maiori dignitate fungentibus, etiam S. R. E. cardinalibus, quocumque privilegio et facultate suffultis, assistere seu inservire sive ullum personale servitium praestare aut aliquo modo ministrare; neque ad funera defunctorum, nisi eorum quos in ecclesiis ipsius congregationis sepelire contigerit, etiamsi vocati, accedere tenerentur, neque ad id cogi aut compelli ullo modo possent, de eadem auctoritate concessit et indulsit.

Transitum ad aliam etiam arctiorem Ordinem, praeter quam Cappuccinorum et Cartusianorum, absque superioris huius congregationis licentia interdixit;

§ 3. Praeterea universis et singulis qui in ipsa congregatione professionem emiserant vel emitterent, ne in posterum ad quemcumque alium Ordinem vel congregationem, etsi arctior in eo vigeret regularis observantia (fratrum Minorum Cappuccinorum nuncupatorum et Cartusianorum dumtaxat Ordinibus exceptis), nisi obtenta prius a superiore dictae congregationis licentia, transire valerent, et in singulos transeuntes apostasiae poenam, quam ipsos et illorum receptatores, etiam cuiuscumque privilegii apostolici praetextu, cui, ad hunc effectum, idem praedecessor specialiter et expresse derogavit, excommunicationisque sententiam, a qua nonnisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem absolvi possint, promulgavit.

Emittentibusque professionem concessit, ut ea die confessorem eligerent, qui ipsos absolveret, et cum eis dispensaret etc.

§ 4. Postremo omnibus et quibuscumque personis professionem regularem in dicta congregatione emissuris, in ipso professionis emissionis die, ut aliquem dictae congregationis presbyterum possent sibi eligere confessorem, qui ipsos, confessione eorum audita, a quibusvis excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, et in quibus insordescerent et declarati ac publicati forent, etiam in casibus Sedi apostolicae reservatis, et in bulla die Coenae Domini legi solita contentis, facta prius debita satisfactione, et sine alicuius praeiudicio, semel tantum iniuncta salutari poenitentia, absolvere possent, facultatem concessit et indulsit, ac cum eisdem, super quacumque irregularitate, ex quacumque causa (praeterquam ex homicidio voluntario ac bigamia) quomodolibet contracta, sive censuris praefatis ligati, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarent, vel alias divinis se immiscerent, ita ut, ea non ob-

stante, nondum promoti omnes et singulos, etiam presbyteratus, ordines suscipere; et promoti, in susceptis per eos ordinibus huiusmodi, etiam in altaris ministerio, ministrare libere et licite valerent, eo ipso quod professionem emitterent, auctoritate praefata dispensavit.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, necnon quibusvis decretis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Hic modo Pontifex litteras praedicti Gregorii XIII ob eius mortem non expeditas totaliter validat.

§ 6. Ne autem de absolutione, exemptione, liberatione, receptione, singulis concessionibus, indultis et dispensatione Gregorii praedecessoris huiusmodi, pro eo quod super illis, eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipsique praepositus generalis, clerici et aliae personae congregationis huiusmodi illorum frustrentur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod absolutio, exemptio, liberatio, receptio, singulae concessiones, indulta et dispensatio Gregorii praedecessoris huiusmodi, perinde a dicta die III idus martii suum sortiantur effectum, ac si super illis praefati Gregorii praedecessoris litterae, sub eiusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur. Quodque praesentes litterae ad probandum plene absolutionem, exemptionem, liberationem, receptionem, singulas concessiones, indulta et dispensationem Gregorii praedecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, kalendis maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 maii 1585, pontif. anno I.

V.

Iubilaei indictio ad implorandum Dei auxilium pro bono regimine reipublicae christianae.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae indictionis huius iubilaei.

Virium nostrarum infirmitati pastoralis officii molem nuper impositam considerantes, non possumus susceptum tantae administrationis munus non maxime formidare. De Illius tamen benignitate non desperantes, qui operari dignatur in nobis, non desinimus Eius auxilium implorare, Eique mentis nostrae sensus, ne altius extollantur, humiliter subiicere; illud agnoscentes et vere confitentes unius Dei clementiam, nullis praecedentibus meritis, nostri in imbecillitate nostra memorem, magna in nobis fecisse mirabilia, quos, tot et tantis gratiarum donis cumulatos, honoris Principis apostolorum admirabili dignatione voluit esse consortes. Quam tamen dignitatem et potestatem cum multae graves curae consequantur, valde sollicitamur, tum quod de collatis in nos maximis beneficiis, quae Dei benignitati referimus accepta, nullam dignam gratiam, quam Eius clementiae persolvamus, nostra potest infantia reperire; tum etiam quod sub tanto pondere exiguas vires initio contremiscere ac pene iam corruere sentimus; non tamen animo deficientes, ad summam Dei bonitatem confugimus, fideliumque et Deum timentium, quorum Ipse (ut speramus) voluntatem faciet, orationes expetimus, quibus, omnipotenti Deo semper benedicendo, gratiisque misericordiae eius agendis adiuvemur, viribus-

que a coelesti rege subministratis suffulta, nostra infirmitas commissas nobis curarum et salutarium reipublicae christianae officiorum partes, orantis simul populi instantia promerente, valeat sustinere, opemque agitatae et ubique fere depressae catholicae religioni suppeditare, ne, cum in altitudinem maris venerimus, tempestate demergamur, sed potius horribiles tot peccatorum fluctus et excitatas toto mari procellas discutientes, cum credito nobis grege optatum cursum et aeternae salutis portum teneamus.

Forma consequendi iubilaeum.

§ 1. Omnes igitur et singulos utriusque sexus christifideles ubicumque existentes monemus ac in Domino requirimus ut, qui in hac alma Urbe sunt, proxime sequenti hebdomada, aut altera protinus post eam item sequenti; qui vero extra Urbem degunt, cum primum harum notitiam habuerint, prima aut secunda itidem immediate sequenti hebdomada, conscientia sua diligenti prius examinatione discussa, peccata sua omnia humili et contrito corde confiteantur, et ante festum Pentecostes eiusdem hebdomadae quarta et sexta feria et sabbato (cum hoc tempore ieiunia non indicantur) eleemosynas erogent, piaque earum largitione, quantum pro sua cuique facultate visum fuerit, Christi pauperum egestatem et inopiam sublevent, orationibusque a Deo impetrare studeant ut nobis lumen suum ostendat, pares tanto oneri vires praebeat, omnesque actiones nostras dirigat, ac hostium Ecclesiae suae conatus infringat. Die vero dominica, quae dictas eleemosynas atque orationes proxime sequetur, sacrosanctam Eucharistiam devote accipiant. Ita ut, qui post festum Pentecostes voluerint infradicendae indulgentiae beneficio frui, dictis tribus diebus, praeter orationes et eleemosynas, etiam ieiunare teneantur. Et nihilominus, ut Deum magis propitium nobis et populo christiano reddere, ipsique, quantum nostrae tenuitati conceditur, gratias agere valeamus, et ad tantum onus substinendum vires impetremus, nos ipsi supplicationes processionesque una cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, omnibusque praelatis et Romanae Curiae magistratibus, die lunae, qui erit XXVII dies praesentis mensis maii, ab ecclesia S. Mariae in Aracoeli usque ad basilicam S. Mariae Maioris habere atque incedere statuimus. Ceterum, ut fideles ipsi ad haec omnia peragenda magis idonei efficiantur, de tradita nobis a Domino potestatis plenitudine, Ecclesiae thesauros, quorum, divina favente clementia, dispensatores effecti sumus, copiose ac benigne aperientes, omnibus christifidelibus supradictis, ut hac vice tantum confessores idoneos presbyteros saeculares vel cuiusvis Ordinis regulares, ab ordinariis tamen approbatos, eligere, qui, eorum confessionibus diligenter auditis, eos a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, ac in litteris die Coenae Domini quotannis legi solitis contentis, in foro conscientiae dumtaxat, ac etiam a sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis per eos quomodolibet incursis, iniuncta inde eis pro culpae modo poenitentia salutari, absolvere, ac quaecumque per eos emissa vota (praeterquam castitatis et Religionis) in alia pietatis opera commutare valeant, per praesentes concedimus.

§ 2. Nos enim omnibus qui praemissa devote adimpleverint, de eiusdem omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, plenissimam omnium peccatorum remissionem, ac eamdem, quae christifidelibus anno iubilaei huius almae Urbis ecclesias et extra eam deputatas statutis diebus devote visitantibus concessa

Iubilaei concessio.

est, misericorditer in Domino elargimur; eos quoque qui, morbo vel aliquo alio impedimento detenti, praemissa adimplere nequiverint, si alia pia opera fecerint, in quae arbitrio suorum confessorum (quibus super hoc facultatem impartimur) commutata fuerint; ac etiam illos, qui in itinere fuerint, si cum primum iter perfecerint, praemissa exequi studuerint, ipsius indulgentiae et doni ac aliorum praedictorum participes fieri volumus.

Iussio publicandi ubique dictum iubilaeum. § 3. Praecipientes universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et quibusvis aliis ecclesiarum praelatis et locorum ordinariis, ut statim, cum praesentes litteras seu earum transumptum authenticum, etiam impressum, ad eos deferri contigerit, solemnes processiones tribus diebus, scilicet quarta et sexta feriis ac sabbato praedictis, iuxta locorum opportunitatem, ad effectum praemissorum, indicant et celebrent, ac easdem praesentes seu earum transumptum per suas quisque provincias, civitates et dioeceses, sine ulla fraude aut lucro, publicent et per ecclesiarum rectores publicari faciant.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum. § 5. Quia vero praesentes ad omnia loca, quibus illis opus esset, perferri nequeunt, decernimus ut illarum transumptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 25 maii 1585, pontif. anno I.

VI.

Revocatio exemptionum omnium ab onerum cameralium solutione quibuscumque personis quomodolibet concessarum.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius revocationis. Inter varias curas, quae ex pastoralis officii ministerio nobis incumbunt, illa potissimum animum nostrum pulsat atque perturbat, ut nobis et Romanae Ecclesiae subditi, praesertim pauperes, praetextu exemptionum aliarumque similium gratiarum a Sede Apostolica concessarum, nullatenus graventur, neque id totum, quod a potentioribus et maiores facultates habentibus eximitur, in pauperiorum caput eorumque damnum et praeiudicium accrescat.

Revocatio quarumcumque exemptionum a solutione onerum cameralium, exceptis hic enunciatis. § 1. Unde, ex his et aliis rationabilibus causis adducti, ac nonnullorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas exemptiones, concessiones, gratias et immunitates a solutione omnium et singulorum datiorum, pedagiorum, gabellarum, collectarum, impositionum et quorumlibet aliorum onerum personalium, mixtorum, ordinariorum, extraordinariorum, solitorum et insolitorum, aliarumque exactionum, etiam cameralium, quibusvis communitatibus, universitatibus, civitatibus, terris, oppidis et locis Status nostri Ecclesiastici, ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, baronibus, comitibus seu quocumque nomine nuncupatis, et quacumque, etiam ducali vel alia dignitate et auctoritate, seu etiam cardinalatus honore fulgentibus, qui castra et iurisdictiones in-

fra limites ditionis ecclesiasticae possident, etiam qui nihil, ratione castrorum et iurisdictionis huiusmodi, Sedi Apostolicae annuatim seu alias persolvunt, et tam incolis quam extraneis atque forensibus bona stabilia seu mobilia vel semoventia habentibus et tenentibus seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis et laboratoribus, per praedecessores nostros et Sedem Apostolicam eiusque etiam de latere legatos seu vicelegatos, et Cameram Apostolicam eiusque praesidentes, ac alias quomodocumque, sub quibusvis formis et verborum expressionibus, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus (praeterquam ob susceptionem liberorum iuxta iuris dispositionem, et ob causam vere effectualis et congruae exbursationis pecuniarum, seu ex aliis causis per nos cognoscendis et approbandis), perpetuo seu ad certum tempus concessas, ac etiam pluries confirmatas, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo cassamus, revocamus et annullamus ac viribus omnino evacuamus, illasque pro cassis, nullis, irritis et revocatis ac penitus infectis haberi volumus.

Declaratio quod a data praesentium revocatio afficiat.

§ 2. Necnon exemptiones, concessiones, gratias et immunitates praedictas nulli penitus, nec in petitorio nec in possessorio, suffragari posse, sed praedictos omnes exemptos ad omnium et singulorum praedictorum onerum impositionem, ac gabellarum solutionem et contributionem, perinde ac si exemptiones praedictae eis concessae non fuissent, pro rata ipsos tangente, a Datum praesentium decurrenda, realiter et cum effectu contribuere, eorumque bona accatastari, allibrari, describi seu annotari facere quamprimum debeant et teneantur, etiam perpetuo statuimus et declaramus.

Confirmatio bullae Pii V et aliorum Pontificum

§ 3. Ac omnes et quascumque, tam per felicis recordationis Pium V quam alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, super praemissorum revocatione quomodolibet editas constitutiones similiter perpetuo confirmamus, approbamus et innovamus.

Lites quascumque desuper etiam extinguit;

§ 4. Et insuper quascumque lites et causas super praemissis et eorum occasione ubilibet motas atque pendentes, illarum status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium etiam praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ad nos harum serie advocamus, litesque huiusmodi penitus extinguimus et annullamus, ac pro extinctis et annullatis haberi volumus.

Sic et non aliter iudicari mandat;

§ 5. Sicque per quoscumque iudices, etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam dictae Camerae clericos, et causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Executores deputat;

§ 6. Quocirca dilecto filio nostro Philippo S. Angeli in Foro Piscium diacono cardinali Vastavillano nuncupato, moderno, et pro tempore existenti nostro et ipsius Romanae Ecclesiae camerario, per apostolica scripta mandamus quatenus, per se vel alium seu alios eius nomine, praeter ordinariam sui camerariatus officii iurisdictionem, omnes et quoscumque supradictos exemptos, per censuras ecclesiasticas ac etiam privationis feudorum et inhabilitatis ad illa, aliasque, etiam pecuniarias, poenas, ad realem et actualem cuiusvis summae, tam hactenus debitae quam debendae, solutionem, iuxta taxas hactenus impositas cogat et compellat; ac pro faciliori exactione et satisfactione consequen-

da, eidem Philippo cardinali et pro tempore existenti camerario quoscumque, quatenus opus fuerit, citandi, et etiam ad personaliter comparendum monendi, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu; necnon quoscumque inobedientes et rebelles, censuras et poenas comminatas incidisse et incurrisse, servata forma concilii Tridentini, declarandi, aggravandi, reaggravandi et interpretandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, et relaxandi, aliaque omnia et singula faciendi, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint seu alias quomodolibet opportuna, plenam tenore praesentium concedimus facultatem.

Clausulas derogatorias apponit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis; necnon quibusvis immunitatibus, exemptionibus aliisque praemissis, ac aliqua possessione vel forsan usurpatione de non solvendo et contribuendo, necnon nostra de non tollendo iure quaesito aliisque Cancellariae Apostolicae regulis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque, clausulis et decretis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, etiam motu simili ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus specialiter et expresse harum serie derogamus. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, tertio kalendas iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 29 iunii 1585, pontif. anno I.

VII.

Prohibitio alienandi per subditos Status Ecclesiastici in non subditos et forenses bona in eo existentia aut fortalitia et castra, absque Sedis Apostolicae licentia.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sollicitudo paternusque affectus, quo Sedis Apostol. subditos prosequimur, nos inducunt ut ea diligenti cura prospiciamus, quae ad illorum conservationem, Statusque Ecclesiae utilitatem et commodum pertinent.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Accepimus siquidem quod in diversis civitatibus, terris, oppidis et castris, nobis et dictae Sedis temporali ditioni subiectis, extant statuta prohibentia res ac bona stabilia in forenses et non subditos alienari. Nihilominus nonnulli cives et incolae civitatum, terrarum, castrorum et locorum huiusmodi bona stabilia aliis personis extraneis vendere et alienare praesumunt, in maximum praeiudicium et damnum civium et incolarum praedictorum.

Confirmatio statutorum prohibentium alienationem bonorum in non subditos.

§ 2. Quocirca nos, considerantes quantum statuta praefata utilia et favorabilia sint, quantumque reipublicae intersit dicta bona in illius cives et habitatores conservari, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et certa scientia, statuta huiusmodi, etiam si non sint in usu, apostolica auctoritate, tenore praesentium, de cetero observari mandamus.

Prohibitio alienandi bona in Statu Ecclesiastico existentia aliis quam vassallis, absque Sedis Apostolicae licentia.

§ 3. Et nihilominus, quod perpetuis futuris temporibus, universitates, civitates, collegia, feudatarii quicumque, ac personae cuiusvis status, gradus, ordinis, qualitatis et conditionis existant, etiamsi imperiali, regali, ducali vel alia quavis auctoritate et dignitate, etiam ecclesiastica, quae specialem et individuam mentionem requireret, praediti sint, nullatenus, sine nostra et Sedis praedictae licentia, audeant seu praesumant civitates, oppida, castra, feuda, iurisdictiones ac bona quaecumque, stabilia vel immobilia, in dicto Statu Ecclesiastico existentia, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris, per eos nunc et pro tempore possessa, vendere, permutare, ultra triennium locare, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus seu precarium concedere, in aliquam communitatem, universitatem, collegium vel personam extraneam seu forensem, quae nobis et dictae Sedi, ratione temporalis iurisdictionis Status nostri, subdita et supposita non sit, vel quae domicilium legitime non contraxerit in dicto nostro Statu, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis et qualitatis existat, etiamsi, ut praefertur, imperiali, regali, ducali vel alia quavis auctoritate et dignitate, etiam ecclesiastica, quae specialem et individuam mentionem requireret, praedita sit.

Prohibitio alienandi castra et fortalitia, etiam vassallis, absque simili licentia.

§ 4. Insuper, quia decens et conveniens existit, quod, si vendantur vel permutentur seu etiam donentur civitates, castra et oppida, multo magis fortalitia, id ad notitiam principis deducatur, et praesertim si feuda et iurisdictiones feudales, ea omnia, nec in exteros, nec in alios quoscumque, nisi de expressa praecedente nostra et pro tempore existentis Romani Pontificis eadem supradicta licentia, vendi, permutari vel donari valeant.

Praeceptum, quod non reversuri ad Statum Ecclesiasticum illa vendant infra biennium.

§ 5. Neque etiam extraneus aut subditus originarius, bona huiusmodi in dicto Statu habens et in eo habitans, si ab illo discedat, amplius ad ipsum non reversurus, illa retinere possit, sed intra biennium, ex quo ipse demigraverit, ea vendere seu pro aliis extra dictum Statum existentibus permutare, aut alias transferre in alium immediate subiectum teneatur, auctoritate et tenore praesentium, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, perpetuo statuimus et ordinamus.

Declaratio circa supradictas prohibitiones.

§ 6. Licitum tamen erit omni dicti Status habitatori, sive extraneo sive subdito, de bonis suis in eodem Statu positis vel in consanguineos vel in alios de dicto Statu non existentes quocumque alio quam venditionis seu permutationis vel donationis titulo disponere; ac suis, etiam ab intestato, haeredibus pariter licebit in illis succedere; qui tamen, intra triennium, vel in eumdem Statum habitatum veniant, vel bona ipsa in alium seu alios habitatores et subditos, ut praefertur, transferant. Quod etiam illis extraneis, ad quos bona huiusmodi ex quibuscumque aliis quam venditionis seu permutationis aut donationis huiusmodi causis pervenerint, illave acquisiverint, censeatur permissum.

Declaratio bonorum ut supra alienari prohibitorum.

§ 7. Bonorum autem praefatorum appellatione, neque census, neque portiones seu loca montium, nec mulierum dotes, sed neque Urbem nostram, quae communis patria est, cum eius decem passuum millia circuitu, volumus comprehendi;

filii tamen et haeredes dictarum mulierum, soluto matrimonio, si extranei fuerint, aut in eodem Statu ad habitandum aut vendendum seu permutandum, ut dictum est, sint adstricti.

Contravenientium poenae, et annullatio contractuum.

§ 8. Decernentes communitates, universitates, collegia vel personas extraneas seu forenses huiusmodi ad dictorum bonorum pro tempore contra earumdem praesentium tenorem alienatorum acquisitiones omnino inhabiles; necnon quoscumque contractus, venditiones et alienationes contra huiusmodi prohibitionem quocumque modo vel causa pro tempore faciendas, nullas et invalidas existere, nullumque ius per eas emptoribus attributum esse seu tribui posse. Necnon omnes scripturas desuper conficiendas ac inde secuta quaecumque nullius roboris vel momenti esse, nec ex illis audiri, agi et excipi posse, in iudicio vel extra; ipsaque bona alienata ad eos, ad quos de iure pervenire debent, spectare et pertinere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 9. Sicque per S. R. E. cardinales, etiam legatos ac vicelegatos, necnon sacri Palatii Apostolici auditores, gubernatores, seu illorum locatenentes, aliosque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praeceptum de observantia huius constitutionis.

§ 10. Mandantes eisdem legatis, vicelegatis, gubernatoribus ac iudicibus, nunc et pro tempore in toto Statu praedicto existentibus, et eorum cuilibet, ut statutum et ordinationem et alia praemissa perpetuo ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, per censuras ecclesiasticas et alia eis benevisa remedia observari faciant et mandent.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis constitutionibus; necnon civitatum, oppidorum, terrarum et locorum praedictorum statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate munitis, ac etiam immemorabili et quantocumque tempore pacifice observatis; necnon civitatibus, civitatumque iuribus, privilegiis, exemptionibus et indultis apostolicis, illis eorumque dominis praedictis ac quibusvis aliis per quoscumque Romanos Pontifices ac nos et dictam Sedem quomodocumque et quoticscumque concessis, confirmatis et innovatis; quae omnia, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, omnino tollimus et abrogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicandi hanc constitutionem.

§ 12. Volumus autem easdem praesentes, quoniam in consistorio nostro et de consilio praedicto promulgatae sunt, a die datae ipsarum quoscumque, tam praesentes quam absentes et ubicumque, etiam extra dictum Statum existentes, perinde obligare ac si cuique singulatim intimatae fuissent. Et nihilominus, ut illae amplius innotescant, mandamus eas valvis ecclesiae Sancti Ioannis Lateranensis et basilicae Principis apostolorum de Urbe aliisque locis consuetis appendi, et in libris dictae Camerae describi. Ac etiam volumus ut ipsarum exempla, etiam impressa, edantur, eaque notarii publici manu et sigillo cuiuscumque curiae, ecclesiae aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignata, eam ipsam prorsus fidem ubique locorum, in iudicio et extra illud, faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum *etc.* Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo

quingentesimo octuagesimo quinto, kalendis iulii, pontificatus nostri anno I.

✝ Ego SIXTUS catholicae Eccl. episcopus.

Dat. die 1 iulii 1585, pontif. anno I.

VIII.

Quod clerici regulares congregationis S. Pauli Decollati ad processiones et alios actus publicos accedere non cogantur, ex indulto Gregorii XIII [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Rationi congruit et convenit honestati ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum sortiantur effectum.

Gregorius XIII, ut causis hic expressis, concessit huic congregationi ne eius clerici ad processiones et huiusmodi actus publicos inviti accedere cogerentur; § 1. Dudum siquidem per felicis recordationis Gregorium Papam XIII, praedecessorem nostrum, accepto quod, licet dilecti filii clerici, presbyteri, superiores et personae congregationis clericorum regularium Sancti Pauli Decollati, a quinquaginta annis vel circa auctoritate apostolica institutae, a principio institutionis congregationis huiusmodi, ut, iuxta pium eorum institutum, a quibuscumque occupationibus expediti, animarum saluti libere consulerent et invigilarent, ad publicas processiones, quae in civitatibus et locis, in quibus ipsa congregatio propagata erat, fiebant et celebrabantur, ac ab ordinariis locorum indicebantur, convenire non consuevissent, attamen bonae memoriae Carolus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Borromaeus nuncupatus, ecclesiae Mediolanensis ex dispensatione apostolica praesul, S. Barnabae, Mediolanensis, et Beatae Mariae Virginis Corobioli nuncupati oppidi Modoetiae, Mediolanensis dioecesis, domorum dictae congregationis clericos, presbyteros, superiores et personas ad processiones huiusmodi comitandum induxerat, cui ipsi clerici, presbyteri, superiores et personae, ob singularem observantiam, qua eum prosequebantur, obtemperaverant, quibus quoque idem Carolus cardinalis locum in huiusmodi processionibus post omnes quorumvis Ordinum regulares constituerat, quod canonici regulares se aegre molesteque ferre cum plurimis protestationibus significarent, prout tunc temporis, praedicto Carolo cardinali, sicut Domino placuerat, vita functo, id pati nullatenus se velle profitebantur. Idcirco, cum eorumdem clericorum, presbyterorum, superiorum et personarum institutioni non conveniret ad similes processiones accedere, ne quae propria erant eorum instituti praetermittere cogerentur, idem praedecessor, ex incumbenti sibi apostolicae sollicitudinis studio, circa statum personarum ecclesiasticarum quarumlibet divino cultui emancipatarum salubriter dirigendum libenter prospiciens et intendens; ac earum, quas suavi religionis iugo noverat esse suppositas, ut, quibuslibet perturbationibus semotis, facilius valerent suum Altissimo exhibere famulatum, oppressiones et gravamina relevare; necnon quaecumque scandala, quae praecedentiae causa inter clericos, presbyteros, superiores ac personas necnon canonicos regulares huiusmodi ac forsan alios intercedere possent, tollere volens; ac congregationem illiusque clericos, presbyteros, superiores et personas huiusmodi eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, qua-

[1] Huius congregationis institutionem et cetera quae eam concernunt vide in Clem. VII constitutione XLV, *Vota*, pag. 160, tom. VI.

vis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existerent, ad effectum dumtaxat infrascriptorum consequendum absolvens et absolutos fore censens, sub datis videlicet idibus martii, pontificatus sui anno tertiodecimo, motu proprio, non ad congregationis illiusque clericorum, presbyterorum, superiorum et personarum praedictarum vel aliorum pro eis ipsi praedecessori super eo oblatae petitionis instantiam, sed de sua mera liberalitate, congregationi, necnon clericis, presbyteris, superioribus et personis praedictis, quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus, quibuscumque processionibus et aliis quibuslibet actibus publicis quocumque tempore de more vel consuetudine aut alias pro tempore fiendis et celebrandis ac ab ordinariis praedictis indicendis, interesse minime tenerentur, nec ad id ubique locorum, per quoscumque ordinarios aliasque personas, inviti cogi et compelli possent, apostolica auctoritate praedicta perpetuo concessit et indulsit; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decrevit.

Obstantibus quae derogavit.

§ 2. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis inibi expressis casibus, et in illis ultra unam diaetam, ad iudicium extrahatur, seu ne iudices a Sede Apostolica deputati extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; necnon quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus et generalibus, constitutionibus et ordinationibus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem esset Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Hic Pontifex litteras Gregorii XIII, eius superveniente obitu non expeditas, validat et servari mandat.

§ 3. Ne autem de absolutione, concessione, indulto et decreto praedictis, pro eo quod super illis ipsius Gregorii praedecessoris, eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ac congregatio, necnon etiam clerici, presbyteri, superiores et personae huiusmodi illarum frustrentur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod absolutio, concessio, indultum et decretum Gregorii praedecessoris huiusmodi perinde a dicta die idibus martii suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae sub eiusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur. Quodque praesentes litterae ad probandum plene absolutionem, concessionem, indultum et decretum huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Executores quos deputat.

§ 4. Quocirca dilectis filiis Archipresbytero ecclesiae Mediolanensis et vicariis venerabilium fratrum nostrorum Papiensis ac Laudensis episcoporum in spiritualibus generalibus, per apostolica scripta mandamus, motu simili, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte congregationis et clericorum, presbyterorum, superiorum et personarum praedictarum aut pro eis agentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra congregationem ac clericos, presbyteros, su-

periores et personas necnon pro eis agentes praedictis concessione, indulto et decreto aliisque praemissis, iuxta earumdem praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere; non permittentes eos aut eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut impediri. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, ac easdem censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, et interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus omnibus supradictis.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.* Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, kalendis maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 maii 1585, pontif. anno I.

IX.

Innovatio omnium constitutionum a Romanis Pontificibus hactenus editarum contra exules, bannitos aliosque facinorosos homines, eorumque receptatores et fautores; et multarum impositio poenarum in eosdem, necnon contra communitates et alios sua territoria eiusmodi scelestis hominibus expurgata non custodientes [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Hoc nostri pontificatus initio, inter multa reipublicae damna et incommoda, quae menti nostrae obversabantur, nobis longe fuit gravissimum quod populos S. R. E. ditioni temporali subiectos non modo ad rerum substantiarumque suarum perturbationem et iacturam, sed etiam vitae periculum redactos invenerimus, exulibus, bannitis ceterisque id genus facinorosis hominibus ita undique ingruentibus et grassantibus, ut vix quisquam ab hac hominum peste tutus alicubi consistere posse videatur. Quare, cum ad haec sananda mala ex officii nostri debito et praecipue erga nostros ac eiusdem Romanae Ecclesiae subditos caritate assidue extimulemur, nihil non agere et tentare decrevimus quo populis optata quies, salus, securitas et tranquillitas per nos restituatur. Quod ita demum, Deo auxiliante, speramus nos esse consecuturos, si caute

1 Quoad primam partem, extat in hoc opere const. VII Pii II, *Ad retinendas*, tom. V, pag. 156; const. IV Pauli II, *Viros*, ibidem, pag. 186; const. XVII Innocentii VIII, *Licet ea*, ibidem, pag. 341; const. VIII Iulii II, *Cum homines*, ibidem, pag. 415; const. XLI Leonis X, *Omnes*, ibidem, pag. 737; const. IX Clementis VII, *In sancta*, tom. VI, pag. 69; const. XXII Iulii III, *Cum civitates*, ibidem, pag. 463; et const. XXXV, *Cum sicut*, ibidem, pag. 486. Et extat etiam Pii IV const. XXXII, *In eminenti*, tom. VII, pag. 102; Pii V const. XIV, *Ex supernae*, ibid., pag. 452; et Gregorii XIII const. CXXII, *Tanta*, pag. 355 huius tomi. Quo vero ad secundam partem, contra non custodientes eorum territoria, habes constitution. I Iulii II, *Quia*, tom. V, pag. 399; et const. XXXI Leonis X, *Romani*, ibid., pag. 712; necnon constit. XXXII Pii. IV, *In eminenti*, tom. VII, pag. 102; et const. XIV Pii V, sup. iam citatam. Praeterea adversus eiusmodi perfidos homines, omnesque vindictam transversalem sumentes, Paulus II edidit const. *Viros*, ut supra; prout contra minantes pro habenda pace aliam edidit const. Innocentius VIII. Necnon contra franchitias in Urbe tenentes, vel acclamantes, habes in const. Iulii III, *Cum Civitates*, ut sup. Circa appellationes vero in contumacia condemnatorum notavi in constitut. LXIV Pii IV, *Etsi cuncta*, tom. VII, pag. 186; et in Pii V constitutione CCIX, *Licet iuri*, ibidem, pag. 946.

provideatur ne ullum domi forisque, intra extrave fines nostros, criminosis hominibus huiusmodi pateat diffugium aut receptaculum, sed omnino legum et magistratuum severitatem iustitiaeque gladium subire, ac debitas poenas luere cogantur.

Confirmatio constitutionum praedecessorum cum earum poenis, excepta poena excommunicationis.

§ 1. Itaque, de fratrum nostrorum consilio, omnes et singulas constitutiones a felicis recordationis Pio secundo et Paulo etiam secundo, Sixto quarto, Iulio similiter secundo, Leone decimo, Clemente septimo, Iulio tertio, Pio etiam quarto, Pio quinto, Gregorio decimotertio et quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, suo cuiusque tempore, in detestabile praedictorum et aliorum infrascriptorum hominum genus, pro temporis et criminum ratione, editas, cum omnibus et singulis in eis contentis, quoad ea quae praesentibus non contrariantur, et excepta excommunicationis sententia per easdem constitutiones in illis contravenientes promulgata, quam, ne animarum perniciem potius quam salutem adferat, consulto tollendam et submovendam duximus, ex certa scientia nostra approbantes et innovantes, illarumque omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis et insertis haberi volentes:

Barones et communitates eorum territoria a bannitis etc. libera custodiant;

§ 2. Universis et singulis ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus et domicellis, etiam quacumque ecclesiastica dignitate fungentibus, necnon vicariis, feudatariis, armorum ductoribus, capitaneis, magistratibus, communitatibus, universitatibus et officialibus civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum et aliorum quorumcumque locorum praedictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, necnon duorum millium per communitates, et mille per universitates, ac quinque millium ducatorum auri, Camerae Apostolicae irremissibiliter ipso facto applicandorum, per dominos temporales et alios praedictos, absque alia declaratione, incurrendis poenis (ultra alias in eorumdem praedecessorum nostrorum litteris contentas), districte praecipiendo mandamus quatenus, adhibita exactissima diligentia, de qua per publica documenta et alias probationes fidem faciant, eorum civitates, terras, oppida, castra, villas, dominia, loca et territoria omnia a perduellionibus, homicidis, latronibus, viarum grassatoribus, raptoribus, incendiariis, sicariis, exitiis, publicae quietis perturbatoribus, armatas facientibus, Statum Ecclesiasticum hostiliter peragrantibus, pro quocumque crimine capitali, etiam in contumaciam, bannitis, aliisque similibus notoriis delinquentibus et facinorosis hominibus, etiam nondum condemnatis, eorumque fautoribus et complicibus, quos omnes nostros dictaeque Romanae Ecclesiae rebelles ac publicos hostes esse decernimus, secura, libera et expurgata custodire, tenere et praeservare.

Eosque capiant et officialibus Pontificis consignent; et capere non valentes persequantur, convocatis dominis et communitatibus convicinis;

§ 3. Necnon si quos ex ipsis eo accedere vel commorari seu ad praedicta loca declinare vel illac pertransire contigerit, statim illos capere et apprehendere ac ad carceres conducere, captosque nostris et pro tempore existentium Romanorum Pontificum magistratibus et officialibus fideliter tradere et consignare, populosque suos pulsu campanarum et aliis signis ad arma convocare et coadunare teneantur. Quod si illos capere et apprehendere per seipsos nequiverint, finitimas quasque communitates et universitates necnon dominos temporales commonefaciant et in auxilium convocent, iunctisque simul viribus, eosdem perduelliones, homicidas, latrones et alios praedictos forti manu et incessanter, quocumque se verterint, etiam extra proprium territorium et iurisdictio-

nem, in ipso persecutionis actu, usque ad ultimam eorum profligationem, persequantur, ac ut capiantur et apprehendantur seu profligentur omnem operam adhibeant.

Et ad cavillationes proponendas executiones non admittuntur.

§ 4. Cumque verisimile non sit huiusmodi hominum genus in occulto versari, et eos, qui ad custodiam tenentur, si diligenter invigilent, illorum notitiam non habere, neque tantam multitudinem esse posse, quin a dominis temporalibus ac communitatibus et universitatibus praedictis vinci et opprimi queat, iuncto praesertim finitimorum auxilio, cavillosae excusationes sibi in posterum nullo modo suffragentur.

Particulares personae contra bannitos etc. arma capiant et accurrant.

§ 5. Particulares vero personae, cuiuscumque status, gradus et conditionis existentes, sub quingentorum ducatorum, similiter eidem Camerae ipso facto applicandorum, aliisque corporalibus, etiam ultimi supplicii inclusive, gubernatorum et officialium praedictorum arbitrio, iuxta cuiuscumque personae et culpae qualitatem, poenis, cum primum campanae sonitum aliave signa populum adversus dictos facinorosos homines convocantia audiverint, vel alias de illis quomodolibet notitiam habuerint, arma capere, et ad locum necessarium accurrere, ac una cum aliis, et per seipsum omnem conatum in persequendis, capiendis et profligandis bannitis aliisque nefariis hominibus praedictis adhibere teneantur.

Executoribusque iustitiae non se opponant vel resistant, sed armata manu subveniant.

§ 6. Praeterea, sub eisdem poenis, omnes et singuli praedicti, tam in Urbe quam extra eam, ad quamcumque curiae seu ministrorum et executorum iustitiae vel cuiuscumque eorum simplicem requisitionem, ac etiam nulla requisitione praevia, si aliquos ipsis resistere vel sese opponere seu aliquod impedimentum adferre, eosve ad aliquam executionem faciendam auxilio egere quoquomodo cognoverint, eisdem curiae ministris et executoribus opem et favorem, armata etiam manu, conferre et subvenire, ac praesto esse, et denique obedire, eosque, si opus fuerit, in perquisitione, executione, permansione, transitu et aliis praemissis comitari debeant.

Communitates, feudatarii etc. facinorosos non capientes, ultra alias poenas, ad damna reficienda astringantur.

§ 7. Insuper statuimus et ordinamus ut si qui ex perduellionibus, homicidis, latronibus, furibus et aliis facinorosis hominibus praedictis, in civitatibus, terris, oppidis, castris, villis, dominiis, locis et territoriis huiusmodi damna aliqua intulerint, seu furtum aut latrocinium commiserint, nec capti et deprehensi fuerint, sed impune evaserint, domini temporales seu communitates et universitates, nobis et Sedi Apostolicae mediate ac immediate subiecti, in quorum locis, territoriis et iurisdictionibus respective similia perpetrata fuerint, praeter hoc quod ad damnorum quorumcumque sic illatorum parti laesae damnaque huiusmodi patienti ac eorum haeredibus plenariam restitutionem et satisfactionem omnino teneantur, ad tantumdem etiam, quantum damna illata extimata fuerint, Camerae praedictae realiter et cum effectu persolvendum eo ipso sint adstricti, ac alias prout latius continetur in aliis litteris dicti Pii V, praedecessoris, contra dominos ac communitates et universitates eorum territoria non custodientes editis, quas, firmis tamen remanentibus aliis supra et infrascriptis poenis, tenore praesentium etiam innovamus.

Barones et alii maiores an. xiv et S. R. E. mediate et immediate in temporalibus subiecti, in Statu et extra, auxiliantes aut eosdem bannitos receptantes vel eorum persecutionem impedientes poenas hic descriptas incurrant.

§ 8. Duces quoque, principes, marchiones, comites, barones, domicellos, vicarios, feudatarios, gubernatores, magistratus, ductores, capitaneos et officiales praedictos, necnon quoscumque alios, cuiuscumque, etiam ecclesiasticae, dignitatis, conditionis, status, gradus, ordinis, excellentiae, sexus et aetatis, dummodo decimum quartum illius annum

excedant, huius Status et iurisdictionis nostrae temporalis ac predictae Romanae Ecclesiae in eisdem temporalibus mediate vel immediate subiectos, etiam dominia, iurisdictiones et loca extra Statum praedictum obtinentes, qui perduelliones, homicidas, latrones et alios nefarios homines praedictos in suis quisque dominiis, terris, oppidis, castris, fortalitiis, villis, locis, territoriis seu domibus, tam in ipso Statu quam extra eum consistentibus, receptaverint seu confoverint, aut quod in illis recipiantur vel confoveantur quoquomodo permiserint, seu ne ii capiantur impediverint, vel captos eripuerint seu occultaverint, aut illis potestatem seu commoditatem evadendi fecerint, vel carcerem aut aliam quamcumque custodiam effregerint, invaserint aut quoquomodo violare tentaverint, sive ad hoc homines vel arma aliave ministraverint, sive alias auxilium, consilium vel favorem, palam vel in occulto, per se vel alium seu alios, quoquomodo, etiam extra territoria, iurisdictiones et domos proprias, praestiterint seu praestare permiserint, vel etiam quoscumque iudices, ministros aut executores iustitiae in perquisitione, captura vel abductione ac omnino in eorum officii libera executione, sive in Urbe sive extra, ubique locorum impediverint seu verberaverint vel insecuti fuerint aut concusserint seu minis vel alias perterrefecerint, aut ad arma conclamaverint aliosve concitaverint, seu talia fieri mandaverint, facientibus adhaeserint et faverint, seu alicuius magnatis nomen, auxilii causa, adversus curiam, executores et ministros praedictos invocaverint, seu franchisias appellaverint (contra quas aliam constitutionem dicti Gregorii praedecessoris desuper editam similiter innovamus, acrioribus etiam remediis in dies usuri pro huiusmodi asylis, praesertim in dicta Urbe, tollendis et omnino extirpandis), laesae maiestatis reatum ac nulla iuris aut hominis fictione confictum crimen incurrisse, et eiusdem Romanae Ecclesiae rebelles, omnibusque et singulis privilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus, realibus et personalibus, necnon ducatibus, principatibus, marchionatibus, comitatibus, civitatibus, terris, oppidis, castris, dominiis, vicariatibus, guberniis, locis, iurisdictionibus, dignitatibus, etiam ecclesiasticis, honoribus, iuribus, officiis, pensionibus, beneficiis et fructibus ecclesiasticis, ac etiam quibuscumque feudis et concessionibus, quae a Romana praedicta et quibuscumque aliis ecclesiis obtinent et in futurum obtinebunt, ceterisque etiam immobilibus, mobilibus et se moventibus bonis, iuribus et actionibus eo ipso privatos; ipsosque et illorum filios ad illa et quaelibet alia in posterum obtinenda, ac quoscumque actus legitimos exercendos inhabiles et indignos fore atque esse; necnon a toto Statu Ecclesiastico, una cum eorum familiis, perpetui exilii poena damnari, domosque, aedificia, arces et fortalitia eorumdem demoliri et solo aequari, seu aliis dictae Camerae iuribus adscribi debere, nec illis portam ullius dignitatis ecclesiasticae vel mundanae umquam patere decernimus et declaramus. Vassallos vero, custodes, capitaneos, officiales, populos et subditos eorumdem a fidelitatis iuramento ac omagii et quocumque alio iure, quo ipsis quomodolibet adstricti fuerint, ex tunc penitus absolvimus et liberamus. Ducatus autem, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, civitates, terras, oppida, castra ceteraque bona praedicta, necnon iura et actiones, cum fructibus et emolumentis eorumdem, fisco nostro et Camerae praedictae ipso facto, absque aliqua declaratione, citatione, iudicis sententia seu decreto, vel

alia iuris et facti solemnitate habenda, etiam in praeiudicium filiorum, descendentium et aliorum quorumcumque agnatorum in investituris, concessionibus seu aliis dispositionibus comprehensorum, in omnibus et per omnia, perinde ac si per lapsum temporis illorum concessionis et finitam lineam ad ipsam Cameram rediissent seu devoluta essent, confiscamus, applicamus et incorporamus, illaque, sic nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus et Camerae praedictae aperta, devoluta, confiscata, applicata et incorporata, sub constitutione eiusdem Pii V, praedecessoris, de huiusmodi dominiis et iurisdictionibus in feudum aut alias non concedendis, minime comprehendi, etiam declaramus. Necnon quaecumque fideicommissa, substitutiones et alias dispositiones, sub quacumque verborum forma, etiam cum expressa alienationis prohibitione aliisque strictissimis clausulis et cautelis, conceptas, ad hoc ut fructus bonorum huiusmodi fideicommissis subiectorum, durante vita naturali delinquentis, etiam in contumaciam, ex praedictis causis condemnati, fisco applicentur, et in dictae Camerae usum convertantur, proprietatesque dictorum bonorum, quamdiu ipse delinquens naturaliter vixerit, per fiscum et Cameram huiusmodi possideantur et detineantur, tollimus et abrogamus.

Communitates eos tolerantes easdem poenas incurrunt.

§ 9. Ad haec, communitates et universitates huiusmodi, si homines facinorosos praedictos receptaverint, toleraverint, cibis, commeatu, auxilio, consilio vel favore aut quocumque alio modo, etiam ut evadant, per se vel alios, iuverint, omnibus poenis supradictis supponimus, eorumque res et bona omnia necnon fructus et emolumenta eidem fisco, modo et forma praemissis, applicamus et appropriamus.

Particulares autem eos capere non valentes, illico propalare et convicinos convocare debent.

§ 10. Particularibus autem hominibus, qui ad facinorosos praedictos capiendos et apprehendendos iustitiaeque ministris tradendos sufficientibus viribus fuerint destituti, nisi eosdem illico propalaverint, officialesque et populos finitimos, ita ut nullo modo evadant, convocaverint.

Scientes in praemissis aliquem esse culpabilem revelare tenentur.

§ 11. Ac demum iis, qui aliquem in praemissis culpabilem sciverint, nec nobis vel successoribus nostris seu alicui per quem ad nos vel dictos successores fideliter deferatur, intra trium dierum spatium revelaverint, poenam arbitrio iudicis pro modo culpae, etiam usque ad mortem inclusive, infligendam statuimus.

Iudices procedant etiam per inquisitionem etc.

§ 12. Decernentes super omnibus et singulis praemissis per accusationem, delationem, inquisitionem et quovis alio meliori modo procedi posse.

Privilegia de non consignandis bannitis revocantur.

§ 13. Ac quaecumque vetusta privilegia sive exemptiones, etiam immemorabiles, vel alias quascumque praetensiones de recipiendis et non consignandis huiusmodi bannitis et aliis facinorosis hominibus, nemini contra praesentium tenorem suffragari, etiam si de eis specialis et individua mentio facienda esset.

Receptatores non excusantur praetextu agnationis, consanguinitatis aut non dolosae receptionis.

§ 14. Neque receptatores, fautores, auxiliatores, consultores et alios quoscumque, praesentibus nostris ac praedecessorum nostrorum litteris, ut praefertur approbatis et innovatis, quomodolibet contravenientes, quocumque praetextu, etiam agnationis et cuiuscumque consanguinitatis, etiam in primo gradu, aut amicæ et non dolosæ et penitus inculpatæ nec ad malum finem receptionis ullatenus excusari, cum beneficium publicum sit privatae necessitudini praeferendum, nec dolus absit ab eo qui ipsis nefariis hominibus et publicis inimicis quoquomodo se amicum praestat, genusque hominum huiusmodi facile cognoscatur. Eum quoque qui sese vi et metu, ad manifestum et instans vitae periculum

evitandum, de quo tamen per legitimas probationes docere teneatur, eis receptum dedisse, sive victum et alia praestitisse asseruerit, nequaquam excusari, nisi, quamprimum se subripere vel alio transmittere potuerit, nulla interposita mora, de transitu vel statione dictorum facinorosorum hominum vicinum locum illiusque magistratus et officiales certioraverit.

Clausula sublata etc.

§ 15. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio et facultates.

§ 16. Et nihilominus, ut praemissa suum debitum (prout ex intimo cordis nostri affectus exoptamus) consequantur effectum, dilectis filiis eiusdem S. R. E. camerario, Urbis gubernatori, causarum Curiae Camerae praedictae generali auditori, necnon provinciarum nostrarum legatis, de quibus plurimum confidimus, ac vicelegatis et praesidibus, civitatumque et aliorum locorum praedictorum rectoribus et officialibus, ac ceteris omnibus singularum constitutionum et litterarum praedictarum executoribus, similiter in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae poena, per apostolica scripta mandamus ut, quisque pro se, ad omnimodam praesentium ac aliarum litterarum et constitutionum praedictarum, necnon poenarum omnium in eis contentarum executionem omnino procedentes, illas omnes et in eis contenta quaecumque, semper et ubique, per omnia loca praedicta, ac ab omnibus sub illis comprehensis inviolabiliter observari. Capitalesque sententias praedictas a iustitiae ministris, absque alicuius irregularitatis incursu, exequi mandent et faciant; ac, pro executione poenarum pecuniariarum, contra communitates, universitates, dominos temporales et alios praedictos, propter eorum inobedientiam, represalias concedant, realiterque et irremissibiliter dictas poenas pecuniarias exigant.

Clausulae derogatoriae.

§ 17. Non obstantibus fideicommissis, investituris, concessionibus, substitutionibus, testamentis et aliis dispositionibus, necnon privilegiis, exemptionibus ac aliis praemissis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, haberi volumus pro expressis et insertis; necnon omnibus, quae in singulis litteris praedictis concessum est non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Hortatio ad principes extra Statum Ecclesiasticum temporalem iurisdictionem habentes, ut bannitos non assecurent sed capiant et remittant.

§ 18. Rogamus quoque et hortamur attente in Domino omnes et singulos quamcumque iurisdictionem temporalem extra Statum Ecclesiasticum praedictum exercentes, etiam regia, ducali vel alia quacumque mundana vel ecclesiastica auctoritate, superioritate et excellentia fulgentes, velint, pro sua in nos et hanc sanctam Sedem Apostolicam devotione et observantia reique ipsius aequitate, providere ne posthac in provinciis, dominiis et locis suis perduelliones, homicidae et alii facinorosi praedicti ullo modo recipiantur, assecurentur vel tuti reddantur; quinimo, si ipsos ad illa declinare aut ibidem reperiri contigerit, per suos iustitiae ministros et executores capi et apprehendi, ac ad praesides et gubernatores provinciarum et locorum nostrorum, unde ipsi originem traxerint vel delictum commiserint, libere conduci et remitti, eisque consignari mandent et procurent. Ac quoscumque salvos conductus et alias assecurationes revocent et annullent, prout nos vice versa id-

ipsum contra huiusmodi facinorosos homines a dictis eorum provinciis et dominiis bannitos fieri et observari curabimus; sperantes hac optima ratione omnino futurum ut eiusdem S. R. E. et cuiusque eorum ditionis Status, annuente Domino, expurgetur, populique nobis et illis subditi pacis et tranquillitatis dulcedine fruantur.

Forma et effectus publicationis huius constitutionis.

§ 19. Ut autem praesentes litterae omnibus innotescant, et ne quisquam illarum ignorationem allegare possit, iubemus illas valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae appendi, eisque detractis, illarum exempla, etiam impressa, in eisdem locis affixa relinqui: factaque huiusmodi publicatione, volumus ipsas praesentes hic in Urbe publicatas, die sequenti; extra eam vero, post decem dies, quoscumque perinde arctare atque afficere, ac contrafacientes poenas et alia supradicta omnino incurrere ac si eis singulis praesentibus in propriis eorum personis et locis intimatae fuissent.

Fides exemplorum.

§ 20. Insuper earumdem praesentium exempla, etiam impressa, notarii publici manu et camerarii praedicti aut alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo obsignata, eamdem prorsus fidem ubique locorum, in iudiciis et extra illa, facere, quae ipsaemet praesentes facerent, si forent exhibitae vel ostensae.

Communitates publicent hanc constitutionem in eorum publicis consiliis, in archivio custodiant, et quolibet anno eam cum aliis hic nominatis in publico consilio referant.

§ 21. Necnon quod quaelibet communitas, universitas et populus quarumcumque civitatum, oppidorum, castrorum et locorum praedictorum, sub indignationis nostrae ac mille ducatorum dictae Camerae applicandorum poenis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, statim cum praesentes litterae nostrae huiusmodi, sive earum transumptum, etiam impressum, ad eorum notitiam pervenerit, convocato publico consilio, in praesentia officialium, syndicorum et curam maleficiorum habentium, eas una cum aliis praedecessorum nostrorum constitutionibus, sic, ut praefertur, confirmatis et innovatis, ibi alta et intelligibili voce, etiam vulgari sermone illas declarando, ut melius et facilius ab omnibus percipi et intelligi possint, legi facere, et deinde in eorum archivio publico diligenter custodiri curare omnino debeant; ac singulis annis successive in principio cuiuslibet anni, perpetuis futuris temporibus, similiter easdem litteras praesentes et alias innovatas in eodem publico consilio legendo reiterare teneantur. Alioquin loci gubernator, rector et quilibet alius iustitiae minister, quocumque nomine nuncupatus, contra eos ad executionem poenarum huiusmodi sine mora irremissibiliter procedat.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, kalendis iulii, pontificatus nostri anno I.

† Ego Sixtus catholicae Eccl. episcopus. — Papae subscriptio.

Sequuntur cardinalium subscriptiones.

Dat. die 1 iulii 1585, pontif. anno I.

X.

Quod festum Praesentationis B. M. Virginis die vigesimaprima mensis novembris duplici officio celebretur.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

B. Virginem, quam angeli admirantur in coelis, hic Pontifex in terris venerari studet.

Intemeratae Matris Dei Mariae, ex cuius purissimis visceribus, salva per Spiritus Sancti virtutem integritate virginitatis, Auctor vitae nasci dignatus est, salutiferam foecunditatem humiliter veneramur, et quaecumque ab ultimis orientis adhuc Ecclesiae aliisque temporibus a

sanctis Patribus in eius honorem instituta fuerunt, nostrae imbecillitatis ope tueri atque augere, et, si quid fuerit praetermissum, Ipsa adiuvante quae supra choros sedet angelorum, renovare studemus, ut spiritualium gaudiorum crebritate devota nobiscum plebs laetetur; et cuius splendorem angelici coetus admirantur in coelis, eius in terris per sacras festivitates recolendae, laudandae atque invocandae pia memoria non praetermittatur. Aliis igitur celebritatibus perpetuae Virgini, quae ab aeterno praeparata, et propheticis testificationibus praenunciata, nondum tamen Mater Dei, angelo nunciante, fuerat effecta, a catholica Ecclesia consecratis, eiusdem quoque, quae templum Dei futura erat et sacrarium Spiritus Sancti, in templum praesentationem, ab antiquissimis usque temporibus summa ubique gentium cum veneratione observatam, adscribi volumus, et sicubi intermissa est, restitui ac iugiter custodiri.

Ideo eius Praesentationis festum celebrari mandat.

§ 1. Quare hac perpetua constitutione mandamus ut Praesentationis B. Mariae semper Virginis festus dies, undecimo kalendas decembris, per omnes totius orbis ecclesias, duplici officio, prout in Nativitatis die, sumpto Praesentationis vocabulo, peragatur, idemque in kalendario cum duplicis adiectione inseratur.

...ssio publicandi et observandi.

§ 2. Praecipientes omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ceterisque ecclesiarum praelatis, in universi orbis ambitu constitutis, ut in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus et dioecesibus praesentes nostras solemniter publicari faciant, ab omnibusque ecclesiasticis personis, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus omnino observari, licet adnotatio huius celebritatis in postremis breviarii et missalis reformationibus fuerit praetermissa.

Fides exemplorum.

§ 3. Volumus quoque ut praesentium exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, kalendis septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 sept. 1585, pont. anno I.

XI.

Quod festum S. Francisci de Paula, Ordinis fratrum Minimorum institutoris, singulis annis die secunda mensis aprilis duplici officio celebretur 1.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

B. Franciscus de Paula, multis virtutibus et miraculis clarus.

In coeli throno Qui sedet Rex Omnipotens, terramque scabellum pedum suorum calcat, supremo e solio pusillorum servorum respicit humilitatem, eosque, in quibus illa elucet, ad excelsa sublimium honorum et gaudiorum culmina extollit. Quod in sanctis suis omni tempore demonstravit, recenti vero, patrum nostrorum memoria, in B. Francisco de Paula ample testificari dignatus est. Is enim, ab ineunte aetate, coelestium rerum amore incensus, ex minimo, qualem se in Dei hominumque conspectu fecerat, magnus evasit: interque alia, quibus claruit, virtutum ornamenta, unam mirifice amplexus est, Regi regum semper acceptam, humilitatem, quam, sicuti noverat primum ingressum fuisse Christi Salvatoris nostri in mundum, ita, in angusto ad pietatem et sanctitatem introitu patefaciendo, primam sibi et ducem et sociam ascivit. Hac atque aliis divinae gratiae praesidiis beatus confessor munitus, apud magnos principes et reges, cum

1 Canonizatio huius Sancti habes in Leonis X const. XXXIV, *Excelsus*, tom. V, pag. 717; et de dicto eius Ordine attende Sixti IV const. VII, *Sedes*, ibidem, pag. 212.

adhuc in mundo, quasi hospes, peregrinaretur; in patria vero, coelestes inter choros post absolutam peregrinationem a Deo, cui fideliter servierat seque in primis humiliaverat, est exaltatus, magnasque virtutes, ut etiam in vita cum summa omnium, qui viderunt vel audierunt, admiratione, meruit operari.

Ordinem FF. Minimorum instituit.

§ 1. Quibus virtutibus fratrum Minimorum, congruente suae humilitati denominatione, Ordinem, quem vivens instituerat, mirum in modum auxit, ita ut, ex sancti viri imitatione, devotisque fratrum ipsorum studiis, multis iam in Italia, quae de eius nativitate, atque in Gallia, que de sancta obdormitione in Domino gloriantur, totiusque christiani orbis regionibus, aedificatis templis coenobiisque constructis, eius memoria in dies magis propagetur.

Leo decimus Franciscum canonizavit.

§ 2. Ipse autem a felicis recordationis Leone Papa decimo, praedecessore nostro, sanctorum, quos catholica veneratur Ecclesia, catalogo, solemni ritu, adscriptus, in coelo pro ipsa semper Ecclesia assiduisque pastoralis servitutis et sollicitudinis nostrae laboribus apud Deum, una cum omnibus sanctis et sibi cognomine atque aeternae felicitatis consorte beato Francisco, Ordinis fratrum Minorum fundatore, intercedit.

Hic modo Pontifex eius festum duplici officio celebrari iubet.

§ 3. Quare nos, eius nomen et sanctitatem dignis, quantum nostra patitur infirmitas, honoribus decorare volentes, hac praesenti constitutione mandamus ut eiusdem Beati Francisci de Paula confessoris gloriosi dies festus, qui quarto nonas aprilis peragitur, duplici posthac et proprio, et ubi propria non erunt, de communi confessorum non pontificum officio, per cunctas totius christiani orbis ecclesias quotannis celebretur, et in kalendario cum duplicis festi adiectione inscribatur.

Observarique mandat et promulgari.

§ 4. Praecipientes omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ceterisque ecclesiarum praelatis in universo terrarum orbe constitutis, ut faciant in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus et dioecesibus praesentes nostras solemniter promulgari, et ab omnibus ecclesiasticis personis, saecularibus et quorumcumque Ordinum regularibus, omnino observari.

Exemplorum fides.

§ 5. Volumus quoque ut praesentium exemplis *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus nostri anno I.

Dat. 1585, pontif. anno I.

XII.

Renovatio Studii generalis in civitate Firmi Status Ecclesiastici, olim a Bonifacio VIII instituti, cum privilegiis et indultis aliorum Studiorum generalium [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Muneris nostri debito incumbit ut ad ea propensiori cura intendamus, per quae litterarum studia propagentur, studiorumque generalium collegia et Universitates, unde scientia ipsa, et praesertim iuris utriusque prudentia, sine qua respublica rite administrari nequiret, et per quam iustitia undique colitur, et omnis prosperitas humanae eruditionis augetur, instituantur, et his quae propterea a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, civitatibus, illarumque civibus et personis, praesertim nobis et Sedis Apostolicae temporali ditioni subiectis, provide processerunt, ut firma, perpetua et

1 Quoad lectores et scholares Studiorum eiusmodi, vide etiam Concil. Trident., cap. I, sess. V; et Pii IV const. CV, *In Sacrosancta*, tom. VII, pag. 323.

illibata persistant, implementum auctoritatis nostrae libenter impertiamur, illaque nonnunquam innovemus, aliasque desuper disponamus, prout civitatum et hominum praedictorum singularis erga dictam Sedem devotio et merita exposcunt atque requirunt, et nos conspicimus in Domino salubriter expedire.

Bonifacius VIII in civitate Firmi Status Ecclesiastici Studium generale erexit ad instar Studii Bononiensis.

§ 1. Sane cum, sicut accepimus, alias, postquam felicis recordationis Bonifacius Papa VIII, praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, ac supplicationibus dilectorum filiorum tunc existentium communitatis et hominum civitatis nostrae, tunc suae, Firmanae inclinatus, per quasdam statuerat et ordinaverat *etc.* [1].

Callistus III praedicta confirmavit die xxvi iunii MCCCCLV, sed eius bullam volens praetermisi.

§ 2. Piae memoriae Callistus Papa III, etiam praedecessor noster, per alias suas litteras inter alia statutum et ordinationem Bonifacii praedecessoris huiusmodi, ita ut ipsi communitas et homines Firmani Studium generale in civitate praedicta retinere valerent, approbaverit et confirmaverit, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur.

Communitas Firmana pro huius Studii renovatione Papae supplicavit, cum prius ad hoc ampla construxerit aedificia, et annuum redditum assignaverit.

§ 3. Et licet Studium generale huiusmodi in dicta civitate Firmana vigore dictarum litterarum eatenus introductum fuisse credatur, tamen, temporum iniuria vel ex quavis alia causa, illud intermissum seu extinctum esse reperitur ad praesens. Unde communitas et homines praedicti per dilectos filios Sigismundum Tostium et Caesarem Octinellum, cives Firmanos, utriusque iuris DD., ad nos ab eis ad effectum infrascriptum destinatos oratores, quos libenter vidimus et benigne audivimus, nobis exponi curarunt quod ipsi, dictum generale Studium in praedicta civitate restitui et stabiliri cupientes, sumptuosa quaedam aedificia publica, valde ampla et capacia ac apprime ad hoc commoda, in platea dictae civitatis consistentia, animo et intentione theologiam et utriusque iuris prudentiam ac medicinam, philosophiam aliasque artes liberales et quasvis licitas facultates per viros eruditos ibidem legi, doceri et interpretari faciendi, destinaverint et assignaverint. Et pro manutentione pro tempore existentium rectoris et lectorum Universitatis Studii generalis huiusmodi, aliorumque exinde incumbentium onerum supportatione, annuum redditum duorum millium scutorum ex propriis proventibus et iuribus, ad eosdem communitatem et homines legitime spectantibus, applicaverint et appropriaverint.

Hic modo Pontifex dispositiones Bonifacii VIII et Callisti III approbat;

§ 4. Nos, qui eidem ecclesiae Firmanae, dum cardinalatus honore fungebamur, ex dispensatione apostolica praefuimus, dignum et rationi consentaneum censentes ut, postquam divina Maiestas nos ad summi sacerdotii fastigium evexit, nostri in eosdem nobis benemeritos grati ac benevoli animi affectus, quos possumus, non libenter modo, sed etiam liberaliter, addamus, ita quod in dicta civitate, quam singularis benevolentiae affectu complectimur, et in qua unum insigne collegium utriusque iuris doctorum ab immemorabili tempore institutum extitit, unam Universitatem Studii generalis institui, collegiumque praedictum structuris atque aedificiis capacioribus pro congregationibus, sessionibus, deambulationibus aliisque officiis necessariis construi et ampliari, ipsosque communitatem et homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac communitatis et hominum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolu-

1 Residuum omittitur quia tota bulla est in pontificatu Bonifacii VIII.

tos fore censentes, necnon litterarum Bonifacii et Callisti praedecessorum huiusmodi tenores, etiam veriores ac data, praesentibus pro expressis habentes, eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, motu proprio, non ad ipsorum communitatis et hominum vel alterius pro eis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas Bonifacii et Callisti praedecessorum huiusmodi litteras, omniaque et singula in illis et earum singulis contenta, quoad ea quae infrascriptis ac decretis concilii Tridentini non repugnent, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac etiam illa innovamus, omnesque et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum, etiam substantialium, et quoscumque alios defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Studiumque praedictum innovat;

§ 5. Et insuper in ipsa civitate Firmana unam Universitatem Studii generalis, in qua aliqui magistri et doctores seu alii docti et eruditi professores theologiam, ius canonicum et civile, medicinam et artes liberales, necnon alias quascumque licitas facultates publice legant, doceant et interpretentur, et quicumque scholares, sive laici sive clerici, saeculares vel quorumvis, etiam Mendicantium, Ordinum regulares, ubicumque oriundi, et undecumque advenientes, in eisdem facultatibus studeant; necnon illis, qui catholici et ad id idonei reperti fuerint, baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii ac alii cuiuslibet licite facultatis gradus et insignia conferantur et concedantur, cum arca, sigillo et aliis insignibus Studii generalis, ad instar Bononiensis, Paduanensis, Perusinensis, Senensis et Maceratensis ac aliarum quarumcumque Universitatum Studiorum generalium, tam in Italia quam extra eam consistentium, auctoritate et tenore praefatis, perpetuo erigimus et instituimus.

Illique sic innovato eiusque personis ac ibi promotis privilegia omnia aliorum Studiorum generalium concedit;

§ 6. Illique sic erecto et instituto, ac eius pro tempore existentibus rectori, magistris, doctoribus, professoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, bidellis, nunciis et aliis officialibus, ministris et personis, necnon ibidem ad quoscumque gradus promotis, quod omnibus et singulis ac quibuscumque privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, antelationibus, præeminentiis, favoribus, honoribus, dignitatibus, concessionibus, indultis et aliis universis gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus Bononiensis, Paduanensis, Perusinensis et Maceratensis ac quaecumque aliae Universitates, tam in Italia quam extra eam consistentes, praedictae, illarumque pro tempore existentes rectores, magistri, doctores, professores, lectores, praeceptores, scholares, bidelli, nuncii ac alii officiales, ministri et personae, necnon ibidem ad quoscumque gradus promoti, de iure vel consuetudine aut ex privilegiis et concessionibus apostolicis et imperialibus, necnon conciliis generalibus seu universalibus, provincialibus et synodalibus, ac alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possent et poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter et aeque principaliter, absque ulla prorsus differentia, uti, potiri et gaudere, perinde ac si eis specialiter nominatim et expresse concessa fuissent.

Doctorandique formam praescribit;

§ 7. Praeterea illis, qui in ipsa Universitate Studii generalis Firmani vel alibi studuerint in theologia, ac utroque vel altero iure et medicina, necnon artibus liberalibus aliisque facultatibus praedictis, baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii ceterosque omnes solitos gradus, si per magistros vel doctores illius

facultatis, in qua voluerint promoveri, ad hoc praesentati, et debito praevio examine, assistentibus ibidem aliquibus doctoribus seu magistris in eadem facultate ibi legentibus, vel de gremio praedicti collegii doctorum ipsius civitatis Firmanae existentibus, desuper faciendo, ac alias, servatis servandis, idonei reperti fuerint, a pro tempore episcopo Firmano seu eius vicario in spiritualibus generali aut quocumque alio, quem ad hoc ipse episcopus duxerit deputandum; dicta vero ecclesia Firmana pro tempore pastore carente, ab eo qui per capitulum ecclesiae Firmanae huiusmodi deputatus fuerit, emissa prius per promovendos huiusmodi in eius manibus fidei catholicae professione iuxta articulos pridem a Sede Apostolica ad hoc propositos ac formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam, ipsorum graduum solita insignia recipere, illaque sibi exhiberi facere.

Promotis in eo facultatem ubique legendi etc. elargitur;

§ 8. Necnon, postquam huiusmodi gradus et illorum insignia susceperint, facultates, in quibus promoti fuerint, ubicumque, absque alio examine vel approbatione, legere et interpretari, ac in eis disputare, necnon quoscumque alios gradus per eos receptos et convenientes exercere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratia indulgemus, sicque etiam statuimus et ordinamus.

Rectori statuta condendi pro dicti Studii regimine auctoritatem tribuit.

§ 9. Necnon Universitati Studii generalis Firmani ac illius rectori pro tempore existenti, pro salubri et felici eiusdem Universitatis Firmanae, ac illius personarum, rerum, bonorum et iurium regimine, directione et conservatione, reique litterariae progressu, quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et dicti concilii decretis non contraria, eis benevisa, a moderno et pro tempore existente episcopo Firmano examinanda et approbanda, condendi, illaque, postquam condita fuerint, prout temporum, locorum, personarum vel rerum aut aliae qualitates exegerint, mutandi, corrigendi et reformandi, ac etiam declarandi et interpretandi, illisque addendi et minuendi, seu etiam ea in totum abrogandi, ac alia illorum loco de novo edendi et faciendi, quae omnia, postquam pro tempore condita, mutata, correcta, reformata, declarata, interpretata, aucta vel diminuta et de novo edita fuerint, ab ordinario loci vel pro tempore existente Romano Pontifice approbari debeant, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Clausulae huius bullae praeservativae.

§ 10. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod Paduanensis, Perusinensis, Senensis et Maceratensis et aliarum Universitatum praedictarum rectores, officiales, doctores, professores seu lectores, procuratores, defensores, protectores vel agentes aut alias quomodolibet interesse habentes vel putantes, ad hoc vocati non fuerint, aut ex quavis vel quibusvis aliis causis, occasionibus vel praetextibus, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari vel impugnari, aut alias infringi vel quomodolibet retractari, seu etiam per nos ac successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem praefatam, vel illius legatos, etiam de latere, aut quoscumque alios, quavis auctoritate revocari, suspendi, restringi, limitari vel eis in aliquo derogari nullatenus umquam posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari debere; necnon Universitatem Studii generalis Firmani huiusmodi illiusque rectorem, officiales, doctores, lectores, professores, scholares, ministros ceterosque praedictos, super praemissis omnibus

et singulis vel illorum occasione, etiam per alias Universitates praedictas vel quoscumque alios, quavis auctoritate, quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri nequaquam posse; ac etiam communitatem et homines praefatos aut quoscumque alios ad probationem seu verificationem litterarum Bonifacii et Callisti praedecessorum huiusmodi ac in eis et etiam eisdem praesentibus litteris narratorum nullatenus umquam teneri, nec ad id in iudicio vel extra cogi seu compelli posse; et nihilominus easdem litteras et in eis contenta huiusmodi semper valere, ac eisdem Universitati et hominibus suffragari, sicque in praemissis ab omnibus censeri.

Clausula sublata.

§ 11. Ac ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, eorumque locumtenentes ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, nostra de iure quaesito non tollendo, ac aliis apostolicis et etiam in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon Firmanae, Bononiensis, Paduanensis, Perusinensis, Senensis et Maceratensis praedictarum, ac quarumvis aliarum Universitatum et gymnasiorum, etiam publicorum, provinciaeque nostrae Marchiae Anconitanae et totius Status Ecclesiastici, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; decretis et etiam novis reformationibus, legibus, tam pontificiis quam imperialibus, regiis, ducalibus et municipalibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et eorum superioribus et personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam in vim contractus inibi stipulati et iurati, ac vim statuti perpetui et perpetuae legis inducentibus, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, et etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet, etiam pluries et iteratis vicibus, concessis, confirmatis et innovatis, ac etiam in posterum concedendis, confirmandis et innovandis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum suffic. derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse motu simili derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 13. Ceterum volumus quod earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo communitatis seu Studii generalis Universitatis Firmanae huiusmodi, aut alicuius ecclesiasticae vel saecularis curiae seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Clausulae.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, idibus septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 sept. 1585, pontif. anno I.

XIII.

Confirmatio statutorum Iulii Papae II super bono regimine castrorum comitatus Ariminensis, novaeque declarationes ad exortas lites componendas futurasque evitandas [1].

Dilectis filiis comitativis omnium castrorum comitatus nostri Ariminensis

Sixtus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolic. benedictionem.

Exordium

§ 1. Constantia et eximiae devotionis affectus, quo nos et Romanam reveremini Ecclesiam, promeretur ut his, quae pro vestris tranquillitate, commodo et utilitate gesta et concessa fuerunt, ut eo firmius persistant, apostolici muniminis praesidium impartiamur.

Statuta a Iulio II lata pro regimine et quiete comitatus Ariminensis.

§ 2. Sane nobis nuper per dilectum filium Nicolaum Moronum laicum Ariminensem, agentem vestrum, exponi fecistis quod alias felicis recordationis Iulius Papa secundus, praedecessor noster, postquam civitatem nostram Ariminensem et et illius comitatum suo et Sedis Apostolicae patrocinio immediate subiecerat, dilectorum filiorum communitatis et hominum dictae civitatis precibus adductus, quieti et tranquillitati eiusdem comitatus consulendo, inter alia, ne a vestris operibus litium occasione distraheremini, concessit et voluit quod in damnis datis a quadraginta solidis infra, recurreretur ad officialem loci damni dati; praeterea quod deputatio capitaneorum, potestatum et vicariorum castrorum dicti comitatus, ad tollendum inconvenientia quae in dies oriri possent ex imbussulatione, ne daretur vobis materia querelae de malo regimine, fieret perpetuis temporibus in hunc modum, videlicet quod, occurrente vacatione officii unius castri, homines illius castri deberent pro quolibet officio nominare tres cives Ariminenses idoneos; nominatos vero, consulibus dictae civitatis praesentare; consules vero, infra quindecim dies a die praesentationis huiusmodi computandos, unum ex dictis tribus in eorum consilio eligere, qui electus intelligeretur quando ad partitum haberet maiora suffragia et plures voces, et non posset talis persona ad tale officium amplius nominari, nisi elapso triennio; et sic electum gubernator dictae civitatis teneretur confirmare et deputare absque aliqua solutione, nisi duorum carlenorum papalium pro suis patentibus litteris. Et quod tale officium non posset durare ultra annum, nec exerceri per substitutum idoneum, qui non foret per gubernatorem et consules praedictos ac massarios locorum approbatus, decrevit et ordinavit. Insuper, ut comitatus praedictus libertatis ecclesiasticae particeps fieret, ac in fide et devotione eiusdem Ecclesiae perseveraret, quod remitteretur vobis de tertiariis et solitis solutionibus faciendis vicariis Ariminensibus tertia pars futuris temporibus; ad hoc etiam ut militibus de taxis facilius respondere valeretis, non possetis cogi nec astringi ad solvendum nisi duas partes eius, quod soliti eratis solvere quolibet anno vicariis Ariminensibus de Malatestis, per suas litteras, apostolica auctoritate, concessit, prout in ipsis litteris plenius continetur.

Causae novae edendae constitutionis.

§ 3. Et sicut eadem expositio subiungebat, nonnulli ex dictis civibus, retroactis temporibus, praetextu cuiusdam decreti per bonae memoriae Hieronymum tituli S. Georgii presbyterum cardinalem

1 Ex Regest. in Secret. Brevium

de Capite Ferreo nuncupatum, tunc provinciae Romandiolae de latere legatum, facti, ausi sunt, pro damnis, etiam minimis, datis in eorum possessionibus, non sine magna rei et temporis iactura, expensis et laboribus consumendo, ad dictam civitatem contra dictarum litterarum tenorem evocare, ortaque postmodum inter vos et cives praedictos praemissorum occasione materia quaestionis, lis et causa coram praeside dictae provinciae seu auditore desuper pendet indecisa; nonnullique ex civibus praedictis in capitaneos, vicarios seu potestates dictorum castrorum ex consuetudine electi, apud eadem castra residere negligunt aut recusant, ex quo probavit eventus quod saepius in eisdem castris, in cuique quod suum est reddendo, iustitia debitae executionis ministerio careat; quodque cum vos hactenus dictarum litterarum notitiam non habueritis, semper integram tertiariarum praedictarum taxam solveritis. Quare nobis humiliter supplicari fecistis quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Declarationes de quibus in rubrica.

§ 4. Nos igitur, quieti et indemnitati vestris consulere volentes, ac vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon causam huiusmodi ad nos harum serie advocantes, et litem penitus extinguentes, ac vobis et civibus praedictis desuper perpetuum silentium imponentes, necnon dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, easdem litteras, auctoritate praedicta, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae firmitatis robur adiicimus, et quatenus opus sit, quod de cetero pro damnis datis, quae summam quadraginta solid. non excedunt, etiamsi in possessionibus dictorum civium illa inferri contingat, non amplius per extimatores damnorum datorum civitatis, sed castrorum eorumdem, videantur et extimentur, et de mandato iudicum eorumdem locorum restaurentur, iuxta formam statutorum locorum et castrorum praedictorum et aliarum reformationum super damnis datis; quodque illi ex eisdem civibus, sic in capitaneos, vicarios aut potestates castrorum huiusmodi electi, teneantur apud eadem castra, per se ipsos et non per alios, ita tamen quod singulo trimestri possint per quindecim dies, pro suis rebus et negotiis tractandis et peragendis, libere abesse, iuxta exigentiam sui officii residere; et si forte aliquis ex sic electis apud castrum, ad cuius gubernium seu regimen electus fuerit, residere neglexerit aut recusaverit, tunc talis sic residere negligens aut recusans amittat salarium, et non possit per trinas imbussulationes continuas pro electione ad aliquod ex dictis officiis eorumdem castrorum imbussulari; et casu quo dissensio seu discordia inter vos et sic electos, ratione non residentiae, oriatur, tunc eo casu pro tempore existens rector dictae provinciae possit alium ex eisdem civibus per vos eligendum ad tale regimen et gubernium deputare; et quod de cetero futuris temporibus ad solutionem dictae partis ex tertiariis et solitis solutionibus faciendis vicariis Ariminensibus non teneamini, de novo statuimus, concedimus et ordinamus.

Exequutores huiusmodi declarationum deputati.

§ 5. Mandantes pro tempore existentibus in dicta provincia Sedis Apostolicae legato seu vicelegato ac dictae civitatis gubernatori, ut praemissa omnia observent et observari mandent; vosque approbatione, confirmatione et additione, necnon no-

stris statuto, concessione et ordinatione ac aliis praemissis pacifice frui et gaudere faciant et procurent. Non permittentes vos a quoquam desuper molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et alias, de quibus eis videbitur, poenas compescendo, adhibito etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon civitatis et provinciae praedictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ac reformationibus; necnon forsan transactionibus inter vos et praecipue communitates castrorum Misani, Molazani, Ceresoli et Sanctorum Andreæ in Patrignano et Bisanico debiliores, et in maximum damnum et praeiudicium castrorum Passani, Capitis Officii et Sancti Savini annexorum quoad poenas damnorum datorum iuxta decimum capitulum concessum a praefato Papa Iulio secundo, et cives praedictos, praemissorum occasione, etiam contra dictarum litterarum tenorem, initis, approbatis et innovatis, lapsuque fatalium causae versae, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die xx septembris MDLXXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 septem. 1585, pontif. anno I.

XIV.

De electione praelatorum congregationis Sancti Bernardi in Italia monachorum Ordinis Cisterciensis regularis observantiae, de cetero facienda ex universo numero sacerdotum dictae congregationis, qui minora officia laudabiliter biennio exercuerint [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Congregatio consuevit ad praelaturas eligere viros magis idoneos ex universo numero sacerdotum

Nuper pro parte dilectorum filiorum abbatis Cistercii, Cabilonensis dioecesis, generalis Ordinis Cisterciensis, necnon abbatum, praelatorum et conventuum monasteriorum dicti Ordinis fuit nobis expositum quod alias regimen ipsius congregationis, medio tempore inter unum et alterum capitulum, solebat de universo sacerdotum numero propriae provinciae, auctoritate apostolica illos eligere ad praelaturas vacantes, quos magis idoneos magisque dignos iudicabat; in qua quasi possessione sic eligendi per longum tempus perseveravit, donec de anno MDLXXIX, felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, inter alia statuta ad reformationem monachorum dicti Ordinis pertinentia, decrevit et mandavit ut de cetero capitulum dictae congregationis fieret de triennio in triennium; et in primo futuro capitulo, pro qualibet provincia, tot sacerdotes quot essent in ea praelaturae, et insuper alii quatuor sacerdotes, habiles ad praelaturas exercendas, in quaque provincia approbarentur; qui etiam ad visitatoris maioris officium similiter approbati esse intelligerentur; quodque ii tantum ad praelaturas et visitatoris maioris officium huiusmodi approbari deberent, qui officia minora, nempe cellerariatus et prioratus, digne gradatim, saltem per biennium in quolibet officio, fideliter exercuissent, atque ut semel approbati, semper habiles fore censerentur. Praeterea ut, deficiente approbatorum huiusmodi numero, sive per obitum illorum sive per privationem ob commissa delicta, in proxime futuris capitulis, et non aliter, alii in illorum locum sufficerentur; ita quod semper numerus quatuor tantum extra praelaturas a quolibet capitulo haberetur. Et si intra triennium aliquem praelatorum decedere, aut a visitatoribus vel a capitulo ob aliqua demerita privari contingeret, alius extra numerum approbatorum praedictorum minime assumi posset, ac alias prout in praedictis praedecessoris nostri litteris latius fuit expressum.

Gregorius XIII aliter decrevit

1 Aliter in hoc disposuerat Gregorius XIII in sua constit. LXXXVI, *Romanus*, sup., pag. 224.

Sed compertum quod eiusmodi decretum est damnosum congregationi;

§ 1. Sed quia, sicut eadem expositio subiungebat, ab eo tempore, usu et experientia compertum est numerum huiusmodi, ad quatuor tantum simul nominatos restrictum, universitati dictae congregationis nequaquam expedire, tum quia dicti quatuor electi, postquam securi sunt se omnino futuros praelatos, ab obedientia et disciplina regulari non parum recedunt, et quasi immunes et exempti a communibus Religionis oneribus esse praetendunt; tum quia alii multi sacerdotes eiusdem congregationis, qui habiles et inclinati ad laudabilia Religionis opera essent, videntes, ob aliorum iam factam electionem, se exclusos, nec posse ad gradus maiores aspirare, animum despondent, nec curant ulterius progredi; quod haud dubie in magnum totius congregationis damnum redundare dignoscitur, praesertim cum contingere posset ut, durante electione quatuor approbatorum huiusmodi, secundum casuum et temporum varietatem, vel omnes vel pars eorum vita decedant, seu etiam aliqui interim minus idonei, alii vero magis capaces et utiles congregationi detegantur; unde fieret ut, deficientibus quoquomodo approbatis, in eorum locum subrogandi nulla superesset facultas.

Facta huic Pontifici supplicatio pro opportuna provisione.

§ 2. Quare cum, his et aliis iustis et gravibus causis et rationibus adducti, iidem abbas Cistercii generalis, qui pridem dictas provincias visitavit, necnon praelati et monachi dictae congregationis utriusque provinciae Lombardiae et Tusciae, nobis humiliter supplicaverint, ac etiam dilectus filius Aloysius S. Mariae in Via Lata diaconus cardinalis Estensis nuncupatus, illorum protector, pro eis apud nos vehementer intercesserit petieritque ut, ad maiorem ipsius congregationis profectum et incrementum, bonorumque incitamentum, de opportuno remedio providere ex benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex illud revocat;

§ 3. Nos, tota re mature diligenterque cognita et discussa, ut obviam incommodis et malis inde imminentibus eamus, supplicationibusque huiusmodi inclinati, praedictum numerum quatuor sacerdotum in singulis provinciis ad praelaturas et ad visitatoris maioris officium eligendorum, auctoritate apostolica, tenore praesentium supprimimus et abolemus, perinde ac si litterae Gregorii praedecessoris nostri huiusmodi super eo non emanassent; quae tamen in reliquis ad reformationem praedictam spectantibus suum robur obtineant.

Virosque magis idoneos ex universo sacerdotum numero, qui minora officia per biennium exercuerint, eligi mandat.

§ 4. Statuimusque et ordinamus ut posthac de toto numero sacerdotum propriae provinciae per regimen eiusdem provinciae sacerdotes magis digni et magis idonei ad quamlibet praelaturam et visitatoris maioris officium, de tempore vacationis ipsius officii vel praelaturae, arbitrio ipsius regiminis eligantur ex illis, qui officia minora cellerariatus et prioratus digne gradatim, ut praemittitur, saltem per biennium, in quolibet officio huiusmodi fideliter exercuerint; utque etiam tempus quo quilibet sacerdos officium visitatoris minoris exercuerit computetur perinde ac si idem sacerdos per totidem tempus cellerariatus vel prioratus officium exercuisset. Quare eisdem generali, congregationi et regiminibus, abbatibusque et monachis dicti Ordinis, universis et singulis, in virtute sanctae obedientiae, ut id omnino observent, eadem auctoritate praecipimus atque iubemus.

Clausulae huius bullae praeservativae.

§ 5. Praesentesque litteras et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu intentionis nostrae aut alio quovis vitio seu defectu notari, argui vel impugnari posse, sed illas semper validas et efficaces existere, ac suos integros effectus sortiri.

Clausula sublata.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum

Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritumque et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Ordinis, congregationis, monasteriorum regulariumque locorum huiusmodi statutis, usibus, naturis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet, etiam motu proprio, ac iteratis vicibus, et sub quibuscumque tenoribus et formis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos et Sedem Apostolicam concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 8. Volumus autem ut harum exemplis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXV septembris MDLXXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 sept. 1585, pontif. an. I.

XV.

Confirmatio privilegiorum collegii advocatorum et procuratorum provinciae Marchiae, seu eorumdem nova concessio [1].

Dilectis filiis prioribus et collegio advocatorum ac procuratorum curiae generalis provinciae nostrae Marchiae

Sixtus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolic. benedictionem.

Prooemium.

Fidei constantia et sincerae devotionis affectus, quem erga nos et Romanam Ecclesiam gerere comprobamini, nos inducunt ut vestris commoditatibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus, ac ea, quae vobis propterea concessa reperimus, nostrae approbationis robore confirmemus.

Paulus III huic collegio confirmavit ius conferendi laureae doctoratus.

§ 1. Nuper siquidem nobis exponi fecistis quod alias per felicis recordationis Paulum Papam III, praedecessorem nostrum, accepto quod, licet collegium vestrum, ex immemorabili et eatenus pacifice observata consuetudine, foret et existeret in possessione seu quasi iuris et facultatis conferendi insignia doctoratus in utroque iure illorum professoribus et benemeritis; nihilominus, cum, propter temporis longinquitatem ac alias per immemorabilem consuetudinem huiusmodi, de privilegio facultatis praedictae docere non valebatis, et ideo pro maiori vestra securitate cupiebatis id vobis per Sedem Apostolicam concedi. Quare eidem praedecessori humiliter supplicari feceratis quatenus vobis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur. Idem praedecessor, huiusmodi supplicationibus inclinatus, vobis et vestro collegio praedicto, ut, iuxta immemorabilem consuetudinem huiusmodi, gradus et insignia doctoratus personis idoneis et

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

scientia praeditis gradus ipsos merentibus concedere, eosque ad illos promovere, ac omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus et gratiis, quibus alia collegia ad doctoratus gradus huiusmodi promovendi facultatem habentia utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere, ac eisdem per vestrum collegium huiusmodi sic pro tempore promotis, quod omnibus et singulis facultatibus, praeeminentiis, exemptionibus, favoribus et gratiis, quibus alii quicumque per collegia generalium Studiorum ad gradus ipsos promoti quomodolibet utuntur et gaudere valerent, concedere possetis, auctoritate apostolica, de speciali gratia indulsit.

Alia privilegia concessit Paulus IV.

§ 2. Et deinde piae memoriae Paulo Papae IV, etiam praedecessori nostro, pro parte vestra exposito quod cum plurima et diversa privilegia, immunitates, exemptiones, indulgentiae, libertates, concessiones, gratiae et indulta vobis et collegio vestro praedicto vestrisque familiis, rebus et bonis, tam per plura capitula constitutionum ipsius provinciae, dicta apostolica auctoritate editarum, et praesertim quod arma quaecumque offendibilia vel defendibilia, per totam provinciam praedictam et quaecumque loca rectoris ipsius provinciae commissa regimini, possetis vos et vestri familiares praedicti deferre libere et impune; ac quod omnes et singuli curiales ipsam curiam continue sequentes non valerent ad aliquam aliam curiam vel examen invitos trahi in civili vel in criminali, tam in agendo quam in defendendo, nisi solum coram praedicto rectore et sua suorumque iudicum curia generali, et haberent immunitatem ab oneribus et muneribus per omnia, sicut illi qui erant de collegio, necnon libri II caput XLI, sub rubrica *De securitate venientium ad Curiam ipsam*, et *De grascia asportanda ad eam*, longaevasque et laudabiles consuetudines curiae et provinciae praedictarum eatenus inviolabiliter observatas, quam alias a recolendae memoriae Sixto IV, Innocentio VIII, Iulio II necnon praedicto Paulo III, Romanis Pontificibus similiter praedecessoribus nostris, tam in genere quam in specie, et praesertim, etiam inter alia quod cupientes aggregari in numero advocatorum et procuratorum curialium, non aliter aggregarentur, nisi iuxta novam reformationem praedicti collegii disputassent; quodque cives et incolae civitatis nostrae Maceratensis, ac ceteri homines provinciales, non aliter quam cum consensu dicti collegii, prout eatenus fieri consueverat, in ipsum collegium intrare et in numero aliorum curialium esse possent; et nonnulla etiam alia concessa, confirmata et approbata capitula, specificata forent; nihilominus idem Paulus IV, praedecessor, omnia et singula privilegia, immunitates et exemptiones, libertates ac indulgentias, concessiones et indulta vobis et collegio vestrisque familiis ac rebus et bonis praedictis per supradictos et forsan alios Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessa, approbata et innovata, ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis, tam sub plumbo quam in forma brevis litteras desuper emanatas, et quae constitutionum et consuetudinum praedictarum vigore vobis competebant, quatenus essent in usu, apostolica auctoritate praedicta, confirmavit et approbavit, prout in singulorum praedecessorum eorumdem litteris desuper confectis necnon constitutionibus praedictis plenius continetur.

Collegium ipsum instat pro dictorum privilegiorum confirmatione.

§ 3. Quare pro parte vestra a dilecto filio Camillo Costa, dicti collegii decano, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, conces-

sionibus, indultis ac constitutionibus praedictis, pro firmiori illorum subsistentia, robur apostolicae confirmationis adiicere, aliasque vobis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Concedit Sixtus; § 4. Nos igitur, qui omnium, praesertim subditorum nostrorum, utilitates et commoda sincero desideramus affectu, litterarum singulorum praedecessorum necnon constitutionum huiusmodi tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, litteras singulorum praedecessorum eorumdem, necnon privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, concessiones, indulta et constitutiones huiusmodi apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, vobisque de novo concedimus et indulgemus.

Exequutores huiusmodi litterarum deputat; § 5. Quocirca pro tempore existentibus eiusdem provinciae legato et vicelegato ac gubernatori per praesentes committimus et mandamus quatenus vobis, in praemissis de opportunae defensionis praesidio assistentes, vos litteris necnon privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, concessionibus, indultis et constitutionibus aliisque praemissis, iuxta earumdem praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui, uti et gaudere faciant ac permittant.

Derogat contrariis. § 6. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon provinciae et collegii praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis legato et vicelegato ac gubernatori praedictis, necnon quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDLXXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 oct. 1585, pontif. anno I.

XVI.

Confirmatio litterarum diversorum Romanorum Pontificum super bono regimine civitatis Anconitanae, et conservatione immunitatum ac privilegiorum eiusdem civitatis [1].

Dilectis filiis antianis ac communitati et hominibus civitatis nostrae Anconitanae Sixtus Papa V.

Dilecti filii, salutem et ap. benedictionem.

Meritis vestrae devotionis, qua nos et Romanam reveremini Ecclesiam, adducimur ut votis ac desideriis vestris, praesertim ad antiquorum iurium statutorumque vestrorum ac concessionum apostolicarum conservationem et approbationem Exordium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

spectantibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Nonnullae Pontificum Romanorum concessiones favore civitatis Anconitanae.

§ 1. Exponi itaque nobis nuper fecistis per dilectos filios comitem Ioannem Baptistam Ferretum I. U. D., et Franciscum Todinum, oratores vestros ad nos in hac nostra, meritis licet imparibus, ad summi apostolatus apicem assumptione destinatos, quod dudum felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, accepto per eum quod piae memoriae Paulus Papa IV, praedecessor noster, statuta vestrae civitatis, quatenus essent honesta et licita ac contra ecclesiasticam libertatem non tenderent, approbaverat et confirmaverat, et praesertim reintegrationem ad honores, officia, bona et alia iura per felicis recordationis Paulum III vobis factam, et per Iulium etiam III, et Paulum IV confirmatam; necnon quo caveri asserebatis quod nullus, qui esset de dicta provincia Marchiae Anconitanae posset eligi vel assumi in potestatem aut iudicem appellationum vel militiae socium aut notarium dictae civitatis; et si potestas vel iudex praefatus aut eorum aliquis duceret vel teneret aliquem iudicem vel militem socium vel notarium, qui esset de dicta provincia, puniretur et condemnaretur in centum ducatis pro quolibet ipsorum iudicum, militum sociorum et notariorum; et similiter quod nullus de dicta provincia esset officialis in dicta civitate seu inibi aliquod officium exerceret; ac ipsius civitatis Anconitanae regulatores non essent, neque deberent curare quod fieret aliqua proposta ad eligendum seu assumendum dictos officiales seu eorum aliquem contra formam ipsius statuti, sub poena viginti quinque ducatorum auri pro quolibet et qualibet vice; et nullus super dicta proposta in vestro consilio arrengare vel consulere posset, ut aliquis de dictis officialibus assumeretur; ipse quoque Pius praemissa necnon omnia et singula alia statuta, ordinationes, consuetudines et reformationes ipsius civitatis, licita tamen et honesta ac sacris canonibus non contraria, ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis per litteras apostolicas desuper in forma brevis confectas approbavit et confirmavit: vosque, dummodo consuetum esset, quolibet anno quadringentas dumtaxat salmas frumenti, quod in territorio vestro colligebatur, absque tractae aut resignae solutione extrahere et quo velitis per terram sive per aquam exportare libere valeretis, iuxta tenorem litterarum piae memoriae Sixti Papae IV, etiam prædecessoris nostri, vobis, ut etiam asserebatis, concessarum, et conventionem quam cum Camera Apostolica in dohanarum vestrarum conductione habebatis. Et cum pecuniae ex maleficiis dictae civitatis provenientes pro duabus tertiis partibus ad vos pertinerent, vobisque illae semper applicatae fuissent, quod dictae civitatis gubernatores vel locatenentes pro tempore existentes, sub reparationis vel cuiusvis alterius impensae in vestro palatio faciendae aut quovis alio praetextu in dictis duabus maleficiorum partibus nullatenus se intromittere, aut aliquid ex eis percipere (prout sub talibus praesentationibus saepe factum dicebatur), absque vestro interventu, possent sive deberent; et ut extorsionibus et fraudibus, quae exinde fieri solebant, obviaretur, quod barisellatus aliaque similia dictae civitatis officia ex quavis causa nequaquam vendi seu super eis pensio seu solutio aliqua imponi seu exigi possent sive deberent; et pro tempore existentes gubernatores, colonnelli et castellani dictae civitatis illiusque arcis, ratione carnium, piscium et aliarum rerum ad victum necessariarum per eos in dicta civitate pro tempore emendarum, illudmet solvant ac solvere debeant, quod pro eis cives aut alii incolae ipsius civitatis solent;

ac etiam pro tempore existentes praefectus seu castellanus Revellini dicti portus nullatenus impedirent quin naves et alia ligna dicto Revellino aut eiusdem portus molo adhaererent, neque propterea aliquid exigerent, nisi pro unaquaque navi lignis onusta, unum lignum tantum; ac similiter quod castellanus seu praefectus arcis eiusdem civitatis, ratione transitus per ipsam civitatem, nihil, praeter unum lignum pro qualibet salma lignorum, petere seu exigere possent aut deberent. Item, cum oporteret ad conservationem maritimi commercii, ad quascumque naves et alia navigia, barcas nuncupatas, ea biscotti quantitas ex dicta civitate exportari posset, quae pro nautarum in illis existentium usu sufficeret. Cumque a certis tunc mensibus citra, a tunc dictae provinciae Marchiae thesaurariis quaedam nova impositio trium paulorum, a gubernatore dictae civitatis unius alterius pauli pro qualibet salma ipsius biscotti facta fuisset, ac plerique, et pauperes praesertim homines, conqueri et lamentari cogerentur, et portus exinde infrequentior redderetur.

Idcirco dict. Pius praedecessor omnia nova vectigalia huiusmodi contra solitum imposita substulit, revocavit, cassavit et annullavit. Ita ut nihil omnino de cetero, eorum occasione, solveretur aut a quopiam exigeretur, et quod solo et simplici dohanneriorum bulletino, ut antea semper factum esse etiam asserebatis, extrahi posset voluit et commisit.

Deinde recolendae memoriae Pius PP. V, etiam praedecessor noster, accepto quod bonae memoriae Guido Ascanius Sanctae Mariae in Via-Lata, tunc Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis de Sancta Flora nuncupatus, sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, de mandato felicis recordationis Pauli Papae III, praedecessoris nostri, sibi super hoc, ut asserebat, vivae vocis oraculo facto, et auctoritate sui camerariatus officii, ac ex decreto in Camera Apostolica edito, vos ad honores et officia (secretorum tamen excepto) ac mobilia bona, datia et gabellas, ac omnem alium solitum introitum, quibus ante annum millesimum quingentesimum trigesimum secundum, tam in civitate Anconae quam eius comitatu gaudebatis, iuxta certa expressa capitula, et inter cetera, quod vos, pro custodia et aliis expensis arcis istius civitatis, mille et ducentorum; et pro gubernatoribus futuris, qui officium gubernatoris et praetoris ibi exercerent, et eorum familia, sexcentos; et pro uno iudice appellationum in civilibus per vos eligendo, et per apostolicum breve confirmando, qui statuta dictae civitatis in omnem casum observare teneretur, ac uno notario et uno executore per ipsum iudicem tenendis, ducentos et quinquaginta; et pro uno barisello cum octo famulis, ducentos; nec non pro scribanis et guardianis portarum et portellarum, centum quinquaginta ducatos, ad rationem decem iuliorum pro quolibet mense, eorum ratam solvere; et ulterius quolibet anno trium millium ducatorum similium summam in fortificationem et reparationem murorum et aliorum necessariorum dictae civitatis (prout per ipsum praedecessorem et successores suos ordinaretur) exponere deberetis, per eius litteras reintegraverat, idem praedecessor, ad preces vestras, inter alia, reintegrationem huiusmodi ac, prout illam concernebant, omnia et singula in dictis litteris contenta et inde secuta quaecumque per suas litteras approbavit. Et pro potiori cautela vos ad honores, officia, bona et iura praedicta, modo et forma, ac prout per ipsum Guidonem Ascanium cardinalem et camerarium reintegrati fueratis, de novo plenarie etiam reintegravit et reintegratos esse decrevit; dictus autem Pau-

lus IV, praedecessor noster, accepto quod recolendae memoriae Iulius Papa III, similiter praedecessor noster, postquam praefata omnia per suas litteras in forma brevis confirmaverat, pecunias, per vos, ut praefertur, solvendas et exponendas, monti Iulio, in eadem civitate per ipsum Iulium praedecessorem erecto, etiam perpetuo applicaverat; et ne dicta civitas, ob defectum ipsarum pecuniarum, detrimentum pateretur, pro solutionibus per vos, ut praemittitur, faciendis nonnullas pecuniarum summas ad Cameram Apostolicam spectantes, in locum dictarum pecuniarum monti Iulio applicatarum, concesserat et assignaverat, idem Paulus IV, praedecessor, ad similes preces, reintegrationem, decretum, concessionem, mandatum, inhibitionem Pauli ac confirmationem Iulii, praedecessorum huiusmodi, ac, prout illa concernebant, omnia et singula in eorum litteris contenta, et inde secuta quaecumque, necnon, quatenus essent licita et honesta, et contra libertatem ecclesiasticam non tenderent, statuta ipsius civitatis, privilegia, indulta ac litteras apostolicas illi et vobis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros eatenus concessa, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, idem Paulus IV, praedecessor, haberi voluit pro expressis, per suas litteras ex certa scientia approbavit et confirmavit, ac illis plenum et perpetuum firmitatis robur adiecit, supplens omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem; ac summas pecuniarum vobis, ut praefertur, per eumdem Iulium praedecessorem assignatas pro eiusdem civitatis custodia et aliis impensis, arcis gubernatore, iudice appellationum, et extraordinario loci notario, necnon executore, barisello, scribanis et guardianis praedictis, ac reparatione et fortificatione murorum et aliorum necessariorum huiusmodi, ita tamen ut quidquid ex praemissis et aliis expensis pro gubernio dictae civitatis faciendis ac emolumentis praedictis pro tempore superesset, in fabricam et reparationem murorum ac alios eiusdem civitatis usus necessarios converteretur, de novo eadem auctoritate concessit, applicavit et appropriavit; mandavitque ut de cetero perpetuis futuris temporibus, quocumque usu contrario, etiamsi potentia gubernatorum eiusdem civitatis introductus esset, non obstante, iudex appellationum, cum salario consueto sibi per depositarium apostolicum annuatim et pro rata singulo mense persolvendo, per vos annis singulis eligi, et sic electus per breve apostolicum confirmari, et postquam confirmatus foret, omnes causas coram eo pro tempore introductas iuxta formam statutorum huiusmodi cognoscere et decidere deberet. Ac suo et dictae Sedis in eadem civitate depositario commisit, ut ex pecuniis, quae ad eius manus pervenirent, salarium iudicis appellationum huiusmodi, in recompensationem salarii praedictorum monti Iulio applicati, ne scilicet civitas ipsa aliquod detrimentum ob id pateretur, absque aliqua diminutione seu retentione, quolibet anno et singulo mense ratam realiter et cum effectu persolveret, subiungens, quod quidquid ipse depositarius sic pro salario praedicto solvisse docuisset, in eius computis semper admitteret et admitti faceret, prout ex tunc idem praedecessor admisit et admitti mandavit; Pius V vero praefatus, post praemissorum omnium confirmationem, statuit quod pro tempore existentes officiales, dohanarum conservatores et maiorenses nuncupati suam istic iurisdictionem, prout eatenus consueverant, exercerent, et, ut extorsionibus et fraudibus obviaretur, decrevit quod barisellatus vestri officium nullatenus vendi, nec super

eo pensio vel exactio aliqua per quoscumque etiam ipsius civitatis gubernatores aut provinciae legatos imponi, nec quidquam, quantumlibet modicum, ex eius salario retineri seu alias quoquomodo interverti posset.

Deinde felicis recordationis Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, ad instar eorumdem praedecessorum nostrorum praedictorum, nedum decreta, concessiones, privilegia, exemptiones, immunitates, favores, indulta, reintegrationem, commissionem, mandatum, revocationem, annullationem aliasque gratias per eosdem praedecessores concessas et factas, ac praesertim quod pecuniae ex maleficiis dictae civitatis provenientes pro duabus tertiis partibus ad vos pertineant, vobisque illae, ut praefertur, applicatae sint; quodque ipsius civitatis gubernatores, locatenentes et alii officiales, sub quovis praetextu aut colore, de pecuniis ex dictis maleficiis pro duabus tertiis partibus huiusmodi provenientibus, vos vestramque civitatem defraudare in nullo possent, litterasque desuper confectas et in eis contenta quaecumque per suas litteras confirmavit et approbavit, eisque plenariae et inviolabilis firmitatis robur adiecit, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eis intervenissent, supplevit; sed etiam, accepto quod, praeter et contra vestrae civitatis privilegia, libertates et iura, bariselli et procuratores fisci iam in dicta civitate instituti, eorumque officia pretio assecuti, ad examen reorum, etiam per constitutum, absque iudicis interventu, procedere audebant, mandavit quod gubernator dictae civitatis provideret ne procurator fiscalis et bariselli pro tempore suis abuterentur officiis, neve castellani arcis Rocchae nuncupatae ac portus praedicti ex lignis et fructibus per portas in dictam civitatem delatis, contra privilegia vobis concessa ac morem et consuetudinem, aliquid acciperent; cumque contra solitum cogeremini ad solvendum aedes pro habitatione colonnelli, uti capitanei battaliarum, vos, attento quod battalias huiusmodi idem Gregorius praedecessor removerat et revocaverat, a talibus insolitis gravaminibus liberavit et exemit, ac voluit quod in futurum locatenentes, auditores et alii officiales dictae civitatis, rationem administrationis officiorum suorum, iuxta privilegia et indulta vobis concessa ac morem antiquum, ante eorum illinc discessum redderent, nec illinc, nisi sententia per syndicatores lata, discedere possent, etsi cautionem idoneam praestitissent; statuit quoque et ordinavit ut civitates, terrae et loca provinciae nostrae Marchiae Anconitanae, secundum ordinationem a dicto Paulo IV praedecessore praescriptam, in fabricam dicti portus pro rata eorum contribuant, in qua contributione communitas ipsa confert scuta tria milia, his computatis quae pro quarta parte ex mercibus in dictam civitatem afferantur per Cavum Malii, ita quod pecuniae usque in hunc diem decursae et non solutae, ad eorum manus, ad quas devenire solebant, devenirent, et alias, prout in singulis litteris dictorum praedecessorum plenius continetur.

Tales concessiones, immunitates, privilegia etc. confirmari a Sixto petunt oratores Anconitani.

§ 2. Quae quidem omnia dicti oratores nomine vestro nobis humiliter supplicarunt ut nostro etiam munimine roborare, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Benigne annuit Pontifex;

§ 3. Nos itaque, qui vos civitatemque vestram Anconitanam eximie semper dileximus, observantiam et devotionem vestram erga nos et Sedem praefatam, per dictos oratores vestros, viros probatos, fidos et industrios, nobis luculenter declaratam, libenter agnovimus, ac prosperum statum et salubrem directionem civitatis nostrae praedictae illiusque offi-

ciorum sincero affectu desideramus, vos et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati estis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon omnium et singulorum praedictorum et inde secutorum quorumcumque tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula decreta, statuta, concessiones, necnon privilegia, exemptiones, immunitates, favores, indulta, reintegrationes, commissiones, mandata, revocationes, voluntates, annullationes aliasque gratias per Paulum III, Iulium etiam III, Paulum IV et Gregorium XIII, praedecessores nostros praedictos, litterasque desuper confectas et in eis contenta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Executores defensoresque deputati;

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Anconitano, Asculano et Recanatensi episcopis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque et deputatis vestris in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra vos illis pacifice frui et gaudere, non permittentes vos aut deputatos vestros seu vestrum aliquem contra praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles, etiamsi episcopali vel maiori praefulgeant dignitate, per quascumque censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, auditoribus, commissariis et aliis quibusvis personis ac locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VIII octobris MDLXXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 oct. 1585, pontif. anno I.

XVII.

De regimine Studii generalis Valentini, ab Alexandro VI instituti, et applicatione beneficiorum ecclesiasticorum etc.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Copiosus in misericordia Dominus et in cunctis suis operibus gloriosus, a quo

omnia bona defluunt, ad hoc nobis, licet immeritis, suae sponsae universalis Ecclesiae regimen committere, et nostrae debilitati iugum apostolicae servitutis imponere voluit, ut tamquam de summo vertice montis ad huius mundi infima reflectentes intuitum, quid pro huiusmodi illustranda Ecclesia ad fidei orthodoxae divinique cultus et beneficiorum propagationem conferat, quidve statui et profectui animarumque saluti fidelium quorumlibet conveniat, attentius prospiciamus, fidelesque ipsos ad quaerenda litterarum studia, per quae militantis Ecclesiae respublica geritur, divini nominis ac eiusdem fidei cultus protenditur, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, nostrae sollicitudinis ope excitemus; ac in id pro nostri pastoralis officii debito propensius incumbamus, ut singulae Studiorum generalium Universitates, praesertim in locis Maurorum et aliorum infidelium, non ita pridem ad Christi fidem conversorum, progenie refertis constitutae, lectores fide et eruditione probatos, ad aliorum instructionem [1] nanciscantur, ac eisdem lectoribus, pro suis necessitatibus fructuosique eorum instituti prosecutione et exercitio, congruae subventionis auxilia favorabiliter subministrentur.

Praepositura ecclesiae Valentinae vacat.

§ 1. Dudum siquidem omnia officia ceteraque beneficia ecclesiastica apud Sedem Apostolicam tunc vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari. Cum itaque postmodum praepositura mensis februarii in ecclesia Valentina, per liberam resignationem dilecti filii Thomae de Boria, canonici ecclesiae Toletanae et nuper praepositi mensis februarii in dicta ecclesia Valentina, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam, apud Sedem praefatam vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illa, praeter nos, hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis. Et, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum consulum iuratorum, rationalis et syndici civitatis Valentinae petitio continebat, ex duodecim singulorum mensium praeposituris, olim in dicta ecclesia Valentina pro totidem praepositis, qui annuatim fructus, redditus et proventus eiusdem ecclesiae Valentinae mensae capitularis recolligerent, ac inter illius canonicos pro tempore residentes, iuxta certam taxam ad id praescriptam, singulis mensibus distribuerent, institutis, dicta præpositura mensis februarii sola ibidem remanente, omnes aliæ aliorum mensium præposituræ huiusmodi pridem apostolica auctoritate perpetuo suppressae et extinctae, illarumque fructus, redditus et proventus praedictae mensae capitulari, dicta auctoritate, etiam perpetuo applicati et appropriati fuerint, ac ex fructuum, reddituum et proventuum mensae huiusmodi augmento ipsius ecclesiae Valentinae canonici decentem eorum gradum commode sustinere possint.

Alexander VI generale Studium instituit, sed, propter tenuitatem redditDuum, lectorum salarios solvere non valet, unde mala hic descripta oriuntur.

§ 2. Universitas vero Studii generalis Valentini, a felicis recordationis Alexandro PP. VI, praedecessore nostro, ad quarumcumque personarum, tam ecclesiasticarum quam saecularium, in theologia, utriusque iuris prudentia, medicina et artibus liberalibus, ac quibusvis aliis licitis facultatibus instructionem et profectum instituta, propter illius reddituum et proventuum, quingentorum ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedentium, tenuitatem, tantis necessitatibus et angustiis prematur, ut neque competentem mercedem singularum facultatum huiusmodi lectoribus praestare, nec mul-

1 *Et sanae doctrinae conservationem* addit Cherub. (R. T.).

torum aliorum onerum illi iugiter incumbentium gravitatem sustinere possit, et exinde utriusque iuris prudentiae lectiones ibidem saltem ex professo hactenus haberi commode non potuerint, illiusque regni indigenae, harum usu et commodo destituti, desideratos in huiusmodi facultatum studiis progressus consequi nequeant, vel pro illis capessendis ad alias longinquas et remotas Studiorum generalium Universitates, non sine magno personarum ac rerum suarum incommodo et dispendio, se transferre cogantur; quin etiam in universo regno Valentiae, quod prae ceteris Hispaniarum regnis, Maurorum noviter ad fidem conversorum multitudine refertum, ac spectatae fidei et doctrinae virorum copia, pro ipsis Mauris et infidelibus ad religionis et fidei catholicae cultum convertendis, ac conversis in eadem religione et fide instruendis et confirmandis, maxime indigere dignoscitur, nullum seminarium a locorum ordinariis, iuxta formam concilii Tridentini, hucusque institutum existat, si dicta praepositura mensis februarii, quae nullum amplius ibidem servitium aut obsequium requirit, perpetuo supprimeretur et extingueretur, ac ex illius sic suppressae et extinctae fructibus, redditibus et proventibus, decem et octo aliae praepositurae in eadem ecclesia Valentina instituerentur pro totidem praepositis cathedraticis nuncupandis, qui apud eamdem ecclesiam Valentinam residerent, ac in illius choro missarum solemnibus et aliis divinis officiis assisterent; quorumque sex theologiam, et alii sex canonica, reliqui autem sex civilia iura, inibi in totidem publicis dictae Universitatis cathedris, eis ad id assignandis, pro una videlicet matutinis, altera vero partibus praepositorum huiusmodi pomeridianis horis, legere et interpretari teneantur, ex hoc profecto nedum ipsius ecclesiae Valentinae dignitati et decori, ac divini cultus ministrorumque et beneficiorum ecclesiasticorum in ea augmento consuleretur, verum etiam in ipsa Universitate litterarum studia per amplius propagarentur, ac doctissimorum et in huiusmodi facultatibus exercitatissimorum virorum concursus, pro ipsis lectionibus habendis, in dies maior fieret, eorumque opera, eruditione et doctrina, tam dicti regni indigenae in patrio solo, absque longo peregrinationis labore, quam undecumque advenientes ibidem, tamquam uberrimo sacrarum ac aliarum optimarum scientiarum seminario, in theologiae et utriusque iuris prudentiae facultatibus huiusmodi, instrui et edoceri, seque in illis exercere, ac tandem emeritos gradus et honores consequi, necnon reipublicae decori et ornamento, sibique et aliis utiles esse possent.

Universitas ergo Valentina supplicat pro concessione dictae praepositurae pro lectoribus dicti Studii etc.

§ 3. Quare pro parte consulum iuratorum, rationalis et syndici praefatorum asserentium Universitatem praedictam eorum cura et gubernio maxime dirigi, ac illius professorum, lectorum, praeceptorum, bidellorum aliorumque officialium et ministrorum electionem et deputationem, necnon publicarum cathedrarum huiusmodi, ac salariorum et mercedum assignationem atque distributionem, ad se et nonnullos alios de ipsorum consilio existentes pertinere; ac dictae praepositurae mensis februarii fructus, redditus et proventus, qui omnes, pro una videlicet, Petro Ludovico Galcerando, etiam de Boria, magistro militiae S. Mariae de Montesa, et S. Georgii Cisterciensis Ordinis in dicto regno Valentiae institutae; pro altera vero illorum medietatibus Ioanni similiter de Boria, praeceptori praeceptoriae maioris dictae militiae, ipsius Petri Ludovici nato, ex dispensatione apostolica; necnon super eisdem pensio annua ducentorum ducatorum auri de Camera, Petro Ferr. pariter de Boria, cle-

rico, dilectis filiis, illos et illam annuatim percipientibus, dicta auctoritate reservati existunt, quatuor millium et quadringentorum ducatorum auri similium, secundum extimationem praedictam, valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus praemissis ac aliis infrascriptis annuere et desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic modo Pontifex petita concedit;

§ 4. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum extimationem praefatam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret; et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset; quique hodie reservationem medietatis fructuum, reddituum et proventuum Petro Ludovico factam huiusmodi, quoad summam quingentarum librarum monetae Valentinae dumtaxat, eadem reservatione, quoad reliquam partem medietatis fructuum huiusmodi, ipsi Petro Ludovico salva et illaesa remanente, eiusdem Petri Ludovici ad hoc expresso accedente consensu, cassari et extingui, cassamque et extinctam fore et esse decerni; ac praedicto Thomae partem fructuum, reddituum et proventuum suppressae praeposituræ mensis februarii huiusmodi cassatae similem, quae ad valorem annuum dictarum quingentarum librarum ascenderet, ex tunc, ita tamen quod omnes et quaecumque aliae assignationes sibi per dictum Petrum Ludovicum ex huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus hactenus quomodolibet factae, etiam cassae et extinctae essent et esse censerentur, nec dictus Thomas quicquam ultra quingentas libras huiusmodi a Petro Ludovico et Ioanne praedictis, ex fructibus, redditibus et proventibus eis reservatis huiusmodi, quovis etiam alimentorum vel congruae sustentationis praetextu, praetendere; ac huiusmodi partem, quae ad summam quingentarum librarum similium dumtaxat ascenderet, simul vel successive, in toto vel in parte, in dicta curia vel extra eam, etiam in mortis articulo, vel alias quandocumque sibi placeret, etiam absque aliqua litterarum apostolicarum desuper conficiendarum ac præsentium insinuatione [1] in unam vel plures personas ecclesiasticas, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentes et expectantes, per eumdem Thomam nominandas, absque praepositorum cathedraticorum praedictorum vel quorumvis aliorum desuper praestando vel requirendo consensu, transferre valeret, reservari, concedi et assignari; necnon consulibus iuratis, rationali et syndico praedictis omnes et singulas expensas in supplicationis per nos super praesentibus gratiis signatae ac desuper conficiendarum et praesentium litterarum expeditione pro tempore factas, cuiuscumque summae et quantitatis forent, absque eo quod quicquam a Thoma et Petro Ludovico, ac Ioanne et Petro Ferr. praedictis repetere possent, solvendi et praestandi licentiam elargiri concessimus. Consules iuratos et rationalem et syndicum praedictos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictam praeposituram mensis februarii, quae inibi beneficium seu officium simplex, aut personatus vel administratio existit, et personalem residentiam non requirit, sive praemisso sive alio quovis modo,

1 Cherub. addit *vel praesentatione* (R. T.).

aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem resignationem dicti Thomae vel cuiusvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit quod eius collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsaque praepositura mensis februarii dispositioni apostolicae specialiter vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, dicta apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus; ac illius et aliarum suppressarum praepositurarum praedictarum loco, in dicta ecclesia Valentina decem et octo alias praeposituras, quae ibidem simplicia officia seu beneficia existant, ac etiam per canonicos dictae ecclesiae seu dignitates aut cappellanias vel alia simplicia beneficia ecclesiastica ibidem obtinentes, etiam una cum ipsius ecclesiae Valentinae canonicatibus et praebendis seu dignitatibus vel cappellaniis aut aliis beneficiis huiusmodi, absque dispensatione apostolica, obtinere possint, pro totidem praepositis, sex videlicet primariis, et sex secundariis, ac reliquis sex tertiariis, cathedraticis nuncupandis, qui habitum et insignia per olim praepositos mensium huiusmodi deferri solita, gestare et deferre, ac ad illorum instar stallum in choro, necnon locum in processionibus ceterisque actibus publicis et privatis, omnibus et quibuscumque, non tamen capitularibus, dictae ecclesiae Valentinae immediate post illius canonicos, iuxta ordinem ad id eis praescribendum, habere; necnon apud dictam ecclesiam Valentinam residendo et divinis officiis interessendo, omnibus et singulis distributionibus quotidianis, tam diurnis quam nocturnis, aliisque iuribus, obventionibus et emolumentis, in quibuscumque rebus consistentibus, et quocumque nomine nuncupatis (non tamen ex fructibus, redditibus et proventibus aliarum undecim praepositurarum huiusmodi, praedictae mensae capitulari applicatis et appropriatis, provenientibus), necnon privilegiis, indultis, facultatibus, honoribus, præeminentiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus ceterisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus praepositi mensium huiusmodi, qui pro tempore fuerint, ratione dictarum praepositurarum suppressarum, apud ipsam ecclesiam Valentinam residendo, et divinis officiis interessendo, frui, potiri et gaudere poterant et debebant, pariformiter et absque ulla prorsus differentia, uti, potiri et gaudere possint et debeant. Et quorum sex in primis, et alii sex in secundis, ac reliqui sex in tertiis singularum facultatum theologiae et utriusque iuris prudentiae huiusmodi cathedris eis ad id assignandis easdem facultates, pro una videlicet matutinis, altera vero medietatibus decem et octo praepositorum huiusmodi, pomeridianis horis, publice legere et interpretari teneantur, auctoritate et tenore praefatis, etiam perpetuo erigimus et instituimus. Illisque sic erectis et institutis, pro earum dote ac illas pro tempore obtinentium substentatione, omnia et singula fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta suppressae praepositurae mensis februarii huiusmodi, per dilectos filios capitulum dictae ecclesiae Valentinae inter praepositos cathedraticos praefatos tantummodo et forma infrascriptis distribuenda et repartienda, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo applicamus et appropriamus. Quod-

que omnia et singula fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta suppressae praepositurae mensis februarii huiusmodi, deductis prius illius oneribus quibuscumque, et salvis omnibus supradictis, in duodecim aequales partes, ac ex eis quinque inter primarios et aliae quatuor inter secundarios, ac reliquae tres partes huiusmodi inter tertiarios praepositos cathedraticos praefatos proportionabiliter a praedictis capitulo singulo quoque quadrimestri, ut praefertur, dividi et repartiri debeant. Ita tamen quod eorum singuli, pro cuiusque lectionis sibi incumbentis omissione, legitimo impedimento cessante, ratam partem portionis, quae, illius ratione, facto iusto calculo, alias ad ipsos pertineret omnino amittant, illaque per censorem seu punctatorem ad id pro tempore deputatum retineri, ac pro una rectori Universitatis, et alia ipsi censori seu punctatori, reliqua vero partibus confraternitati pauperum scholarium dictae Universitatis irremissibiliter applicari debeat. Si vero rector aut censor seu punctator praefati ratam partem eos tangentem acceptare recusaverint, eadem dictae confraternitati cedat.

Rectoris Studii eligendi formam praescribit;

§ 5. Et quia singulis trienniis unus ex lectoribus cathedraticis dictae Universitatis in illius rectorem per consules iuratos, rationalem et syndicum ac nonnullos alios de eorum consilio existentes praefatos, hactenus eligi consuevit, et ex longo rerum usu compertum sit non expedire ut dictus rector a gremio lectorum cathedraticorum huiusmodi assumatur; quod, ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, pro tempore existentes consules iurati, rationalis et syndicus praefati et alii, ad quos electio huiusmodi pertinet, unum ex canonicis dictae ecclesiae Valentinae seu aliquam illius dignitatum obtinentibus, non tamen de gremio praepositorum cathedraticorum praefatorum existentibus, in rectorem eiusdem Universitatis de triennio in triennium, cum omnibus et singulis honoribus, favoribus, gratiis, praerogativis, præeminentiis, facultatibus, iurisdictionibus, libertatibus, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, oneribus et emolumentis pro tempore existenti rectori dictae Universitatis de iure vel consuetudine aut ex privilegio, tam apostolica quam imperiali et regia auctoritatibus concesso, aut alias competentibus et competituris, eligere debeant; ipseque sic electus, triennio sui rectoratus elapso, in eo continuari seu confirmari aut ad aliud triennium immediate subsequens iterum eligi nullatenus possit.

Collationis etiam in futurum eumdem modum praefinit;

§ 6. Quodque omnes et singulae praepositurae praefatae, tam hac prima vice a primaeva erectione huiusmodi, quam deinceps, quoties illas et earum quamlibet per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem aut privationem pro tempore existentium praepositorum cathedraticorum praefatorum vel alias quovis modo, etiam apud Sedem praefatam, ac etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum collatio et quaevis alia dispositio nobis et dictae Sedi, etiam per constitutiones apostolicas seu Cancellariae Apostolicae regulas, reservata existit seu pro tempore fuerit, aut etiam ordinariis collatoribus, per easdem constitutiones seu regulas vel litteras alternativarum aut alia privilegia et indulta, concessa est hactenus et in posterum concedenda, simul vel successive vacare contigerit, sex primarum et sex secundarum ac sex tertiarum cathedrarum theologiae et utriusque iuris prudentiae huiusmodi lectoribus per consules iuratos ac rationalem et syndicum necnon alios, ad quos electio et deputatio eorumdem per-

tinent, praevio diligenti et rigoroso examine, ac alias iuxta ipsius Universitatis instituta et laudabiles consuetudines eligendis et deputandis, perpetuo affectae sint et esse censeantur; ac illis post nominationem et electionem consulum iuratorum, rationalis et syndici, ac aliorum intervenire debentium et solitorum praefatorum, sine aliquo obstaculo, ac omni impedimento et tergiversatione cessante (postquam in eius manibus catholicae fidei professionem, iuxta articulos pridem a Sede praefata propositos, expresse emiserint), conferantur et assignentur, ac conferri et assignari debeant; nec duae ex eis per unum insimul ullatenus obtineri debeant. Quodque singulae praepositurae huiusmodi sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus, reservationibus, affectionibus, etiam in corpore iuris clausis, necnon expectativis, coadiutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando aut alias disponendo, vel aliis gratiis praeventivis, per nos aut praedecessores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et dictam Sedem vel eius legatos, etiam consideratione et intuitu ac contemplatione seu ad instantiam imperatoris, regum, reginarum, ac etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium vel aliorum principum, et ex quacumque causa, quantumlibet urgenti, pro tempore factis, comprehendantur; nec etiam tamquam vacantes apud Sedem praefatam, aut ulla alia ratione, generaliter vel specialiter reservari, nec illarum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, etiam apud Sedem eamdem, pro tempore occurrente, per nos aut pro tempore existentem Romanum Pontificem vel Sedem huiusmodi de illis provideri aut alias quoquomodo disponi possit; et quaecumque collationes, provisiones, commendae et aliae dispositiones, quas ex nunc de cetero de praepositturis praefatis quibusvis personis alias quam per dictum rectorem ad nominationem et electionem consulum iuratorum, rationalis, syndici ac aliorum ius nominandi et eligendi huiusmodi habentium, quovis modo, etiam per Sedem praefatam, fieri contigerit, nullae et invalidae nulliusque roboris et momenti sint et esse censeantur, ac pro nullis et infectis habeantur; nec cuiquam ius seu, etiam coloratum, possidendi titulum tribuant. Ad haec, nullus omnino praepositorum praefatorum praeposituram per eum pro tempore obtentam in alterius quam dicti rectoris manibus, et id quidem libere, resignare aut dimittere, seu iuri sibi in eis vel ad illas competenti cedere, nec reservationi fructuum, redditutuum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum aut quotidianarum distributionum eiusdem praepositurae seu alicuius partis eorum, aut pensionis annuae, super eisdem consentire possit. Et quicumque ex ipsis praepositis, per tres menses continuos a legendi munere sibi pro tempore incumbente, legitimo cessante impedimento, per rectorem, consules iuratos, rationalem et syndicum praedictos approbando, cessaverit, ex tunc dictis tribus mensibus elapsis, cathedra sibi assignata et illi affecta praepositura, pro ipso iure et facto, absque alia declaratione, perpetuo privatus sit et esse censeatur, indeque sine spolii et attentatorum vitio amoveri; ac consules iurati, rationalis et syndicus, cum ceteris in electione intervenire solitis, alium, in illius sic privati et amoti locum, ad cathedram huiusmodi, praevio examine, ac alias modo et forma praemissis, eligere et deputare; rector vero praedictus sic electo et deputato praepositruram eidem cathedrae affectam, tamquam per privationem et amotionem huiusmodi vacantem, nullo alio facto examine, omnique exceptione

et tergiversatione cessante, conferre et de illa etiam providere; ipsumque in corporalem possessionem cathedrae et illi affectae praepositurae huiusmodi, iuriumque et pertinentiarum suorum quorumcumque, inducere debeat. Quodque singuli praepositi praedicti, intra sex menses a die habitae per eos possessionis suae cuiusque praepositurae, duodecim ad minus conclusiones earum facultatum quas lecturi sunt, coram loci ordinario, tamquam eiusdem Universitatis cancellario a Sede praedicta deputato, ac praedictis capitulo tueri teneantur; alioquin, eisdem sex mensibus elapsis, omnibus insignibus, ipsis ratione suarum praepositurarum huiusmodi competentibus, donec et quousque easdem conclusiones, ut praefertur, sustinuerint, destituti remaneant.

Lectorum admissionis normam ponit;

§ 7. Ceterum, ut virtutis aemulatione maiores fructus et progressus ibidem proveniant, ac cognitae et spectatae cuiusque doctrinae convenientia praemia conferantur, quilibet praepositorum praedictorum de inferiori ad superiorem cathedram, per mutuum concursum, singulo quoque triennio, admitti, et si, rigoroso examine praevio, magis idoneus repertus fuerit, ad superiorem cathedram huiusmodi ascendere, et eo casu praeposituram eidem superiori cathedrae affectam, tamquam ipso iure et facto vacantem, consequi; alter vero evictus, ad aliam sibi adiudicandam cathedram et illi affectam praeposituram transire debeat. Singuli quoque praepositi cathedratici praefati, examini eorum, qui ad baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii gradus in sua cuiusque facultate pro tempore promovebuntur, intervenire possint; ac eamdem portionem ex emolumentis inde provenientibus quam singuli alii examinatores percipere debeant.

Lectoribus quotidianas distributiones pro tempore quo legunt concedit;

§ 8. Et tam ipsi praepositi quam dictus rector, omnibus illis horis et temporibus quibus suis officiis et functionibus vacabunt, aut scholarium disputationibus, examinibus, promotionibus aliisque actibus publicis suae cuiusque facultatis et professionis assistent et intervenient, ad residendum in dicta ecclesia Valentina et illius choro, ac interessendum divinis officiis minime teneantur, et nihilominus distributiones quotidianas percipiant et lucrentur cum ea integritate, qua illas perciperent et lucrarentur, si statutis horis et temporibus huiusmodi in ipsa ecclesia Valentina et illius choro residerent, et divinis officiis interessent.

Lectorum munus circa lites et praedicationes praescribit;

§ 9. Qui vero praeposituras primarum cathedrarum huiusmodi pro tempore obtinuerint, quando et quoties a praefatis capitulo requisiti fuerint, in omnibus et singulis litibus, causis et negotiis ecclesiae Valentinae illiusque capituli huiusmodi, tam coniunctim quam divisim (non tamen contra Universitatem Studii generalis ac communitatem et rempublicam civitatis Valentinae huiusmodi), advocare et patrocinari, ac consilium et operam fideliter praestare; theologi vero verbum Dei in ipsa ecclesia Valentina praedicare et concionari gratis et absque ulla prorsus mercede debeant et teneantur, auctoritate et tenore similibus, pariter perpetuo statuimus et ordinamus.

Archiepiscopo et aliis dat facultatem condendi statuta circa lectorum servitia etc.;

§ 10. Necnon pro tempore existentibus archiepiscopo Valentino, tamquam cancellario, seu eius vicario ac rectori Universitatis, necnon iuratis consulibus, rationali et syndico civitatis Valentinae ceterisque ius eligendi huiusmodi habentibus, ut, vocatis et adhibitis secum aliquibus dictae ecclesiae Valentinae canonicis, litterarum scientia ac rerum usu praeditis, quos ad hoc duxerint eligendos, ac alias iuxta facultatem eis a praefato Alexandro praedecessore concessam, quaecumque alia statuta, ordinationes et decreta, ad electionem, deputationem, qua-

litates, onera et servitia lectorum cathedraticorum huiusmodi pertinentia, ac alias in praemissis et circa ea necessaria et opportuna, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non contraria condere, eaque, postquam condita fuerint, quoties pro illorum ac rerum et temporum qualitate vel alias expediens videbitur, mutare, corrigere, reformare, alterare, moderari, interpretari, ac in toto vel in parte revocare, atque alia de novo edere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praefatis, de speciali gratia indulgemus.

Clausulas praeservativas apponit;

§ 11. Decernentes praemissa omnia necnon praesentes litteras nullo umquam tempore, etiam ex eo quod causae, propter quas emanarunt, coram ordinario loci, etiam tamquam Sedis praefatae delegato, vel alibi examinatae, verificatae et approbatae, ac ad id interesse habentes vocati non fuerint, neque ipsi illis consenserint, aut alio quocumque praetextu, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse; nec sub quibusvis unionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, extinctionum, separationum, dismembrationum, applicationum, appropriationum, etiam effectum non sortitarum, aliarumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos seu alios Romanos Pontifices successores nostros aut Sedem huiusmodi, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis pro tempore factis, etiamsi de eisdem praesentibus, ac earum toto tenore et data, specialis, specifica, expressa et individua mentio fiat, comprehendi; sed, tamquam in fidei catholicae et divini cultus favorem ac publicam utilitatem et salutem concessa, semper valida et efficacia fore, ac quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antea erant, statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo, etiam sub data per consules iuratos, rationalem et syndicum praefatos, eorumque successores ac alios, quos ipsae praesentes litterae concernunt et concernent in futurum, eligenda, concessa esse.

Clausulam sublata etc. addit;

§ 12. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia, iudicari ac definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores huius constitutionis deputat;

§ 13. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Valentino, et episcopo Oriolensi, ac dilecto filio archidiacono ecclesiae Valentinae per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore existentium consulum iuratorum, rationalis et syndici ac praepositorum praedictorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; ipsosque consules iuratos, rationalem et syndicum ac praepositos pro tempore exi-

stentes, ceterosque omnes, quos eædem praesentes quomodolibet concernunt et concernent in futurum, illis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel quempiam ex ipsis, desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulas contrariorum derogatorias subdit.

§ 14. Non obstantibus priori voluntate nostra, et aliis praemissis; ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri probibentis, necnon piae memoriae Bonifacii Papae octavi, etiam praedecessoris nostri, etiam illa qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praefata deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere debeant seu praesumant, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon ecclesiae Valentinae et Universitatis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis, ac ipsius ecclesiae Valentinae praesuli pro tempore existenti, necnon capitulo, rectoribus, consulibus iuratis, rationali et syndico praedictis ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum vel aliorum principum instantiam, seu etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, in genere vel in specie ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de officiis dictae ecclesiae Valentinae speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem ac inde secuta quaecumque ad dictam praepositurам mensis februarii volumus non extendi; sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem officiorum vel beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quæ, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit de verbo ad verbum in nostris litteris mentio

specialis; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino *etc*.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, III kalendas novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 octob. 1585, pontif. an. I.

XVIII.

Ut in Ordine Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum observetur reformatio edita a commissariis deputatis per Pium V et Gregorium XIII, cum declarationibus Sixti Papae V[1].

Sixtus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ut cuncti fideles, praesertim vero religiosi, mutuo invicem fraternae dilectionis vinculo copulati, unanimes in pace ac tranquillitate Altissimo famulentur, quae inter eos dissidii, scandali aut dissensionum occasionem praebent, libenter, quantum in nobis est, nostra auctoritate interposita, declarare et diffinire studemus, sicuti ad hoc paterna charitas et pastoralis muneris sollicitudo nos admonet.

Pius V Philippo Menezes et Gulielmo Montano committit reformationem huius Ordinis. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa quintus, praedecessor noster, fide dignarum personarum testimoniis certior factus fratres Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum reformatione indigere, ut pastoralis officii debito satisfaceret, Philippo de Menezes, tunc rectori collegii S. Gregorii oppidi Vallisoleti Palentinae dioecesis in provincia Castellae, et dilecto filio Gulielmo Montano, tunc priori domus Gerundensis fratrum Praedicatorum principatus Cataloniae in provincia regni Aragonum, iuxta morem dictorum Ordinum, dedit in mandatis ut eosdem fratres B. Mariae de Mercede, eorumque domos, conventus, superiores et singulas personas visitarent, corrigerent, reformarent, et tam capitulum generale in loco eis beneviso convocandi, quam statuta condendi, aliasque amplissimas facultates eis concessit.

§ 2. Quo Philippo rectore, re infecta, defuncto, piae memoriae Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, dilectum filium Ferdinandum del Castillo, tunc priorem domus Beatae Mariae de Atoca, Ordinis fratrum Praedicatorum, Toletanae dioecesis, in illius locum, quoad curam visitandi et reformandi facultates et alia supradicta, subrogavit. Philippo defuncto, Ferdinandum del Castillo sufficit Gregorius XIII.

§ 3. Qui ambo in oppidum de Guadalaxara, dictae Toletanae dioecesis, legitime convenientes, atque inibi capitulo generali fratrum dicti Ordinis B. Mariae de Mercede congregato, reformationem opportunam et novas quasdam constitutiones, inter alia de loci futuri capituli generalis, deque magistri generalis electione, promulgarunt, quae omnia per eumdem Gregorium praedecessorem confirmata fuerunt, qui eadem illa mandavit inviolabiliter observari, prout in singulis dictorum praedecessorum litteris in forma brevis confectis latius continetur. Commissarii, coacto capitulo generali, nova statuta condiderunt, quae exequi mandat praefatus Gregorius.

§ 4. Verum, etsi omnes fratres dicti Ordinis B. Mariae de Mercede ubique existentes illis acquiescere debuissent, tamen super designatione dicti loci pro capitulo generali celebrando, necnon electione et modo eligendi magistrum generalem et aliis forsan rebus, varias controversias, dissensiones et forsan lites exortas, adhuc, etiam super litteris huiusmodi, dictorumque praedecessorum mentis et voluntatis Attamen super tali reformatione nonnullae inter fratres exortae sunt controversiae.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

declaratione, in Romana Curia pendere accepimus indecisas.

Quibus ad se avocatis, praedictam reformationem omnino observari praecipit Sixtus.

§ 5. Ad tollendam igitur, nostra potissimum interpretatione, ut par est, super nostrorum praedecessorum voluntate et intentione disceptandi occasionem; simul etiam ut conciliemus inter ipsos religiosos concordiam et unionem, quos piae contemplationi et divino cultui intentos esse decet potius quam controversiis et litibus implicari, ne ii sumptus, qui in redemptionem captivorum iuxta eorum instituta fieri deberent, in lites convertantur, diligenter et accurate consideratis et perpensis iis omnibus quae in huiusmodi negotio consideranda erant, deque universo statu ac meritis causarum et controversiarum huiusmodi plene informati, motu proprio et ex certa scientia, easdem controversias et lites omnes et quascumque in dicta Curia et in Palatii Apostolici auditorio et alibi, etiam extra dictam Curiam, coram quibuscumque iudicibus super praemissis pendentes, etiam instructas, in quibuscumque statu et terminis reperiantur, ab eisdem iudicibus ad nos harum serie advocantes, illasque penitus cassantes et extinguentes, ac omnibus et quibuscumque fratribus eiusdem Ordinis B. Mariae de Mercede et eorum superioribus et quibusvis aliis super praemissis contendentibus seu id sua interesse praetendentibus perpetuum desuper silentium imponentes, auctoritate earumdem praesentium praecipimus et mandamus dictam reformationem, a praedictis Gulielmo et Ferdinando in dicto loco de Guadalaxara felicis recordationis Pii auctoritate factam, et a similiter felicis recordationis Gregorio praedecessore, ut praefertur, confirmatam, cuius tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari debere.

Magistri generalis electionem quolibet sexennio fieri statuit.

§ 6. Et nihilominus ulterius considerantes et providere volentes, adducti exemplo aliarum bene et recte institutarum et approbatarum Religionum, cum satis absurdum sit quod in illis observatur huic Ordini denegari, nempe ut cum capitulum generale Ordinis simul congregari contigerit, et tunc decernendi et statuendi de loco, tempore et aliis, quae ad futura capitula celebranda ac superiores Ordinis eligendos pertinent, libera sit deliberatio, motu simili statuimus et ordinamus ut in posterum capitulum generale tertio quoque anno celebretur, in quo generalis magister ad illud triennium et non ultra confirmetur, ita ut quolibet sexto anno novus eligatur.

Defuncto ministro general ante tempus capituli, prior monasterii Barchinonensis est iure suo vicarius generalis.

§ 7. Quod si forte intra primum vel intra secundum triennium per dicti magistri generalis decessum vel alio modo magistratus seu administratio huiusmodi vacare contigerit, si per quatuor menses ante festum Pentecostes id evenerit, capitulum fiat dicto primo tempore dicti festi; si autem successerit mors vel alia ut praefertur vacatio intra tempus quatuor mensium ante dictum festum, tunc similiter ad tempus Pentecostes non eiusdem, sed sequentis anni, post vacationem differatur; interim autem donec capitulum novaque electio fiat, prior monasterii Barchinonensis, quod primum erectum ac constructum in hac Religione fuit, semper sit caput et totius Ordinis vicarius generalis.

Primum capitulum in civitate Caesaraugustana cogendum.

§ 8. Primum capitulum generale dicti Ordinis fratrum B. M. de Mercede in civitate Caesaraugustana quamprimum congregetur.

In quolibet capitulo de loco et tempore futuri capituli et electione ministri generalis tractandum.

§ 9. Et tam in eo quam deinceps in unoquoque capitulo primum quidem de ipsius magistri generalis electione seu confirmatione; deinde vero, electione seu confirmatione magistri generalis expedita, de loco sequentis et statim post triennium futuri capituli, per libera et secreta suffra-

gia eius qui electus fuerit generalis et diffinitorum ac aliorum vocalium, ad quos spectat, deliberetur ac statuatur.

Quidquid in huiusmodi capitulo fuerit statutum, firmiter tenendum.

§ 10. Semper autem quidquid super his ab ipso postremo capitulo generali ordinatum et decretum fuerit, omnino sancte et inviolate observetur, nulla loci alicuius distinctione habita neque personarum exceptione; sed, Dei tantum honorem prae oculis habentes, fratres capitulares, qui ferendi in capitulo generali suffragii ius habent, quos vocales appellant, nihil aliud spectent, nisi ut talis eligatur persona, quae ad regimen et gubernationem ipsius Ordinis administrandum, ipsosque fratres in officio et disciplinae regularis observantia continendos maxime idonea; talis etiam locus, qui et libertati electionis et commoditati totius Ordinis et singularum provinciarum illius magis opportunus videbitur, ceteris autem in suo robore permansuris.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 11. Decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu, etiam ex eo quod ii, quorum interest, modis legitimis vocati et auditi non fuerint, aut alias quovis praetextu, impugnari aut invalidari non posse; sicque in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam Palatii Apostolici causarum auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa vel instantia, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 12. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quaesito, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis, etiam generalibus, editis; necnon praedictis et aliis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam per modum pactorum et conventionum inter ipsos fratres initorum editis, etiam ab immemorabili tempore pacifice observatis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dicto Ordini illiusque domibus quibuscumque, illorumque prioribus, fratribus seu quibusvis locis, illorumque magistratibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio vel alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes, habenda mentio seu expressio, aut quaevis alia exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, ad effectum praesentium dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die V novembris MDLXXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 nov. 1585, pontif. anno I.

XIX.

Ampliatio collegii septem notariorum Sedis Apostolicae antiquitus instituti ad numerum duodecim, cum gratiarum et privilegiorum extensione pro ipsis septem notariis [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, Christi vicarius, uti Prooemium.

1 Hi notarii, protonotarii nuncupantur in Pii II const. V, *Cum servare*, tom. V, pag. 152,

prudens paterfamilias, provide animadvertens in agro dominico multam messem esse, ut opus Domini recte et sine confusione adimpleatur, singulis curas partitur et officia distribuit, et ea nonnumquam pro felici ipsius agricultura et directione adauget, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Collegium VII protonotariorum institutum fuit ad gesta Ecclesiae describenda.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes collegium notariorum Sedis Apostolicae de numero participantium, quod olim per felicis recordationis Clementem I, Antherum etiam I et Iulium similiter I, praedecessores nostros, ad res martyrum et quaecumque ad Ecclesiam pertinerent fideliter describenda, et descripta scriniis Ecclesiae recondenda, institutum, ordinatum et destinatum fuit, ad Romanae Ecclesiae decorem et ornamentum (ut par est) augere, dictis et aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus.

Quod hic Pontifex modo extendit ad duodecim;

§ 2. Ultra septem notariorum de numero participantium officia ad praesens in dicto collegio existentia, quinque alia similia officia, motu proprio et ex certa nostra scientia, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus pro duodecim notariis. Ita quod deinceps quinque alii viri per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem eidem collegio notariorum adscribendi et deputandi, una cum ex nunc existentibus notariis unum corpus et collegium integrum et indistinctum constituant et efficiant; et duodecim officia pro duodecim notariis, omni prorsus inter eos sublata differentia, omnino similia et aequalia, in omnibus et per omnia, eiusdemque iuris, potestatis, iurisdictionis et auctoritatis existant.

Omnesque iisdem gratiis et privilegiis pariformiter exornat;

§ 3. Ipsumque collegium sic auctum et institutum et in unum corpus prorsus redactum, et duodecim notarii praedicti pro tempore existentes, eisdem privilegiis, exemptionibus, facultatibus, praerogativis et gratiis quibuscumque, ubique, indifferenter potiantur, utantur et gaudeant, quibus antea ipsum collegium et septem illius notarii quovis modo, coniunctim vel separatim, potiebantur, utebantur et gaudebant; necnon redditus, proventus, emolumenta et omnia alia singula, tam ex communi massa quam alibi quocumque tempore debita et debenda, ordinaria et extraordinaria, aequaliter percipiant; ac munera, functiones et officia, tam publica quam privata, semper sortiantur et obtineant, exerceant et assequantur, prout prius, ante auctionem ad duodenarium numerum huiusmodi, collegium ipsum et illius septem notarii habebant, percipiebant et obtinebant, perinde ac si a principio collegium praedictum sic auctum, ac cum antiquo confusum, unitum et incorporatum, et illius officia pro duodecim notariis instituta fuissent. Statuentes quod perpetuis futuris temporibus dictum collegium habeat duodecim notariatuum officia inter se promiscua et confusa; ita quod quinque notarii eidem collegio adscribendi cum aliis septem nunc existentibus omnino pares et aequales existant, et nullum inter eos discrimen neque differentia prioritatis, potioritatis et antiquioritatis adsit, quo posteriores a prioribus vel alter ab altero discernantur. Ita quod, adveniente vacatione sive antiquorum sive augmentatorum, semper in supplicatione exprimatur quod unum ex duodecim officiis notariorum vacat, alioquin notarii nequaquam admittere teneantur.

§ 4. Et insuper, ut duodecim notarii

ubi de ipsorum et episcoporum praecedentia definitio habetur. Praedictis septem notariis hic idem Pontifex exemptionem a gabella pro sex doliis vini elargitus est, in alio speciali diplomate sub die XXII februarii MDLXXXVI expedito, quod hic inserere consulto praetermisi.

Annuum redditum eis assignat.

praedicti onera sibi incumbentia supportare, et iuxta ipsorum qualitatem et dignitatem decentius se sustentare valeant, providere volentes, redditum annuum mille nongentorum et octuaginta scutorum monetae ex fructibus, redditibus et proventibus dohanae et thesaurariae nostri patrimonii per pro tempore existentem dohanerium et thesaurarium eiusdem patrimonii, singulis mensibus pro rata, massae communi dicti collegii persolvendum; ita quod liceat eidem collegio et duodecim illius notariis posthac, una cum aliis ipsius collegii redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis sibi hucusque assignatis seu in futurum assignandis, aut quovis modo proveniendis, illum percipere, exigere et levare, ac inter eos aequis portionibus distribuere et dividere, motu et auctoritate similibus perpetuo applicamus, illumque cum omnibus aliis redditibus et emolumentis confundimus. In recompensam vero dicti annui redditus, dohanae et thesaurariae praedictis afflictum seu redditum annuum terrae nostrae Bladae, Viterbiensis dioecesis, qui est scutorum mille centum et octuaginta, et alia octingenta scuta similia ex residuo gabellae civitatis nostrae Spoletanae, dictam summam scutorum mille nongentorum et octuaginta constituentia, etiam pro maiori ipsius dohanerii et thesaurarii cautela, perpetuo concedimus et assignamus. Decernentes praedicta omnia et singula ab omnibus, ad quos spectat, prorsus observari et adimpleri debere; et praesentes litteras vim validi et efficacis contractus inter Sedem et Cameram Apostolicam ac nosmetipsos et successores nostros Romanos Pontifices ex una, et collegium ac singulos duodecim notarios huiusmodi illorumque successores vel causam ab eis habentes, ex altera partibus, solemniter et legitime stipulati, perpetuo obtinere; dictamque Cameram ad eosdem notarios omnes et singulos in iuribus praedictis tuendos, et ab omni incommodo, laesione, lite, causa et controversia immunes, indemnes et exemptos conservandos teneri et obligatam esse.

Clausula sublata.

§ 5. Et sic per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere. Irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Assecuratio dictae assignationis.

§ 6. Et pro praedictis omnibus et singulis firmiter observandis et adimplendis, ac pro potiori cautela collegii XII notariorum praedictorum, tam pro pecuniis, quas pro Camerae et Sedis praedictarum occurrentibus necessitatibus iam solverunt et in posterum solvent, quam pro fructibus, redditibus et proventibus sibi assignatis, quae numquam in sortem principalem computari volumus, ac damnis, expensis et interesse passis, factis, patiendis et faciendis, omnia et singula dictae Camerae bona mobilia et immobilia, iura, actiones et emolumenta, ac redditus, proventus, praesentia et futura: ita quod liceat, propria ipsius collegii auctoritate, nullo alio a nobis seu pro tempore existente Romano Pontifice desuper expectato mandato, licentia seu decreto, dictorum bonorum, reddituum seu proventuum, pro dictis pecuniis, damnis, expensis et interesse, possessionem capere et retinere, motu et auctoritate similibus obligamus et hypothecamus.

Executoris huius bullae deputatio et facultates.

§ 7. Quocirca venerabili fratri nostro Alexandro, episcopo Ostiensi, cardinali Farnesio nuncupato, eiusdem S. R. E. vicecancellario, per apostolica scripta mandamus quatenus ipse, per se vel alium seu alios, faciat quinque notarios praedi-

ctos sic auctos, si et postquam per nos aut pro tempore existentem Romanum Pontificem ad id deputati fuerint, ad quinque officia huiusmodi, ad instar aliorum septem notariorum, absque aliqua prorsus differentia, eorumque liberum exercitium, necnon honores, onera, salaria et emolumenta, iuxta praesentium tenorem et continentiam, admitti, eisque de emolumentis praedictis integre responderi, ac easdem praesentes litteras ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Non permittens collegium et duodecim notarios praedictos seu eorum aliquem a quoquam desuper molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et alias, de quibus ei videbitur, poenas compescendo, adhibito etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae contrariorum derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac nostrae Cancellariae regula de non tollendo iure quaesito; necnon Camerae et collegii praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; necnon privilegiis, indultis et litteris apostolicis, Camerae, collegio et notariis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis et totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, decimosexto kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 nov. 1585, pontif. anno I.

Sequuntur privilegia pro supradictis septem notariis antiquioribus.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Laudabilis Sedis Apostolicae rectitudo, quae in suis actibus provida circumspectione dirigitur, non immerito eos gratia et favore prosequitur, quos sibi operosae eorum diligentiae studium continuo impendere cognoscit; ac ea quae illis per praedictam Sedem concessa fuisse dicuntur, ut firmiora persistant, Romanus Pontifex in eadem Sede constitutus libenter approbat et confirmat, aliasque desuper disponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Collegium VII notariorum Sedis Apostolicae alias institutum.

§ 1. Sane cum, sicut accepimus, collegium septem notariorum de numero participantium nuncupatorum, olim per felicis recordationis Clementem I, Antherum etiam I et Iulium similiter I, Romanos Pontifices praedecessores nostros, ad martyrum gesta et quaecumque ad Romanam Ecclesiam pertinerent fideliter describenda et descripta recondenda ordinatum et institutum fuerit, ipsisque, in septem Urbis regionibus divisis, tam a praedictis quam aliis Romanis Pontificibus, etiam praedecessoribus nostris, ut creditur, quamplurima privilegia, honores, gratiae, praeeminentiae et praerogativae concessa fuerint, ipsique notarii abinde citra omnibus Romanis Pontificibus praefatis, tam in eorum cappella quam in aliis publicis locis, ubi iidem Pontifices interfuerint, uti illorum praelati domestici, inservierint, et ad diversas legationes

et officia missi, illa laudabiliter exercuerint.

Quibus hic Pontifex confirmat emolumenta et privilegia alias concessa;

§ 2. Propterea non solum praedictum collegium in sua antiquitate et nobilitate, ut par est, conservare, sed etiam maioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu proprio, non ad dictorum notariorum seu alicuius eorum vel etiam alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, collegio huiusmodi eisdemque septem notariis nunc et pro tempore existentibus et eorum cuilibet omnia et singula privilegia, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, favores, facultates, præeminentias, antelationes, praerogativas, decreta, declarationes et indulta quaecumque per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ipsi collegio et illius notariis concessa, quatenus sint in usu et concilii Tridentini decretis minime contraria, nec sub ullis revocationibus comprehensa, nec non omnia et singula redditus, iura et emolumenta quaecumque dicti collegii per ipsos septem notarios hucusque habita et percipi solita, sicuti ea iuste et pacifice possident, apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus, illaque eis de novo concedimus et innovamus.

Doctorandique facultatem concedit,

§ 3. Ac nunc et pro tempore existentibus notariis de dicto numero et eorum cuilibet, quoscumque qui in iure canonico et civili seu altero eorum, per diligentem examinationem per se seu adhibitis et assumptis secum duobus aut trib. illius scientiae et facultatis doctorib., scientia et moribus idonei et sufficientes reperti fuerint, in utroque seu altero iurium huiusmodi; quos vero in theologia, non tamen alicuius Ordinis regulares, seu artibus vel medicina aut alia licita facultate studuisse, ac per similem examinationem duorum aut trium etiam per eos eligendorum doctorum seu magistrorum facultatis, in qua studuerint, coram eis vel aliquo eorum habendam, ad fidelem magistrorum seu doctorum eorumdem attestationem eis faciendam, peritos ac scientia et moribus praefatis ad hoc idoneos et sufficientes esse repererint, de eorumdem doctorum seu magistrorum, quoad praemissa omnia, consilio et assensu, in theologia seu artibus vel medicina aut alia licita facultate huiusmodi, ad baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii gradus promovendi, et illis in eis legendi et alios actus ad personas in huiusmodi gradibus constitutas quomodolibet pertinentes faciendi, auctoritatem concedendi, et ipsorum graduum solita insignia eis, qui eisdem auctoritatibus, facultatibus et privilegiis, ac si huiusmodi gradus in aliqua, etiam famosa, Universitate suscepissent, praeterquam quoad habilitatem ad cathedrales ecclesias, utantur et gaudeant, conferendi.

Notarios etiam creandi,

§ 4. Notariosque et tabelliones publicos creandi, ac creatos de tabellionatus et notariatus officiis huiusmodi per pennam et calamare, ut moris est, recepto prius ab eis solito iuramento, investiendi.

Spurios legitimandi ad successionem bonorum etiam Ecclesiae,

§ 5. Cum spuriis, bastardis, manseribus, incestuosis et aliis ex quovis illicito et damnato coitu procreatis, ut in parentum et aliorum bonis, tam ex testamento quam ab intestato, sine tamen praeiudicio venientium ab intestato, aut ex fidei commisso vel alia de iure valida dispositione, et citra bona emphyteutica et feudalia ecclesiastica, aut ex fructibus aliisque rebus ecclesiasticis confecta, vel per ecclesiam acquisita, necnon derogationem constitutionis felicis recordationis Pii Papae V, similiter praedecessoris nostri, in illegitimos emanatae, succedere, et quoscumque actus legitimos exercere, et ad quosvis honores, dignitates et officia, publica vel privata, assumi, illaque ge-

rere et exercere in omnibus et per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati essent, libere et licite valeant, dispensandi.

Statuta pro collegio condendi.

§ 6. Necnon statuta et ordinationes dicti collegii prosperum statum concernentia condendi, et pro tempore condita restringendi, ampliandi, et quoties expedire videbitur, in totum vel partem delendi, et alia de novo ordinandi, eaque sub pecuniariis eidem collegio applicandis, et aliis, etiam suspensionis a perceptione emolumentorum distribuendorum, arbitrio dicti collegii, poenis, per deputandos per ipsum collegium exigendis, observari faciendi, auctoritate et tenore praedictis, tribuimus facultatem et potestatem.

Familiares Papae et eius praelati domestici declarantur.

§ 7. Eosdemque notarios de numero huiusmodi veros et indubitatos familiares, continuos commensales ac praelatos domesticos nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis existere, eisdemque privilegiis et gratiis, quibus veri et intimi familiares utuntur, potiuntur et gaudent, non ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, sine ulla differentia, uti, potiri et gaudere posse.

Panem, vestes et locum in cavalcatis habeant.

§ 8. Ac illis panem honoris, eiusdem bonitatis et qualitatis, prout eisdem intimis familiaribus et dilectis filiis Camerae Apostolicae clericis dari consuevit, dandum, ac ipsis et eorum cuilibet, obitus et coronationis Romani Pontificis temporibus, vestes lugubres ratione obitus, et violaceas ratione coronationis huiusmodi assignandas esse; et in cavalcatis pontificalibus duos ex ipsis notariis equitare cum mantellonibus immediate post praelatos assistentes, si voluerint, libere posse decernimus.

Litterae apostolicae gratis pro eis expediantur.

§ 9. Eisdemque notariis pro tempore existentibus, ut singulae pro eorum quolibet litterae apostolicae, etiam sub plumbo, super omnibus et singulis quorumcumque, cum cura et sine cura, saecularium, vel quorumvis Ordinum regularium, beneficiorum ecclesiasticorum, etiam si canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia et dignitates ipsae in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, vel collegiatis aut aliis ecclesiis principales fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, ac etiam ipsarum cathedralium vel metropolitanarum aut patriarchalium ecclesiarum provisionibus, commendis, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum necnon pensionum annuarum, super eisdem fructibus, redditibus et proventibus, reservationibus et aliis gratiis, etiam per Cameram vel Cancellariam Apostolicam gratis expediri possint, de speciali gratia indulgemus.

Emolumenta hic assignata nunquam eis diminuantur.

§ 10. Et insuper quod pro singulis quarumcumque cathedralium metropolitanarum et patriarchalium ecclesiarum, necnon monasteriorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore faciendis expeditionibus, quarum ratione taxa dicto collegio solvi solet, semper eidem collegio iura praedicta omnino solvi debeant; ita quod in quibuscumque gratiis et mandatis a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice emanandis, etiamsi per ea expeditiones huiusmodi, sive per Cameram sive per Cancellariam aut viam secretam gratis ubique fieri concessum sit, nihilominus ius semper integrum et illaesum praedicto collegio reservatum esse censeatur, nec expeditio fieri possit nisi prius solutis iuribus praefati collegii; quodque nullo modo nulloque tempore praemissis, quamquam per nos et successores nostros praedictos specialiter et expresse ex quavis causa illis derogatum fuerit, derogatum esse praetendi valeat, quinimmo

iura ipsa dicto collegio integre, ut praefertur, solvi omnino debeant, auctoritate et tenore praemissis, etiam perpetuo statuimus et ordinamus.

Licentia deferendi arma pro ipsis et eorum familiaribus.

§ 11. Praeterea eorumdem septem notariorium et cuiuslibet eorum consanguineis, affinibus et familiaribus, continuis commensalibus actu inservientibus, quod qualibet arma, non tamen brevioris mensurae, alias prohibita, tam per Urbem quam totum Statum Ecclesiasticum huiusmodi, absque aliqua speciali licentia, deferre possint, quibusvis prohibitionibus et bannimentis nequaquam obstantibus, a quibus semper exempti et excepti sint et esse censeantur; ipsorumque listis desuper dandis ministri iustitiae Urbis et locorum Status huiusmodi credere et acquiescere debeant.

Facultas testandi etiam de acquisitis ex bonis ecclesiasticis pro ducatis MM.

§ 12. Eisdem notariis et eorum cuilibet, ut de quibuscumque eorum bonis mobilibus et immobilibus, tam ex ecclesiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis, etiam hospitalibus vel aliis piis locis, cuiusvis, etiam privilegiati, Ordinis seu militiae, per eos obtentis ac obtinendis existentibus aut alias quomodolibet, licite tamen acquisitis et acquirendis, etiamsi, iuxta piae memoriae Sixti IV, Iulii II, Leonis X et aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, desuper expeditas litteras, immobilia bona non possederint, etiam in dicta Romana Curia et extra eam testari, et de eis inter quascumque personas utriusque sexus, non tamen illegitimas aut alias incapaces, gratis et absque alicuius compositionis solutione, disponere, testari, codicillari, et ea etiam inter vivos erogare, concedere et donare, ac testamenta, dispositiones et concessiones huiusmodi, etiam dimisso notariatus officio, usque ad summam duorum millium ducatorum auri de Camera, quoad bona ex ecclesiis et aliis beneficiis praedictis acquisita, facere libere et licite valeant, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, concedimus licentiam et facultatem.

Exemptio a iurisdictione ordinariorum.

§ 13. Eosdemque notarios a quorumcumque ordinariorum locorum et aliorum omnium iudicum iurisdictione, potestate, superioritate et dominio, ita ut ordinarii et alii praedicti, eorumque officiales et vicarii, ac quicumque alii iudices nullam in eos, etiam ratione delicti, contracti aut rei de qua agi contigerit, superioritatem, potestatem, iurisdictionem vel dominium valeant exercere, aut excommunicationis vel alias sententias, censuras et poenas proferre, nisi de nostro seu pro tempore existentis Romani Pontificis mandato, ipsique in flagranti aliquo delicto deprehendantur, penitus eximimus et totaliter liberamus, ac nostrae et Sedis Apostolicae iurisdictioni et potestati dumtaxat immediate subiicimus. Inhibentes locorum ordinariis et aliis cuiuscumque qualitatis et dignitatis iudicibus, ne praedictos notarios aliquo colore vel causa, nisi de nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis mandato, vel in flagranti delicto, ut præfertur, repertos, aliquo modo molestare, inquietare, capi facere, processare audeant vel praesumant; irritum et inane decernentes quicquid secus ipsi aut eorum quispiam praesumpserit attentare.

Facultas creandi unum notarium.

§ 14. Quodque dicti septem notarii collegialiter congregati unum notarium quolibet anno, sine notariorum praedictorum participantium praeiudicio, et absque exemptionibus et privilegiis ipsis septem notariis concessis, ita quod illis non gaudeat, creare.

Locus eorum in Signaturis.

§ 15. Necnon, qui ex dictis septem notariis utriusque iuris doctores fuerint, utriusque Signaturæ referendariorum numero adscribantur, et unus ex eis antiquior in signatura gratiae semper assistere possit.

Et in actibus publicis consistorii.

§ 16. Ac in quibuscumque actibus in consistorio publico pro tempore faciendis unus sit accersendus notarius, qui et alii ibi praesentes notarii, si rogentur, instrumentum ad perpetuam rei memoriam conficiant; cui omnibusque aliis instrumentis et scripturis quibuscumque acta publica, quibus intervenerint, concernentibus, unius ex eisdem notariis manu subscriptis ac suo sigillo munitis, etiam absque testibus, plenaria fides in iudicio et extra ubique locorum omnino adhiberi debeat.

Canonizationibusque sanctorum.

§ 17. Et cum notariatus officia huiusmodi ad res martyrum describendas antiquitus, ut praefertur, instituta sint, quod unus eorumdem notariorum in canonizatione sanctorum ac etiam in fabricando desuper processu, coniunctim una cum uno ex causarum Palatii Apostolici auditoribus, intervenire et procedere.

Consistoriis publicis et cappellis.

§ 18. Illisque omnibus et eorum singulis consistoria publica et cappellae a cursoribus intimari; ac eis in cappella et omnibus actibus candelas, agnusdei et palmas eiusdem qualitatis et quantitatis, prout episcopis assistentibus de more fieri solet.

Monetas coronationis habeant.

§ 19. Necnon aureas argenteasque monetas in die coronationis cuiuslibet Romani Pontificis dictae Camerae clericis dari solitas, eisdem septem notariis et eorum singulis in signum honoris distribui et dari.

Papae quando serviant.

§ 20. Duosque ex illis, si principes et eorum oratores et patriarchae necnon archiepiscopi et episcopi assistentes desint, a magistris caeremoniarum ad nostram et pro tempore existentis Romani Pontificis caudam deferendam, ceteris praelatis in illis actibus, in quibus ad ipsos spectat, et baronibus postpositis, assumi.

Pontificalibus quando utantur.

§ 21. Et qui ex eis in presbyteratus ordine constituti fuerint, in missis solemnibus mitra et quibusvis aliis pontificalibus insignibus, etiam in cathedralibus ecclesiis, de illorum tamen praesulum, si praesentes sint, si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis, extra dictam curiam uti.

Altarique portatili.

§ 22. Necnon cuilibet eorumdem septem notariorum nunc et pro tempore existentium, ut sibi habere liceat altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc convenientibus et honestis, etiam non sacris, ac etiam ordinaria vel apostolica seu utraque auctoritate ex quavis causa interdictis, seu etiam tempore cessationis a divinis, dummodo causam interdicti huiusmodi non dederint, etiam ante diluculum, et etiam circa meridiem, in illius et domesticorum et familiarium suorum praesentia, missam per se vel quemcumque saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem sacerdotem idoneum, ab ordinario approbandum, celebrari facere, illique interesse, et eam audire libere et licite valeat.

Post decennium, etiam dimisso officio, notarii remaneat.

§ 23. Quodque iidem nunc et pro tempore existentes septem notarii et eorum singuli, qui iam per decennium officium notariatus huiusmodi obtinuerint, quique in futurum saltem per praedictum tempus, a die quo in collegium eorumdem notariorum admissi fuerint computandum, illud obtinuerint, si forte illud resignaverint, nihilominus notarii sint et vocentur, eisdemque honoribus, praeeminentiis, antelationibus, privilegiis, immunitatibus et exemptionibus aliisque omnibus praemissis ad quinquennium tantum utantur, perinde ac si in dicto collegio adhuc essent; qui tamen, rocchettum, praeterquam extra Urbem, non deferant, nec locum in cappella habeant, alios tamen praelatos, immediate post notarios incedendo, praeterquam causarum dicti Palatii auditores et Camerae Apostolicae clericos, praecedant, auctoritate et tenore

praemissis concedimus pariter et indulgemus.

Executorum huius bullae deputatio et facultates.

§ 24. Mandantes dilectis filiis vicecancellario, camerario, summatori et dictae Camerae generali auditori, clericis, thesaurario ac eiusdem Urbis gubernatori et senatori, necnon legatis, vicelegatis, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus et gubernatoribus quarumcumque civitatum, castrorum et locorum dicti Status Ecclesiastici, per collegium dictorum septem notariorum pro tempore existentium et eorum singulos eligendis, ut eorum singuli, per se vel alium seu alios, auctoritate nostra, dictis septem nunc et pro tempore existentibus notariis, in praemissis omnibus et singulis, efficacis defensionis præsidio assistant, faciantque eos et eorum singulos, quoties pro ipsorum parte super hoc fuerint requisiti, omnibus et singulis praefatis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos et eorum aliquem per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari, inquietari aut impediri. Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis vel præeminentiae fuerint, per censuras ecclesiasticas et pecuniarias poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Decernentes praemissa omnia et singula perpetuo valida et efficacia existere, ac suos plenarios et integros effectus sortiri; ac ab omnibus observari, et sic et non aliter per eosdem cardinales et auditores, aliosque iudices et commissarios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere. Irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae contrariorum derogatoriae.

§ 25. Non obstantibus sanctae memoriae Symmachi et Innocentii IV, Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, contra exemptos editis, et praedictis aliisque apostolicis, ac in generalibus et provincialibus, synodalibus, et præsertim Tridentino, non tamen quoad exemptionem ab eo sublatam, conciliis editis generalibus constitutionibus et ordinationibus, legibus, statutis nostris et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, vel aliis extravagantibus, quibuscumque editis generalibus constitutionibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque Romanae Curiae officialium collegiis eorumque personis per quoscumque praedecessores nostros, etiam motu simili et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis declarationibus et decretis, etiam talibus quod illis nullatenus, vel nisi de eorum, quorum interest, expresso consensu, et fratrum nostrorum consilio, etiam consistorialiter habito, aliisque modis et formis ibi traditis usquequaque servatis, derogari possit; etiamsi inter alia caveatur expresse quod si eis derogari contingat, derogatio huiusmodi non valeat, nisi talis intentio derogandi aliquibus personis tunc expressis per diversas in forma brevis litteras cum intervallo unius mensis seu alterius temporis eis praesentata prius et intimata ac insinuata fuerit, ac aliis quomodolibet concessis et concedendis. Quibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, et ad effectum praemissorum omnium, harum serie, specialiter et expresse, motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 26. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, nonis februarii, pontificatus nostri anno I.

XX.

Institutio archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci, chordam per fratres eius Ordinis gestari solitam devote deferentium, cum indulgentiarum concessione, et alias confraternitates aggregandi facultate.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex supernae dispositionis arbitrio gregi dominico praesidentes, inter curas multiplices, quae ex pastoralis officii ministerio nobis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam omnium christifidelium, praesertim sub suavi Religionis iugo et vexillo Altissimo famulantium, animarum salus cum divini cultus incremento proveniat; ipsosque christifideles, ut eorum vota ad id facilius concurrant, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus, in apricum eis adducendo iustos variis signis et miraculis coruscantes, invitamus et confovemus, ac alias desuper disponimus, prout ad eorumdem christifidelium spiritualem devotionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

B. Franciscus Ordinis Minorum institutor, miraculis claruit, et sanctorum numero adscriptus fuit a Gregorio IX.

§ 1. Cum itaque B. Franciscus, a quo Ordo dilectorum filiorum fratrum Minorum institutus fuit, quique, inter ceteros in numerum sanctorum cooptatos, signis et miraculis maxime claruit, ita vixerit ut pene omnes ad sui devotionem et imitationem pertraxerit, multique ex ipsis christifidelibus chordam similem ei, qua ipse dum in hoc saeculo versaretur, cinctus erat, hodie deferant; quin etiam plures, eius laudabile institutum amplexi, et sub suavi iugo Religionis ab eo institutae, diversisque S. R. catholicae Ecclesiae praelatis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, et postea ad summi apostolatus apicem evectis, illustratae, militantes, tantumque virum imitati, in numerum eorumdem sanctorum relati fuerint.

Hic Pontifex, eiusdem Ordinis professor, ad decorandam ecclesiam in qua requiescit corpus dicti Sancti, et fideles ad maiorem devotionem excitandum, Chordigerorum confraternitatem erigit in dicta ecclesia;

§ 2. Nos, qui etiam a teneris annis singularem devotionis affectum erga ipsum S. Franciscum, cuius corpus sub altari maiori ecclesiae domus fratrum Ordinis fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum Assisien., quae inibi insignis, maximeque celebris et diversis privilegiis decorata existit, requiescit, sub habitu dicti Ordinis sui incedentes, gessimus, cupientes domum et ecclesiam huiusmodi amplius decorari, pietatisque et christianae caritatis opera, ubique, cum divini cultus augmento, ac ad eiusdem Sancti Francisci honorem et venerationem animarumque salutem, exerceri, fidelesque ipsos ad faciendum ea, per quae ad aeternam beatitudinem valeant facilius pervenire, mediis opportunis excitare, infrascriptum fratrem Clementem, magistrum generalem, ac singulares personas conventus domus praedictae a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et certa scientia, in ecclesia domus, et ad altare huiusmodi, unam

archiconfraternitatem utriusque sexus christifidelium, qui chordam per eiusdem Ordinis fratres geri solitam, ex illorum devotione deferant, ac illa cingantur, sub invocatione eiusdem S. Francisci, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus. Ut autem ipsa archiconfraternitas confratrum Chordigerorum praefatae chordae numero in dies magis ampliata decoretur, ipsique confratres ad piorum operum exercitium propensiores reddantur, ac ad ecclesiam et altare huiusmodi devotionis causa confluant, quo per hoc se maiora coelestis gratiae dona cognoverint adipisci, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi:

Indulgentiam confratribus elargitur pro die ingressus,

§ 3. Omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, ac praefatam chordam, quae prius a superioribus dicti Ordinis benedici debeat, ad reverentiam et memoriam eiusdem S. Francisci gerentes, sacraque communione refecti, praefatam archiconfraternitatem ingrediuntur, die primi illorum ingressus, ac in mortis ipsorum articulo, nomen Iesu ore vel corde invocantibus, si etiam vere poenitentes et confessi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem;

Aliasque indulgentias fratrum Conventualium et Confalonis confraternitatis;

§ 4. Et insuper eidem archiconfraternitati illiusque confratribus omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac relaxationes archiconfraternitati Confalonis B. Mariae Virginis in ecclesia S. Luciae de Urbe institutae necnon praedicto Ordini ac illius fratribus et personis, quandocumque et per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos concessas, quoad illas tantum, quae hactenus revocatae non fuerunt, motu et auctoritate ac tenore similibus, etiam perpetuo concedimus et elargimur ac communicamus.

Generali magistro Conventualium dat facultatem aggregandi alias confraternitates.

§ 5. Postremo, dilecto filio fratri Clementi Bontadosio, nunc, et pro tempore existenti dicti Ordinis generali magistro Ordinis fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, quascumque confraternitates utriusque sexus christifidelium Chordigerorum huiusmodi in quibuscumque ecclesiis domorum tam Minorum Conventualium quam Cappuccinorum et de Observantia nuncupatorum fratrum praedictorum, in quibuscumque mundi partibus et locis, pro tempore erigendis et instituendis, erigendi et instituendi, illasque, postquam erectae et institutae fuerint, praefatae archiconfraternitati per praesentes erectae et institutae, cum omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus et relaxationibus, aggregandi, ac ipsas indulgentias illis et earum confratribus communicandi, pariterque concedendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem et auctoritatem damus et concedimus, prout nos easdem omnes confraternitates, ex nunc prout ex tunc, postquam erectae et institutae fuerint, ipsi archiconfraternitati per praesentes erectae et institutae huiusmodi aggregamus, praefatasque indulgentias illis et earum confratribus communicamus et concedimus.

Clausulae praeservativae.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, vel intentionis seu quopiam alio defectu notari, impugnari vel retractari aut revocari ullatenus posse, neque debere; sed semper et in perpetuum validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri debere.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac regula nostra de indulgentiis ad instar non concedendis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, XIII kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 novemb. 1585, pontif. anno I.

Sequitur extensio dictae constitutionis.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pontifex edidit constitutionem praecedentem; Divinae caritatis altitudo eminentissima, et summi amoris seraphici inexhausta bonitas *etc.* [1].

Et modo omnia in ea contenta approbat, et dictam archiconfraternitatem caput aliarum ubique institutarum constituit; § 1. Ne autem de praemissorum validitate ullo umquam tempore dubitari contingat, nostram denuo in praemissis auctoritatem interponere, ipsiusque archiconfraternitatis auctoritatem extendere, ac pium dictorum confratrum Chordigerorum propositum amplius promovere, eosque spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus prosequi cupientes, supplicationibus dicti Clementis hac in parte inclinati, institutionem huiusmodi, apostolica auctoritate praefata, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, siqui intervenerint in eisdem; ipsamque archiconfraternitatem in caput omnium confraternitatum Chordigerorum huiusmodi, ubilibet institutarum et instituendarum, etiam perpetuo, auctoritate et tenore praemissis, erigimus et instituimus.

Indulgentias fratrum Minorum iterato concedit; § 2. Omnesque et singulas indulgentias et peccatorum remissiones et relaxationes Religioni et Ordini fratrum Minorum huiusmodi per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos concessas, quoad eas dumtaxat quae hactenus non sunt revocatae, nec sunt ullis revocationibus comprehensae, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Alias hic expressas elargitur; § 3. Illasque archiconfraternitati et confratribus Chordigerorum huiusmodi similiter perpetuo concedimus ac communicamus, et ad illas extendimus, seu indulgentias et peccatorum remissiones et relaxationes Religioni et Ordini Minorum praedictis, ut praefertur, concessas, archiconfraternitati et confratribus Chordigerorum huiusmodi sub eisdem modo et forma, quibus illae Religioni et fratribus praefatis concessae fuerunt, dummodo (ut praefertur) non fuerint revocatae, etiam perpetuo concedimus, elargimur et communicamus. Necnon de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, utriusque sexus confratribus Chordigerorum huiusmodi, praeter indulgentias Religioni praefatae concessas, in mortis articulo, necnon quoties processionibus archiconfraternitatis Chordigerorum huiusmodi singulis mensibus fieri solitis interfuerint, eisdem quidem confratribus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem perpetuo concedimus.

Et non confratribus alias tribuit; § 4. Aliis vero non confratribus, qui processionibus huiusmodi interfuerint, centum annos de iniunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Ac praefatis confratribus, qui aliis dictae archiconfraternitatis processionibus, aut dum B. Mariae vel quodvis aliud divinum officium per ipsos confratres Chordigerorum recitabitur, interfuerint, ac quoties sanctissimum Christi Corpus, dum infirmis defertur, vel defunctum ad sepulturam associaverint, aut alicui miserabili personae subvenerint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu aliquod horum

1 Omittitur relatio eiusdem bullae.

fecerint, toties centum dies de eis iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis etiam misericorditer in Domino relaxamus. Eisdemque confratribus Chordigerorum ut indulgentias et peccatorum remissiones praefatas, per modum suffragii, pro fidelibus, qui in gratia Dei decesserint, consequi et impartiri valeant.

Alias confraternitates aggregandi facultatem concedit.

§ 5. Necnon quascumque confraternitates utriusque sexus christifidelium Chordigerorum huiusmodi, in quibuscumque ecclesiis domorum, tam Minorum Conventualium quam de Observantia et Cappuccinorum nuncupatorum fratrum praefatorum, in quibuscumque mundi partibus et locis pro tempore erigendas et instituendas, postquam erectae et institutae fuerint, archiconfraternitati illorum aggregandi; illisque omnes et singulas eorum indulgentias et peccatorum remissiones et relaxationes communicandi et concedendi, plenam liberamque facultatem praefato ac pro tempore existenti generali dicti Ordinis Minorum Conventualium, auctoritate et tenore praefatis, concedimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac nostra de indulgentiis ad instar non concedendis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, nonis maii, pontificatus nostri anno II.

XXI.

Confirmantur privilegia a Romanis Pontificibus civibus Genuensibus concessa, quorum vigore extra urbem Ianuam ad iudicium vocari non possunt [1].

Dilectis filiis nobili viro duci et gubernatoribus reipublicae Genuensis
Sixtus Papa V.
Dilecti filii, salutem et ap. benedictionem.

Exordium a meritis reipublicae erga Romanam Sedem desumptum.

Praestantissima pietas ac devotio, quas omni tempore, et quidem in rebus maximis et gravissimis, erga Sanctam Ecclesiam Romanam, magna vestra cum laude, declaratis, et paternus amor ac praecipua charitas qua vos Romani Pontifices semper sunt prosecuti, nosterque peculiaris erga vos animi affectus, haud dubie postulant ut gratias, indulta et privilegia vobis ab eisdem Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, non modo rata et firma esse velimus; sed alia etiam, cum usus veniat, illis addamus.

Nonnulli Pontifices concessere Genuensibus ut extra civitatem Genuen. ad iudicium vocari nequirent, nec interdici, neque excommunicari.

§ 1. Itaque, cum per dilectos filios oratores vestros, qui ad praestandam nobis et Sanctae huic Sedi obedientiam nuper missi sunt, exponi feceritis quod alias felicis recordationis Innocentius IV, Alexander IV et Nicolaus IV ac Nicolaus V, Romani Pontifices praedecessores nostri, communitati ac civibus Genuensibus, ut nemo eorum, etiam vigore quarumvis litterarum apostolicarum plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem non facientium, extra civitatem et districtum Genuensem ad iudicium invitus trahi, utque nullus delegatus seu subdelegatus aut executor vel conservator apostolicus in eos et dictam civitatem excommunicationis vel interdicti sententias promulgare possent indulserunt.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alii Pontifices eadem privilegia confirmarunt.

§ 2. Et piae memoriae Callistus III, Sixtus IV, Innocentius VIII, Alexander VI et Iulius II, etiam Romani Pontifices praedecessores nostri, indulta praedicta approbarunt et innovarunt: ac praeterea dictus Callistus, ut per nullas, etiam apostolicas, litteras, in quibus de indulto hoc specialis et expressa mentio non fieret, derogatum ei esset aut censeretur decrevit: ac postmodum recolendae memoriae Leo Papa X, communitatis et civium praedictorum, asserentium nonnullos conservatores et delegatos aliasque personas contra indultum huiusmodi attentare praesumpsisse, supplicationibus inclinatus, omnes et singulas super praemissis confectas, praesertim compertas Sancti Georgii concernentes, litteras, per suas sub plumbo confectas litteras, approbavit et confirmavit; ac demum Paulus III et Paulus IV ac Pius IV et Gregorius XIII, praedecessores nostri, singulas praedictas, per alias suas in forma brevis, ex certa scientia, confirmarunt et approbarunt, ac perpetuae firmitatis robur obtinere, et ab omnibus inviolabiliter observari debere statuerunt, illaque denuo gratiose concesserunt, prout in singulis litteris praedecessorum huiusmodi plenius dicitur contineri.

Confirmat quoque Sixtus.

§ 3. Nos, supplicationibus vestro nomine super his per eosdem oratores humiliter porrectis inclinati, vosque et rempublicam vestram omni gratia et favore amplecti volentes, singulas litteras praedecessorum huiusmodi, quarum veriores tenores praesentibus pro expressis habeantur, cum omnibus et singulis in eis contentis indultis, concessionibus, decretis et clausulis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia, approbamus et innovamus, ac plena et inconcussa roboris firmitate subsistere, vobisque in omnibus et per omnia, etiam quoad hoc ut executores in eisdem litteris deputati ad earum executionem iuxta illarum continentiam et tenorem procedere possint et debeant, suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari decernimus, atque ea omnia vobis de novo gratiose concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon omnibus illis, quae dicti praedecessores nostri in suis litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDLXXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 decembr. 1585, pontif. anno I.

XXII.

Confirmat litteras praedecessorum Pontificum, ac praecipue Gregorii XIII, quibus ad refraenandos scelestos homines, tam laicos quam ecclesiasticos, laesae maiestatis criminis reos, ecclesiasticae immunitatis in civitate Genuensi restringit limites [1].

Dilectis filiis nobili viro duci et gubernatoribus reipublicae Genuensis Sixtus Papa V.
Dilecti filii nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras Gregorii XIII enunciat.

§ 1. Alias a felicis recordationis Gregorio Papa XIII, praedecessore nostro, emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet, a tergo,

Tenor litterarum Gregorii XIII.

§ 2. Dilectis filiis nobili viro duci et gubernatoribus reipublicae Genuensis; intus vero, Gregorius Papa XIII. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Romani Pontifices, iustitiae auctores et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

cultores praecipui, privilegium clericis concessum et ecclesiarum ac coemeteriorum immunitatem ita limitare et restringere consueverunt, ne clerici ipsi, privilegio magis quam par sit confidentes, publicam quietem et pacem, praesertim in civitatibus, perturbent, neve aliqui, spe nanciscendi impunitatem ducti, aliis, cum animarum suarum pernicie, iniuriam inferant. Unde ad eum finem iam statutis et ordinatis, cum a nobis petitur, libenter auctoritatis nostrae robur adiicimus, ac circa illa, quantum nobis in Domino conceditur, opportune providemus.

Clemens VII facultatem archiepiscopo Ianuensi concessit procedendi contra ecclesiasticas personas aliquam molientes contra rempublicam, etiam tortura et etiam exilii poena puniendi ad instantiam ducis.

Alias siquidem per vestrae reipublicae Genuensis tunc temporis ducem et gubernatores felicis recordationis Clementi PP. VII, praedecessori nostro, exposito saepius contingere ac experientia comprobatum esse quod nonnullae personae ecclesiasticae, saeculares et diversorum Ordinum regulares, etiam in sacris ordinibus constitutae, suorum status, professionis, gradus, dignitatis et salutis immemores, ac Dei timore postposito, contra regimen et statum eiusdem reipublicae, verbis, consilio, operibus et factis, venire non timescebant, ac vehementer dubitabatur, nisi ea in re consultum fuisset, ne pax et quies publica eius civitatis perturbaretur, ac diversa scandala in dies subsequerentur, in grave ipsius reipublicae detrimentum. Quodque nonnulli, etiam dictae civitatis, in minoribus ordinibus constituti ac beneficiati, in habitu saeculari ac sine tonsura clericali incedere, et officium divinum, prout, ratione beneficiorum per eos obtentorum, tenebantur, omittere non verebantur, in ipsius clericalis ordinis opprobrium, animarumque suarum perniciem, et plurium perturbationem; idem praedecessor venerabili fratri archiepiscopo Ianuensi seu dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali mandavit ut, quoties pro parte ducis et gubernatorum praedictorum seu pro eis agentium fuisset requisitus, ac per inditia legitima archiepiscopo vel vicario praedictis constitisset quod aliqua persona ecclesiastica, etiam in sacris ordinibus constituta, saecularis et cuiusvis Ordinis vel congregationis regularis, etiam ab omni iurisdictione quomodolibet exempta, ac cuiuscumque dignitatis, gradus, status, sexus, conditionis et qualitatis, non tamen pontificalis dignitatis, fuerit, quae aliquid contra ipsam rempublicam et illius statuta et potestatem moliretur, contra talem personam ad capturam, ac, praecedentibus sufficientibus indiciis, ad torturam, ac, si culpabilis reperta fuisset, ad poenam exilii procedere posset, facultatem concessit.

Paulus III homicidas et decoquentes immunitate ecclesiastica privavit.

Et deinde piae memoriae Paulus Papa III, etiam praedecessor noster, ab his, qui ducis et gubernatorum muneribus eadem in republica fungebantur, accepto, iure cautum esse homicidas et mercatores decoquentes seu fallitos, ut dicitur, ad ecclesias seu ad earum coemeteria confugientes, tutos esse, ac ibi capi aut inde extrahi non posse; usu vero et experientia superiorum annorum edoctos esse eam ecclesiarum et locorum immunitatem in ista vestra civitate et eius dioecesi sceleratis et improbis incentivum delinquendi, ac mercatoribus non parvam decoquendi occasionem praebuisse et in dies praebere; ac existimare quod, si ea immunitas observaretur, boni ac recte viventes maxima damna et incommoda paterentur ac subirent, graviaque scandala verisimiliter ibidem orirentur; eisdem ac reipublicae praedictae illiusque pro tempore duci et gubernatoribus, quod per officiales seu ministros vestros, omnes voluntarios homicidas et mercatores qui decoxissent, ad aliquas ecclesias seu coemeteria eiusdem civitatis illiusque dioecesis

confugientes, in eisdem ecclesiis seu coemeteriis, archiepiscopi vel vicarii praedictorum prius petita, licet non obtenta licentia, capi et inde, sine tamen sanguinis effusione, extrahi, ac, iustitia mediante, puniri, ac si extra ecclesias seu earum coemeteria capti fuissent; necnon decoctos ad satisfaciendum creditoribus omnibus iuris remediis compellere, et eorum bona inter creditores, prout iuris fuerit, dividi facere, libere et licite valerent, concessit.

Gregorius XIII concesserat ut per quoddam tribunal mixtum procedi posset etiam ad extremum supplicium contra ecclesiasticos reos laesae maiestatis;

Postmodum vero, initio pontificatus nostri, nobis per tunc temporis ducem et gubernatores narrato etiam saepe contingere nonnullos ordinis ecclesiastici vestri dominii, tamquam fori vestri immunes, nec non aliquos intuitu laicorum, quos scilicet metus poenae a nefariis conatibus retrahebat, et alias in Statum vestrum variis rationibus et modis conspirare, ac, pro illo conservando, animavertendi in eos licentiam eis concedi desiderabant, ut iudices vestri saeculares pro tempore existentes, assistentibus eis ad hoc duobus civibus circumspectis de gremio magistratus vestrae reipublicae, cum voto ordinarii, aut, si suspectus videretur, alicuius personae cathedralis ecclesiae loco praedicti ordinarii in dignitate ecclesiastica constitutae, quoscumque clericos, presbyteros et alias personas ecclesiasticas, saeculares et quorumvis Ordinum regulares, etiam exemptos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis et conditionis, non tamen episcopos aut alios superiores, criminum conspirationis in Statum et alias laesae maiestatis culpabiles vel suspectos, carceribus ecclesiasticis mancipare libere valerent, et inde per ipsum ordinarium vel personam in dignitate ecclesiastica constitutam ad torturam et quaestionem, si legitima indicia visa fuissent, cum interventu iudicum saecularium et duorum civium praedictorum contra illos procedere, processuque instructo, et postmodum per dictum ordinarium seu personam in dignitate ecclesiastica constitutam, ut praefertur, diligenter examinato et probato, eos, quos dictus ordinarius aut persona praedicta culpabiles reperisset in praemissis, prout delictorum et criminum qualitas exegisset, condemnare; vel ubi poena sanguinis aut ultimi supplicii pro atrocitate delicti imponenda veniret, praevia degradatione, eosdem puniendos curiae saeculari tradere libere possent, nec propterea ordinarius aut persona praedicta ac iudices et cives assistentes praedicti aliquas censuras incurrisse censerentur, auctoritate et tenore praedictis indulsimus et alias, prout in variis dictorum praedecessorum ac nostris super his confectis litteris latius continetur.

Postea non solum praenarrata omnia confirmavit;

Nunc autem denuo nobis exponi curastis eamdem civitatem et illius quietem a facinorosis hominibus hoc tempore maxime vexari et perturbari; et licet vos, pro vestro erga iustitiam insigni zelo ac prudentia, multa his malis et incommodis remedia curaveritis adhiberi, tamen, ob ecclesiarum, cappellarum, coemeteriorum aliorumque piorum locorum, quae de iure communi ecclesiastica immunitate gaudere noscuntur, quibus civitas vestra ita referta est, ut in unaquaque via eius civitatis ecclesia sive cappella vel sacer locus sit immunitatis privilegio praeditus, ac una vel pluribus cratibus ferreis vel cuiusvis alterius generis etiam ornatus, ob quorum frequentiam delinquentes vel in in illa se recipiunt, aut manibus dictas crates tenent, ita ut magistratus eorumque familiam illos persequentem eludant et frustrentur, ex quibus plerumque etiam evenit ut, impunitatis spe ducti, scelerati homines facinorum suorum poenas plerumque subterfugiant, sicque maiores animos ad delinquendum sumant, liberius-

que delinquant; propterea, publica auctoritate[1] suadente, nobis humiliter supplicari fecistis ut facultatibus tam per nos quam praedecessores nostros concessis, ut praefertur, et aliis in dictis litteris contentis, cum firmius illa subsistere noscantur quo saepius fuerint apostolica auctoritate communita, vim et robur apostolicae confirmationis adiicere, et adversus contrarias forsan dispositiones illa restituere, aliasque in praemissis incommodis et malis eius civitatis occurrere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, vestris honestis votis, quantum cum Deo possumus, paterne annuere volentes, ac singularum litterarum huiusmodi tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, litteras praedictas et in eis contenta quaecumque apostolica auctoritate, tenore praesentium, ita ut perpetuis futuris temporibus observentur, vobisque et pro tempore duci et gubernatoribus ac reipublicae vestrae suffragentur, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, easdemque litteras adversus quascumque revocationes, limitationes, suspensiones et contrarias dispositiones restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, illaque de novo, quatenus opus sit, concedimus et indulgemus.

Sed etiam reos ecclesiarum cappellarum etc. crates apprehendentes ecclesiastica immunitate minime frui declaravit.

Et insuper, ad reprimendam facinorosorum hominum temeritatem et audaciam, auctoritate et tenore praedictis, declaramus ad ecclesias, cappellas, coemeteria et alia pia loca propius accedentes, ac illorum crates apprehendentes, vel manibus constanter easdem retinentes, non tamen ecclesias et loca praedicta ingredientes, et propterea inde abstrahi nequaquam posse contendentes vel praetendentes, immunitate ecclesiastica minime frui aut gaudere potuisse neque posse, nec si inde extracti sint, eadem ecclesiastica immunitate se tueri, ut in eum, unde extracti sint, locum vel alias restitui, aut quodcumque aliud privilegium obtinere valeant. Verum sic dictis ecclesiis et aliis piis locis propius accedentes et cratibus appensos vel illas manibus retinentes, per vestros magistratus illorumque iudices et familiam, absque aliquo conscientiae scrupulo, nec sententiarum, censurarum aut poenarum incursu, capi et apprehendi ac carceribus mancipari et condignis poenis pro delictorum qualitate, omni prorsus impedimento et difficultate remotis, affici libere et licite valere, statuimus.

Decernentes praesentes perpetuis futuris temporibus vobis vestraeque reipublicae suffragari, ac sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et censeri, nec de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari vel impugnari nullo umquam tempore posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis ac omnibus his quae dicti praedecessores nosque in litteris praedictis voluimus non obstare, ac generalis concilii ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Ordinibus, monasteriis et

[1] Lege *utilitate*.

aliis locis quibuscumque, illorumque superioribus et personis, exemptionem saecularium et regularium personarum, Ordinum, monasteriorum, ecclesiarum et sacrorum locorum praedictorum necnon congregationum in se continentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis et approbatis ac saepius innovatis. Quibus, illorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII iulii MDLXXVI, pontificatus nostri anno V.

Huiusmodi litteras a Sixto confirmari petunt oratores reipublicae.

§ 3. Has autem litteras, cum nuper nobis oratores vestri humiliter supplicaverint ut nostra etiam auctoritate, pro firmiori illarum subsistentia, roborare dignaremur :

Benigne praestat Pontifex;

§ 4. Nos, qui, ob singularem vestram erga nos sanctamque hanc Sedem reverentiam et devotionem, petitionibus vestris, quantum cum Deo licet, libenter annuimus, vos ac vestrum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supernarratas litteras Gregorii praedecessoris et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus.

Sicque perpetuo praecipit observari;

§ 5. Decernentes illas vobis reipublicaeque vestrae omnino suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere ; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus iis, quae in dictis praedecessoris litteris concessum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X decembris MDLXXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 dec. 1585, pontif. anno I.

XXIII.

Iurisdictio consulum artis lanae in Urbe, et privilegia mercatorum eiusdem artis [1].

Sixtus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Hic Pontifex ad renovandam artem lanae in Urbe cardinalem de S. Cruce deputavit.

Cum alias considerantes artem lanae, quam in multis Italiae civitatibus insignibus, in decus et ornamentum illarum publicamque utilitatem, exerceri accepimus, eius esse industriae, ut facile omnis generis personae ex ea et eius exercitio vivere et se manutenere possent. Cupientesque exercitium huiusmodi in hanc nostram Urbem introducere, seu iam alias introductum, hodie tamen pene extinctum, renovare, ut sic pauperes et miserabiles personae, etiam vagabundae, utriusque sexus huius nostrae Urbis haberent in quo se exercerent, et, exercendo, victum sibi compararent, dilectum filium nostrum Prosperum, tituli Sancti Clementis presbyterum cardinalem de Sancta Cruce nuncupatum, desuper deputaverimus.

1 Hanc iurisdictionem primo concessit Pius V in sua constitut. LXV, *Ut ad artis*, tom VII, pagina 612.

Qui cum hominibus dictae artis conveniunt quod

§ 1. Et dilecti filii Alexander Capocefalus et Fenizius Alfanus, mercatores lanae, sese eidem obtulerint, et paratos esse dixerint id onus et hanc curam artis lanae et illius exercitium in dictam Urbem introducendi, et ut panni cuiuscumque generis conficiantur curandi suscipere, sub iis conditionibus, capitulis et statutis, nimirum:

Camera mutuet arti scuta decem millia;

§ 2. Quod per Cameram nostram Apostolicam duodecim millia scuta eis mutuo et in contanti (idonee per eos cauto de illis infra decem annos proxime venturos restituendis) darentur.

Alia bis mille arti donet;

§ 3. Et praeterea alia mille scuta ex pecuniis eiusdem Camerae, ad satisfactionem et seu commoditatem eorumdem Alexandri et Fenizii pro aedificio purgamenti, vulgo dicti *il Purgo*, quod dudum, tempore pontificatus felicis recordationis Pii PP. V, praedecessoris nostri, prope fontem Trivii de Urbe coeptum fuit, et tincturae ac instrumentis ad dictam artem necessariis, statim exponerentur; nec ipsi Alexander et Fenizius ad horum mille, nec aliorum mille scutorum, quae tempore praedicto pro eodem aedificio a dicta Camera data fuere, aliter restituere tenerentur, sed ipsa bis mille scuta commodo et beneficio dictae artis omnino cederent.

Statuta artis confirmet;

§ 4. Et statuta collegii sive societatis mercatorum artis lanae huiusmodi necnon statuta et alia praemissa ipsis confirmarentur.

Praeferantur mercatores artis in bonis debitorum, sicut mercatores Ripae;

§ 5. Nec qui de dicta arte essent tenerentur, pro eorum creditis concernentibus materiam et exercitium lanae atque tincturae eiusque membra, decoctis debitoribus, cum aliis creditoribus discutere: sed semper praeferantur, prout et quemadmodum mercatores Ripae praeferuntur.

Consules huius temporis ad triennium confirmentur;

§ 6. Dictique Alexander et Fenizius ac pro tempore existentes consules dictae artis lanae ad tres annos proximos et continuos confirmarentur, ut sic melius et commodius ipsi formam et modum introducendi artem et exercitium lanae atque tincturae, cum suis annexis et dependentiis, tradere, ac statuta collegii sive societatis praedictae ad usum et observantiam reducere.

Pecunia penes eos existat;

§ 7. Nec praedicta duodecim millia et alia mille scuta ipsis Alexandro et Fenizio per succedentes eis consules aut alios quoscumque dictae artis auferri possent.

Consules utantur voto assessoris in poenis afflictivis;

§ 8. Quodque consules huiusmodi pro tempore existentes quemcumque in ulla afflictiva poena, etiam in causa criminali vel mixta, absque voto assessoris ipsorum, ex omnibus qui de dicta arte extiterint ad tempus eis bene visum eligendi, condemnare nequirent.

Consules dent lanam omnibus huic exercitio vacantibus;

§ 9. Et contra vero dicti Alexander et Fenizius obligati essent dare lanam omnibus iis qui voluerint tali exercitio vacare, observando statuta ac praestita cautione de restituendo valore lanae in termino ab ipsis consulibus statuendo, ut sic capitale et corpus perpetuo eidem Camerae conservaretur,

Certam pannorum quantitatem singulis annis conficere debeant.

§ 10. Insuper tenerentur praedicti Alexander et Fenizius, statim habitis dictis pecuniis, incipere facere et conficere, ac fieri et confici facere hic in Urbe pannos cuiuscumque generis, et in specie conficere et fabricare singulis annis, excepto primo anno dictorum decem, quolibet reliquorum novem annorum, centum petias pannorum, ut dicunt, mixtorum, et quinquaginta pannorum exquisitorum, alias finorum, et vigintiquinque stameggiatorum nigrorum guadi de septuaginta in octuaginta, ut vocant, pannorum vero monachinorum etiam vigintiquinque petias, et totidem rasciae, ac petias quinquaginta saiettae. Non possent autem ullo modo, pro pannis stameggiatis, monachi-

nis, rasciae et saiettae huiusmodi, lanam ex pellibus pecorum evulsam, quam alias appellant *pelatam*, adhibere, sub poena amissionis ipsorummet pannorum et quinquaginta scutorum pro qualibet petia; et in fine cuiuscumque anni docerent in Camera Apostolica se huiusmodi pannos confecisse, sub restitutionis illico faciendae earum pecuniarum quas reciperent et aliis poenis, ad beneplacitum dictae Camerae seu praesidentium ipsius infligendis. Et casu quo monachini et rasciae non ita expedite venderentur, possent, de licentia tamen eorumdem praesidentium Camerae Apostolicae, tales pannos seu confectionem ipsorum intermittere, et alios conficere, ita ut pecuniae non remanerent inutiles, et pauperes haberent in quo se ad vitam substentandam exercerent. Cum hoc tamen quod dicti Alexander et Fenizius teneantur continuo habere in eorum fundaco monachinos, rasciam et alios pannos exquisitos, Romae confectos et elaboratos, et alias, ut in ipsis capitulis, conditionibus et seu statutis plenius dicitur contineri. Quae omnia per dictum Prosperum cardinalem, ut supra a nobis deputatum, approbata et confirmata fuerunt.

Et modo idem Pontifex ordinationes praedictas et etiam statuta concilio Tridentino non contraria confirmat;

§ 11. Propterea nos exercitium hoc magis ac magis promovere peroptantes, ac dilectos filios collegium seu societatem mercatorum artis lanae dictae Urbis ad id excitare, eosdemque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac capitula, conditiones et statuta huiusmodi rata habentes, illorumque omnium tenores et qualitates pro expressis habentes, et Alexandrum et Fenizium ac mercatores praedictos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, capitula et conditiones ac nova huiusmodi necnon vetera collegii praedicti statuta et ordinationes, felix regimen et gubernium ipsius collegii seu societatis concernentia, ac alias licita et honesta nec sacris canonibus aut concilio Tridentino contraria, quae descripta sunt in quodam eiusdem collegii libro, in membrana manuscripto, et coopertura ligneis corio rubro tectis compacto, cum quatuor non cartulatis, sic incipiente *Cum hoc sit, quod ex forma cuiusdam statuti,* ac finiente in hunc modum *et onera substinendo, recipiant et honores;* et aliis CL cartis seu foliis cartulatis, ut praefertur, scriptis, et sic pro rubrica incipientibus *Incipiunt statuta mercatorum artis lanae,* et deinde haec verba subiunguntur *In nomine Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ad honorem* etc. Quae quidem verba nigro colore sive atramento sunt scripta; in fine autem eiusdem libri, videlicet ultimo folio, subsequens notarii recognitio finem facit *Die* XXI *ian.* MDLXXIV *D. Horatius Fuscus notarius, medio iuramento, tactis etc., recognovit praedicta statuta esse universitatis artis lanae Urbis in forma,* auctoritate apostolica, per praesentes perpetuo approbamus et confirmamus, supplentes singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint.

Consulibus concedit facultatem dicta statuta mutandi et cognoscendi causas concernentes artem lanae, etiam quoad hebraeos

§ 12. Ac insuper nunc et pro tempore existentibus dicti collegii consulibus, ut in eorum congregatione statuta et ordinationes praedicta, toties quoties pro rerum et pro temporum qualitate expediens fuerit, reformare, corrigere, et in toto vel in parte mutare, et de novo condere; ac de omnibus et singulis causis, tam civilibus quam criminalibus seu mixtis, etiam ratione praeteritorum, lanae artem concernentibus, iuxta praedicta statuta et or-

dinationes, in futurum recognoscere, easque decidere et terminare, ac etiam poenas per dicta statuta contra non observantes illa aut alias imposita augere seu immutare libere et licite valeant. Ita quod causae praedictae per modernos et pro tempore existentes dictae Urbis gubernatorem et senatorem et conservatores aliosque Capitolinos iudices et ceteros, etiam maiores, magistratus, quovis praetextu vel colore reassumi non possint. Quodque dum ipsi consules in unum convenerint, aut totum collegium praedictum congregabunt pro negotiis dictae artis lanae, licentiam a dilectis filiis dictae Urbis conservatoribus petere minime teneantur, licentiam concedimus et facultatem; eosdemque ad hunc effectum in iudices ordinarios idoneos et competentes, coram quibus solis qui dictam artem lanae exercuerint, etiam pro creditis eorum ab hebraeis consequendis, non autem coram Urbis praedictae vicario aut eius vicegerente, nunc et pro tempore existente, vel quoquam alio conveniri, et ipsos hebraeos convenire debeant, perpetuo constituimus ac deputamus.

Clausulae praeservativae. § 13. Decernentes praesentes litteras semper et in perpetuum ab omnibus ubique inviolabiliter observari, ac sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus Sedeque Apostolica pro tempore emanatis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, et ad quorumvis instantiam et etiam motu proprio concessis, minime comprehendi; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, et de novo etiam sub data per eosdem collegium seu societatem eligenda concessas ac validas et efficaces esse et censeri.

Decretum irritans. § 14. Et sic per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae. § 15. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon tam dictae Urbis quam aliarum quarumcumque civitatum et locorum dicti Status nostri mediate vel immediate subiectorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac clausulis, in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiam si de illis specialis, specifica et ad verbum expressa mentio habenda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDLXXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 decembr. 1585, pontif. anno I.

XXIV.

De visitandis, certis hic statutis temporibus, sanctorum Petri et Pauli de Urbe liminibus etc. ab archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum primatibus [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romanus Pontifex, beatissimi Petri apo-

1 Isti praelati Romano Pont., aut congregationi cardinalium super interpretatione et executione concilii Tridentini institutae, de statu suarum ecclesiarum rationem reddunt, ut infra in const. *Immensa*.

stolorum principis successor, in altissima militantis Ecclesiae specula, divina dispositione collocatus, ex credito sibi apostolicae servitutis officio, omnium ecclesiarum sollicitudinem habere, totiusque dominici gregis, qui unius sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae per universum orbem terrarum diffusae sacro ovili concluditur, curam gerere tenetur. Huius vero tam gravis et ingentis oneris, angelicis plane humeris formidandi, magnitudinem ut facilius ferre posset, venerabiles fratres suos catholicos episcopos in partem suae sollicitudinis advocavit; qui tamquam seniores in populo Dei, pleni sapientiae spiritu, in sua quisque pastorali vigilia excubantes, illius supremi in terris pastoris immensos labores sublevarent, in quo uno, Deo auctore, plenitudo residet potestatis. Nimirum ut, episcoporum opere et adiumento, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, et spiritualium ovium morbos intelligeret, curationesque adhiberet: atque, ex sui muneris officio, perdita requireret, abiecta reduceret, confracta alligaret, infirma consolidaret, pinguia et fortia custodiret: denique assiduis pastorum vocibus admonitus, de toto ecclesiarum singularum statu certior redderetur, ne quicquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad christianam religionem propagandam, ad animarum salutem procurandam necessario eumdem scire atque intelligere oportet, ut, omnibus cognitis et examinatis, pro ea, quae sibi a Christo Domino tributa est, summa potestate, alia in vinea Domini Sabaoth evellat, alia plantet, alia aedificet, alia destruat, quemadmodum ex rerum et temporum conditione salubrius in Domino viderit expedire.

Episcopi etc., ex antiquo instituto, certis temporibus limina Apostolorum visitare curabant.

§ 1. Ob quas sane causas, iure optimo et Spiritus Sancti instinctu, a sanctissimis Pontificibus praedecessoribus nostris iam ab antiquissimis temporibus institutum est, et per multas aetates magno ecclesiae Dei commodo observatum, ut singuli episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchae, certis praescriptis temporibus, per se ipsos vel per certum eorum nuncium, omni occasione seposita, beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, qui hanc almam Urbem suo sanguine consecrarunt, limina, tamquam fidei petram et totius sacerdotalis unitatis fontem, iureiurando se visitaturos pollicerentur, atque ita, S. R. E. matris suae complexu recreati, et paterno summi Pontificis colloquio roborati, ad ecclesias suas regendas alacriores et instructiores redirent.

Sed variis ex causis hoc institutum refriguit.

§ 2. Ceterum haec tam salutaris atque necessaria constitutio, [1] partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, valde refriguit, aliis alia atque alia impedimenta praetexentibus, in grave animarum suarum periculum, et quibus praesunt ecclesiarum detrimentum. Nec vero dubitandum est, quod sine maximo animi moerore commemorare non possumus, perniciosissimas haereses, quibus multis iam annis, hominum peccatis ita promerentibus, Ecclesia vexatur, et Christi Domini vestis dilaceratur, ex eiusmodi saluberrimae visitationis intermissione partim ortas esse, partim latenti progressione magnum incrementum accepisse. Nam si celeriter, in ipso nascentis mali initio, ab ipsis episcopis pro rei gravitate ad Romanum Pontificem relatum esset, sane illius providentia et auctoritate, statim venenatae stirpes ex agro Domini evulsae essent, et diabolici ignis scintillae, subito oppressae atque restinctae, in tot flammas et luctuosa incendia non erupissent.

§ 3. Haec atque alia gravissima incommoda, cum primum ad summi apostola-

1 Cherub. *partim hominum negligentia*, (R. T.).

Deinde Pontifex praecipit omnibus praelatis ad ecclesiam promovendis aut transferendis, quod limina Apostolorum statutis hic temporibus visitare iurent, et etiam Pontifici de pastorali eorum officio rationem reddere, et mandata apostolica exequi diligentissime;

tus apicem, meritis licet imparibus, Deo ita volente, vocati sumus, attentius considerantes, non solum ex intimis animi sensibus indoluimus, sed statim de adhibendo remedio, divina gratia adiutrice, cogitare coepimus. Urget enim nos Dei timor, et acres animo nostro stimulos dies noctesque subiicit, quemadmodum in tremendo illius iudicio administrationis nostrae rationem reddamus. Nam si huic tanto malo, quod magis quotidie ingravescit, non occurramus, non possumus nobis ipsis non valde timere, cum crebro in mentem veniant, et quasi aures nostras personent sacrae illae voces comminationis et terroris plenae: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et sanguinem eius de manibus tuis requiram.* Et quod Petro a Domino dictum est: *Confirma fratres tuos.* Et illud apostoli Pauli quod tanto magis ad nos pertinet, quanto maiorem praeter ceteros pastoralis officii curam sortiti sumus: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Quocirca, eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, simulque modum et temporum spatia ecclesiarum earumdem praesulibus, pro cuiusque intervallo et locorum distantia, moderantes, hac perpetua constitutione sancimus, decernimus et mandamus ut omnes patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi, per universum terrarum orbem constituti, a nobis deinceps ordinandi, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant, seu eis consecratis pallium beati Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam ecclesiam transferantur, antequam illius regimini et administrationi se immisceant, siquidem praesentes in Curia fuerint, in manibus S. R. E. diaconi cardinalis ordine prioris; si vero absentes, in manibus antistitis, qui ad impendendum munus praedictum, aut ad tradendum pallium huiusmodi a Sede Apostolica delegabitur, iurent, iuxta formulam in libro Cancellariae Apostolicae, *quinterno* appellato, nuper descriptam, se beatissimorum apostolorum Petri et Pauli limina, statutis in hac nostra constitutione temporibus, personaliter ac per se ipsos visitaturos, ac nobis et successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum quibus praesunt ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica recepturos et quam diligentissime executuros.

Et legitime impediti, per certum nuncium haec adimpleant.

§ 4. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, iurent se praedicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem, de gremio suorum capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem; aut si huiusmodi hominem ecclesiastica dignitate et personatu praeditum non habeant, per dioecesanum sacerdotem; et si clero careant, omnino per aliquem alium presbyterum, saecularem vel regularem, spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum diaconum cardinalem per supradictum nuncium transmittendas.

Idem Pontifex principes temporal. hortatur ut, opera ipsorum episcoporum aut allor., a Sede Apostolica auxilia et subsidia petant

§ 5. Quin etiam principes temporales, si quid, pro eorum pietate et erga hanc Apostolicam Sedem observantia, Romano Pontifici voluerint significare, eosdem, sive episcopos sive alios qui ab eis mittentur, fidos habebunt nuncios ac relatores, quorum opera ab eadem Sede, pro illo-

rum dominiis, ditionibus et rebus firmandis ac stabiliendis, et cum Dei et sanctae religionis causa, sine qua tuto consistere haud possunt, coniungendis, opportuna sincerae caritatis officia, consilia atque subsidia expectare certo poterunt.

Tempus praefinit omnibus praelatis ad explendum hoc visitationis officium;

§ 6. Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum, supradicti omnes patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi, Itali videlicet vel ex Italicis insulis unde in Italiam commodius traiici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi et alii adiacentium provinciarum Italiae ac etiam Dalmatiae et Graecarum, quae e regione ipsis Italiae et Siciliae oris sunt, tertio anno; Germani vero, Galli, Hispani, Belgae, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Iberni et ceteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, ac omnium insularum maris Mediterranei, quarto anno; et qui intra Europae fines sunt, his provinciis remotiores, ac etiam Africani litoribus nostris adversi, ac insularum maris Oceani septentrionalis et occidentalis Europae et Africae citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno; Asiatici vero, et qui extra Asiam, et in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus et septentrionalibus, tam in insulis quam in continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus, decimo anno iter suscipiant et, Deo concedente, perficiant. Idemque institutum tertio quoque, quarto, quinto et decimo anno repetant et observent. Haec autem annorum spatia tempore suscepti muneris consecrationis vel pallii traditionis aut translationis, ut praefertur, incipiant. Quae ne longius differantur, volumus quod tempus qualecumque excursum alicui ex supradictis praesulibus, qui sive morte praeventus, sive alia quacumque de causa, ob non finitum tempus ei praescriptum, dicta limina non visitaverit, ita illius successori effluxisse et excurrisse intelligatur, ut, termino ipso iuxta praedecessoris sui iusiurandum completo, debitam tunc visitationem quamprimum conficere teneatur.

Obedientiam praelatis indicit;

§ 7. Hi vero ex supradictis antistitibus, qui hactenus ab hac sancta Sede ordinati sunt, aut dictum pallium ab ea susceperunt, aut ad aliam ecclesiam translati sunt, prout cuique distantia locorum et temporum intervalla praescripta sunt, ad supradicta omnia observanda a die publicationis praesentis constitutionis omnino teneantur. Iubemus igitur, in virtute sanctae obedientiae, supradictis omnibus antistitibus, praesentibus et futuris, ut visitationem praedictam, sibi suisque ecclesiis adeo utilem ac necessariam, iuxta praescriptam formulam omnino conficiant.

Inobedientibus poenas imponit;

§ 8. Si vero, quod absit, non egerint, eos ab ingressu ecclesiae, ac etiam ab administratione, tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum ecclesiarum, a capitulis eorum, omni exceptione et mora cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricae seu ornamentorum ecclesiae emptionem, prout maior exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis huiusmodi a Sede praedicta meruerint obtinere.

Clausulas contrariorum derogatorias apponit;

§ 9. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis et aliis concessionibus de non visitandis liminibus eiusmodi quibuscumque ecclesiarum praelatis, et per quoscumque Romanos Pontifices ac etiam nos et dictam Sedem, ex quibusvis causis, perpetuo vel ad tempus, concessis, extensis et innovatis; quae omnia contra praemissa cuiquam nolumus suffragari, aliisque contrariis quibuscum-

que. Ceterum nos, saluti et conscientiae securitati eorum praesulum, qui, ad huiusmodi visitationem obligati, eam contra iusiurandum hucusque distulerunt, consulere volentes, eos singulos a periurii reatu et a canonicis apostolicisque omnibus sententiis, quas propterea incurrerint, auctoritate praesentium absolvimus, quos tamen pro excessu huiusmodi eleemosynam quantam et cui vel quibus eorum confessarius statuerit applicandam, volumus erogare.

Exemplis fidei iubet.

§ 10. Quia vero difficile nimis esset praesentes litteras quocumque illis opus erit perferri, volumus quoque ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae eisdem praesentibus, etiam in dicto quinterno describendis haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, XIII kal. ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 dec. 1585, pontif. anno I.

XXV.

Innovatio festivitatis Sancti Nicolai de Tolentino, Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini, duplici officio die decima mensis septembris celebrandae [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sancta Romana universalis Ecclesia, quos omnipotens Deus sicut sol in conspectu suo fulgentes in coelo coronat, pio cultu et admirabili honore, per anni circuitum, die, ut plurimum, qua eos ad coelestia regna migrare contingit, in terris voluit venerari, ut eorum christifideles gloriosa memoria incensi, et exemplis inflammati, per exercitium bonorum operum, piis etiam suffragiis adiuti, divinae Maiestatis gloriam in sanctis suis agnoscere, et ipsius beneficia promereri facilius valeant.

S. Nicolaus virtutibus et miraculis clarus fuit.

§ 1. Ad hunc itaque laudabilem sanctorum numerum Beatus Nicolaus Tolentinas, de cuius vita, conversatione et sancta obdormitione in Domino Tolentinates gloriantur, regularia Sancti Augustini Eremitarum instituta amplexus, cum tanta vitae puritate et integritate contendit, ut ipsius viri sanctitas longe lateque per diversas mundi regiones, ad Indos usque occidentales, propagata diffusaque sit.

Ioannes XXII et Innocentius VI illius canonizationem cooperunt, et Eugenius IV perfecit.

§ 2. Hunc itaque, miraculorum signis, in quo inexhausta Dei benignitas in vita ac post mortem operari voluit, adducti, felicis recordationis Ioannes XXII et Innocentius VI primo in numerum sanctorum referre concurrerunt, et deinde piae memoriae Eugenius IV, Romani Pontifices praedecessores nostri, eorumdem sanctorum catalogo solemni ritu adscripsit.

Postea omne schisma cessavit.

§ 3. Post cuius relationem inter numerum sanctorum, celeberrimum maximumque illud miraculum extitit, quod Ecclesia Romana, iam per annos amplius quinquaginta schismatum dissidiis graviter afflicta, huius beati viri meritis et intercessione sublatis erroribus, pacem, praeter spem, summam consecuta est.

Hic Pontifex illius festum duplici officio agi iubet;

§ 4. Quare nos, qui ecclesiae Firmanae, in cuius dioecesi oppidum Sancti Angeli, ubi sanctus ipse Nicolaus est ortus, consistit, in minoribus constituti praefuimus, nomen et sanctitatem ipsius B.

[1] Canonizationem huius Sancti et suae festivitatis primaevam institutionem fecit Eugenius IV, ut in eius const. XXXVI, *Licet*, tom. V, pag. 88.

Nicolai dignis, quantum nostra patitur infirmitas, honoribus decorare volentes, hac praesenti nostra constitutione mandamus ut eiusdem B. Nicolai confessoris gloriosi dies festus IV idus septembris pie agatur, duplicique posthac et proprio, et ubi propria non erunt, de communi confessorum non pontificum officio, per cunctas totius christiani orbis ecclesias, singulis annis, perpetuis futuris temporibus, celebretur, et in kalendario Romano cum duplicis festi adiectione inscribatur. Sicubi vero festus Beati Nicolai dies supradictus, ex fidelium devotione seu consuetudine, praecepto aut indulto apostolico, maiori aliqua celebrari consueverit observantia, ea omnino ibidem retineatur.

Praelatis iniungit ut observari faciant;

§ 5. Mandantes omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ceterisque ecclesiarum praelatis in toto orbe terrarum constitutis, ut faciant in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus et dioecesibus praesentes nostras litteras solemniter publicari et ab ecclesiasticis personis, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus omnino observari, quamvis in ultimis breviarii et missalis reformationibus adnotatio huius solemnitatis posita non fuerit.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus quoque ut praesentium exemplis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, X kal. ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 decembr. 1585, pontif. anno I.

XXVI.

Contra exercentes artem astrologiae iudiciariae et alia quaecumque divinationum genera, librosque legentes vel tenentes [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Multa mala proveniunt ex arte astrologiae iudiciariae, magiae, negromantiae et similium.

§ 1. Coeli et terrae Creator Deus, quem unum omnipotentem corde credimus ad iustitiam, et ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem et similitudinem suam creavit, mentem dederit, quae non solum, divino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret quae humanam intelligentiam superant, sed etiam naturae suae vi, magno licet cum labore, praeclara multa investigaret atque intelligeret, tamen ut superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, et immensam Conditoris sui maiestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quae eventura sunt, scientiam et futurarum rerum cognitionem reservavit. Solus enim Ipse, cuius oculis omnia nuda et aperta sunt, et ad intimas hominum cogitationes penetrat, et consequenter eorum actiones intuetur; solus Ipse, qui vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, omnia praesentia et ante oculos posita habet; solus denique, omnia et singula quaecumque totius temporis decursu et saeculorum aetatibus futura sunt, ab omni aeternitate novit, et admirabili providentia disposuit, quae non modo humanae mentis imbecillitas ignorat, sed nec daemones ipsi praesentire possunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falsitatem et imbecillitatem, et eorum qui eis cultum adhibebant vanitatem irridet Spiritus Sanctus apud Isaiam illis verbis: *Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos.* Et in novo Testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris eventibus paullo cupidius inquirentium interrogationem gravi illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit: *Non est vestrum scire tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* Nec vero ad futuros eventus et fortuitos ca-

[1] De eiusmodi ac sortilegiorum materia extant plures praedecessorum constitutiones indicatae in Innoc. VIII const. I, *Summis*, tom. V, p. 296.

sus praenoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis necessario vel frequenter provenientibus, quae ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) ullae sunt verae artes aut disciplinae, sed fallaces et vanae, improborum hominum astutia et daemonum fraudibus introductae, ex quorum operatione, consilio vel auxilio omnis divinatio dimanat sive quod expresse ad futura manifestanda invocentur, sive quod ipsi, pravitate sua et odio in genus humanum, occulte etiam praeter hominis intentionem se ingerant et intrudant vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum perniciosis vanitatibus et fallaci contingentium praenunciatione implicentur, et omni impietatis genere depraventur. Quae quidem ipsis cognita sunt, non divinitate aliqua nec vera futurarum rerum scientia, sed naturae subtilioris acumine, et aliis quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est, in huiusmodi futurorum contingentium et fortuitorum eventuum inquisitione et praecognitione, diaboli operationem se fallaciter immiscere, ut sua fraude ac dolis miseros homines a via salutis avertat, et laqueo damnationis involvat. Quae cum ita sint, nonnulli haec fideliter et religiose, ut debent, non attendentes, sed curiosa sectantes, graviter Deum offendunt, errantes ipsi et alios in errorem mittentes; tales in primis sunt astrologi, olim mathematici, genethliaci et planetarii vocati, qui, vanam falsamque syderum et astrorum scientiam profitentes, divinaeque dispositionis ordinationem suo tempore revelandam praevenire audacissime satagentes, hominum nativitates seu genituras ex motu syderum et astrorum cursu metiuntur, ac iudicant futura sive etiam praesentia et praeterita occulta; atque ex puerorum ortu et natali die, sive quavis alia temporum et momentorum vanissima observatione et notatione, de uniuscuiusque hominis statu, conditione, vitae cursu, honoribus, divitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, caedibus, variis discriminibus aliisque prosperis et adversis casibus et eventibus praecognoscere, iudicare et affirmare temere praesumunt, non sine magno periculo erroris et infidelitatis; cum S. Augustinus, praecipuum Ecclesiae lumen, eum, qui haec observat, qui attendit, qui in domum recipit, qui interrogat, christianam fidem et baptismum praevaricasse affirmet, ut illos merito Apostolus arguat atque increpet illis verbis: *Dies observatis et menses et tempora et annos, timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Hi igitur levissimi et temerarii homines, in miserandam animarum suarum ruinam, grave fidelium scandalum, et christianae fidei detrimentum, futuros rerum eventus et quaecumque prospere vel adverse obventura sunt, ac actus humanos, ea denique quae ex libera hominum voluntate proficiscuntur, astris syderibusque adscribunt, eisque eam facultatem, vim seu virtutem et efficaciam tribuunt significandi futura, et ad praecognita ita inclinandi, ut sic omnino nec aliter eventura sint, atque ob eam causam de iis rebus omnibus iudicia facere, prognostica, praedictiones et praecognitiones sibi assumere et palam venditare non dubitant; quibus pauci rudes et imperiti, aliique nimis creduli et imprudentes tantam fidem praestant, ut ex huiusmodi iudiciorum et praedictionum praescripto, aliquid certi esse credant aut sperent; quorum sane et mendacium magistrorum temeritas et infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui, vel divinis litteris admoniti, non intelligunt hominis praestantiam, cui coeli et stellae et clarissima coeli sydera, sol et luna, Deo

ita disponente, non imperant, sed inserviunt; sic enim Moyses populum Dei, ut hunc errorem caveret, praemonebat: *Ne forte, elevatis oculis ad coelum, videas solem et lunam et omnia astra coeli, et errore deceptus adores ea et colas; quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quae sub coelo sunt.* Sed quid sydera mirandum est homini servire? nonne nobilissimae intelligentiae, angeli ipsi, omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis? Nam rationales oves ita diligit Deus, ut non solum episcopos, quemadmodum a S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinaverit, sed etiam angelos destinaverit. Praeclare etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. Quod si angeli homines custodiunt, quid adversus angelorum custodiam et tutelam astra moliri aut efficere poterunt, quae cum ipsis angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco praetereunda est eximii Ecclesiae doctoris et beatissimi Pontificis Magni Gregorii sententia, qui Priscillianistas haereticos, unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum et verborum pondere confutat. Absit, inquit, a fidelium cordibus, ut aliquid esse fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creavit, administrat, neque enim propter stellas homo, sed stellae propter homines factae sunt, et si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Utinam insani homines haec saperent et intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Neque enim quae christiana et vera pietas repellit ac damnat tanto studio investigarent, iisdemque misere se decipi atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines et curiosi, vel impii et irreligiosi, qui futurarum et occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere student, ut ob eadem praenoscenda et investiganda in divinae legis offensionem multipliciter incurrant. Alii enim geomantiae, hydromantiae, aeromantiae, pyromantiae, onomantiae, chiromantiae, negromantiae aliisque sortilegiis et superstitionibus, non sine daemonum saltem occulta societate aut tacita pactione, operam dare, seu illis ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum vel fabarum iactu uti non verentur. Alii vero, aliquas pristinae et antiquatae ac per Crucis victoriam prostratae idololatriae reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auspiciis similibusque signis et vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem sunt, qui cum morte foedus ineunt, et pactum faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expresse cum diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicae artis incantationes, instrumenta et veneficia adhibent, circulos et diabolicos characteres describunt, daemones invocant aut consulunt, ab eis responsa petunt aut accipiunt, eis preces et thuris aut aliarum rerum suffimenta seu fumigationes aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris vel sacramentis aut sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis aut quaevis alia impietatis obsequia praestant, cultum venerationemve tribuunt; [1] aut parvas phialas sibi fabricant aut fabricari curant, ad daemones in eis alligandos seu includendos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda aut habenda. Alii praeterea etiam in corporibus obsessis vel

1 Cherub. *Aut annulum vel speculum, aut* etc. (R. T.).

lymphaticis et fanaticis mulieribus daemones de futuris vel occultis rebus aut factis exquirunt, ut merito ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas mendacesque referant responsiones. Alii quoque praestigiatores, frequentius vero mulierculae quaedam superstitionibus deditae, in phialis seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo, accensis candelis, etiam benedictis, sub nomine angeli sancti et albi, diabolum omnium malorum satorem supplices adorantes, vel in unguibus aut palma manus quandoque etiam oleo perunctis, eumdem omnium fallaciarum architectum orant ut similiter futura vel occulta quaevis per spectra et apparentes imagines seu phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacii diabolo, aliis incantationibus aut variis superstitionis observationibus, futurorum et occultorum huiusmodi veritatem quaerunt, et hominibus praedicere contendunt. Quorum omnium, quos supra enumeravimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirum quod daemonis praestigiis ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illusi ac delusi miserrime reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in seipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur ut astrologi et alii praedicti, qui huiusmodi futura praenunciare aut praenoscere quocumque modo, nisi Deo revelante, audent, iniuste atque impudenter, quod Dei est, sibi assumant et usurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperam creaturis tribuitur, divina Maiestas graviter laedatur, fidei integritas violetur et animabus pretioso Christi Sanguine redemptis, pestis atque exitium importetur.

Ordinariis idem munus fuit ut huiusmodi artis

§ 2. Et licet iampridem regulis indicis librorum prohibitorum, ex decreto sacri generalis Tridentini concilii confecti, illud inter cetera constitutum fuerit ut episcopi diligenter providerent ne huiusmodi astrologiae iudiciariae libri, tractatus et indices legerentur [1], qui de futuris contingentibus successibus fortuitisve casibus aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent, permissis tamen iudiciis et naturalibus observationibus, quae navigationis, agriculturae sive medicae artis iuvandae gratia conscripta fuissent. Libros vero omnes et scripta geomantiae, hydromantiae, chiromantiae, negromantiae, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicae, prorsus reiici et aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum et abusuum praedictorum extirpationi usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, et apud plurimos curiosius vigeant, cum valde frequenter, detectis diabuli insidiis, divinationum, sortilegiorum et variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

libros extirparent, sed extirpatio perfecta non fuit.

§ 3. Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officii munere fidei integritatem inviolatam conservare debemus, et animarum saluti prospicere, quantum divina gratia adiutrice possumus, ex paternae caritatis visceribus optamus, damnantes et reprobantes omne genus divinationum, quae, diabolo auctore, ad fidelium deceptionem a praedictis curiosis vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes praeterea sanctam illam christianae religionis simplicitatem, praesertim ubi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia et providentia, ab omni erroris labe integram atque incorruptam, ut par est, retineri. Volentes quoque praedictae falsae credulitati ac huiusmodi illicitarum divinationum et superstitionum detestabili studio et execrandis flagitiis atque impuritatibus occurrere, ut de christiano po-

Hic itaque Pontifex astrologos iudiciarios, mathematicos, divinatores etc. ab ordinariis necnon ab inquisitoribus severe coerceri mandat;

1 Cherub. addit *vel haberentur* (R. T.).

pulo merito dici possit quod de antiquo Dei populo scriptum est, *Non est augurium in Iacob, neque divinatio in Israel*, hac perpetuo valitura constitutione, apostolica auctoritate, statuimus et mandamus ut tam contra astrologos, mathematicos et alios quoscumque dictae iudiciariae astrologiae artem, praeterquam circa agriculturam, navigationem et rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia et nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiam si id se non certo affirmare asserant aut protestentur, quam contra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces et perniciosas divinandi artes sive scientias exercent, profitentur et docent aut discunt, quive huiusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes ac praemissa detestanda scelera et delicta, ut praefertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis existant, tam episcopi et praelati, superiores ac alii ordinarii locorum, quam inquisitores haereticae pravitatis ubique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant aut procedere non valebant, diligentius inquirant et procedant, atque in eos severius canonicis poenis et aliis eorum arbitrio animadvertant.

Librosque harum artium retineri vetat.

§ 4. Prohibentes omnes et singulos libros, opera et tractatus huiusmodi indiciariae astrologiae, geomantiae, hydromantiae, pyromantiae, onomantiae, chiromantiae, negromantiae, artis magicae, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes ac superstitiones continentur, ac ut supra in memorato indice interdictos, sub censuris et poenis in eo contentis, a quibuscumque christifidelibus legi aut quomodolibet retineri, sed illos episcopis et ordinariis locorum vel inquisitoribus praedictis praesentari et consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus et mandamus ut contra scienter legentes aut retinentes libros et scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem inquisitores libere et licite procedant ac procedere, et poenis condignis punire et coercere possint.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi in Urbe.

§ 6. Ut autem praesentes nostrae litterae ad communem omnium notitiam facilius deducantur, iubemus illas in valvis basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae affigi seu appendi, eisque detractis, ipsarum exempla, etiam impressa, eisdem in locis affixa relinqui.

Et extra.

§ 7. Et insuper universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, locorum ordinariis et praelatis, necnon inquisitoribus haereticae pravitatis ubilibet constitutis, per haec committimus, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus ut, per se vel alium seu alios, easdem praesentes litteras, postquam eas receperint seu earum notitiam habuerint, in suis et singulis parochialibus ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad divina convenerit, deinde vero semel in anno, et quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent aut publicari faciant.

Fides exemplorum.

§ 8. Quia vero difficile *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, nonis ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 ian. 1585, pont. anno I.

XXVII.

Quaelibet proprietas in congregatione canonicorum regularium Sancti Georgii in Alga Venetiarum interdicitur [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pro pastorali officio nobis divinitus commisso, praecipua semper sollicitudine intendimus ut religiosi et claustrales viri, qui tamquam scintillae fulgere, et in arundineto huius sæculi discurrere debent, non tantum, iuxta praescriptam regularis disciplinae observantiam, cum omni castitate, paupertate et obedientia sobrie, iuste et pie Creatori nostro famulentur, sed ita etiam luceat lux eorum coram hominibus ut alii in omnibus ipsorum operibus Patrem nostrum, qui in coelis est, glorificare possint.

Inter alios abusus proprietas quoque inter canonicos huiusce congregationis irrepserat.

§ 1. Sane, cum vix nobis innotuit, inter plures canonicos seu fratres congregationis Sancti Georgii in Alga Venetiarum, Ordinis Sancti Augustini, contra expressum paupertatis votum, quod Deo in emissione professionis disertis verbis praestiterunt, detestandi abusus irrepserint habendi proprium et retinendae proprietatis plerumque etiam male acquisitorum bonorum et pecuniarum; nos, huic tanto malo quanto citius occurrere cupientes, extirpari omnino abusum huiusmodi volumus, ut ita Dei honori et dictorum fratrum animarum saluti consulatur, ac simul etiam provideatur pluribus necessitatibus, praesertim vero dissolutioni aeris alieni, quo ipsa congregatio universa gravata est, non tam iniuria temporum, quam culpa eorum, qui, dum diversa munera obierunt, proprium lucrum publicae utilitati anteponentes, aut sibi usurparunt quae communia erant, aut etiam neglexerunt.

Omnem omnino proprietatem adimit Sixtus;

§ 2. Itaque, tradita nobis apostolica potestate, universos et singulos eiusdem congregationis fratres seu canonicos ac priores, etiam generales, privato et proprio rerum bonorumque omnium mobilium et semoventium dominio, usu, usufructu, possessione, proprietate, ac etiam pecuniis et quocumque peculio, quomodolibet acquisitis vel obventis, perpetuo privamus, dictaque possessione amovemus, ac privatos et amotos nunciamus, eademque supradicta in cuiusque domus, cuius canonici seu fratres illa hactenus detinuerint, communes usus convertenda concedimus; iuraque et actiones ac facultates exigendi quascumque pecunias, necnon census, redditus aut pensiones annuas, tam quoad fructus ipsos et census annuatim provenientes, quam quoad sortem ipsam principalem seu capitalem, ac denique nomina debitorum, seu certos redditus domorum singularum, quae taxae appellantur, cuilibet canonico vel fratri privatim competentia, quovis praetextu, colore vel titulo, etiam oneroso, ac ratione sumptuum factorum pro communi utilitate vel necessitate urgenti domus alicuius seu totius congregationis, cui forsan aliquis eorum de propriis redditibus subvenit, aut pecunias mutuas dedit, ac in earumdem impensarum compensationem et solutum, auctoritate quorumcumque superiorum, etiam generalis prioris vel capituli item generalis, sigillatim assignata et delegata vel alias, quocumque modo, causa vel occasione, cuivis eorum concessa, ab ipsis singularibus personis ad commune aerarium eius domus, cui eædem personae fuerint adscriptae, transferimus.

Omnia super hoc privilegia, licentias, dispensationes etc. irritat;

§ 3. Ac omnia et quaecumque privilegia, dispensationes, licentias, permissiones, indulta, tam apostolica quam dictorum superiorum, etiam generalis prioris vel capituli, auctoritate, etiam per viam contractus, assignationis vel obligationis,

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

et ratione expensarum, vel alias ex necessaria causa et cuiuscumque pii officii intuitu, super dictis bonis, pecuniis, rebus, privatim habendis, utendis, fruendis, ac iuribus et actionibus prosequendis, ac nominibus seu taxis ad proprium commodum exigendis, cuicumque canonico vel fratri etiam saepius concessa, confirmata et innovata, quibuscumque clausulis et decretis suffulta, etiam iuramento roborata, quorum tenores pro expressis habemus, simili auctoritate revocamus, cassamus et annullamus, irritaque et invalida esse, et nemini imposterum prodesse volumus.

Generali et capitulo quamcumque in contrarium licentiam concedendi adimit facultatem;

§ 4. Prohibentes omnino ne quis frater vel canonicus eiusdem congregationis, quocumque officio vel dignitate, etiam prioris generalis, fungens, tam praemissorum praetextu, quam inveterata, ac etiam a primaeva institutione et fundatione congregationis introducta et continuata consuetudine, quae corruptela potius voto contraria censenda est, proprium quidquam aut peculiare habeat, ac a ceteris separatum sibi vindicet, aut possideat nomina debitorum, seu taxas aut redditus assignatos praedictos ne exigat, neve ea imposterum cuipiam sigillatim percipienda et exigenda assignentur, neve prorsus tales licentiae seu permissiones seorsum ab aliis aliquid proprium habendi, per quoscumque dictae congregationis superiores aut etiam per praedictum capitulum generale alicui umquam concedantur, neque assignationes, licentiae, indulta aut permissiones ipsae valeant, aut vires seu effectum habeant.

Omnia communia esse praecipit;

§ 5. Ceterum statuimus ut omnia omnibus communia et indivisa sint, tamquam inter veros et unanimes fratres christiana et religiosa charitate coniunctos, sublata prorsus omni differentia, ita ut inter illos mei et tui nullum sit omnino discrimen.

Census, assignationes etc. priori cuiuscumque domus tradi iubet, qui nequeat earumdem exactionem antiquis committere possessoribus.

§ 6. Atque ad hunc effectum praecipimus et mandamus ut praedicta bona, res, pecuniae et nomina seu redditus assignati vel taxae, aliaque omnia et quaecumque, unicuique sigillatim, etiam intuitu personae, donata vel relicta, aut undecumque, etiam propria industria et labore, acquisita, necnon census et redditus annui, etiam super bonis stabilibus, specificata et in scriptis redacta quantitate et summa tam ipsorum censuum et redditaum annuatim debitorum, quam sortis, pretii seu capitalis, cuius ratione debentur, et fundi seu rei immobilis super qua impositi sunt, nomina denique omnium creditorum et debitorum similiter descripta, per singulos fratres seu canonicos, tam in domibus quam in villis et membris aliisve locis degentes, qui aliquid tale privatim habuerint, priori et deputatis ad hoc congregandis in unaquaque domo, atque invicem per ipsos priorem ac deputatos, si ipsi quoque quidpiam huiusmodi separatim hactenus detinuerint, aliis, qui per reliquos fratres seu canonicos eius domus communi consensu ad id delecti erunt, cum primum praesentes litterae in ipsa domo publicatae fuerint, nulla interposita mora, XXIV horarum intervallo, exhibeantur; et quoad dominium, possessionem et usum, re ipsa et cum effectu, non autem ficte et perfunctorie, in commune conferantur, tradantur, consignentur, ac unusquisque eorum omni et cuicumque iuri et actioni ac facultati exigendi census, nomina debitorum seu taxas aut redditus huiusmodi sibi nominatim, ut praefertur, assignata, in usum, favorem, commodum et utilitatem communem ipsius domus, cuius canonicus seu frater fuerit, expressis item in specie et palam descriptis illorum quantitate et circumstantiis universis, libere cedat et renunciet, eaque omnia in tuto loco, communiter a priore et fratribus cuiuscumque domus designando, actu et re

ipsa deponantur, amotis omnino et abdicatis a detentione seu custodia, et facultate exigendi, communi nomine continuanda, rerum, bonorum et pecuniarum eorumdem, illis fratribus seu canonicis, in quorum potestate prius tamquam propria erant; quibus perfectis, statim unusquisque prior cuiuslibet domus generalem priorem de his omnibus diligenter certiorem faciat, transmisso ad eum inventario, in quo praemissa omnia antea privatim retenta, deinde vero in communi collata, descripta sint.

Prior vero generalis singulis subministret secundum necessitat., reliquum in bonum totius congregationis cedat.

§ 7. Demum ipse prior generalis victum et vestitum, et quantum rei convenientis praesens necessitas videbitur postulare, cuique canonico seu fratri congrue suppeditare curet. Id autem omne quod reliquum erit, in extinctionem aeris alieni quo singulae domus vel tota congregatio communiter obstricta est, convertatur, aut ipsis domibus vel universae congregationi, ad communes usus et necessitates sublevandas, perpetuo applicetur; ac tandem in proximo sequenti capitulo generali illorum omnium ac etiam universae administrationis sive publicae et privatae rationem reddere teneatur.

Poenae contra inobedientes statutae.

§ 8. Quicumque autem his litteris non continuo obtemperaverint, vel, ante illarum publicationem, pecunias et alia praedicta occultaverint, sive intra vel extra domos praedictas deposuerint, aut extraneis personis, etiam laicis, tradiderint, aut etiam in pias causas converterint, aut pio alicui loco assignaverint, quique alios canonicos seu fratres inobedientes non statim superioribus, ut supradictum est, denunciaverint, in poenam privationis dignitatum et officiorum suorum incidant, et ad ea imposterum obtinenda inhabiles et infames censeantur, et pro crimine tamquam fures severe puniantur; prout nos ex nunc illos privatos, inhabiles et infames declaramus, et in eos singulos excommunicationis sententiam ferimus eo ipso, a qua, non nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice, absolutionis beneficium valeant obtinere.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 9. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus praedictis ac nostra de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac eiusdem congregationis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; et quibuslibet privilegiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, dictae congregationi illiusve singularibus personis et aliis Ordinibus, ad quorum instar gratiarum huiusmodi forte participes effecti sunt, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus litteris non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Quae omnia nolumus cuiquam adversus praedicta in aliquo suffragari.

Fides exemplis danda.

§ 11. Ceterum, ut hae litterae amplius innotescant, volumus ut earum exempla unusquisque prior in ea domo, cui praeest, quamprimum fratribus seu canonicis omnibus simul congregatis publicet; ipsaque exempla, manu alicuius notarii publici subscripta, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita, eamdem prorsus fidem ubique faciant, tam in iudicio quam extra illud, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub an-

nulo Piscatoris, die VIII ianuarii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 ian. 1586, pontif. anno I.

XXVIII.

Quod festum Sancti Antonii Lusitani, de Padua nuncupati, sub die XIII *mensis iunii duplici officio de cetero celebretur* [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Immensa divinae sapientiae altitudo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, dignata est olim per Prophetam revelare Deum in sanctis suis laudari velle. Quod nos ad eorumdem sanctorum memoriam debita solemnitate celebrandam eo magis invitat, quia, dum eorum merita recensentur, virtutum quoque exempla fidelibus imitanda proponuntur, ut per ea fideles ipsi gradientes, ad caelestem beatitudinem, eorumdem sanctorum suffragiis adiuti, facilius valeant pervenire.

S. Antonii de Padua merita et laudes recensentur. § 1. Quapropter nos, considerantes quod inter multos sanctitate et doctrina praeclaros viros, qui S. Francisci vestigia secuti fuerunt, beatus Antonius Ulissiponensis, Patavinus nuncupatus, eximiae sanctitatis vir fuit, qui, ab ineunte aetate, mundum eiusque illecebras veluti venenum aspidum fugiens, Deo se dicavit, ipsiusque seraphici Francisci institutum magna cum spe desiderioque martyrii religiose est complexus, ac in suscepta vitae disciplina progrediens, cooperante Domino, mundi, carnis et diaboli humani generis hostium egregiis dimicationibus triumphum reportavit, divina praeterea imbutus sapientia, multisque variisque provinciis peragratis, maximam hominum, ab Eo qui lux, via, veritas et vita est aberrantium, copiam praeclaris christianarum virtutum exemplis illustravit, ac verbi Dei, quod velut imber de coelo descendens terramque inebrians facit eam germinare, pia foecundaque praedicatione mentes hominum salutaribus praeceptis foecundavit, multosque ad catholicae doctrinae lucem et verbis et consequentibus signis perduxit, ac demum diversis in vita et post obitum miraculis clarus, ad permanentem illam nullique mutationi obnoxiam patriam recto atque incitato cursu evolavit, ubi in aeternis caelestis regni mansionibus beatus perfruitur.

Canonizatio eiusdem refertur. § 2. Ipse autem a felicis recordationis Gregorio Papa nono, praedecessore nostro, sanctorum, quos catholica veneratur Ecclesia, catalogo solemni ritu adscriptus, in caelo pro ipsa semper Ecclesia apud Deum, una cum omnibus sanctis eiusdem gloriae consortibus, assidue et pro peccatoribus intercedit.

Institutio duplicis officii. § 3. Quare, ut eiusdem beati viri, qui Ordinis ipsius S. Francisci professor fuit, memoria a fidelibus crebrius recolatur, celebrique totius Ecclesiae veneratione celebretur, nos, et divinis illius meritis adducti, et praecipue erga illum nostrae devotionis studio excitati, hac praesenti constitutione praecipimus et mandamus ut eiusdem beati Antonii de Padua nuncupati confessoris gloriosi dies festus idibus iunii, quo die ex hoc collacrymabili saeculo ad caelestem patriam abiit, solemniter peragatur, ac sub duplici minori et proprio officio, atque ubi propria non erunt, de communi confessorum non pontificum, posthac perpetuis futuris temporibus, in omnibus universi orbis ecclesiis, rite celebretur, et in kalendario cum duplicis festi adiectione inscribatur; sicubi vero dies supradictus ex fidelium devotione seu consuetudine aut praecepto vel indulto apostolico maiori observantia, e-

1 Hunc Sanctum canonizavit Gregorius IX, eiusque festivitatem instituit in eius constitutione XXXI, *Cum dicat*, tom. III, pag. 464.

tiamsi duplicis maioris in die festi et duplicis minoris per octavam celebrari consueverit, ut apud fratres eiusdem Ordinis Sancti Francisci, id omnino ibidem retineatur.

Iussio eam observandi.

§ 4. Praecipientes universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis ceterisque ecclesiarum praelatis, ac quorumcumque regularium locorum et Ordinum superioribus, quatenus in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus et dioecesibus ac regularibus locis praesentes litteras solemniter publicari, et ab omnibus ecclesiasticis personis, tam saecularibus quam quorumvis Ordinum regularibus, secundum ritum S. R. E. officium persolventibus, omnino observari faciant, etiamsi in breviarii et missalis reformationibus nuper editis praefata solemnitas apposita non fuerit.

Fides transumptorum.

§ 5. Quoniam autem difficile esset easdem praesentes ad singula orbis loca pervenire, volumus et apostolica auctoritate decernimus ut earum transumptis et exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique gentium et locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus litteris adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, decimonono kal. februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 ian. 1586, pontif. an. I.

XXIX.

Innovatio indulti capitulo sacrosanctae Lateranensis ecclesiae de Urbe concessi, dandi licentiam in eius locis erigendi loca pia, accedente licentia ordinariorum, quibus subiecta remaneant [1].

Dilectis filiis capitulo sacrosanctae basilicae Lateranensis de Urbe Sixtus Papa V.

Dilecti filii, salutem et apostolic. benedictionem.

Prooemium.

Si cunctas per orbem terrarum diffusas ecclesias in earum iuribus et privilegiis libenter conservare studemus, multo magis et ampliori sollicitudine erga sacrosanctam basilicam nostram Lateranensem de Urbe, quam Summi Romani Pontifices illorum patriarchium esse voluerunt, id facere tenemur, ac proinde quae ab eisdem, pro decore et commodo illius, necnon divinis obsequiis ibidem insistentium emanarunt, si quandoque revocata fuisse constat, quantum cum Deo possumus, adhibito moderationis remedio, innovare congruum censemus.

Bonifacius IX statuit quod quilibet in locis ad ecclesiam Lateranen. spectantibus loca pia erigere posset, illaque sub mero et mixto imperio et dispositione capituli et archipresbyteri exstarent, sed Bonifacii bullam hic non habes.

§ 1. Sane cum dudum felicis recordationis Bonifacius Papa IX, praedecessor noster, qui singularem devotionis affectum ad eamdem gerebat basilicam, cuius archipresbyteratum, dum minori officio fungebatur, ex concessione apostolica obtinuerat, considerans ex quorumdam Romanorum Pontificum declaratione ipsam omnibus aliis Urbis et orbis ecclesiis anteferri, volens propterea specialis alicuius prerogativae privilegio eam decorare, tunc archipresbytero et capitulo singularibusque personis et ministris illius, ac aliis quibuscumque personis utriusque sexus,

1 Haec Lateranensis ecclesia supremum locum obtinet super omnes Urbis et orbis ecclesias, et centenaria gaudet praescriptione, ut videre est in Gregorii XI constitut. IV, *Super*, tom. IV, pag. 534.

ut in quibusvis fundis, terris, possessionibus et locis ad eorumdem archipresbyteri et capituli mensam capitularem spectantibus, dioecesani loci aut alterius licentia minime requisita, ecclesias, monasteria, oratoria, prioratus, dignitates, personatus, officia et alia beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, necnon conventus, hospitalia et pia loca quaecumque fundare, construere, instaurare, erigere, aedificare et dotare, toties quoties placeret, valerent (iure tamen parochialis ecclesiae et alterius cuiuslibet alias in omnibus semper salvo), auctoritate apostolica indulserit, statuens et ordinans quod, postquam praedicta fundata, constructa, erecta, aedificata et dotata essent, permanerent ac essent et esse deberent censerenturque immediate subesse sub ipsorum archipresbyteri et capituli dominio, protectione, iurisdictione, defensione, auctoritate et potestate; ac eorum plenum ius, dominium, merumque et mixtum imperium, necnon institutio, destitutio, collatio, provisio, praesentatio et quaevis alia dispositio ad ipsos solum et in solidum pertinerent in perpetuum atque spectarent, prout in eiusdem praedecessoris litteris, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Pius IV dictum indultum revocavit.

§ 2. Et sicut nuper exposuistis, capitulum et canonici ipsius basilicae, qui postmodum fuerunt, litteris patentibus a se sub hoc eorum titulo et nomine tantum expeditis, licentias et facultates ecclesias, monasteria ceteraque praenarrata fundandi, instaurandi, erigendi et faciendi diversis, etiam sub praestatione seu solutione census perpetuo in recognitionem directi dominii annuatim sibi facienda, concesserint atque concedere continuaverint, donec recolendae memoriae Pius Papa IV, itidem praedecessor noster, motu proprio, omnia et singula privilegia, facultates et indulta, per eum et Sedem Apostolicam sive Romanos Pontifices praedecessores, erigendi et instituendi ecclesias, cappellas, cappellanias, oratoria, altaria, societates et confraternit., illaque in grancias vel membra recipiendi, vobis et certis aliis tunc expressis, in specie vel genere quomodolibet concessa, cassaverit, irritaverit penitus et aboleverit, aliaque statuerit et ordinaverit, prout in litteris suis hac de re promulgatis, quarum pariter tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur; humiliterque supplicaveritis ut adversus huiusmodi cassationem et abolitionem vos restituere dignaremur.

Hic modo Pontifex innovat dict. indultum, adiecta modificatione quod accedat licentia ordinariorum, et loca fundanda subiicit eisdem ordinariis.

§ 3. Nos, moti tam praenarrata Bonifacii Papae praedecessoris consideratione, quam praeclara memoria imperatoris Constantini, cuius morbum, suscepto hic olim Baptismo, protinus divina gratia sanavit, vestris huiusmodi supplicationibus benigne annuentes, praenarratasque Bonifacii Papae litteras, cum omnibus et singulis decretis, clausulis et aliis in eis contentis, apostolica auctoritate (modificationibus infrascriptis semper salvis), harum nostrarum serie revalidantes et innovantes, vosque ad illarum pristinum usum adversus supradictas Pii IV litteras revocatorias restituentes et plenarie reintegrantes, ex speciali gratia indulgemus quod perpetuis futuris temporibus, litteris vestris patentibus, sub solitis titulo et nomine supradictis, etiam absque praesentium nostrarum insertione, expediendis, licentiam et facultatem liberas quibuslibet bene visis, in fundis, terris et locis mensae vestrae capitularis ac alias iuxta earumdem Bonifacii Papae praedecessoris litterarum formam, quaecumque monasteria, prioratus, conventus, ecclesias, dignitates, personatus, officia et alia be-

neficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, necnon hospitalia et alia pia loca fundandi, erigendi, aedificandi, dotandi ac alia quomodolibet in illis contenta faciendi, quae quidem dominio, protectioni, iurisdictioni, defensioni ac potestati vestris immediate subsint, necnon earumdem plenum ius, dominium, merumque et mixtum imperium, institutio insuper, destitutio, collatio, provisio, praesentatio et quaevis alia dispositio ad vos solum et in solidum perpetuo spectet, dummodo episcoporum, in quorum civitatibus seu dioecesibus illa fuerint, licentia expressa ad hoc accedat; ecclesiaeque et alia, ut praefertur, fundanda, erigenda, aedificanda et dotanda, atque illa pro tempore obtinentes, libertatis, immunitatis et exemptionis privilegium aliquod a iurisdictione et superioritate ipsorum episcoporum, aliterve contra formam decretorum et ordinationum sacri concilii Tridentini propterea non acquirant, licentiam et facultatem liberas, ut prius, in omnibus et per omnia, perinde ac si litterae huiusmodi revocatoriae nullatenus emanassent, concedere valeatis.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus dicti Pii quarti litteris revocatoriis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; statutis quoque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, in contrarium quomodolibet, etiam iteratis vicibus, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, tenores illorum, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis habentes, latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volentes demum et statuentes quod harum nostrarum exemplis a notario publico subscriptis, et sigillo vestro capitulari obsignatis, eadem prorsus fides ubique, in iudicio et extra, adhibeatur, quam originales litterae ipsae facerent, si exhiberentur.

Fides transumptorum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv ianuarii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 ianuarii 1586, pontif. anno I.

XXX.

Prohibitio transeundi ab Ordine fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, ad fratres Cappuccinos [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius prohibitionis.

Pro ea quam praecipuam gerimus erga sanctum Franciscum devotione, illius familiam universam paterno amore complectentes, ea studemus de medio tollere, quae dissidii inter ipsos religiosos, eius Regulam sectantes, occasionem praebent, aut iis, qui, levitate animi, minus constantes persistunt in obedientia cui se ipsos dicaverunt, ab ea se subtrahendi viam aperiunt.

Paulus III atque Iulius III transitum fratrum de Observantia ad Cappuccinos vetarunt in eorum bullis, uti minus necessariis omissis.

§ 1. Sane iam pridem felicis recordationis Paulus Papa III et Iulius etiam III, Romani Pontifices praedecessores nostri, iustis de causis adducti, prohibuerunt ne ullo modo fratres de Observantia, sine suorum generalium vel provincialium licentia in scriptis habita, ad congregationem Cappuccinorum se transferre, sive ab ipsis Cappuccinis recipi, aut in illorum domibus retineri possent vel deberent, certis etiam gravioribus poenis adiectis, prout in illorum litteris plenius continetur.

1 Transitum huiusmodi inter Cappuccinos et fratres Minimos S. Francisci de Paula interdixit etiam Pius V, ut in eius const. LXVII, *Sedis*, tom. VII, pag. 617.

Hic Pontifex idem prohibet.

§ 2. Quare nos quoque, eorumdem praedecessorum exempla secuti, toto negotio cum quibusdam ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus communicato ac diligenter considerato, litterarum huiusmodi tenores praesentibus pro expressis habentes, de eorumdem cardinalium consilio, etiam de novo, auctoritate apostolica, per praesentes districtius interdicimus, tam ipsis Cappuccinis, ne quemquam eorumdem fratrum de Observantia, post emissam professionem regularem iuxta instituta eiusdem Ordinis de Observantia, ad eos, quovis habitu et quacumque de causa transeuntem, sine nostra aut Romani Pontificis pro tempore existentis licentia speciali, per litteras apostolicas expressam, et in specie, non autem per clausulas generales idem importantes, praesentis prohibitionis mentionem et derogationem continentes, aut eorumdem generalis vel provincialium ministrorum fratrum de Observantia licentia in scriptis, ut praefertur, obtenta, admittere, recipere et retinere, quam fratribus de Observantia praedictis, ne quisquam eorum ad congregationem Cappuccinorum sine huiusmodi licentia se transferre in futurum praesumant.

Contravenientium poena.

§ 3. In singulos vero Cappuccinorum superiores, provinciales, ministros domorum, guardianos, vicarios seu praesides necnon ipsos fratres de Observantia, qui in praemissis quoquomodo contravenerint, excommunicationis sententiam ferimus, eosque omnibus et quibuscumque dignitatibus, administrationibus et officiis per eos pro tempore obtentis auctoritate praesentium privamus, et ad futura ac quoscumque actus legitimos exercendos inhabiles esse volumus eo ipso. Decernentes receptiones, admissiones et retentiones quascumque de illis ex quavis causa sine dicta licentia faciendas, nulla omnino firmitate subsistere, neminemque penitus ulli voto aut promissioni, etiam iuramento aliave solemnitate roboratis, obligare posse.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari seu impugnari, aut sub praetextu quod contra alias apostolicas ac canonicas sanctiones iampridem usu receptas (quod scilicet unicuique regulari ad arctiorem Regulam et Religionem transeundi, petita dumtaxat, etiam non obtenta, superiorum licentia, transitus libere et licite permittatur), aut alias quovis praetextu seu quaesito colore, in ius et controversiam revocari aut invalidari ac ad terminos iuris reduci non posse, sed semper validas et efficaces existere.

Clausula addita.

§ 5. Sicque, in praemissis universis et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, ordinarios et delegatos, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 6. Mandantes universis et singulis locorum ordinariis, ut quando, ubi et quoties opus fuerit, ac pro parte alicuius ex fratribus de Observantia huiusmodi fuerint requisiti, praesentes litteras solemniter publicantes, eisque, in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant quemquam ex praedictis, si qui forsan in posterum se de facto transferre praesumpserint, contra earumdem praesentium continentiam et tenorem, in aliqua domo seu loco ipsorum Cappuccinorum admitti, recipi et retineri. Contradictores quoslibet et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem, directe vel indirecte, quomodolibet praestantes, per

censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias et censuras ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio. § 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis, etiam generalibus, editis; ac Ordinis et congregationis Cappuccinorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; necnon facultatibus, dispensationibus et indultis ipsi congregationi Cappuccinorum eorumque superioribus et personis aut domibus quibuscumque, recipiendi vel retinendi fratres de Observantia, etiam suorum superiorum licentia petita dumtaxat et non obtenta, aut non petita, transeuntes, tam expresse et principaliter quam per communicationem ad instar aliorum Ordinum et congregationum, quorum gratiarum et indultorum ipsi forsan Cappuccini participes effecti sunt, etiamsi pariformiter et aeque principaliter ipsa communicatio et extensio facta fuerit, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores aut successores nostros, etiam motu proprio ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac de eorumdem cardinalium consilio pro tempore concessis, approbatis et innovatis; quae omnia ac desuper confectas litteras, processusque habitos per easdem, quatenus praemissis in aliquo adversantur, abrogamus, cassamus et annullamus. Aut si ipsis Cappuccinis eorumque praelatis et superioribus vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod litteris revocatoriis, sub quacumque formula editis, nullatenus, vel nisi modis et formis in huiusmodi indultis contentis, parere, et ob non paritionem aliquas sententias, censuras et poenas incurrere, aut alias interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, exemptionibus et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concessis, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri; et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Quae omnia volumus nemini contra praedicta in aliquo suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem ut praesentium exemplis *etc.* Fides transumptorum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 28 ianuarii 1586, pontif. an. I.

XXXI.

Confirmatio et ampliatio indultorum ac indulgentiarum Rosarii Beatae Mariae Virginis; et facultatis magistri generalis et vicarii Ordinis S. Dominici in erigendis cappellis et instituendis confraternitatibus Rosarii, pro quibus aliae etiam gratiae et indulgentiae conceduntur.

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

B. Mariae Virginis merita et laudes. Dum ineffabilia meritorum insignia, quibus Dei Genitrix Beata Virgo Maria, regina coelorum gloriosa, sedibus praelata sydereis, tamquam stella matutina praerutilat, devotae considerationis inda-

gine perscrutamur, et inter arcana pectoris revolvimus quod ipsa, utpote mater misericordiae, mater gratiae et pietatis, humani generis amica et consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum culpa praegravantur, sedula exoratrix et pervigil, ad Regem, quem genuit et maternis lactavit uberibus, intercedit, dignum, quin potius debitum, arbitramur ut ecclesias et cappellas ac confraternitates in eius honorem erectas et institutas gratiosis remissionum prosequamur impendiis, ac indulgentiarum muneribus decoremus, ac per Romanos Pontifices praedecessores nostros, eisdem confratribus concessas indulgentias et privilegia nostrae approbationis munimine roboremus, easque innovemus, prout salubrius cognoscimus expedire.

Psalterium seu Rosarium B. Virginis a S. Dominico institutum.

§ 1. Attendentes itaque quam religioni nostrae fructuosum fuerit sanctissimi Psalterii, Rosarii nuncupati, gloriosae semperque Virginis Mariae, almae Dei Genitricis institutum, per beatum Dominicum, Ordinis fratrum Praedicatorum auctorem, Spiritu Sancto, ut creditur, afflatum, excogitatum, quantaque exinde mundo provenerint et in dies proveniant bona, et quot propterea utriusque sexus christifidelium confraternitates, sub invocatione Rosarii eiusdem B. Mariae Virginis, in universis orbis ecclesiis ac cappellis et altaribus canonice sint institutae.

Sodalitas Rosarii gratias et indulgentias a multis Pontificibus obtinuit.

§ 2. Earumque confratres ac sorores a quamplurimis, et praesertim felicis recordationis Urbano IV et Ioanne XXII ac Sixto etiam quarto necnon Innocentio VIII et Alexandro VI ac Iulio II et Leone X ac Adriano VI et Clemente VII et Paulo III ac Iulio etiam III ac Paulo IV et Pio etiam quarto, ac Pio V et postremo Gregorio XIII, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac nonnullis Sedis Apostolicae, cum potestate legati de latere, nunciis, nedum confirmationem et augmentum earumdem confraternitatum, sed etiam indulgentias ac privilegia et indulta merito obtinere meruerint.

Hic Pontifex omnes gratias et indulgentias et indulta confirmat.

§ 3. Nos, dictorum praedecessorum vestigiis inhaerendo, ac eodem, quo ipsi praedecessores nostri, devotionis affectu divinitus excitati, necnon dilecti filii nostri Michaelis tituli Beatae Mariae super Minervam presbyteri cardinalis Alexandrini nuncupati supplicationibus inclinati, singularum litterarum praedictarum tenores et formas praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, omnia et singula privilegia, immunitates et exemptiones, concessiones, indulta, indulgentias, etiam plenarias, et peccatorum remissiones et relaxationes, omnibus et singulis confraternitatibus dicti Rosarii, ubicumque terrarum canonice institutis, earumque confratribus et sororibus, tam per dictos praedecessores nostros et Sedem praedictam seu illius nuncios, cum potestate legati de latere, concessa, elargita et confirmata, ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis desuper confectas litteras praedictas, et vivae vocis oraculo aut alias quomodolibet emanatas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illaque omnia et singula prout per ipsos praedecessores nostros et alios praedictos concessa fuerunt, perpetuae firmitatis robur obtinere ac inviolabiliter observari debere decernimus; omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Et innovat.

§ 4. Et, potiori pro cautela, omnes et singulas indulgentias, etiam plenarias, et peccatorum remissiones et relaxationes, exemptiones, facultates, concessiones, aliaque privilegia et indulta praedicta, omnibus et singulis confraternitatibus dicti Rosarii, in quibusvis ecclesiis et cappellis ac altaribus, ubicumque terrarum cano-

nice erectis, earumque confratribus et sororibus, necnon officialibus et ministris, eisdem modo et forma quibus per eosdem praedecessores nostros et dictae Sedis nuncios concessa fuerunt, dicta auctoritate apostolica de novo concedimus et innovamus, ac omnibus et singulis confraternitatum Rosarii huiusmodi confratribus et sororibus, nunc et pro tempore existentibus, suffragari debere, eosque illis perpetuo uti, potiri et gaudere posse decernimus et declaramus.

Facultatem instituendi confraternitat. Rosarii concedit magistro et vicario generali Ordinis Sancti Dominici et deputandis per eos;

§ 5. Et insuper, ut omnibus et singulis dicti Ordinis fratribus, per magistrum et vicarium generales dicti Ordinis Praedicatorum et eorum quemlibet pro tempore deputandis, in quibusvis civitatibus, oppidis, terris et locis ubicumque existentibus, ut in eorumdem Praedicatorum vel aliorum Ordinum, monasteriorum seu domorum ecclesiis, cappellis et oratoriis, et etiam in saecularibus ecclesiis, in quibus nullae confraternitates eiusdem Rosarii adhuc erectae existunt, de superiorum et ordinariorum licentia, confraternitates eiusdem sanctissimi Rosarii, ad Dei et eiusdem Beatae Virginis laudem et gloriam, erigere et instituere libere et licite possint et valeant, plenam et liberam licentiam et facultatem, dicta apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus.

Eisque sic erectis omnes gratias et indulta aliis Rosarii confraternitatibus data largitur;

§ 6. Ac, postquam erectae fuerint, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, indulgentiis, etiam plenariis, et peccatorum remissionibus ac relaxationibus et gratiis, quibusvis aliis eiusdem Rosarii confraternitatibus, earumque confratribus ac sororibus, per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem praedictam eiusque nuncios, et etiam de latere legatos, hactenus quomodolibet concessis ac concedendis, et quibus confraternitates huiusmodi earumque confratres et sorores quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia, perinde ac si illis specialiter et expresse ac nominatim concessa fuissent, uti, potiri et gaudere libere et licite possint, pariter concedimus et indulgemus; ac privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, concessiones, indulgentias, etiam plenarias, ut praefertur, concessas et concessa, ad ipsas confraternitates erigendas, illarumque confratres et sorores pro tempore existentes perpetuo extendimus et ampliamus.

Confratribusque alias indulgentias hic enunciatas concedit;

§ 7. Ut autem animarum christifidelium confraternitatum, tam erectarum quam per fratres deputandos huiusmodi erigendarum, easdem confraternitates ingredi volentium, spirituali consolationi per amplius consulatur, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus confratribus singularum confraternitatum Rosarii huiusmodi, tam hactenus erectarum quam in posterum erigendarum, ut praefertur, ubicumque nunc et pro tempore existentibus, et in dictis confraternitatibus pro tempore descriptis et describendis, itinerantibus vel navigantibus ac servientibus, totum Rosarium, infirmis vero aut alias legitime impeditis, tertiam eius partem devote recitantibus, necnon temporibus debitis et ab Ecclesia statutis confitendi et communicandi firmum propositum habentibus, qui cappellam B. Mariae Rosarii, in ecclesia ipsius Beatae Mariae supra Minervam de Urbe eiusdem Ordinis Praedicatorum institutam, vel alias ecclesias seu cappellas, ubicumque dicta confraternitas canonice fundata fue-

rit, iis diebus, quibus festa mysteriorum eiusdem Rosarii celebrantur, visitare, et processioni, quae prima dominica cuiuslibet mensis fieri solet, interesse non potuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et elargimur; illisque omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, etiam plenarias, aliis confratribus et sororibus, cappellas seu ecclesias Rosarii huiusmodi dictis diebus visitantibus ac dictae processioni interessentibus specialiter vel generaliter concessas et in futurum concedendas, in omnibus et per omnia, perinde ac si dictas cappellas seu ecclesias dictis diebus personaliter visitarent, et processionibus huiusmodi interessent, auctoritate et tenore praedictis, communicamus ac communicatas esse specialiter vel generaliter decernimus et declaramus.

Transumptis huius bullae credi iubet.

§ 8. Quia vero difficile foret praesentes litteras *etc.*

Quibuscumque non obstantibus.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDLXXXVI, pontific. nostri anno I.

Dat. die 30 ianuarii 1586, pontif. anno I.

XXXII.

Innovatio festivitatis S. Ianuarii episcopi et martyris et sociorum eius, die XIX *septembris simplici officio celebrandae.*

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pia sanctorum patrum providentia institutum est in Ecclesia Dei, et posteris traditum ut complurium martyrum insignium memoria statis diebus solemnibusque caeremoniis atque anniversariis sacris in cunctis ecclesiis recolatur. Ita enim et illis honor debitus tribuitur, et fideles ad eorum imitanda exempla pro suo quisque modulo invitantur.

S. Ianuarii et sociorum merita et laudes recensentur.

§ 1. Proinde nos operae pretium duximus efficere ut sanctorum martyrum Ianuarii episcopi et sociorum eius, qui post vincula et carceres gloriosa martyrii corona propter Christi nominis confessionem sunt donati, iucundam recordationem diu intermissam renovando, plebem Dei hilaremus; cuius quidem beati Ianuarii sanctitatem Deus omnipotens multis, iisque clarissimis, editis miraculis ad nostram usque aetatem, in Neapolitana potissimum civitate, in qua eius corpus sepultum religiose asservatur, celeberrime apud omnes gentes testatam esse voluit; adeo ut non immerito, tum in divinis officiis, tum in ipso sacrificio, ab universo fidelium coetu eorum commemoratio fieri debeat, prout ante novam reformationem Romani missalis et breviarii fieri consueverat.

Eorumque festum die XIX septembris singulis annis celebrari praecipitur.

§ 2. Hac igitur nostra perpetuo valitura constitutione praecipimus ut eorumdem sanctorum Ianuarii et sociorum eius dies festus XIII kalendas octobris in totius orbis terrarum ecclesiis simplici officio de communi plurimorum martyrum celebretur; ac decernimus ut in novo, etiam quo nunc utimur, sicut antea in veteri, kalendario, ad eum diem sanctorum eorumdem nomina et simplicis nota adscribantur.

Iussio publicandi hanc bullam.

§ 3. Mandantes omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ceterisque ecclesiarum praelatis in universo orbe constitutis, ut in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus et dioecesibus praesentes nostras solemniter publicari faciant, ab omnibusque ecclesiasticis personis, saecularibus et quorumvis Ordinum regu-

laribus, omnino observari, licet adnotatio huius celebritatis in postremis breviarii et missalis reformationibus fuerit praetermissa.

Fides exemplorum.

§ 4. Volumus autem ut praesentium exemplis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, kalendis februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 febr. 1586, pontif. anno I.

XXXIII.

Renovatio pontificalium cappellarum in basilicis certisque almae Urbis ecclesiis, dominicis Quadragesimae et Adventus aliisque statis solemnibus diebus celebrandarum.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Stationum consuetudo antiquissima est.

Egregia populi Romani pietas, magnis sanctorum patrum laudibus celebrata, posteaquam terrarum princeps civitas, beatissimis apostolis Evangelii lucem annunciantibus, suave Christi iugum accepit, et, per beati Petri Sedem vere caput orbis terrae effecta, latius coepit praesidere potestate divina quam dominatione terrena, praeclara adhuc, singulari Dei benignitate, religiosae antiquitatis monimenta conservat, inter quae vetus admodum est, ab apostolicis usque ducta temporibus, sacrarum stationum consuetudo, in quibus fidelium multitudo ad apostolorum sepulchra et fortissimorum martyrum memorias conveniens, hymnis et canticis spiritualibus Deum in sanctis suis mirabilem laudabat, et salutaribus immaculatae Hostiae sacrificiis placabat, et adversus multiplices antiqui hostis oppugnationes, tamquam in castris Dei, statione tutissima consistebat.

Roma hanc stationum consuetudinem retinet et observat, antiquas basilicas et ecclesias devote certis temporibus visitans.

§ 1. Quam memoriam a maioribus acceptam, nunc etiam Roma, antiquissimis Urbis basilicis et martyrum ecclesiis visitandis, statis dominicis aliisque solemnibus diebus, in primis vero sacro Adventus Domini et Quadragesimae tempore, magna populi frequentia, anniversaria celebritate devote observat. Nos autem, quibus, pro nostra pastorali sollicitudine, nihil optabilius est quam animas Christo lucrari, tam pium ac salutare institutum non solum retinere cupimus, sed etiam ornare ac omni religionis officio propagare summopere studemus, his praesertim luctuosis christianae reipublicae temporibus, quae, ad placandam Dei iram, ad detestabiles haereses extirpandas, ad pacem et tranquillitatem Ecclesiae obtinendam, ad vitia et peccata hominum corrigenda, crebriora poenitentiae et pietatis opera ac multiplicatas sanctorum cum Christo regnantium preces et intercessiones maxime requirunt, sed potissimum sanctorum omnium reginae, Dei nostri Genitricis semperque Virginis Mariae, christiani populi advocatae, coeleste patrocinium desiderant.

Septem praesertim basilicas in Urbe admodum celeberrimas,

§ 2. Et vero cum multis antiquis et religiosissimis ecclesiis, quas maiorum pietas magnifice extruxit, haec alma Urbs ornatissima sit, tum illae potissimum, intra atque extra moenia positae, septem basilicae, quas veteri instituto fideles pia ac salutari peregrinatione obire solent, magnam, iure optimo, non solum apud cives, sed apud externos populos venerationem habent; sunt enim antiquitate, religione, sanctorum martyrum venerandis reliquiis, sacris indulgentiis et denique mystica septenarii numeri ratione celeberrimae; nam quemadmodum Ioannes apostolus admirabilem illam Apocalypsim septem Asiae ecclesiis scribens universam Ecclesiam adumbravit, quam Deus coelestibus Spiritus Sancti donis perficit, et in

qua una habitat et requiescit, ita Romae septem ecclesiae magno eiusdem numeri mysterio sunt institutae, ut totius Ecclesiae unio et perfectio in ipso capite, unde omnium ecclesiarum unitas dimanat, illustrius appareret.

In quibus antiqui Pontifices divina celebrare solebant.

§ 3. Quod cum ita sit, sane non possumus non dolere numquam fere nostris quidem temporibus, apud eas, una Vaticana excepta, pontificales cappellas celebrari, cum tamen primariae illae Urbis basilicae, toto terrarum orbe illustres, a Summo Romano Pontifice et sacro cardinalium collegio ita interdum adiri debere, ut ibi quoque divina missarum officia solemniter fiant, et ipsarum ecclesiarum maiestas, in quibus divinae gratiae redundant, et pontificalis officii ratio et maiorum nostrorum exempla id a nobis omnino requirere videantur. Notum est enim ex ecclesiasticae antiquitatis monimentis, veteres illos sanctissimos Pontifices praedecessores nostros in his basilicis frequenter admodum divina officia cum clero et populo obivisse, quod duorum praesertim beatissimorum Pontificum, quos ob sanctitatem et rerum gestarum gloriam merito magnos appellamus, Leonis et Gregorii sermones complures, divina quadam spiritus eloquentia pleni, inter ipsa missarum solemnia ad populum habiti, aperte declarant.

Hic itaque Pontifex, ad ipsarum basilicarum venerationem et populi devotionem augendam, in eisdem basilicis solemnes missarum cappellas pontificales in futurum celebrari decernit, uno ex cardinalibus missam cantante;

§ 4. Quare cum septem sint (Paschali connumerata) Quadragesimae dominicae; et rursum quatuor illae Adventus, cum Natali, Circumcisione et Epiphania Domini, septenarium item numerum conficiant, in quibus omnibus celebritatibus cappellae, in Apostolico Palatio aut in basilica Vaticana de more fieri solent, decrevimus, de consilio venerabilium fratrum nostrorum, verbo cum eis ea de re in consistorio nostro secreto mature facto, ad Dei et sanctorum gloriam et ecclesiarum ipsarum venerationem, ac fidelis populi devotionem augendam, senectuti nostrae nequaquam parcentes, sed pastoralis officii munus exequentes, tametsi gravissimis pro universae Ecclesiae cura occupationibus distineamur, in eisdem basilicis solemnes missarum cappellas facere, uno ex S. R. E. cardinalibus missam celebrante: idque, quotiescumque in eisdem basilicis cappella pontificalis fiet, ritu perpetuo observabitur. Sermo item tempori accommodatus, ad divinas sanctorumque laudes praedicandas et audientium pietatem inflammandam, de more semper habebitur, ut, duplicato septenario numero, sacrosancta sacrificia et septem capitalium peccatorum veniam et septiformem Sancti Spiritus gratiam christiano populo a Deo impetrent.

Et ideo ad dictas basilicas vias aperuit;

§ 5. Ad quas quidem venerandas basilicas ut commodius et decentius adiri possit, atque ut in eis frequentius celebrandis populi religio augeatur, iam vias latas et directas patefecimus.

Et modo, in locum ecclesiae S. Sebastiani ad huiusmodi celebrationes incommodae, ecclesiam S. Mariae de Populo subrogat;

§ 6. Ceterum, cum ecclesia S. Sebastiani martyris, vetustissima illa quidem et religiosissima, cum, propter loci distantiam tum etiam angustiam aliaque incommoda, minus idonea sit ad pontificalium missarum celebrationem, decrevimus in eius locum ecclesiam S. Mariae, quae de Populo dicitur, substituere, non solum amplitudine et loci commoditate opportunam, sed magna etiam religione venerabilem. Saepe enim et pluribus locis ad sanctissimam illam gratiarum Matrem et misericordiae parentem recurrendum est, ut ibi potissimum ubi populi nomine insignita, et ubi multa illius clementiae extant monimenta, precibus nostris invocata, pro populo oret, pro clero interveniat, et pro devoto foemineo sexu intercedat. Nec vero ecclesiae S. Sebastiani sua privilegia et indulgentias adimimus, quae etiam in altera septem ecclesiarum visitatione, quas pia multorum fidelium devotio lustrare

solet, suo loco atque ordine permanebit. Sed ecclesiae S. Mariae de Populo easdem indulgentias concedimus, quemadmodum nec ulla stationum translatione aut mutatione, in Quadragesima sive in Adventu ceterisque diebus, quicquam detrahimus, sed gratias gratiis cumulamus, ut apud plures ecclesias, maiore pietatis zelo, Deo et sanctis eius honor et cultus tribuatur. Ipsas vero pontificales cappellas hoc ordine distribui volumus.

Cappellarumque in dictis ecclesiis celebrandarum ordinem subnectit;

§ 7. In Quadragesima, dominica prima, ad S. Mariam de Populo; secunda, ad S. Paulum; tertia, ad S. Laurentium extra muros; quarta, ad S. Crucem in Hierusalem; quinta, ad S. Mariam Maiorem; sexta, in Palmis, ad S. Petrum; dominica Paschae, ad S. Ioannem in Laterano, ubi populo solemniter benedicemus. In Adventu vero, dominica prima, ad S. Laurentium; secunda, ad S. Ioannem; tertia, ad S. Crucem in Hierusalem; quarta, ad S. Paulum; in Natali Domini, ad S. Mariam Maiorem, ad Præsepe Domini, more antiquissimo; in Circumcisione Domini, ad S. Mariam de Populo; in Epiphania, ad S. Petrum.

Aliasque cappellas aliis festivitatib. sanctorum, quorum nomine ipsae basilicae dicatae Deo sunt, celebrari iubet;

§ 8. Praeterea, cum festi anniversarii dies advenerint sanctorum illorum quorum nomine basilicae ipsae Deo dicatae sunt, apud eas pariter pontificias cappellas faciemus; nimirum in Assumptione Beatissimae Virginis, ad S. Mariam Maiorem, de more; in eius Nativitate, ad S. Mariam de Populo; in Inventione S. Crucis, ad S. Crucem in Hierusalem; in Natali S. Petri, in basilica eius Vaticana; in Conversione S. Pauli, in eius basilica; in Natali S. Ioannis Baptistae, in basilica Lateranensi; in die festo S. Laurentii martyris, in eius basilica extra moenia. Missam item Annunciationis Beatissimae semper Virginis Mariae eiusque pontificalem cappellam faciemus apud ecclesiam S. Mariae supra Minervam, dotesque de more pro maritandis puellis distribuemus; in tribus vero celebritatibus, hoc est in die Ascensionis Domini, quo etiam die Romanus Pontifex populo solemniter benedicit, item Pentecostes et Omnium Sanctorum, pontificales cappellae fient in basilica S. Petri; in die vero festo sacratissimi Corporis Christi, post missam solemnem, quae de more in cappella Palatina habebitur, erit pontificalis processio, et sacrosanctae Eucharistiae repositio in eadem basilica Vaticana; ceteris festis solemnibusque diebus missae in cappella Palatii Apostolici de more celebrabuntur.

Aliam quoque cappellam, in prima die Quadragesimae in eccl. S. Sabinae card. maiore poenitentiario missam cantante, celebrari, cineresque per ipsum Pontificem benedici et spargi decernit;

§ 9. Ut igitur hunc sacrum solemnemque ritum pontificales cappellas apud nobilissimas basilicas celebrandi, sanctissimorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes, et venerandae vetustatis memoriam renovantes, felicius ac religiosius inchoemus, quarta proxima feria in capite ieiunii, ecclesiam S. Sabinae martyris non modo de more superiorum Pontificum adibimus, sed cardinali maiore poenitentiario, ut mos est, missae sacrum faciente, una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in eadem ecclesia consistemus, sacrosque cineres, a nobis solemni more benedictos, supra capita ad poenitentiae testificationem spargemus, ac deinde sequentibus dominicis diebus, ad basilicas et ecclesias supra notatas missarumque celebrationem, cum sacro cardinalium collegio et aliorum praelatorum praesentia, conveniemus; idemque suo tempore in Adventu ceterisque festis diebus, Deo auctore, praestabimus. Quem ritum statum atque solemnem, et nos quamdiu, disponente Domino, vixerimus, perpetuo annis singulis observare statuimus, et a successoribus nostris observari optamus, ac sane, etiam pro eorum pietate et rei condecentia, speramus.

Hortatur etiam christifideles ut in tempore Quadragesimae, in ieiunio et lacrymis convertantur ad Dominum;

§ 10. Quod igitur ab omnibus christifidelibus acceptabili Quadragesimae tempore, quod iam advenit, ubique terrarum faciendum est, ut in toto corde suo, in ieiunio et lacrymis convertantur ad Dominum, id quidem Romae, ubi religionis est domicilium, ubi sacrarum indulgentiarum thesauri uberius dispensantur, ubi innumerabilium martyrum, quorum sacra corpora apud nos magno Dei munere requiescunt, peculiari patrocinio sublevamur, multo certe impensius et devotius faciendum est; atque, ut re ipsa fiat, pro nostra erga hanc almam Urbem paterna et praecipua caritate, omnes in Domino etiam atque etiam hortamur, zelo incensi domus Dei quam decet sanctitudo, Satanae astutias non ignorantes.

Stationalesque ecclesias vere poenitentes et caste pieque visitent.

§ 11. Illud quoque vehementius admonemus ut omnes et singuli stationales ecclesias, cum omni timore et tremore, ut vere poenitentes, caste et pie adeant, nemini dantes ullam offensionem, ne illis in locis iisque diebus, quibus aliorum temporum culpae piis operibus et castis ieiuniis redimendae sunt, inter ipsa martyrum sepulchra Deus ad iracundiam magis provocetur, sed contra potius huius civitatis poenitentia, eleemosynis, orationibus sanctorumque intercessionibus placatus Pater misericordiarum Deus, nobis et cunctis populis curae nostrae commendatis (omnes enim unum sunt in Christo) propitius et placabilis efficiatur, et quorum fides apostolico ore laudata est et in universo mundo annunciatur, eorum etiam modestia et disciplina ad pietatis et sanctitatis exemplum omnibus nationibus proponatur.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXXXVI, idibus februarii, pontif. nostri anno I.

† Ego SIXTUS catholicae Eccl. episcopus.

Sequuntur cardinalium subscriptiones.

Dat. die 13 feb. 1586, pontif. anno I.

XXXIV.

Lauretani oppidi provinciae Picenae in civitatem sublimatio, eiusque collegiatae ecclesiae in cathedralem et episcopalem erectio.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pro excellenti praeeminentia Sedis Apostolicae, in qua, post beatum Petrum apostolorum principem, quamvis imparibus meritis, pari tamen auctoritate constituti sumus, in irriguo militantis ecclesiae agro, novas episcopales sedes ecclesiasque plantare dignum arbitramur, ut per huiusmodi novam plantationem popularis augeatur devotio, divinus cultus effloreat, et animarum salus subsequatur, ac humilia loca dignioribus titulis et condignis favoribus illustrentur, necnon propagatione novae sedis honoratique praesulis assistentia et regimine, cum apostolicae potestatis plenitudine et orthodoxae fidei profectu et exaltatione, populi ipsi propositum eis aeternae felicitatis praemium facilius valeant adipisci.

Summi Pontificis auctoritas ecclesias instituendi, et causae huius institutionis

Lauretanae ecclesiae laudes.

§ 1. Considerantes itaque oppidum Lauretanum, in provincia Piceni situm, nullius dioecesis, Sedi Apostolicae immediate subiectum, in toto orbe celeberrimum, et in eo unam insignem collegiatam ecclesiam sub invocatione B. Mariae Virginis Dei Matris fundatam excellere, in cuius medio inest illud sacrum cubiculum divinis mysteriis consecratum, in quo dicta Virgo Maria nata fuit, et ibidem ipsa, ab angelo salutata, Salvatorem Mundi de Spiritu Sancto concepit, ministerio angelorum illuc translatum; et ad dictam ecclesiam, ob miracula, quae in dies omnipotens Dominus, intercessione et meritis eiusdem B. Mariae Virginis, in eodem cubiculo operari dignatur, christifideles ex omnibus mundi regionibus, devotionis et peregrinationis causa, confluere.

Lauretani oppidi in civitatem sublimatio eiusque ecclesiae in cathedralem.

§ 2. Et propterea cupientes oppidum et ecclesiam huiusmodi dignioribus titulis et nominibus decorare, habita super hoc cum fratribus nostris deliberatione matura, de eorum consilio et assensu ac apostolicae potestatis plenitudine, ad eiusdem omnipotentis Dei laudem et gloriam et ipsius B. Mariae Virginis honorem necnon christifidelium devotionis augmentum, oppidum in civitatem Lauretanam nuncupandam, ecclesiam vero in cathedralem, sub eadem invocatione, pro uno episcopo Lauretano nuncupando, qui iurisdictionem episcopalem habeat et exerceat in spiritualibus, cum mensa episcopali, arca, sigillo aliisque insignibus et honoribus et privilegiis, quibus alii episcopi de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet in eisdem spiritualibus utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere quomodolibet possunt, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus; illasque sic erectas necnon episcopum Lauretanum pro tempore existentem ac ipsius ecclesiae capitulum dictae Sedi immediate, etiam perpetuo, subiicimus, et sub protectione beatorum Petri et Pauli apostolorum suscipimus. Necnon, cum nuperrime unionem olim de ecclesia Recanatensi et ecclesia Maceratensi, eadem auctoritate perpetuo factam, de consilio et potestatis plenitudine similibus, dissolverimus, et venerabilem fratrem nostrum Galeatium, episcopum Maceratensem, a vinculo quo dictae ecclesiae Recanatensi, cui tunc ratione unionis huiusmodi præerat, tenebatur, absolverimus, ac in dicta Ecclesia Recanatensi nomen et titulum cathedralis, necnon sedem, dignitatem et mensam episcopales suppresserimus, ipsamque ecclesiam Recanatensem in collegiatam reduxerimus, civitatem tamen Recanatensem titulum et denominationem civitatis propterea non amisisse, ita ut illius habitatores cives denominari et privilegiis civium uti possent decernendo; Castrum Ficardi ab Anconitana, et S. Mariae de Casciano ab Auximana, et Montis Luponi oppida a Firmana dioecesibus, quibus in spiritualibus subiecta sunt, auctoritate et tenore praemissis, similiter perpetuo dismembramus et dividimus et separamus, illaque sic dismembrata et separata, ac eorum incolas et habitatores, ab omni iurisdictione et potestate et subiectione Anconitani, Auximani ac Firmani episcoporum pro tempore existentium, necnon solutione decimarum eisdem episcopis per eos debitarum, ex tunc de cetero facienda, itidem perpetuo eximimus et liberamus.

Dioecesis designatio.

§ 3. Necnon ipsa ac civitatem Recanatensem praedictam illiusque et Castri Ficardi ac oppidorum praedictorum territoria, pro dioecesi dicti episcopi Lauretani; illorum vero necnon civitatis Lauretanae ecclesiasticas personas pro clero et habitatores pro populo, auctoritate et tenore praemissis, similiter perpetuo concedimus et assignamus.

Dotis duorum millium scutorum pro Lauretano episcopo assignatio.

§ 4. Ac pro episcopi Lauretani pro tempore existentis dote, quam summam duorum millium scutorum dictae provinciae constituere debere declaramus, omnia et singula fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta, in quibusvis rebus et actionibus, et ubique locorum consistentia et provenientia, et ad quamvis summam ascendentia, dictae mensae episcopalis Recanatensis sic suppressae et extinctae, et quae ad illam quomodolibet spectant et pertinent, ac ante illius suppressionem et extinctionem huiusmodi quovis iure spectabant et pertinebant, spectareque et pertinere poterant, necnon Castri Ficardi et oppidorum territoriorum huiusmodi decimas episcopis Anconitano, Auximano, et Firmano solvi solitas; residuum vero dictorum duorum millium

scutorum pro dote dictae ecclesiae Lauretanae constitutorum huiusmodi, ex tot praediis et possessionibus dictae domus Lauretanae, per dilectum filium nostrum Philippum Sancti Angeli in Foro Piscium diaconum cardinalem Vastavillanum nuncupatum, dictae domus protectorem, eius arbitrio declarandis et assignandis, etiam perpetuo concedimus et assignamus.

Dignitatum eiusdem ecclesiae distinctio.

§ 5. Necnon in dicta ecclesia Lauretana, in qua unus archipresbyteratus, qui ante erectionem huiusmodi inibi principalis existebat, pro uno archipresbytero, ac una praepositura pro uno praeposito, ac unus decanatus, dignitates, pro uno decano, necnon duodecim canonicatus et totidem praebendae pro duodecim canonicis ac etiam duodecim beneficiatis, et totidem clericatus nuncupata perpetua simplicia beneficia pro totidem personis eidem Ecclesiae Lauretanae deservientibus, erecta et fundata existunt, unum archidiaconatum, qui inibi dignitas maior post pontificalem existat, pro uno archidiacono, qui in choro et capitulo ipsius ecclesiae Lauretanae ac processionibus aliisque actibus capitularibus primum locum ac primam vocem ante obtinentes alias dignitates praedictas habeat, auctoritate et tenore praemissis, etiam perpetuo, erigimus et instituimus. Ac praepositurae in primiceriatum pro uno primicerio, decanatus vero dignitatum huiusmodi denominationes in thesaurariam pro uno thesaurario commutamus; necnon archipresbyteratum secundam, pro uno archipresbytero, qui secundum; et primiceriatum tertiam, pro uno primicerio, qui tertium; ac thesaurariam quartam inibi dignitates, pro uno thesaurario, qui quartum locum in choro, capitulo, processionibus et actibus praedictis ante canonicos praedictos habeant; necnon canonicatus et praebendas ceteraque beneficia praedicta, alias iuxta collationes et provisiones de illis eorum possessoribus factas, pro capitulo eiusdem ecclesiae Lauretanae remanere declaramus.

Iuspatronatus ad praesentandum archipresbyterum reservatio favore huius Pontificis familiae Perettis.

§ 6. Ac insuper motu proprio, non ad alicuius desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, familiae nostrae de Perettis de Monte Alto iuspatronatus et praesentandi personam idoneam ad archipresbyteratum praedictum, quoties illum per obitum aut resignationem vel alias quovis modo, etiam apud Sedem praedictam, vacare contigerit, episcopo Lauretano pro tempore existenti per eum ad praesentationem huiusmodi instituendam, auctoritate et tenore praedictis, pariter perpetuo reservamus, concedimus et assignamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Lauretanæ, Recanatensis, Maceratensis, Auximanæ, Anconitanae et Firmanae ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis earumque præsulibus, capitulis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu simili et consistorialiter ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis haben-

tes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, ceterisque quibuscumque, motu simili, derogamus.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, XVI kalendas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 martii 1586, pontif. anno I.

XXXV.

Approbatio congregationis clericorum regularium Ministrantium infirmis in hospitalibus et extra degentibus, Romae nuper institutae, cum habitus assignatione.

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Institutio societatis Ministrantium infirmis.

Ex omnibus christianae caritatis officiis, quibus aeterna salus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori nostro Iesu Christo vel maxime placere credimus, per quae pauperes Christi infirmi et in hospitalibus existentes, in necessitatibus suis spiritualibus et corporalibus adiuvantur. Quod genus officii dilectus filius Camillus de Laeliis, presbyter Theatinae dioecesis, et alii eius socii, quam Deo gratum et saluti animarum necessarium esse intelligentes, hisce diebus erga pauperes Christi, in hospitalibus Urbis nostrae existentes, non minori affectu quam mater erga quem unice educavit filium, demonstrarunt, quotidie hos modo, cum omni qua decet mansuetudine et caritate, ad patientiam, alios ad sacramentorum ecclesiasticorum susceptionem commonendo, alios in articulo mortis constitutos consolando, et denique ad bene moriendum die noctuque hortando, demonstrare non cessant. Idemque praestare intendunt, tempore etiam, quod absit, pestilentiae.

Petitio confirmationis a Papa.

§ 1. Hi itaque Camillus et socii insimul et in communi, sub paupertate, castitate et obedientia, ita tamen ut voto adstricti non sint, vivere et Altissimo ac eius pauperibus famulari proponentes, unam inter se societatem seu congregationem, sub vocabulo seu nomine Ministrantium infirmis, cuius principale institutum est speciali quodam caritatis fervore infirmis praedictis inservire, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito inierunt; sperantes ex hoc multis incommodis et periculis, in quae saepenumero dicti infirmi ob defectum talium ministrorum inciderunt, obviam iri, ac salutem animae et corporis multaque christifidelibus commoda parari.

Confirmatio dictae institutionis.

§ 2. Nos, eorum supplicationibus inclinati, ac de huiusmodi pio proposito et vivendi modo, quo ipsi intendunt uti, plene, etiam ex relatione dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. cardinalium, super consultatione et causis episcoporum ac regularium ac visitatione apostolica deputatorum, informati, ex certa nostra scientia, congregationem sub vocabulo seu nomine Societatis Ministrantium infirmis, per unum maiorem ministrum seu superiorem (qui presbyter esse, ac per eamdem congregationem de triennio in triennium per maiorem partem suffragiorum eligi debeat) regendam et gubernandam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, siqui intervenerint in eisdem.

Licentia eleemosynas colligendi in Urbe ministrandique infirmis atque audiendi eorum confessiones etc.

§ 3. Et quia dicta congregatio proprietate rerum temporalium carere instituit, nos pariter Camillo et praefatis ac pro tempore existentibus ipsius congregationis sociis et aliis ab eis deputatis et deputandis, quod eleemosynas ubicumque,

praeterquam intra ecclesias, monasteria et pia loca, colligere, ac in dictae congregationis communes usus convertere, vicarii Urbis seu cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita; dictaque pietatis opera erga quoscumque infirmos, in quibuscumque hospitalibus seu aliis dictae Urbis locis, a dictorum hospitalium seu locorum praefectis vel administratoribus vocati, seu de eorum licentia vel consensu, exercere; ipseque superior vel maior minister, qui, ut praefertur, presbyter esse debet, et alii eiusdem congregationis presbyteri, dummodo alias sint idonei et ab Urbis vicario approbati, infirmorum et aegrotantium in dictis hospitalibus et locis existentium confessiones audire (sine praeiudicio eorumdem hospitalium aut locorum vel eorum officialium seu administratorum) libere et licite valeant, tenore praesentium, facultatem concedimus et indulgemus. Ita tamen ut tam superior quam alii dictae congregationis socii, iuxta ipsius congregationis instituta et ordinationes iam factas et pro tempore faciendas (dummodo illa, quamdiu ab Apostolica Sede approbata non fuerint, per ipsius congregationis protectorem revisa et approbata sint), in communi ex dictis piorum eleemosynis vivant.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 martii 1586, pontif. anno I.

Sequitur assignatio habitus.

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Petitio habitus.

Cum nos nuper societatem seu congregationem sub vocabulo seu nomine Ministrantium infirmis, per dilectos filios Camillum de Laeliis presbyterum Theatinae dioecesis et alios eius socios, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, initam, apostolica auctoritate approbaverimus et confirmaverimus, prout in nostris die XVIII martii proxime praeteriti desuper in forma brevis confectis litteris plenius continetur. Ipsique Camillus et socii, pro feliciori dictae societatis seu congregationis directione, pie desiderent, sicuti eorum institutum ab aliis distinctum est, ita eorum habitum ab aliis distingui.

Habitus concessio.

§ 1. Nos, tenores dictarum litterarum praesentibus pro expressis habentes, de consilio dilectorum fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super statu regularium dicta auctoritate deputatorum, Camillo et aliis praedictis ac pro tempore existentibus superiori et personis dictae congregationis, crucem ex crassiori panno fulvi coloris (qui vulgo *tanè* appellatur) super eorum vestibus a latere dextero perpetuo deferendi licentiam et facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 26 iunii 1586, pontif. anno II.

XXXVI.

Confirmatio constitutionis Pii V de non infeudandis et alienandis castris et locis S. R. E. [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quanta Apostolicae Sedis dignitati detri-

1 Hanc const. Pii V habes in tom. VII, pag. 560, *Admonet*, ubi eius extensiones et decla-

Causa huius confirmationis bullae Pii V.

menta et eius subditis incommoda ex civitatum, terrarum et locorum Status Ecclesiastici distractione obvenerint, assidua mentis nostrae cogitatione revolventes, pastoralis sollicitudinis nobis divinitus commissae zelo urgemur, illorum conservationi solertioris diligentiae studio incumbere, et quae propterea a praedecessoribus nostris maturo consilio ac optima ratione sunt sancita, approbationis nostrae robore communire. Alias siquidem a felicis recordationis Pio Papa V, praedecessore nostro, emanarunt litterae tenoris subsequentis: Pius Episcopus, *etc.* [1].

Confirmatio eiusdem bullae edita a Gregorio XIII.

§ 1. Et deinde piae memoriae Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, litteras praedictas apostolica auctoritate approbavit et confirmavit, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris desuper confectis plenius continetur.

Confirmatio dicta constitutione Pii V nunc editur ab hoc Pontifice.

§ 2. Quocirca, ne litterae Pii praedecessoris huiusmodi labentis temporis cursu valeant labefactari, sed eo validius subsistant, quo multiplici firmitatis vinculo saepius fuerint stabilitae, vestigiis ipsorum praedecessorum inhaerendo, easdem litteras Pii V, praedecessoris, et in eis contenta quaecumque, ex certa scientia nostra, auctoritate praedicta, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac etiam innovamus, easque inviolabilis firmitatis robur obtinere ac perpetuo observari debere volumus et mandamus.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, xv kalendas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 martii 1586, pontif. anno I.

rationes tibi indicavi. Et hic Pontifex, die XVI ianuarii MDLXXXIX, ex decreto in consistorio habito (quod hic ponere non curavi), declaravit sub dicta bulla Pii V comprehendi etiam gubernia locorum Sedis Apost. ultra triennium, affirmans idem statuisse Gregorium XIII.

1 Omittitur tenor huius const., quia habetur in tom. VII, loc. cit.

XXXVII.

Confirmatio statutorum et stabilimentorum hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Salubri regularium personarum quarumlibet directioni sollicitis studiis intendentes, iis, quae ad id tendere dignoscuntur, nostrae approbationis robur libenter adiicimus, aliasque desuper disponimus, prout in Domino conspicimus saluhriter expedire.

Paulus III constitution. et stabilimenta huius militiae confirmavit.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Ugonis de Loubens Verdalle, magni magistri, et capituli generalis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani nobis nuper exhibita petitio continebat quod, licet alias felicis recordationis Paulus Papa III, praedecessor noster, stabilimenta, concordias, statuta, consuetudines, usus et naturas dicti hospitalis, in unum volumen redacta et per nonnullos tunc S. R. E. cardinales examinata, per suas litteras approbaverit et confirmaverit, ac dictarum litterarum suarum patrocinio communierit, supplens omnes et singulos defectus, si qui intervenerant in eisdem, eaque voluerit et mandaverit imposterum inviolabiliter observari, decernens tunc et pro tempore existentes magistrum et fratres dicti hospitalis seu eius Religionis ad eorum dumtaxat ex institutis regularibus, stabilimentis, statutis, consuetudinibus, usibus et naturis, quae hactenus viguerant in ipso hospitali, observationem teneri et obligari, quae in ea nova eorum moderatione et ordi-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

natione continebantur, et non aliorum, quæ utpote inutilia et superflua aut alias inobservabilia demta fuerant, etsi, in eorum in fratres receptione, ad illorum observationem, promissione, iuramento et voto se astrinxissent, prout in eisdem litteris, in quibus tenor de novo ordinatorum statutorum et stabilimentorum, concordiarum, usuum et consuetudinum de verbo ad verbum insertus fuit, plenius continetur.

Nonnullis obscurioribus ablatis, novum statutorum confectum volumen

§ 2. Nihilominus ipsi Ugo magister et conventus, considerantes quod in eisdem statutis, stabilimentis et consuetudinibus plura erant, quae cum tunc temporis moribus non satis conveniebant, aut confuse et obscure posita reperiebantur, et propterea litibus viam dabant, alia vero inter se dissidebant et contrarium sensum praeseferre videbantur, ac complura ad rem nihil omnino faciebant, opera nonnullorum ipsius hospitalis fratrum illius negociorum peritissimorum ad id specialiter deputatorum effecerunt ut, sublatis, quantum fieri potuit, difficultatibus et omni ambiguo intellectu, dilucidatis obscuris, et iis quae dissidere videbantur in unum sensum adductis, et quibusdam non necessariis resecatis, ac additis permultis aliis stabilimentis ad divini cultus augmentum et ipsius hospitalis utilitatem ac salubrem illius personarum directionem tendentibus, quæ postmodum per quemdam Ioannem de Valletta, tunc in humanis agentem et ipsius hospitalis magistrum, et dictum Ugonem ac alios ipsius hospitalis magistros successive edita fuerunt, et ab omnibus desiderabantur et efflagitabantur, statuta, stabilimenta et consuetudines huiusmodi in unum novum volumen sub nomine ipsius Ugonis magistri redigerentur et compilarentur.

§ 3. Quare Ioannes Baptista Rondinellus, dicti hospitalis frater, et praedicti magistri et conventus hospitalis S. Ioannis apud nos orator, pro parte Ugonis magistri et capituli praedictorum, nobis humiliter supplicavit ut statutis, stabilimentis et consuetudinibus in unum novum volumen, ut praefertur, redactis et compilatis, pro eorum subsistentia firmiori, robur nostrae approbationis adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Per oratorem magni magistri Sixto Pontifici oblatum.

Huiusmodi statuta confirmat Pontifex.

§ 4. Nos igitur, ad praeclara Religionis huiusmodi merita debitum respectum habentes, et considerantes illius fratres fidei catholicae indefessos propugnatores, cultores et defensores existere, huiusmodi supplicationibus inclinati, stabilimenta, statuta et consuetudines in unum novum volumen, sub nomine ipsius Ugonis magistri, ut praefertur, redacta et compilata, quae per dilectum filium nostrum Antonium tituli Sanctorum Ioannis et Pauli presbyterum cardinalem Caraffam inspici et examinari fecimus, et de quorum continentia ab eodem Antonio cardinali fidelem habuimus relationem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, eaque omnia perpetuis futuris temporibus valida et efficacia fore, suosque plenarios effectus sortiri, et ea solum, et non alia antiqua, ab omnibus inviolabiliter observari debere decernimus.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 20 martii 1586, pontif. anno I.

XXXVIII.

Annuorum redditunm concessio archiconfraternitati B. Mariae Virginis Confalonis de Urbe nuncupatae, cum facultate ubique eleemosynas colligendi, ad christianorum redemptionem ab infidelium captivitate [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Cum benigna mater Ecclesia filios suos, qui, in teterrima infidelium captivitate constituti, non solum corporum, sed etiam animarum discrimen patiuntur, adeo intimis misericordiae suae visceribus complectatur, ut, pro illis in libertatem reducendis, facultates suas libenter exponat, sacrisque rebus et pretiosis vasis materna liberalitate non parcat. Nos, qui ipsius Ecclesiae administrationem curae nostrae divina dispositione commissam gerimus, magnopere adstrictos esse cognoscimus ut eorumdem captivorum, qui in baptismatis fonte Christum induerunt, templumque Dei facti sunt, miserandis calamitatibus et tormentis, quibus in odium christiani nominis saevissime excruciantur, condolentes, illorum libertatem dilectione ac religione ipsa procuremus, et quae propterea pie facta fuisse comperimus, ut firmiora perdurent, confirmanda et innovanda fore censeamus; ac ne tam pium opus, quod ceteris corporalibus misericordiae operibus antecellit, et in quo uno fere omnia quasi per compendium simul exercentur, necessariis subsidiis deseratur, operarias manus interponendas, Christique fidelibus agros uberes, in quibus caritatis semina mittant, messem in regno coelorum amplissimam expectaturi, toto cordis affectu offerendos esse iudicavimus, illos spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus invitantes, ut ad tantae et tam salutaris operationis exercitium vehementius excitentur, promptioresque reddantur, et piis eorum eleemosynis redempti, gratiarum Deo referant actiones.

Gregorius XIII redimendorum captivorum Status Ecclesiastici opus in Urbe instituit, et archiconfraternitati Confalonis commisit, ut in eius bulla cit. in nota ad rub.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, qui miserorum captivorum, et praesertim eorum qui suae et Sedis Apostolicae temporali ditioni subiecti erant, oppressionibus, ne, languescente carnis infirmitate, ac verbi Dei praedicatione et sacramentorum solatio destituti, desperationi succumbentes, ad susceptae in Baptismo fidei desertionem (uti non raro, proh dolor, solet contingere) inducerentur, succurere volens, redimendorum captivorum opus iamdiu in alia orbis loca diffusum, etiam in alma Urbe salubriter instituit, illiusque onus universum, quod magnum esse intelligebat, curae et sollicitudini venerabilis archiconfraternitatis Confalonis gloriosissimae Virginis Mariae, antiquitate et nobilium virorum copia admodum insignis, motu proprio imposuit, ad hoc ut ipsa archiconfraternitas illiusque custodes et confratres pro tempore existentes, quoscumque christifideles dictae Urbis ac provinciarum, civitatum, terrarum et locorum dictae ditioni mediate et immediate subiectorum, in dira infidelium servitute detentos, redimerent, eleemosynasque et oblata quaecumque in omni loco eidem ditioni, ut praefertur, subiecto quaererent et acciperent, prout in eiusdem praedecessoris litteris desuper confectis plenius continetur.

Quae sedulo tam pio operi studere coepit.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, dilecti filii magister Hieronymus Avila, iuris utriusque doctor, litterarum apostoli-

1 Hoc piissimum redemptionis opus huic archiconfraternitati delegavit Greg. XIII, ut in sua const. CXXX, *Christianae*, supra pag. 373. Et alia, quae eamdem concernunt archiconfraternitatem attende in eiusdem Gregorii const. LVII, *Pastoris*, ibid., pag. 145.

carum corrector et abbreviator, ac in utraque Signatura nostra referendarius, et praelatus noster domesticus, Paulus Matthaeius, Carolus de Maximis, et Ulysses Lancerinius, patritii Romani, moderni ipsius archiconfraternitatis custodes, et alii confratres, maximo pietatis zelo ducti, in huiusmodi tam pio opere se pro viribus exercere intendentes, ac eorumdem captivorum nedum liberationem, sed etiam spiritualem consolationem et animarum salutem quaerentes, redemptores, inter quos duos Ordinis fratrum Minorum Cappuccinorum nuncupatorum professores, qui non solum captivos redimerent, sed illos spiritualiter, eorum confessiones audiendo et sacramenta ecclesiastica illis ministrando, iuvare, afflictis solatium præbere, debiles in fide consolidare, dubios et vacillantes confirmare, et eos qui doctrina indigerent erudire, ac denique, ubi maius periculum immineret, ibi sese diligentiores Christi ministros exhibere possent et deberent, Algeriam, de ipsius praedecessoris licentia, miserunt. Illi autem profecti, ac de eorumdem captivorum libertate et animarum salute solliciti, verbo et exemplo eos illuminantes, multa, ad proximorum utilitatem et aedificationem ac fidei catholicae exaltationem, Domino cooperante, in medio nationis pravæ et perversae fecerunt; qui demum, pestis contagione affecti, cum maximo captivorum gemitu et dolore ac lacrymis, obdormiverunt in pace.

Hic Pontifex dictam institutionem redemptionis captivorum confirmat;

§ 3. Nos igitur Illius, qui sui pretiosissimi Sanguinis effusione genus humanum de manibus adversarii quaerentis quem devoret, eripere dignatus est, exemplo docti, ac de statu filiorum, more pii patris, cogitantes; cupientesque ut huiusmodi redemptionis opus, etiam in Urbe et toto Statu Ecclesiastico huiusmodi sic feliciter incoeptum, ab eisdem custodibus et confratribus in Domino promoveatur, ipsique custodes et confratres redemptores ac alios religiosos ad easdem infidelium partes proficisci faciant, ne filii Status Ecclesiastici in misera servitute degentes, qui alios concaptivos de tenebris et umbra mortis educi quotidie vident, se solos ibi perpetuae oblivioni traditos et derelictos existiment; custodes et confratres praedictos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; ac litterarum Gregorii praedecessoris huiusmodi tenores, etiam veriores, praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad custodum et confratrum praedictorum seu alicuius eorum aut alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate ac scientia nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, institutionem et erectionem Redemptionis Captivorum huiusmodi per eumdem praedecessorem, ut praefertur, factas, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerunt in eisdem, supplemus. Et nihilominus huiusmodi opus redemptionis captivorum, in dicta Urbe totoque Statu Ecclesiastico, ut praefertur, mediate et immediate subiecto, quod Redemptio Captivorum Sedis Apostolicae et Status Ecclesiastici mediate et immediate subiecti archiconfraternitatis Confalonis nuncupetur, de novo auctoritate et tenore praedictis perpetuo erigimus et instituimus.

§ 4. Illudque sic erectum et institutum solerti curae et sollicitudini eiusdem

Curamque d eius redemptio-

[eis eidem archiconfraternitati iterum concedit;]

archiconfraternitatis, quam singulari dilectione prosequimur, et cuius confratres laudabiles caritatis effectus continuo producere non cessant, committimus et demandamus. Ita quod ipsius archiconfraternitatis nunc et pro tempore existentes custodes et confratres, ac ab eis deputati, quoscumque christifideles eiusdem Status, in infidelium servitute detentos, redimere, et propterea in dicta Urbe ac omni et quocumque alio loco dictae ditioni mediate et immediate subiecto, eleemosynas et oblata quaecumque quaerere et accipere.

[Facultatem deputandi quaestores in Statu Ecclesiastico ad eleemosynas colligendum pro dicta redemptione indulget;]

§ 5. Ac ad id quaestores probos, quot eis videbitur, deputare, qui eleemosynas, oblationes, legata et quaecumque alia subsidia huiusmodi in toto Statu praedicto, ut praefertur, subiecto, pro huiusmodi redemptione et causis ad eam pertinentibus perquirant; pecuniasque inde congerendas penes publicum mercatorem fide et facultatibus idoneum deponant, donec illae in redemptionem captivorum huiusmodi, arbitrio ipsorum custodum et confratrum, erogentur, libere et licite possint et valeant.

[Fratribus Sanctissimae Trinitatis eeeno alios eleemosynas huiusmodi in Statu Ecclesiastico quaerere vel recipere prohibet;]

§ 6. Volentes et ita decernentes quod tam in dicta Urbe quam in quibusvis provinciis, civitatibus, oppidis, castris et locis ipsi ditioni, ut praefertur, subiectis, nulli, etiam Sanctissimae Trinitatis ac Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum seu aliorum quorumvis Ordinum professores, seu quicumque alii, etiam praetextu quorumcumque privilegiorum et indultorum apostolicorum ac quarumvis aliarum concessionum et gratiarum, eisdem seu quibusvis aliis Ordinibus vel personis quomodolibet concessorum et pro tempore concedendorum, tam pro redemptione generali quam particularium personarum, eleemosynas seu etiam sponte oblata aut alias quomodolibet quaerere et accipere ullo modo possint neque debeant; praefati tamen Sanctissimae Trinitatis professores, in Urbe ac toto Statu Ecclesiastico, ut praefertur, subiecto huiusmodi, in illis locis in quibus eorum Ordinis regulares domos habent et pro tempore habebunt, ad eorum victum necessaria tantum, et nulla tamen redemptionis captivorum facta mentione; in aliis vero civitatibus et locis extra dictum Statum, ut praefertur, mediate et immediate subiectum, etiam eleemosynas pro captivis redimendis petere et accipere valeant, privilegiorum suorum vigore, quibus ac aliis iuribus et actionibus, et praesertim ratione monasterii et hospitalis Sancti Thomae in Formis in monte Coelio, ac ecclesiae et domus Sancti Stephani in Trullo de dicta Urbe, eidem Ordini competentibus, quoad hoc nullomodo praeiudicare intendimus, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo statuimus et ordinamus. Districtius inhibentes praedictorum ac quorumvis aliorum Ordinum professoribus et aliis quibusvis personis, etiam quantumvis privilegiatis, ne eleemosynas et oblata sive legata pro redemptione captivorum, in Urbe ac toto Statu Ecclesiastico, ut praefertur, subiecto huiusmodi [1] redemptionis opere quomodolibet se intromittere audeant seu praesumant.

[Redditus expeditionum descriptarum assignat eidem archiconfraternitati.]

§ 7. Insuper, pro maiori ipsius redemptionis subventione, ex omnibus et quibuscumque facultatibus seu licentiis testandi de bonis ecclesiasticis, quibusvis personis per nos et Sedem praedictam quomodolibet concedendis (non tamen S. R. Ecclesiae cardinalibus nec aliis quibus similes facultates gratis et absque alicuius compositionis solutione, de mandato nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis concedentur), ducatum unum auri in auro pro quolibet centenario; si vero huiusmodi facultates fuerint usque ad quamcumque summam,

1 Ita hunc loc. legit. Cherub. *huiusmodi quaerere aut accipere, seu in huiusmodi redemptionis* etc. (R. T.).

solvatur similiter ducatus unus pro quolibet centenario, habita ratione compositionis datario pro tempore existenti persolvendae; ac pro singulis absolutionibus ab homicidii reatu, tam in Dataria nostra seu per breve expediendis, quam toto Statu Ecclesiastico immediate subiecto, a quibusvis legatis, vicelegatis vel gubernatoribus, quibusvis personis quomodolibet concedendis, etiamsi gratis concedantur, ducatos duos similes; necnon pro singulis concessionibus seu licentiis alienandi vel permutandi bona ecclesiastica seu illarum confirmationibus, quibusvis personis quomodolibet concedendis, quorum bonorum annuus redditus valorem quinque ducatorum similium non excedat, ducatum unum; si vero eumdem valorem excesserint, ducatos duos; ulterius, pro singulis plumbis omnium et quarumcumque litterarum apostolicarum sub plumbo, tam per Cancellariam vel Cameram aut viam secretam, quam per minoris gratiae et contradictarum officia quomodolibet, etiam gratis, expediendarum, iulium unum monetae currentis eidem archiconfraternitati, ita ut illius custodes et ab eis deputati pro tempore existentes, taxas ac iulium huiusmodi a quibusvis personis, illas et illum, nunc et pro tempore habentibus, seu solvere debentibus, propria auctoritate exigere, ac de exactis quietare, et in captivorum Sedis et Status prædictorum redemptionem convertere libere et licite valeant, etiam perpetuo, auctoritate et tenore praedictis, gratiose concedimus et elargimur. Necnon taxas et iulium huiusmodi ex nunc eidem archiconfraternitati similiter perpetuo applicamus et appropriamus, ac applicatas et applicatum, necnon appropriatas et appropriatum fore et esse volumus atque decernimus. Districte praecipientes modernis et pro tempore existentibus datario, secretariis, plumbatoribus, ac tam in Dataria quam Secretaria et Plumbo nostris officialibus, expeditoribus, legatis, vicelegatis vel gubernatoribus praedictis, illisque in virtute sanctae obedientiae mandantes ne supplicationes, motus proprios, brevia seu alias patentes litteras super facultatibus testandi, absolutionibus, licentiis alienandi, seu illarum confirmationibus, aut alias quascumque litteras apostolicas huiusmodi expediant seu partibus relaxent, nisi prius integre eidem archiconfraternitati de illis secundum praemissa satisfactum fuerit; alias gratiae ipsae nullius sint roboris; et nihilominus ipsi officiales, expeditores, plumbatores seu ministri taxas et iulium huiusmodi eidem archiconfraternitati, ut praefertur, debitas et debitum, de eorum proprio solvere teneantur et obligati existant.

Bonorum etiam emphyteuticorum dispositiones ad favorem dictae archiconfraternitatis pro hac redemptione fieri posse declarat;

§ 8. Necnon ut quaecumque et qualiacumque bona, etiam emphyteutica, eidem archiconfraternitati pro redemptione captivorum praedictorum, tam inter vivos quam mortis causa seu testamento vel codicillis dari, concedi seu relinqui libere possint, dummodo ipsa archiconfraternitas ad eadem onera, ad quae donator seu testator huiusmodi, occasione bonorum eorumdem, tenebatur, et quæcumque alia quae ipse donator seu testator etiam imposuerit, omnino teneatur. Et si ad certum numerum generationum aut nominationum eadem bona concessa fuerant, ipsa archiconfraternitas, non perpetuo, sed per viginti annos pro qualibet generatione seu nominatione huiusmodi bona praedicta tenere, illaque locare et dislocare, ac illorum redditus in redemptionem captivorum huiusmodi convertere possit, quae, finitis ipsis annis, ad eorum directos dominos devolvantur, etiam perpetuo, statuimus et ordinamus.

Legata in Statu Ecclesiastico (non tamen pro aliqua certa

§ 9. Declarantes quod quaecumque legata et aliae dispositiones pro redemptione captivorum a quibusvis personis, tam

(personae seu regulari loco) pro redemptione captivorum, redemptioni praedictae applicat;

in dicta Urbe quam in toto Statu Ecclesiastico, mediate et immediate subiecto, non tamen in favorem certae personae seu alicuius regularis loci vel Sanctissimae Trinitatis aut Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum Ordinum hactenus facta et non[1] soluta, et pro tempore quomodolibet facienda, censeantur et intelligantur facta fuisse et esse ad favorem redemptionis captivorum Sedis et Status praedictorum, illaque ab eis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, custodibus, seu ab eis deputatis praedictis, ad effectum praemissorum, realiter et absque aliqua exceptione, solvi omnino debeat.

Ecclesiasticis personis (tertia parte archiconfraternitati soluta) usque ad certam summam disponere posse indulget;

§ 10. Insuper omnibus et singulis ac quibuscumque personis ecclesiasticis seu beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut de illorum bonis mobilibus et immobilibus ac semoventibus, etiam ex fructibus beneficiorum ecclesiasticorum ac alias quomodolibet, etiam propriis labore et industria, acquisitis, usque ad summam trecentorum ducatorum similium in eiusdem archiconfraternitatis pro ipsa redemptione, seu in aliarum quarumcumque, etiam extranearum (non tamen incapacium et de iure prohibitarum) personarum favorem disponere, ipsaque bona usque ad dictam summam, tam ex testamento quam donatione inter vivos aut alia quavis dispositione, archiconfraternitati seu personis praedictis relinquere, dummodo si in aliorum, ut praefertur, quam in ipsius archiconfraternitatis favorem disposuerint, tertia pars dictorum bonorum ad eamdem archiconfraternitatem deveniat, alias dispositiones huiusmodi nullae sint eo ipso, licentiam et facultatem impartimur.

Capsas ad colligendum eleemosynas in Statu Ecclesiastico deputandi facultatem elargitur dictae archiconfraternitati;

§ 11. Praeterea, eidem archiconfraternitati illiusque custodibus seu ab eis deputatis, quod in quibuscumque cathedralibus, etiam metropolitanis, collegiatis, parochialibus et aliis quibusvis saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus ecclesiis, ac in quibuscumque maritimis et aliis portibus, tam dictae Urbis quam provinciarum, civitatum, oppidorum, castrorum et locorum quorumlibet totius Status Ecclesiastici mediate et immediate subiectis, capsae pro colligendis fidelium eleemosynis pro ipsa redemptione tenere et manutenere, ac a dilecto filio moderno et pro tempore existente nostro vicario in spiritualibus generali in dictae Urbis illiusque districtu, ac ab aliis locorum ordinariis, illorumque vicariis et officialibus, in eorum civitatum et dioecesum ecclesiis, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, etiam quantumcumque privilegiatis et exemptis, necnon a gubernatoribus et aliis officialibus et ministris in dictis partibus ac aliis eius benevisis locis, contradictione seu reclamatione quibuscumque postpositis, perpetuo manuteneri facere libere valeant; ipsique locorum ordinarii, ac noster et eorum vicarii et officiales, gubernatores et ministri omnino debeant et teneantur; nec super praemissis dicta archiconfraternitas illiusque custodes et deputati praedicti ab aliquo, quovis praetextu, impediri possint, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Ordinarios et alios hortatur ut huic operi faveant,

§ 12. Hortamur denique et per redemptionis humani generis sacramentum obtestamur universos et singulos archiepiscopos, episcopos, abbates, priores et alios ecclesiarum praelatos, necnon rectores parochialium ecclesiarum, ac nostrum in dicta Urbe illiusque districtu eorumque vicarios et officiales, ac ceteras ecclesiasticas, saeculares et quorumvis Ordinum regulares personas, nunc et pro tempore existentes, quatenus huic operi faveant, illudque, per seipsos vel alium seu alios, etiam adhibitis verbi Dei concionatoribus, in suis quisque ecclesiis, plateis et locis, ac

1 Cher. addit *mercede*.

ubicumque opus fuerit, etiam saepe et saepius, ac quoties pro parte custodium praedictorum seu ab eis deputatorum aut alicuius eorum requisiti fuerint, omnibus christifidelibus publicent atque denuncient, illosque ad conferendum eleemosynas, oblationes et legata praedicta omni studio et caritate accendant et efficacibus hortationibus inducant.

Poenasque delinquentium in aliqua portione huic operi applicent;

§ 13. Et insuper supradictos omnes locorum ordinarios ac alios iurisdictionem exercentes vehementer suademus quod aliquam portionem poenarum delinquentibus imponendarum tam pio operi applicent, ut miseris et afflictis captivis, quorum animarum periculum imminet, copiosius succurratur. Ceterum, ut pium hoc opus salubribus institutis dirigatur, custodibus et confratribus praedictis quaecumque statuta, ordinationes et decreta, licita et honesta ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non contraria, ab eodem nostro vicario approbanda, ad faustum et incolumen statum ipsius operis rite et recte custodiendum condere, ac condita, quoties opus fuerit, mutare et alterare, aliaque de novo edere, etiam ab eodem nostro vicario approbanda, ceteraque in praemissis quomodolibet necessaria et opportuna facere, exequi et exercere, licentiam tribuimus et facultatem.

Indulgentiasque hic expressas archiconfraternitati et aliis ei aggregandis confraternitatibus ceterisque personis respective concedit.

§ 14. Ut autem tam ipsius archiconfraternitatis, illique aggregatarum et pro tempore aggregandarum confraternitatum utriusque sexus confratres, nunc et pro tempore existentes, quam alii christifideles in huiusmodi instituto alacrius persistant, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis archiconfraternitatis et confraternitatum praedictarum confratribus, ac aliis utriusque sexus christifidelibus, qui orationi quadraginta horarum quandocumque ab eadem archiconfraternitate et singulis confraternitatibus praedictis haberi contigerit, vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, devote interfuerint, et ibi pro sanctae matris Ecclesiae exaltatione, captivorum in fide catholica constantia, ac huius instituti progressu et augmento pias ad Deum preces effuderint, bis in anno quolibet plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. In aliis vero vicibus quibus huiusmodi oratio habebitur, centum annos. Ac tam archiconfraternitatis quam singularum confraternitatum praedictarum confratribus et aliis utriusque sexus christifidelibus, qui captivis praedictis, dum ad Urbem veniunt, processionaliter obviam iverint, vel illos ad visitandum limina Apostolorum aut aliam dictae Urbis ecclesiam, pro gratiarum actione eorum liberationis, processionaliter comitati fuerint, vel ipsas processiones seu earum alteram associaverint, et, ut praefertur, oraverint, pro qualibet processione huiusmodi, decem annos et totidem quadragenas. Necnon, tam confratribus quam aliis christifidelibus praedictis, qui in hoc pio negotio operam suam quoquomodo posuerint, quocumque die quo id fecerint, etiam decem annos et decem quadragenas. Illis vero, qui eosdem captivos, tam in itinere post eorum liberationem, dum omnes simul ad Urbem veniunt, quam in ipsa Urbe hospitio exceperint, ac fraterna in Domino caritate tractaverint et adiuverint, illisque inservierint, quoties id fecerint, decem annos et totidem quadragenas, de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis, etiam misericorditer in Domino relaxamus.

§ 15. Praesentibus, quas sub quibusvis

Clausulae praeservativae.

similium vel dissimilium gratiarum, concessionum et indulgentiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, derogationibus ac aliis contrariis dispositionibus, quavis auctoritate, etiam per nos et pro tempore existentes Romanos Pontifices successores nostros ac Sedem eamdem, aut alias ex quacumque, quantumvis urgentissima ac necessaria, causa, etiam in favorem basilicae Principis apostolorum de dicta Urbe, Cruciatae Sanctae vel expeditionis contra infideles, ac etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie et alias quomodolibet, factis et emanatis, nullatenus umquam comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub posteriori data, per pro tempore existentes ipsius archiconfraternitatis custodes eligenda, concessas fore et esse ac censeri, ipsisque custodibus et confratribus ac aliis supradictis suffragari debere decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis, etiamsi archiconfraternitati et singulis confraternitatibus ac aliis fidelibus praedictis, pro praemissis peragendis aut alias, aliqua alia indulgentia, perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem eamdem concessa fuerit. Et ne praesentes litterae sub revocationibus, limitationibus, suspensionibus, derogationibus ac aliis dispositionibus praedictis comprehendantur, ipsique custodes et confratres ac ab eis deputati super praemissis aut eorum aliquo a quoquam molestentur seu perturbentur, easdem praesentes nullo umquam tempore, etiam ad quorumvis instantiam, ex quacumque causa, revocari, suspendi, alterari, limitari aut ad iuris terminos reduci, vel illos contra eas in integrum restitui; neque easdem litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari posse, nec causam seu causas, propter quam seu quas illae emanarunt, coram locorum ordinariis, etiam tamquam a dicta Sede delegatis, vel aliis quibusvis iudicibus verificari debere, neque propterea, aut ex eo quod interesse habentes seu praetendentes ad hoc vocati non fuerint, per subreptionem obtentas praesumi et viribus carere.

Decretum irritans.

§ 16. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Executorum huius constitutionis deputatio et facultates.

§ 17. Et nihilominus venerabilibus fratribus nostris Ravennatensi et Bononiensi archiepiscopis, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, motu simili, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte custodum vel confratrum seu ab eis deputatorum praedictorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, semper et ubique, firmiter et inviolabiliter observari, suosque plenarios et integros effectus in omnibus et per omnia sortiri ac debitae executioni demandari. [1] Non permittentes quemquam ipsorum per quoscumque su-

[1] Cherub. sequens fragmen addit: *Necnon custodes, confratres et deputatos ac illorum quaestores praedictos ceterosque omnes, quos litterae ipsae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, illis pacifice frui et gaudere* (R. T.).

per praemissis quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores, molestatores et perturbatores quoslibet ac praemissis non parentes, per sententias, censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, eorum et cuiuslibet ipsorum arbitrio imponendas, ac eidem redemptionis operi applicandas, poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, quacumque appellatione postposita, compescendo. Nos enim illis et eorum cuilibet, omnes et singulos sua in praemissis quomodolibet interesse putantes, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi; eisdemque ac quibus et quoties opus fuerit, sub similibus vel dissimilibus sententiis, censuris et poenis inhibendi; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, ipsos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarandi, illasque etiam saepius aggravandi; et interdictum ecclesiasticum apponendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, plenam et liberam, auctoritate et tenore praemissis, concedimus facultatem. Ac ut tam salutare opus in dies augeatur, universos et singulos reges, duces, marchiones, comites et principes saeculares, et alios dominos ac magistratus temporales civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum et locorum quorumlibet, illorumque communitates, universitates et homines rogamus, requirimus et per viscera misericordiae Dei nostri obsecramus, eisdem in remissionem peccatorum iniungentes quod, in praemissis, custodibus, confratribus, quaestoribus et deputatis praedictis ac cuilibet ipsorum assistant, suumque favorem et auxilium praestent, ac illos et eorum quemlibet a malignorum incursu defendant, nullisque molestiis, datiis, gabellis et exactionibus quibuscumque affligi seu praegravari aliquo modo sinant atque permittant, impedientes etiam temporalibus poenis afficiant.

Clausulae derogatoriae.

§ 18. Non obstantibus, quatenus opus sit, una de iure quaesito non tollendo, et altera Cancellariae nostrae regulis, per quam voluimus quod in litteris indulgentiarum apponatur clausula quod si ecclesiae aut ecclesiis vel personis, quibus indulgentiae conceduntur, aliqua alia indulgentia foret concessa, de qua inibi specialis mentio facta non esset, huiusmodi litterae essent nullae; ac piae memoriae Bonifacii Papae octavi, etiam praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; conciliis quoque universalibus, etiam facultatum quaestuandi revocatoriis, necnon prohibitionibus desuper factis; ac ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, piorum locorum, collegiorum et aliarum confraternitatum, necnon SS. Trinitatis, et Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, aliorumque Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis ac legatis, vicelegatis, gubernatoribus, potestatibus et aliis officialibus et ministris, necnon fabricae basilicae Principis apostolorum de dicta Urbe, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon

irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam ad quorumvis instantiam, aut etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum, et nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur praesentibus, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse, ad effectum omnium praemissorum, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, derogamus et ad plenum derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 19. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 1 aprilis 1586, pontif. anno I.

Sequitur extensio dictae facultatis colligendi eleemosynas pro eiusmodi redemptione.

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Redemptionis captivorum opus piissimum.

Cum adeo pium redemptionis captivorum opus ceteris misericordiae operibus antecellat, ut captivum redimendo omnia quasi per compendium adimpleri videantur, quodque omnium maximum est, a periculo abnegandae fidei christifidelium animae liberentur, ac propterea tantae pietatis operi ita faveant omnia iura, ut non qualiacumque profana sive temporalia bona, sed argentum, aurum et sacra templi vasa pro redimendis captivis distrahi venundarique decernant. Quis enim est adeo durus et humanae conditionis prorsus oblitus, ut sine maximo gemitu et lacrymis considerare possit quot ærumnas et quot infirmitates, quot vincula et tormentorum genera christifideles in dira infidelium captivitate detenti, fame et siti, frigore et nuditate pene consumpti, continuo patiantur?

Gregor. XIII huic sodalitati delegavit, et hic Pontifex, approbavit et extendit, ut sup.

§ 1. Nos, haec omnia cogitantes et dolenter examinantes, tanti doloris contemplatione accensi, redimendorum captivorum opus, alias per felicis recordationis Gregorium Papam XIII, praedecessorem nostrum, in alma Urbe ac toto Statu Ecclesiastico mediate et immediate subiecto erectum et institutum, ac curae et sollicitudini venerabilis archiconfraternitatis Confalonis gloriosissimae Virginis Mariae impositum et demandatum, confirmavimus et approbavimus, ac etiam de novo ereximus, diversasque tam spirituales quam temporales gratias, facultates et indulta, pro ipsius operis incremento et subventione, eidem archiconfraternitati concessimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Sodalitas ideo multos captivos redemit.

§ 2. Unde tunc existentes ipsius archiconfraternitatis custodes et alii confratres, cupientes in agris uberibus dicti operis caritatis semina mittere, messem amplissimam in regno coelorum expectaturi, ex Algerii et aliis Africae partibus ducentos et ultra pauperes captivos, non sine maximis laboribus ac nummaria quantitate, singulari ac praecipua pietate et

caritate, redemerunt; illosque, postquam ad Urbem venerunt, ad venerandam ipsius gloriosissimae Virginis Confalonis imaginem, in basilica B. Mariae Maioris existentem, dum in cappella pontificali eiusdem basilicae coram nobis et sacro cardinalium collegio ac multis praelatis divina peragebantur, processionaliter ad agendum gratias humani generis Redemptori, cum maxima populi frequentia, et christifidelium ingenti laetitia, associarunt; quibus, ad pedes nostros in eadem cappella provolutis, Dei benedictione laetantes benediximus.

Hic propterea Pontifex eidem dat facultatem etiam extra Statum Ecclesiasticum pro dicto opere colligendi eleemosynas;

§ 3. Quare nos, eorumdem custodum et confratrum singularem pietatem plurimum in Domino commendantes, ac pro his gratias agentes Deo, volentesque ut tam pium opus fidelium eleemosynis subveniatur, ac latius diffundatur et propagetur, et nedum ipsius archiconfraternitatis confratres, verum etiam omnes et singuli quarumcumque confraternitatum eidem archiconfraternitati hactenus aggregatarum et pro tempore aggregandarum confratres, aliique utriusque sexus christifideles in huiusmodi pio opere se exercere, illudque eleemosynis ac ope et operibus augere contendant atque procurent, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, eidem archiconfraternitati, illiusque nunc et pro tempore existentibus custodibus et confratribus, ut nedum in dicta Urbe ac toto Statu Ecclesiastico, ut praefertur subiecto huiusmodi, sed etiam extra dictum Statum eleemosynas et oblata quaecumque pro redemptione captivorum quaerere et accipere, ac ad id confraternitates eidem archiconfraternitati hactenus aggregatas et pro tempore aggandas, illarumque confratres ac alios quaestores, quot eis videbitur, deputare, qui eleemosynas, oblationes, legata et quaecumque alia subsidia pro huiusmodi redemptione et causis ad eam pertinentibus perquirere libere et licite possint et valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem ac omnimodam potestatem perpetuo concedimus et impartimur, eisque desuper de speciali gratia indulgemus.

Episcopisque et aliis mandat ut eidem faveant.

§ 4. Mandantes in virtute sanctae obedientiae universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis ceterisque locorum ordinariis et ecclesiarum praelatis, ac dilectis filiis illorum officialibus et vicariis, neonon abbatibus, prioribus, capitulis, conventibus, parochialiumque ecclesiarum rectoribus et illorum vicariis, ac quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, generalibus, provincialibus et aliis superioribus, ac verbi Dei concionatoribus, et quibusvis aliis, tam exemptis quam non exemptis, ecclesiasticis personis, tam in Urbe et toto Statu Ecclesiastico huiusmodi quam per universum orbem christianum constitutis, quatenus omnes et singulos utriusque sexus christifideles ad conferendum eleemosynas, oblationes et legata omni studio et caritate accendant, et efficacioribus hortationibus inducant, suasque litteras ad id favorabiles et hortatorias, absque alicuius praemii vel mercedis exactione, tradant.

Clausulae horum concessionis praeservativae.

§ 5. Praesentibus, quas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum et facultatum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et pro tempore existentes Romanos Pontifices successores nostros ac Sedem eamdem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie ac alias quomodolibet, pro tempore factis et emanatis, nullatenus umquam comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum

restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub posteriori data, per toto tempore existentes custodes et confratres praefatos eligenda, concessas fore et esse ac censeri, ipsisque custodibus, officialibus et confratribus ac aliis praedictis suffragari debere decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Contrariorum derogatio. § 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Mendicantium et non Mendicantium Ordinibus, archihospitalibus, hospitalibus ac locis piis, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de dicta Urbe, Cruciatae Sanctae et aliis quibuscumque contra praemissa aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 7. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII aprilis MDLXXXVIII, pontificatus nostri anno III.

XXXIX.

Moderatio constitutionis editae a Pio V quoad electionem visitatoris generalis, et exemptionem fratrum Tertii Ordinis de Poenitentia Sancti Francisci a superioritate ministrorum provincialium fratrum Minorum de Observantia in Italia [1].

Sixtus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Romani Pontificis providentia circumspecta nonnunquam ea, quae per praedecessores suos, rationabilibus et honestis suadentibus causis, pro quibuscumque Ecclesiae Ordinibus vel in sua integritate continendis vel ad institutum revocandis, statuta et ordinata fuerunt, ex aliis non minus iustis causis moderatur et revocat, prout id conspicit in Domino salubriter expedire. Exordium.

§ 1. Alias siquidem felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, officia ministratus et visitatoris generalis Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia nuncupati perpetuo extinxit et abolevit, ac ministrum, visitatorem et vicarium generalem eiusdem Ordinis officio, usu et exercitio omnimode interdixit; edictoque prohibuit ne ullus minister, vicarius et visitator generalis de dicto Ordine haberetur. Pius V edidit reformationem huius Ordinis;

§ 2. Insuper universos et singulos fratres, sorores, professos et conversos, necnon domos, monasteria et loca virorum et mulierum, ac custodias et provincias per universum orbem constitutas, gregemque ipsum universum Tertii Ordinis utriusque sexus, generali et provincialibus ministris Ordinis fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, prout in eorum provinciis consistebant, ita perpetuo supposuit, ut minister generalis in universo Ordine, provincialis vero Ordinis Minorum Eumque supposuit Ordini de Observantia.

1 De hoc Ordine dixi ad Leonis X constitutionem XLVII, *Inter*, tom. V, pag. 764.

de Observantia in suis quisque provinciis plenum ius liberamque auctoritatem, in spiritualib. et temporal., iurisdictionemque omnimodam haberet, domos omnes ac monasteria et loca quaecumque necnon personas utriusque sexus, tam in capite quam in membris, visitandi et corrigendi, vagantes et quoscumque alios puniendi, carcerandi, mutandi, transferendi, ordinibus, officiis et administrationibus deponendi, excommunicandi, suspendendi, interdicendi, restituendi, ac etiam super iis et ceteris omnibus Ordinem ipsum illiusque domos et personas utriusque sexus quomodolibet concernentibus, eorum tamen Regulae et sacris canonibus et litteris tunc desuper confectis non contrariis, statuendi, mutandi, innovandi et exequendi, quemadmodum illis erat in suo proprio Ordine attributum, ac alia statuit et ordinavit, prout in ipsius praedecessoris litteris, sub data videlicet quinto nonas iulii, pontificatus sui anno tertio, desuper confectis, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, plenius continetur.

Hic Pontifex Pii constitutionem moderatur et innovat quo ad fratres Italiae circa electionem visitatoris generalis.

§ 3. Nos itaque, quibus nuper innotuit quod fratres Tertii Ordinis huiusmodi sub obedientia magistri generalis et provincialium fratrum de Observantia praedictorum manentes, nihil in vinea Domini profecerunt, immo in eodem Tertio Ordine varii abusus tam circa Regulae observationem, quam etiam fratrum dictae Regulae transgressorum et alias deliquentium castigationem irrepserunt; ac considerantes quod si fratres ipsi Tertii Ordinis eorum visitatorem generalem iuxta sua regularia instituta, prout ante litteras dicti praedecessoris faciebant, eligere possent, et sic electo tamquam eorum superiori obedirent, praemissis et aliis malis, quae occurrere possent, plurimum consultum foret. Propterea ex his et aliis causis animum nostrum moventibus, de nobis attributae potestatis plenitudine, ipsos fratres Tertii Ordinis, adversus litteras dicti praedecessoris (illis quoad protectoris deputationem in suo robore permanentibus), in pristinum et eum, in quo, antequam ipsae litterae emanassent, erant, statum restituentes et plenarie reintegrantes, eisdem fratribus Tertii Ordinis per universam Italiam existentibus, quod perpetuis futuris temporibus iuxta eorum regularia instituta, singulo triennio, capitulum generale dicti Tertii Ordinis convocare et celebrare, ac in eo visitatorem generalem et alios ministros et officiales (non tamen commissarium generalem), eisdem modo et forma quibus antequam litterae praedictae emanassent, consueverant, eligere; eumdemque visitatorem generalem, peracto triennio huiusmodi, in alio capitulo generali postea faciendo confirmare libere et licite valeant, perpetuo, apostolica auctoritate, concedimus et indulgemus.

§ 4. Decernentes visitatorem sic electum omnimodam potestatem, auctoritatem, iurisdictionem et superioritatem in omnes et singulos dicti Tertii Ordinis fratres et ministros et officiales per universam Italiam [1] consistentes, eorumque domos et loca ac res et bona habere, necnon fratres et ministros ac officiales Tertii Ordinis huiusmodi ei sic electo tamquam vero superiori morem gerere, eiusque mandatis salubribus omni tempore obedire teneri; ipsosque per ministrum generalem ac alios fratres de Observantia, quo minus ad electionem praedictam, prout ante dictas litteras faciebant, procedere valeant, nequaquam impediri aut molestari posse. Et ita per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et in-

1 Haec moderatio est fortasse extensa etiam ad provinciam Dalmatiae et Iustinopolitanam.

terpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus litteris praedictis, quibus ac omnibus aliis, quae praemissis obesse possent, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus visitator eligendus, infra duos menses a die suae electionis computandos, confirmationem electionis huiusmodi a ministro generali de Observantia petere omnino teneatur; qua petita et obtenta vel denegata, idem visitator Tertii Ordinis apostolica auctoritate confirmatus censeatur; quodque dictus minister de Observantia per se ipsum dumtaxat, una cum duobus aliis sui Ordinis professoribus, possit singulo quadriennio post visitationem a visitatore Tertii Ordinis huiusmodi factam, et non ante, Tertium Ordinem ac fratres, domos, loca, res et bona praedicta visitare, eaque, tam in capite quam in membris prout opportunum fuerit, iuxta regularia instituta dicti Tertii Ordinis, corrigere et moderari.

Transumptorum fides.

§ 6. Ac quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 martii 1586, pontif. anno I.

XL.

Reformatio officii et emolumentorum secretarii domestici Summi Romani Pontificis, cum indultorum collegii secretariorum concessione et ampliatione [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta ea nonnumquam alterat et immutat, quae, rerum, temporum ac personarum qualitate pensata, vel evidens suadet utilitas vel cogit necessitas reformari. Industrios quoque et doctrina probatos viros honoribus et favoribus prosequitur opportunis, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Innoc. VIII collegium secretariorum apostol. erexit, eorum numerum praefinivit, certosque annuos redditus assignavit, facultatemque sibi reservavit deputandi unum secretarium domesticum.

§ 1. Sane, licet alias felicis recordationis Innocentius Papa octavus, praedecessor noster, collegium dilectorum filiorum secretariorum apostolicorum instituerit, et certo tunc expresso probatorum virorum numero, qui et Romanae Curiae decori atque ornamento essent, ac expeditioni brevium et aliarum litterarum apostolicarum, quae per secretarios apostolicos expediri consueverant, accuratius et diligentius attenderent, constare voluerit: eidemque collegio et secretariis diversos annuos redditus et emolumenta, inter singulos secretarios pro tempore existentes aequis portionibus dividenda et distribuenda, assignaverit, et in quinterno eius manu subscripto adnotari mandaverit. Ita tamen quod liceret ipsi Innocentio et pro tempore existenti Romano Pontifici, ultra numerum ab eo tunc praescriptum, unum secretarium, domesticum nuncupandum, habere, qui sua et Romanae Ecclesiae negotia secreta aut orthodoxae fidei statum concernentia dumtaxat expedire posset et deberet; quique, duabus integris portionibus dictorum emolumentorum ultra numerum collegarum faciendis contentus, ab omnibus et singulis aliis emolumentis et expeditionibus officium secretariorum quomodolibet concernentibus penitus abstineret.

Pius V praedicta confirmavit.

§ 2. Et recolendae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, post diversos alios Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, tunc suos, litteras Innocentii praedecessoris praefati approbaverit et confirmaverit ac etiam innovave-

[1] De institutione et extensione dicti collegii, et de officio huius secretarii, et emolumentorum elargitione, vide Innocentii VIII bullam XV, *Non debet*, tom. V, pag. 330.

rit, aliaque etiam de novo concesserit, voluerit et ordinaverit, prout in ipsorum Pii et Innocentii praedecessorum praefatorum litteris plenius continetur.

Sed evenit quod talis secretarius domesticus seorsum a collegio quaedam emolumenta percipiebat etc.

§ 3. Nihilominus, temporis successu, multiplicato secretariorum domesticorum numero pro Romanorum Pontificum arbitrio, ipsi secretarii domestici, praeter dictas duas portiones, diversa alia emolumenta seorsum a collegio percipere consueverunt; necnon, collegii incuria seu forsan per desuetudinem, effectum fuit ut nonnulla alia ex emolumentis praefatis, his praesertim quae in quinterno dicti Innocentii notata reperiuntur, a debitoribus non exigantur.

Hic igitur Pontifex dictum officium secretariatus domestici nunc supprimit, eiusque curam collegio concedit,

§ 4. Cum autem nos circa officium secretariatus domestici, quod dilectus filius Ioannes Baptista Canobius, clericus Bononiensis, pro nutu et voluntate nostra nunc exercet, novam rationem inire constituissemus, collegium praefatum, in quo virtutibus, experientia ac usu rerum et negotiorum ad Romanam Curiam confluentium et ad dictum officium pertinentium insignes viri connumerantur, se nobis obtulit ipsius officii, cuius ratione pleraque ad ipsum collegium spectantia emolumenta exigi consueverunt, ac eorum, quae in eo geruntur, curam omnem cogitationemque suscipere, idque munus, qua decet, fide et integritate, per idoneos et peritos, ab ipso collegio electos et per nos approbatos viros, obire *etc.* Nos igitur *etc.*, ipsumque collegium et secretarios gratioso affectu prosequi volentes, singularum Innocentii et Pii aliorumque praedecessorum praefatorum litterarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, motu proprio, non ad dicti collegii aut alicuius pro eis nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et scientia nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, officium secretariatus domestici, quod dictus Ioannes Baptista, ut praefertur, exercebat, penitus et omnino perpetuo supprimimus et extinguimus, ita quod nullo umquam tempore per nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem et Sedem Apostolicam in statum pristinum restitui aut reintegrari valeat.

Necnon facultatem secretarium domesticum, a Pontifice comprobandum, deputandi etc. cui mansiones in Palatio Apostolico assignat;

§ 5. Curam autem et exercitium dicti suppressi officii ac custodiam registrorum brevium et litterarum apostolicarum, via quae secreta appellatur expeditarum et pro tempore expediendarum, in mansionibus Palatii Apostolici in Vaticano, quas dictus Ioannes Baptista suique famuli et scriptores habitant, asservandorum, deinceps per unum ex numero dicti collegii secretarium aut aliam aeque idoneam personam, a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente approbandum seu approbandam, ad ipsius collegii nutum et liberum arbitrium nominandum et deputandum ac removendum, iuxta ipsius collegii praescriptum, haberi, teneri et administrari; ipsasque mansiones, in octo cubicula,[1] partim supra distributas, quibus per duas portas patet ingressus, et ab uno Dataria Apostolica, ab altero mansiones substituti ipsius datarii cohaerent, cum cella vinaria sub officio registri supplicationum et aliis suis pertinentiis, per secretarium aut personas a collegio praefato deputandas inhabitari volumus et mandamus; curamque et exercitium huiusmodi et registrorum custodiam mansionumque praefatarum usum et habitationem collegio et personae ab eo deputandae huiusmodi ex nunc perpetuo concedimus et assignamus.

Unam ex duabus portionibus, ab Innocentio VIII reservatis pro secretario domestico, praedicto collegio concedit;

§ 6. Et insuper unam integram ex duabus portionibus emolumentorum dicti collegii, extra numerum, ut praefertur, faciendis et secretario domestico olim ab Innocentio praedecessore praefato assignatis, ab ipso officio secretariatus domestici

1 Cherub., *partim infra*, (R. T.).

etiam perpetuo dismembramus et separamus, illamque necnon quatuor alias partes cibariorum, pro victu et alimento quotidiano secretarii aut personae, ut praefertur, ad curam et exercitium huiusmodi deputandae, ac trium famulorum et unius equi, eisdem modo et forma, quibus praefato Ioanni Baptistae dari hactenus consueverunt, collegio praefato, pro secretario vel persona deputanda huiusmodi, perpetuo concedimus et assignamus, et per eos, ad quos spectat et pro tempore spectabit, dari, praestari et assignari volumus et mandamus.

Medietatemque emolumentorum, quae secretarius domesticus seorsum a collegio percipere consuevit, eidem collegio tribuit;

§ 7. Necnon medietatem omnium et singulorum aliorum emolumentorum, quae hactenus praefatus Ioannes Baptista Canobius pro se et aliis duobus secretariis domesticis percipere, exigere et levare consuevit, ita ut alia medietas emolumentorum huiusmodi, una cum altera ex dictis portionibus, pro uno vel duobus aut pluribus secretariis domesticis salva remaneat, sive illa ratione taxarum litterarum apostolicarum, via quae secreta appellatur expediendarum, sive cedularum propositionum ecclesiarum aut monasteriorum, vel sententiarum a Romano Pontifice pro tempore latarum, aut investiturarum ab eo quomodolibet factarum, percipiantur, seu quovis alio nomine nuncupentur, collegio praefato pariter concedimus et assignamus.

Licentiam quoque dat collegio possessionem praedictorum propria auctoritate capiendi.

§ 8. Ita quod liceat ipsi collegio, per se vel alium seu alios eius nomine, praefatae curae atque exercitii et integrae portionis huiusmodi, necnon mansionum, registrorum, portionum cibariorum et aliorum emolumentorum praefatorum possessionem, propria auctoritate, vigore praesentium, apprehendere, seu forsan interim apprehensam perpetuo retinere, nec desuper a secretario domestico uno vel pluribus (pro quo seu quibus altera dumtaxat integra portio emolumentorum ex duabus illi ab Innocentio praedecessore praefato assignatis, ac reliqua medietas aliorum emolumentorum supradictorum salvae remaneant) quomodolibet molestari possit.

A collegio deputandus computa secretariis ostendat.

§ 9. Ita tamen quod collegium secretariorum seu ad exercitium huiusmodi deputatus ipsis secretariis domesticis rationes et computa ostendere et reddere teneantur.

Secretarii domestici ne se ultra hic contenta ingerant.

§ 10. Ipsis secretariis domesticis pro tempore existentibus, sive unus fuerit sive plures, sub mille ducatorum auri et aliis arbitrio nostro poenis, eo ipso, pro qualibet vice qua contravenerint, incurrendis, districtius inhibentes ne aliquas litteras in forma brevis aut etiam sub plumbo expedire audeant vel praesumant, praeter illas quae Romani Pontificis pro tempore existentis et Romanae Ecclesiae negotia secreta aut orthodoxae fidei statum concernent; et emolumentis sibi, ut supra, remanentibus contenti, nihil aliud, etiam occasione eorum huiusmodi officii, a quoquam percipere possint, sed quicquid lucri ex supradictis taxis bullarum per viam secretam expediendarum et quibusvis aliis regaliis praedictis percipietur, ad custodem brevium seu emolumentorum ab eodem collegio deputandum destinent ac omnino transmittant, quae quidem omnia et singula, ut inviolabiliter observentur, sub eisdem poenis praecipimus et mandamus.

Collegii facultas deputandi et removendi tres personas ad scribendum brevia et registrandum bullas secretas; et cibaria dictis scriptoribus assignata.

§ 11. Praeterea, eidem collegio liberam tribuimus facultatem et auctoritatem nominandi, eligendi et deputandi tres idoneas personas pro scribendis litteris in forma brevis per dictum deputatum expediendis, et tam illis quam litteris apostolicis, via quae appellatur secreta expeditis, registrandis, dictasque personas ad ipsius collegii nutum removendi, et alias remotarum, recedentium vel decedentium in locum subrogandi et depu-

tandi; quibus sic electis et deputatis personis singulas portiones cibariorum, ex Palatio Apostolico, prout illas hactenus habuerunt et percipere consueverunt, iisdem auctoritate et tenore, perpetuo concedimus et assignamus, ac ab iis, ad quos spectat, dari, concedi et praestari volumus et mandamus: pari auctoritate et facultate praefato collegio attributis, huiusmodi loca personis ab eo electis, perpetuo vel ad tempus, ex nunc prima vice, et deinde quotiescumque loca ipsa pro tempore vacare contigerit, pro pretio inter ipsum collegium et personas huiusmodi convento, vendendi seu pignorandi, vel alias de locis ipsis disponendi, ac pretium huiusmodi in dicti collegii usus et utilitatem convertendi.

Taxas a PP. Innoc. VIII dicto collegio assignatas hic Pontifex de novo assignat, easque singulis sex mensibus incipiendo a die 1 iulii MDLXXXVI solvi praecipit;

§ 12. Insuper omnes et singulas taxas officiorum Romanae Curiae, et quarumvis aliarum terrarum, provinciarum, communitatum et locorum totius Status Ecclesiastici in quinterno Innocentii praedecessoris praefati adnotatas et designatas et collegio praefato applicatas et assignatas, etiamsi de praesenti non solvantur, pro quibus collegium ipsum debitam recompensam in genere vel specie non constiterit recepisse, ipsi collegio, eisdem modo et forma quibus per dictum Innocentium assignatae et applicatæ fuerunt, de novo applicamus et assignamus; et per officiales et ministros Urbis et provinciarum ac communitatum, terrarum, locorum, ac praesertim per almae Urbis et civitatis nostrae Bononiensis (post tamen præsentes, qui pro tempore extiterint, gubernatores et eorum locatenentes), necnon tam praesentes quam pro tempore existentes provinciae nostrae Marchiae thesaurarium, etiam ratione propriae eius taxae, etiam de praeterito, non obstante decreto ad motum proprium piae memoriae Gregorii Papae XIII, etiam praedecessoris nostri, super praetensa concordia inter collegium praefatum et dilectum filium Franciscum Sangallettum, ad cuius commodum pro pecuniis ab ipso etiam solutis huiusmodi concessio cedit, ac Cameram Apostolicam, adiecto, et quosvis alios, integre et absque ulla diminutione, iuxta formam quinterni et litterarum Innocentii praedecessoris huiusmodi, singulis sex mensibus in principio, sub poenis in litteris dicti Innocentii contentis, incipiendo a prima iulii post datam praesentium, et successive singulis sex mensibus in principio, persolvi volumus et mandamus, sine tamen praeiudicio quorumcumque iurium dicto collegio pro praeteritis taxis competentium, praesertim respectu litium huc usque motarum.

Taxasque aliorum locorum, post publicationem quinterni Innoc. VIII, Sedi Apostolicae incorporatorum concedit;

§ 13. Insuper quoque eidem collegio liberam tribuimus facultatem et auctoritatem singula quaeque officia quarumvis provinciarum, terrarum, communitatum et locorum Romanae Ecclesiae, post publicationem quinterni ab Innocentio praedecessore confecti, quomodolibet incorporatorum et in posterum incorporandorum, iuxta facultatem ab eodem Innocentio praedecessore collegio praedicto attributam et cum consilio dilecti filii Benedicti Iustiniani moderni et pro tempore existentis thesaurarii generalis, taxandi, taxasque impositas huiusmodi ab illis exigendi et recipiendi, modo et forma ab ipso Innocentio praedecessore quoad alios praescriptis; quas quidem taxas de novo imponendas ipsi collegio perpetuo etiam applicamus, concedimus et assignamus.

Secretarios doctores post annum sex in habitu praelatorum incedentes, utriusque Signaturae referendarios esse decernit;

§ 14. Ut autem collegium ipsum praecipua aliqua honoris et dignitatis praerogativa a nobis etiam decoretur, et qui pro tempore fuerint secretarii apostolici de numero participantium peramplius honorentur, singulos secretarios de numero praefato, praesentes et futuros, qui in utroque iure aut in decretis ad doctoratus gradum in aliqua publica Universitate fue-

rint promoti, et vigesimum quintum suae aetatis annum excesserint, si habitu praelatorum, iuxta Innocentii praedecessoris praescriptum, incedere voluerint, ex nunc prout ex tunc et e contra, postquam habitum praelatorum susceperint, eo ipso, absque alia approbatione et admissione, referendarios perpetuos utriusque Signaturae nostrae et Romani Pontificis pro tempore existentis creamus, constituimus et deputamus, ac creatos, constitutos et deputatos fuisse et esse declaramus et nunciamus; eisque et eorum cuilibet de omnibus et singulis privilegiis, emolumentis, immunitatibus, præeminentiis, facultatib., gratiis et indultis, aliis utriusque Signaturae referendariis quomodolibet concessis, et quibus ipsi utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, concedimus et indulgemus.

Secretariorum et simul referendariis antiquiorem, singulis Papae signaturis intervenire posse concedit;

§ 15. Ille vero secretariorum eorumdem, qui antiquior doctor et referendarius fuerit, ut singulis nostris et Romani Pontificis pro tempore existentis signaturis, nomine collegii secretariorum, eo ipso intervenire valeat, pariter indulgemus. Quod si ab Urbe absens vel alias impeditus fuerit, vel antiquior secretarius alia ratione vel causa dictae signaturae intervenire habuerit, qui post illum erit antiquior secretarius et referendarius indulto huiusmodi eo ipso potiatur.

Habitum eis assignat, et in cappella locum assignat;

§ 16. Cumque secretarii ipsi, qui clerici erunt, nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis sint praelati domestici et familiares ac continui commensales, teneanturque iuxta praescriptum Innocentii praedecessoris praefati, nisi in maiori fuerint dignitate constituti, notariatus habitum suscipere et deferre, ne quod pro ornamento et decore Romanae Curiae provide institutum est, negligentia et desuetudine abrogetur, praesentium auctoritate volumus, singulisque secretariis praefatis, praesentibus et futuris, praecipimus et mandamus quatenus qui clericali militiae ascribi voluerint, vigintiquinque annis maiores, habitum et insignia deferant notariorum apostolicorum, etiam, si voluerint, violacei coloris; qui vero fuerint primae tonsurae dumtaxat clerici, in aliis ordinibus nondum constituti, seu saeculares, etiam coniugati, vestibus utantur, si eis placuerit, etiam violaceis, prout cubicularii apostolici de honore nuncupati. Habeant etiam, qui notarii fuerint Sedis Apostolicae, locum in cappella et aliis actibus publicis, in quibus cum cappis et rocchettis interfuerint, eorum dignitati congruentem, quem ipsis assignari curabimus.

Pii V concessiones confirmat, cum suppletione defectuum;

§ 17. Et nihilominus litteras Pii praedecessoris praefati, ut supra, eidem collegio super confirmatione et approbatione litterarum Innocentii et aliorum Pontificum praedecessorum nostrorum, tunc suorum, rebusque aliis in eis contentis concessas, auctoritate, tenore, scientia et apostolicae potestatis plenitudine similibus, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulis tam iuris quam facti defectus supplemus.

Clausulas huius bullae praeservativas apponit

§ 18. Praesentesque et in eis contenta quaecumque de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, aut per nos vel Romanum Pontificem pro tempore existentem suspendi, revocari, limitari, moderari seu ad iuris terminos reduci non posse neque debere, sed validas et efficaces perpetuo existere, ac dicto collegio et secretariis pro tempore existentibus, in omnibus et per omnia, etiam perpetuo, suffragari, ac vim validi, initi et stipulati contractus inter nos et Sedem ac Cameram Apostolicam ex una, et collegium praefatum ex

altera partibus, habere debere; ipsumque collegium ad verificationem seu iustificationem praemissorum vel partis eorum, aut ad registrationem vel adnotationem praesentium in Camera, iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, faciendam, minime teneri, nec, ob non registrationem huiusmodi, praesentes nullitatis aut invaliditatis vitio subiacere, sed valere, et ipsi collegio et secretariis suffragari debere, perinde ac si in ipsa Camera registratae fuissent, constitutione praefata non obstante.

Et decretum irritans;

§ 19. Et sic, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate, iudicari, definiri et interpretari debere; et quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus *etc.*

Clausulas derogatorias subdit.

§ 20. Non obstantibus praemissis ac Pauli II et Pii etiam II et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis de bonis ecclesiasticis non alienandis, quatenus adsint, et nostra de non tollendo iure quaesito in Cancellaria Apostolica publicata; necnon statutis, quavis firmitate roboratis; et consuetudinibus, exemptionibus, immunitatibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, provinciis, communitatibus, terris et locis praefatis, illarumque incolis et personis quomodolibet concessis, et quibus forsan potiuntur et gaudent quomodolibet contrariis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis haberi volentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I aprilis MDLXXXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 aprilis 1586, pont. anno I.

XLI.

Quod festum S. Petri martyris duplici officio de cetero celebretur [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Invictorum Christi militum numerus ingens propriam vitam contempsit prae studio tuendae propagandaeque christianae fidei, ideoque, immarcescibili gloriae corona donatus in coelo, iure etiam pia veneratione colitur et celebratur in terris; sed non minus ad eiusdem fidei firmitatem profuit Beati Petri martyris virtus, qui, pro catholica religione strenue militans, eam conservavit ac defendit adversus dolos atque insidias inimicorum, occulto veneno longe plus nocentium, quam sit hostium infesta oppugnatio, qui aperto impetu nefarium Ecclesiae Dei bellum indicunt.

S. Petrus martyr Praedicatorum professor fuit;

§ 1. Quare, ex promissione omnipotentis Dei nomine facta fortiter pugnantibus, cum eorum laudes cantet Ecclesia, est etiam invicti huius martyris concelebranda solemniter memoria. Is enim praeclarus Ordinis Praedicatorum alumnus inexplebilem extirpandae haereticae perfidiae cupiditatem, iam inde a puero tota penitus mente combibit: qua in re mirari debemus singulare erga illum Dei beneficium, cum credibile non sit sine divina ope potuisse eum haereticorum pa-

1 Hunc Sanctum canonizavit, eiusque festum pro die XXIX mensis aprilis instituit Innoc. IV, in eius const. XXXI, *Magnis*, tom III, pag. 562.

rentum domestica exempla tam sancte detestari.

Inquisitoris que officio functus, et haereticos mirabiliter persecutus;

§ 2. Immo vero, imitatione accensus beati patris Dominici, ut ille, perpetuis concionibus et disputationum congressibus officioque inquisitionis, quod ei primum praedecessores nostri Innocentius III et Honorius III commiserant, contra haereticos mirabiliter se gessit, ita ipse, cum nullum iis perditionis filiis monendis locum in omni sermone umquam reliquisset, tum in obeundo inquisitoris munere sibi litteris apostolicis commisso, mira quadam diligentia illos insectari atque urgere non destitit.

Martyrii quoque coronam excepit sanguinem pro fide Christi effundente.

§ 3. Demum vero, eorum in se odiis concitatis, arripuit summa constantia atque animi magnitudine oblatam sibi divino permissu martyrii occasionem, cuius quidem martyrii, antea piis precibus ac votis a Deo expetiti, praecipuo desiderio exarserat. Quamobrem, post B. Dominicum, non immerito princeps appellari debet sacrosancti Officii Inquisitionis, cum ipse primus illud suo sanguine consecraverit; quo factum est ut etiam nostris potissimum huiusque sanctae Sedis ministris, qui in haec turbulenta et calamitosa tempora inciderunt, seu potius sunt divina providentia reservati, quasi facem praetulerit, ac viam commostrarit, quam eius exemplo ingressi, audeant quaecumque pericula pro munere commisso fortiter subire, ac sanguinem ipsum, si ita res ferat, vitamque pro catholica fide gloriose profundere.

Festum eius statuit duplici officio celebrandum;

§ 4. Dignam itaque pontificio munere cogitationem suscepturi videmur, si sancti huius viri memoriam maiori veneratione recolamus; ita enim fiet ut ei de Ecclesia Dei optime merito honor debitus tribuatur, deinde ut eius in Officio Inquisitionis successores ad prosequenda fortissimi ducis vestigia incitentur. Praecipue vero decet ut, ad conciliandam nobis coelestem gratiam, imploremus illius opem, quem, propter miram anteactae vitae sanctitatem, castimoniam, innocentiam martyrio consummatam, apud Deum maxime gloriosum intelligimus; et satis compertum est eiusdem Ecclesiae amantissimum esse, pro qua gravissimos labores dies noctesque perpessus est. Quare hac nostra perpetua constitutione mandamus ut ipsius sancti viri dies festus III kalendas maii, per omnes totius orbis terrarum ecclesias duplici officio de communi unius martyris, ubi proprium deest, celebretur, ac decernimus ut in kalendario ad eum diem S. Petri martyris nomen, cum specificatione Ordinis Praedicatorum ac duplici nota adscribatur.

Et hanc bullam publicandi et observandi.

§ 5. Praecipientes omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ceterisque ecclesiarum praelatis in universo terrarum orbe constitutis, ut faciant in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus et dioecesibus praesentes nostras solemniter publicari, et ab omnibus ecclesiasticis personis, saecularibus et quorumcumque Ordinum regularibus, omnino observari.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus quoque ut praesentium exemplis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, idibus aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 13 aprilis 1586, pontif. anno I.

XLII.

Confirmantur sententiae latae super confinibus communitatum Perusinae, Urbevetanae et Tudertinae [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum decet Pontificem illis, quae,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

pro litium et controversiarum inter populos suos vigentium compositione et terminatione, ex eius speciali mandato provide gesta fuerunt, ut perpetuam roboris firmitatem obtineant, etiam suae specialis confirmationis praesidium adiicere, aliasque desuper providere, prout subditorum suorum utilitati et commodo conspicit in Domino expedire.

Cum nonnullae causae penderent inter huiusmodi communitates,

§ 1. Dudum siquidem, cum accepissemus inter dilectos filios communitates et homines civitatum nostrarum Perusinae, Urbevetanae et Tudertinae quamplurimas lites et controversias, ratione confinium earumdem civitatum illarumque territoriorum et districtuum, ab hinc trecentis et ultra annis motas, et etiam forsan in nostro Rotae auditorio et coram pluribus diversis iudicibus, magno ipsarum partium impendio, agitatas, et illarum occasione incursiones, depopulationes, devastationes, direptiones, rixas et homicidia subsecuta fuisse.

Earum decisionem Pontifex commisit Petro Ghislerio.

§ 2. Volentes, pro nostro pastorali officio, ut litibus huiusmodi et tot scandalis populorumque nostrorum detrimentis et iacturis finis imponeretur opportune providere, ipso pontificatus nostri initio, dilectum filium magistrum Ioannem Petrum Ghislerium in utraque Signatura nostra referendarium, et in Consulta nostra praelatum nostrum domesticum, probitate, doctrina, integritate, prudentia et rerum gerendarum usu praeditum atque probatum, ad loca differentiarum praedictarum destinavimus, cum facultate causas et differentias huiusmodi audiendi, cognoscendi, decidendi et fine debito terminandi, et alias prout in nostris desuper confectis in forma brevis litteris plenius continetur.

Easdem Ghislerius terminavit per sententiam definitivam,

§ 3. Qui quidem Ioannes Petrus, mandatis nostris inhaerendo, causas differentiarum praedictarum audivit, cognovit, atque per eius diffinitivas sententias composuit et terminavit.

A qua neutra partium appellavit.

§ 4. A quibus quidem sententiis neutra partium appellavit nec reclamavit, quinimmo communitates ipsae Urbevetana et Tudertina illas in eorum pleno consilio generali acceptarunt, approbarunt et emologarunt.

Immo eam confirmari petunt communitates;

§ 5. Cum autem ea pleniorem obtineant firmitatem, quae Sedis Apostolicae praesidio fuerint roborata, communitates et homines praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt ut praemissa confirmare de benignitate apostolica dignaremur.

Declarationes, sententias etc. confirmat Sixtus;

§ 6. Nos igitur, qui pacem et quietem inter populos nostros vigere, et quae ad hunc effectum statuta et ordinata sunt inviolabiliter observari paterno desideramus affectu, litterarum praedictarum, necnon sententiarum, ut praefertur, latarum, et terminationum subsecutarum, et territoriorum adiudicationum ac quarumcumque scripturarum desuper confectarum tenores, necnon confinium praedictorum situationes praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, sententias super confinibus praedictis latas praedictas, ac terminationes et adiudicationes factas et declaratas, iuxta illarum continentiam et tenorem, et quaecumque alia inde secuta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, atque omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Easque observari mandat;

§ 7. Necnon sententias praedictas et inde secuta quaecumque ab eisdem communitatibus et hominibus perpetuo observari debere, nec ab illis ullo umquam tempore et quovis quaesito colore resiliri posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Pala-

tii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam Umbriae et Perusiae legatos, etiam de latere, ac civitatum praedictarum gubernatores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus; ac ipsis partibus super praemissis perpetuum silentium imponimus.

Executores deputat.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus Perusino et Urbevetano ac Tudertino episcopis per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte communitatum et hominum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis et eorum singulis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos et eorum singulos confirmatione, approbatione, supplicatione, adiectione, decreto et impositione aliisque praemissis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles censuris et poenis ecclesiasticis aliisque iuris et facti remediis, eadem auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, ac easdem censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, et interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantibus terogat.

§ 9. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo aliquis, earumdem praesentium vigore, ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur, ac nostra de non tollendo iure quaesito, et aliis quibusvis apostolicis constitutionibus et ordinationibus; necnon dictarum civitatum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV aprilis MDLXXXVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 aprilis 1586, pontif. anno I.

XLIII.

De decies centenis millibus nummum aureorum in arce S. Angeli repositis, et nullo umquam tempore, nisi in praescriptis casibus, detrahendis.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Plurimis de causis necesse est Sedem Apostolicam aliquod thesaurum habere.

Ad clavum apostolicae servitutis in puppi militantis Ecclesiæ, non meritis nostris, sed divinae voluntatis dispositione, difficillimis his temporibus constituti, non solum praesentes fluctus, quibus B. Petri navicula saepius iactatur, mente pervigili circumspicimus, sed procul etiam atque a longe impendentes tempestates, non sine magna animi sollicitudine, prospicimus, easque consilio et vigilantia, quantum cum Domino possumus, praecavere ac vitare studemus. Circumstant nos undi-

que multorum generum pericula, mala intestina quotidie magis ingravescunt, bello ardent provinciae, haeretici implacabili odio inflammati in nos rapiuntur, hostis teterrimus et potentissimus Turca, alter Assur virga furoris Domini cervicibus nostris semper imminet, quique communes sunt catholicae religionis et christiani nominis inimici, iidem Romanam in primis Ecclesiam et Apostolicam hanc Sedem fidei petram et fidelium omnium matrem acerbissime oderunt, eiusque auctoritatem, amplitudinem, statum convellere, quod Deus avertat, ac labefactare vehementer atque avide concupiscunt. Et nos quidem, dubios rerum eventus et occulta discrimina, quae non sine causa timere cogimur, saepenumero expendentes, non in nobis ipsis spem collocamus, neque carnem ponimus brachium nostrum, sed oculos in coelum sustollimus ad custodem Israel, eumque ipsum, qui numquam dormit neque dormitat, saepe cum lacrymis excitamus ut aliquando, e somno exurgens, mari et ventis imperet, et tranquillitatem faciat; sed tamen ab eodem, in quo spes omnes nostrae resident, edocti sumus noctu vigilandum esse patrifamilias, ne fures domum perfodiant, servumque supra eius familiam constitutum non solum fidelem esse debere, sed prudentem; nec temere tentandum Dominum ut in iis quae consiliis nostris et ratione gubernari possunt, non tam divinam opem, quae semper expetenda est, quam miracula requirere videamur. Quare ad humanae prudentiae subsidia ita confugimus, ut in Deo potissimum speremus, ad cuius gloriam, atque ad sanctae Romanae Ecclesiae utilitatem, populorumque nostrorum quietem et defensionem omnia dirigimus. Nam cum Illius vicem in terris, licet immeriti, geramus, qui rex pacificus et sacerdos est in aeternum, utraque potestate sacerdotali et regali eorum praecipue commodis et incolumitati consulere debemus, qui sub peculiari tutela et ditione huius Sanctae Sedis sunt constituti; in quo quidem pastoris etiam officium exercemus, ut praeclare nos admonet beatissimus Pontifex Gregorius, a quo pastores obiurgantur, qui de externa gregis utilitate non sunt solliciti. Pastores, inquit, sic erga interiora studia subditorum suorum ferveant, quatenus in eis exterioris quoque vitae providentiam non relinquant.

Hic ideo Pontifex decies centena millia aureorum nummum in primo anno sui pontificatus hinc inde licite et absque alicuius oneris impositione collegit;

§ 1. Quod igitur a nobis pastoralis providentiae debitum requirit, providere cupientes ne aliquando repentina aliqua et improvisa vi, quod superiorum temporum luctuosa monent exempla, nos successoresve nostri et populi nobis subiecti opprimantur, neve ad dubios casus a pecunia omnino imparati simus, quae in ipso motu et trepidatione difficulter admodum, non sine magno civitatum et provinciarum incommodo, conficitur, quibus parcere cupimus, et, quod gravius est, iam sera et inopportuna diligentia saepius frustra et inutiliter conficitur, quaeque si in tempore curata et praeparata sit, ad copias aliaque praesidia comparanda magno usui et adiumento esse potest; ob eas causas decrevimus certam pecuniae summam, benedicente Domino, nullo nostrorum extraordinario onere congestam, sed praeter alias recte colligendae pecuniae vias, nostra etiam parsimonia frugalitateque pontificia comparatam, hoc est ad decies centena millia aureorum nummum, seponere, tamquam sacrum Ecclesiae Romanae peculium et praecipuum aerarium, quod bonorum immobilium instar sit, atque ad certos casus, hac nostra ordinatione praescriptos, erogandum, fideliter integreque reservatum, ac praeclare paratum ipsa Sedes Apostolica Ecclesiaque Romana habeat. Etenim inter omnia praesidia ac firmamenta, quae ad reipublicae

defensionem et conservationem necessaria, sapientum iudicio, putantur, magnam sapientissimus Salomon vim et facultatem pecuniae tribuit verbis illis: *Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest; sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia*. Quod sane divino consilio a veteris Testamenti Patribus factum esse animadvertimus, cum in Dei etiam templo, magnam auri argentique copiam ingentemque thesaurum ad necessitates reservatum esse, sacris libris et Regum et Machabaeorum testatum sit. Habuit etiam Christus Dominus loculos, et quae a fidelibus oblata erant, reservavit, ut Ecclesiae necessitatibus subveniret, sicque formam instituit ecclesiasticae pecuniae servandae, inquit sanctus Augustinus; habet etiam Ecclesia aurum, ait Beatus Ambrosius, ut, cum necesse est, illud tunc non servet, sed servatum eroget; et ex eo tempore, quo prima christianae religionis iacta fuerunt fundamenta, sanctus Sixtus, praedecessor noster et martyr, levitae Laurentio, qui martyrio insignis fuit, Ecclesiae thesauros tradiderat asservandos; quos idem Christi athleta fortissimus, ex manibus tyranni, qui, praeter christianorum innocentem sanguinem, et aurum Ecclesiae sitiebat, in pauperes celeriter distribuendo, eripuit.

Et modo in arce S. Angeli praedictae Sedis Apostolicae pecunias reponit, eamque et eius Virgini Matri Mariae et apostolis Petro et Paulo dicat, indeque promi praeterquam in casibus hic expressis vetat;

§ 2. His itaque rationibus et causis aliisque ad Dei gloriam atque Ecclesiae utilitatem spectantibus nos adducti, motu proprio et ex certa nostra scientia, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus in consistorio nostro secreto matura consultatione, de eorum consilio et unanimi assensu, hac nostra perpetuo valitura constitutione atque ordinatione, supradictam a nobis simul congestam pecuniae summam, in pontificia S. Angeli arce, certo sanctiori aerarii loco, quem eo nomine constituimus, in quibusdam certis designatis scriniis, collocamus, reponimus, asservamus atque assignamus, eamque ita collocatam et asservatam, Christo Domino, cuius in terris vices gerimus, Beatissimae Virgini Dei Genitrici Mariae ac sanctis apostolis Petro et Paulo ea lege offerimus atque dicamus, ut inde, ne nobis quidem eam, neque totam nec vero partem aliquam, etiam minimam, promi umquam liceat, praeterquam si pro recuperatione Terrae Sanctae et generali contra Turcas expeditione bellum aliquando suscipiendum erit, tuncque etiam postquam christianus exercitus comparatus erit, ac mare ad ipsorum Turcarum fines traiecerit; si praeterea tanta annonae et rei frumentariae inopia sit, ut fames populo interitum allatura videatur, aut si pestilentiae lues grassetur; si manifestum periculum immineat, ne aliqua ex christianis provinciis ab infidelibus et catholicae Ecclesiae hostibus occupetur, tuncque subsidii tantum ferendi causa; si bellum contra Statum S. R. E. in Italia inferretur, tuncque dumtaxat cum iustus atque integer exercitus in ipsos etiam ecclesiasticae ditionis fines pervaserit, vel prope iam sit, ut qui loca finitima invaserunt, ad occupandum civitates et loca ditionis ecclesiasticae irrumpant; si belli sumptus faciendus erit pro civitatis, quae, temporali ditioni sanctae Romanae Ecclesiae subiecta, ab ipsius obedientia (quod Deus avertat) defecerit, recuperatione et conservatione, aut pro civitate ac ditione, quae ad Sedem Apostolicam devolveretur, recuperanda et conservanda; si quando quis in eam se intruderet seu occuparet, aut occupationis et intrusionis periculum instaret atque urgeret. In his autem omnibus casibus praescriptis ac permissis, in quibus aliqua pecuniae portio semel aut saepius sumi licebit, id semper moderate fiat, eaque cautio ratioque adhibeatur ut omnino saltem integra medietas constitutae huius aerarii pecuniae

remaneat. Praeterea consensum duarum saltem ex tribus partibus cardinalium, qui consistorio interfuerint, praestari, decretumque ipsum eorumdem cardinalium consentientium subscriptione roborari volumus.

Idque se servaturum iureiurando vovet, et eius successores dictum iuramentum ligare declarat;

§ 3. Extra hos autem praescriptos casus, omnem huius pecuniae, Deo ut supra dicatae, vel omnino vel aliqua ex parte amovendae aut erogandae potestatem a nobis prorsus abdicamus, abdicatamque plane esse volumus. Statuentes, quemadmodum supradictum est, ut instar bonorum immobilium Ecclesiae sit et habeatur; eamdemque sic asservatam et repositam ac Deo dicatam, nos integram conservaturos esse, ac perinde omnino atque res et bona Ecclesiae immobilia nos habituros esse promittimus, iuramus et vovemus. Cuius rei servandae vinculo, sicut nos adstringimus, ita successores etiam nostri se eodem devinctos esse norint, tum boni publici casu, quod summo studio procurare debent, tum pontificalis muneris religione, qua obstrictos, non modo non rescindere, sed inviolate observare oportet, quae a praedecessoribus utiliter sancteque constituta esse vident, tum denique divinae iustitiae lege, ex qua intelligant se, prout divinae litterae exemplaque significant, ac Patrum documenta declarant, gravissimas poenas daturos esse, si rem Deo dicatam, aliter ac praescriptum est dispensarint.

Exemplum quoque eisdem proponit impii Heliodori, qui pecuniam ab aerario templi Dei auferre moliens, Dei iussu acriter percussus et verberatus fuit;

§ 4. Cuius rei non minus insigne, quam tremendum exemplum in Machabæorum historia memoriae traditum est, de impio atque audaci Heliodoro, qui, cum pecuniam a sacro templi Dei aerario auferre moliretur, armato quodam equite, aspectu terribili, subito divinitus apparente, equi calcibus impetitus, a duobus quoque iuvenibus, Dei item iussu apparentibus, flagellis verberatus ac plagis gravissimis affectus est. At vero nos, religiosa eorum conscientia pontificiaque caritate confisi, non modo non dubitamus, sed plane speramus fore ut aerarium hoc nostrum, quod, nostra pontificali sollicitudine partum ac Deo dicatum, ad necessarios praescriptos casus reservavimus, ita diligentissime reservent, ut nos maxime facturos esse professi sumus ac profitemur.

Casus hic praescriptos ad alios, etiam maioris rationis vim habentes, non extendi, sed ad litteram intelligi debere decernit, et causis hic expressis.

§ 5. Si vero alii casus aliquando inciderint, qui etiam maiorem ex aerario promendae pecuniae rationem haberent, nolumus tamen quod de his certis casibus constituimus et praescripsimus, ullo umquam tempore, nec etiam dum Sedes Apostolica per obitum Romani Pontificis vacaverit, ad illos qui maioris rationis vim habere viderentur, extensionem fieri, aut ullo modo de illis interpretari licere. Sed nostram hanc ordinationem constitutionemve ad litteram intelligi debere decernimus. Nam successoribus nostris aeque ac nobis, etiam siqui alii casus inciderint, in quibus magnae etiam impensae insumendae aliquando erunt pecuniae, opes aliunde non deerunt, quibus, conservata hac in hoc a nobis constituto et sancito aerario summa, occurri necessitatibus incidentibus poterit. Etenim, si a nobis, qui in hoc ipso Pontificatus nostri ingressu multis difficultatibus oppressi, ad sublevandam annonae inopiam, ad exules facinorososque homines publicae quietis perturbatores coercendos, atque ad basilicas religiosissimas et toto terrarum orbe celeberrimas reficiendas atque instaurandas, cultumque divinum in hac alma Urbe, quae christianae religionis sedes est et domicilium, novis etiam sacris aedificiis atque ornamentis amplificandum, tum etiam ob salubris et copiosae aquae ad loca Urbis acclivia, quae illa maxime indigent, operosam deductionem, aliasque gravissimas ob causas multiplices et maximas impensas subire coacti su-

mus, aerarii huius pecunia, nostra sedulitate et diligentia reposita, et ad certos praescriptos casus reservata non esset, sed in varios alios usus a nobis pro iusto arbitratu nostro erogaretur, nullus quidem locus iustae adversus nos querelae successoribus nostris relinqueretur, et nihilominus pro necessitatibus, etiam quae de repente inciderent, sumptus subire et eis providere cogerentur. Propterea iis durum videri nullo modo debet, si, conservata aerarii praedicti summa, quae faciliorem ad alios nummos sibi comparandos viam munit, aliunde pecuniam sumere debeant, quam in sumptus pro temporum varietate necessarios erogent.

Pecuniam diversis casibus acceptam, quam primum reponi iubet.

§ 6. Immo vero illud rationi valde consentaneum est ut, quam inde pecuniae partem in praescriptis illis casibus sumpserint, eam integram, cum primum sumptus in iis faciendi occasio cessaverit, plane in ipsum aerarium unde acceperunt, restituant ac reponant.

Claves sex ad custodiam dictae pecuniae adhibitas sex personis hic nominatis assignat, praestito iuramento de observandis praemissis sub poena excommunicationis.

§ 7. Et vero, ut ob causas tantum supra plane praescriptas, ex eodem aerario pecunia iuste legitimeque sumatur, ad illius custodiam sex claves adhiberi iubemus, quarum tres cardinalibus item tribus, qui ordinum capita dicuntur, quique in Romana Curia praesentes adsint; illis vero absentibus, tribus aliis, qui in eisdem ordinibus eis proximi erunt, eorumque locum eo tempore gesserint, sigillatim assignentur; quarta S. R. E. camerario; quinta decano clericorum Camerae Apostolicae, a quo illam aliis tradi non liceat, nisi praesentibus et consentientibus eiusdem Camerae clericis duobus; sexta denique thesaurario generali. Claves vero duae portarum aerarii huius sic a nobis constituti, altera collegii cardinalium decano, eoque absente, antiquiori in ordine cardinali in Urbe existenti; altera nostro et pro tempore existenti Romani Pontificis thesaurario secreto asservandae tradantur; qui omnes iurabunt se neque claves daturos neque extractioni praefatae pecuniae consensuros, nisi in casibus suprascriptis, et tunc nisi consensu duarum partium cardinalium ut supra interveniente.

Praefectus castri S. Angeli praemissa servare iuret.

§ 8. Volumus insuper ab eiusdem castri Sancti Angeli nunc et pro tempore praefecto iuramentum deferri, atque ad illud praestandum in manibus S. R. E. camerarii teneri, se non permissurum, quavis iussione et quibusvis clausulis munita non obstante, ex aerario per nos constituto aliquam pecuniarum quantitatem auferri, nisi forma per nos tradita observata. Si vero contra hoc iuramentum fecerint, pecuniaeque ex aerario partem aliquam, vel minimam, contra huius ordinationis constitutionisque nostrae praescriptum sumi, promi detrahique permiserint, anathematis poenam ipso facto subeant.

Contrarium tentantes poenas hic dictas incurrunt.

§ 9. Id quoque statuimus et sancimus, ut omnes et singuli, tam saeculares, quavis dignitate, etiam ducali aut regia fulgentes, quam ecclesiastici, cuiusvis ordinis et dignitatis, etiam episcopi vel archiepiscopi vel cardinales, qui de pecuniis ex eodem aerario, praeter casus et formam supra praescriptos, sumendis amovendisve tractarint, consuluerint, insinuaverint, suaserint aut suadere tentarint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant; ac praeterea S. R. E. Sedisque Apostolicae iidem rebelles laesaeque maiestatis rei esse censeantur, omnibusque ecclesiis, monasteriis et aliis per eos quomodolibet obtentis ecclesiasticis beneficiis eo ipso privati, cum ad illa tum ad alia in posterum obtinenda inhabiles existant. Quod si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames etiam remaneant, nec vero umquam iis ad honores, gra-

dus dignitatesque in posterum aditus patefiat.

Cardinales omnes in assumptione vel accessu ad curiam observationem huius bullae caveant.

§ 10. Volumus autem quod, sicut omnes et singuli cardinales praesentes constitutionem huiusmodi, quantum in eis erit, observare, illique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, aut absolutionem a iuramento praestito non petere, nec oblatam aut concessam acceptare, in consistorio nostro secreto promiserunt et iurarunt, idem per absentes cardinales a consistorio in habitatione eorum, et a Romana Curia, ut quandocumque ad eamdem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore cardinales in assumptione pilei promitti et iurari debeat; ac promissionem et iuramentum huiusmodi in formula iuramenti per eosdem cardinales praestari soliti adiungi et inscribi debere; ac contrafacientes poenam periurii et perpetuae infamiae, iuris et facti eo ipso incurrere decernimus.

In conclavi idem ipsi cardinales, et etiam Pontifex post coronationem, iuramento promittant.

§ 11. Praeterea quod ipsi cardinales, occurrente Apostolicae Sedis vacatione, in conclavi, quando de observandis felicis recordationis praedecessorum nostrorum Iulii II litteris super electione Romani Pontificis, et Pii V ne civitates et loca S. R. E. infeudentur, et aliis constitutionibus iuramentum praestare solent, etiam de inviolabiliter observanda praesenti constitutione nostra, per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit; et postmodum idem ad summi pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem hoc ipsum promittere ac iurare, et deinde, post coronationem suam, promissionem et iuramentum huiusmodi per litteras suas speciales harum confirmatorias reiterari debeat. Quod si illud a Pontifice, quod credendum non est, recusabitur aut differetur, tunc dicti cardinales in primo consistorio secreto, et praecipue eorum decanus et capita ordinum apud eum omni cum instantia et instantissime pro praesentium observatione petere et rogare ac obtestari non cessent. Quod si semel atque iterum enixe rogatus eiusmodi iuramentum praestare diutius etiam distulerit, tunc demum omnes singulosque cardinales ea lege adstringimus, ut in singulos annos quinquies, in die scilicet Natali Domini, in Pascha Resurrectionis, in festo solemni S. Petri, die praeterea anniversario creationis et coronationis, ipsum Pontificem instanter, instantius atque instantissime rogent, orent, obsecrent atque obtestentur, ut de sancito hoc aerario, quod Deo obtulimus et dicavimus, ad praescriptum custodiendo servandoque sancte iuret, idque ut omnino efficiat, tamdiu quoad plene effecerit, diligentissime curare studeant, statuimus et ordinamus.

Haec bulla in conclavi legatur et describatur in Cancellariae quinterno.

§ 12. Has vero nostras litteras in libellum redigi, et post praedictas Iulii II et Pii V litteras, quae in ipso conclavi legi solent, aliisque constitutionibus apostolicis adiungi, et in quinterno etiam Cancellariae Apostolicae, una cum aliis constitutionibus nostris describi, et in valvis basilicae B. Petri principis apostolorum et in Cancellaria nostra Apostolica ac in acie Campi Florae publicari.

Transumpt[is] credatur.

§ 13. Earumque transumptis et exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius praelati seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem fidem ubique haberi, in iudicio et extra, quae praesentibus haberetur, volumus et iubemus.

Si successo[-] res contrave[-] nerint, aut p[-] terit cont[-] eorum et ca[r-] dinalium co[n-] sentient, co[n-] iunctos.

§ 14. Si quis autem fortasse nostrorum successorum, id quod minime credimus, huic nostrae constitutioni omnino aut aliqua ex parte derogare aut contra statuere voluerit, aut depromptam pecuniam, ut supra sancitum est, in idem aerarium non restituerit, admonemus, post derogantis

aut contra statuentis contraque facientis obitum, liberum esse successoribus, ea derogatione et quibusvis aliis quae contra statuta sunt non obstantibus, pro pecunia contra huius constitutionis praescriptum sumpta ac deprompta recuperanda, adversus Pontificis derogantis et contrafacientis et cardinalium idem consentientium posteros seu coniunctos omnes, quibus ab ipso Pontifice aut cardinalibus bona quovis titulo vel quavis ratione obvenerint, agere, et possessionem bonorum, quae ad ipsos posteros pervenerint, adipisci retinerique, donec quicquid pecuniae depromptum est, id omne in aerarium referatur et restituatur; atque ipsa bona, si quo modo, ut supra dictum est, a forma per nos constituta recedi contigerit, huiusmodi obligationi atque oneri obnoxia et addicta esse volumus, singulis, quae in nostris litteris adversari possent vel quoquomodo obesse, penitus remotis ac non obstantibus.

Sanctio poenalis. § 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, collocationis, repositionis, asservationis, assignationis, oblationis, dicationis, abdicationis, promissionis, iuramenti, voti, professionis, sanctionis, adstrictionum, decretorum, statutorum, ordinationis, iussionum, admonitionis et voluntatum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, undecimo kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Papae subscr. † Ego Sixtus, catholicae Ecclesiae episcopus, promitto, voveo et iuro.

De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.

Cardinalium subscript.

† Ego A. cardinalis Farnesius, episcopus Ostien., vice-cancellarius, promitto, voveo et iuro.

† Ego Iacobus cardinalis Sabellus, episcopus Portuensis, promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Antonius cardinalis Sancti Georgii, episcopus Tusculanus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Io. Franciscus cardinalis de Gambara, episcopus Praenestinus, promitto, voveo et iuro.

† Ego M. S. cardinalis de Altaemps promitto, voveo et iuro.

† Ego Innicus Avalus cardinalis de Aragonia promitto, voveo et iuro.

† Ego Marcus Antonius cardinalis Columna promitto, voveo et iuro.

† Ego P. cardinalis Sanctaecrucius promitto, voveo et iuro.

† Fr. Michael Bonellus cardinalis Alexandrinus promitto, voveo et iuro.

† Ego Ludovicus cardinalis Madrucius promitto, voveo et iuro.

† Ego N. cardinalis Senonensis promitto, voveo et iuro.

† Iulius Antonius cardinalis Sanctae Severinae promitto, voveo et iuro.

† P. cardinalis Caesius promitto, voveo et iuro.

† Ego Hieronymus cardinalis Rusticucius promitto, voveo et iuro.

† Ego Io. Hieronymus cardinalis Albanus promitto, voveo et iuro.

† Ego Philippus Boncompagnus cardinalis Sancti Sixti promitto, voveo et iuro.

† Ego Hieronymus cardinalis Simoncellus promitto, voveo et iuro.

† P. cardinalis Deza promitto, voveo et iuro.

† Ego Antonius cardinalis Caraffa promitto, voveo et iuro.

† Ego Io. Antonius cardinalis Sanctorum Quatuor promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Baptista cardinalis Sancti Marcelli promitto, voveo et iuro.

† Ego Vincentius cardinalis Montis Regalis promitto, voveo et iuro.

† Ego Scipio cardinalis Lancellottus promitto, voveo et iuro.

† Ego Vincentius cardinalis Gonzaga promitto, voveo et iuro.

† Ego Henricus cardinalis Caietanus promitto, voveo et iuro.

† Ego Io. Baptista cardinalis Castrucius promitto, voveo et iuro.

† Ego Federicus cardinalis Cornelius promitto, voveo et iuro.

† Ego Dominicus cardinalis Pinellus promitto, voveo et iuro.

† Ego Decius cardinalis Azzolinus promitto, voveo et iuro.

† Ego Hippolytus cardinalis Aldobrandinus promitto, voveo et iuro.

† Ego Ferdinandus cardinalis de Medicis promitto, voveo et iuro.

† Ego Philippus cardinalis Vastavillanus promitto, voveo et iuro.

† Ego Franciscus cardinalis Sfortia promitto, iuro et voveo.

† Ego Alexander cardinalis Montaltus promitto, iuro et voveo.

Dat. die 21 aprilis 1586, pontif. anno I.

XLIV.

Confirmatio congregationis Beatae Mariae Fuliensis strictioris observantiae monachorum Ordinis Cisterciensis Sancti Benedicti, cum gratiarum elargitione.

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Religiosos viros, qui, divino spiritu afflati, arctiorem, quam ab initio professi fuerint, ac priscis sanctorum patrum moribus magis similem vitae rationem sibi ipsis suapte sponte praescribunt, in suo laudabili proposito confovere, et ita alios ad eorum imitanda vestigia incitare, pro pastorali officio divinitus commisso, plurimum semper intendimus.

In monasterio S. Mariae Fulien. strictior observantia disciplinae mon. introducta fuit

§ 1. Sane cum ad nos nuper perlatum fuerit in vestro monasterio, sublatis quibuscumque pravis abusibus, institutionem et disciplinam monasticam in longe meliorem formam restitutam et reintegratam, vosque religionis et pietatis amore ita incensos existere ut non solum ab esu carnium quibuscumque temporibus, etiam ab Ecclesia permissis, et a potu vini abstineatis, sed etiam in laboribus, ieiuniis, orationibus, carnis maceratione et mortificatione aliisque poenitentiae operibus exercendis strictiorem et severiorem, quam reliqui monachi Sancti Benedicti Cisterciensis Ordinis, Regulam observare studeatis.

Hic Pontifex eam approbat

§ 2. Nos, vestram hanc piam et salutarem intentionem plurimum in Domino commendantes, quo magis pacato et tranquillo animo in humilitatis spiritu divinis obsequiis insistere, piumque institutum prosequi absque impedimento possitis, vestris supplicationibus inclinati, ritus, mores, vitae normam et reformationem ad arctiorem regularis disciplinae observantiam in istud monasterium nuper introductam, dummodo sacris canonibus et concilii Tridentini decretis ac supradictae Sancti Benedicti Regulae iampridem auctoritate apostolica approbatae consona sint, auctoritate praesentium approbamus et confirmamus, illaque praesentium litterarum patrocinio communimus, vobisque ac illis, qui perpetuis futuris temporibus in isto monasterio regularem professionem emiserint, ut ea observare licite possitis, licentiam concedimus.

Superioribus dicti Ordinis interdicit ne dicta vivendi

§ 3. Interdicimus etiam dilectis filiis abbati monasterii Cistercii, Cabilonensis dioecesis, ceterisque superioribus pro tem-

normas ipsos reparabant;

pore existentibus eiusdem Ordinis, ne vos aut eos, qui posthac erunt in isto monasterio recepti et ad professionem admissi, ad relaxandum et remittendum aliqua ex parte rigorem istius observantiae, utendumque indultis et dispensationibus apostolicis, quibus vetustam vestri Ordinis et primaevam institutionem illiusque austeritatem diversi nostri praedecessores mansuetudine quadam temperarunt, laxiorem, honestam tamen vivendi normam permiserunt et benigne indulserunt, quovis praetextu aut quaesito colore, invitos cogere vel compellere, aut vos in praemissis molestare aut impedire audeant vel praesumant. Quod si quid tale attentaverint, aut vobis iniungere, praecipere et mandare praesumpserint, vos ac pro tempore futuros istius monasterii abbatem et monachos ad obediendum talibus illorum praeceptis et iussis minime teneri decernimus. Ita ut nihilominus, etiam illis contradicentibus, absque alicuius poenae vel censurae ecclesiasticae incursu, in hoc vestro instituto perseverare libere et licite valeatis.

Superioritatem vero et omnem iurisdictionem eis praeservat;

§ 4. Ceterum volumus ut in reliquis, quae praemissis vestris arctioribus institutis et disciplinae regulari non erunt contraria, eorum visitationi, correctioni, omnimodae iurisdictioni et superioritati, sicuti hactenus fuistis, in posterum vos vestrique successores subiecti sitis, et ab illorum obedientia nequaquam tali occasione recedatis.

Cognitionem dubii circa vivendi normam servandi sibi reservat;

§ 5. Quod si umquam controversia, dubitatio seu discordia exorta erit super praemissis, utrum scilicet vestri mores vestrumque vivendi genus praedictae Sancti Benedicti Regulae adversentur, talis controversiae cognitionem, definitionem et decisionem nobis dumtaxat et Romano Pontifici pro tempore existenti reservamus.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis, etiam generalibus, editis; et praedictorum ac aliorum quorumvis Ordinum et monasteriorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illorum superioribus et generalibus ceterisque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, illorum tenores pro expressis habentes, ad effectum praesentium dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumqne.

Contrariis quibuscumque derogat.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die V maii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 maii 1586, pontif. anno II.

XLV.

Prohibitio quod de cetero nulla corpora defunctorum, praeterquam regalia, in choris et aliis locis intra septa et clausuram monasteriorum monialium in regnis Hispaniarum sepeliri valeant [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in partibus Hispaniarum commoranti, cum potestate legati de latere nuntio, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis cura in servanda monialium clausura.

Circa pastoralis officii curam nobis, meritis licet imparibus, desuper commissam, quantum nobis ex alto permittitur, invigilantes, assidue ad ea, per quae perniciosis abusibus et exinde provenientibus scandalis obvietur, ac in monasteriis singulis, praesertim foeminei sexus, debita clausura servetur, et sanctimonialium in eis sub Religionis iugo Christo Salvatori in castitatis holocausto famulatum af-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

fectantium quieti et animarum saluti consulatur, libenter intendimus, ac in his nostrae vigilantiae partes propensius impartimur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Causa faciendae prohibitionis de qua in rubrica.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnullae personae laicae in regnis Hispaniarum degentes, saepius eo temeritatis deveniant ut, sub praetextu quod alias suorum defunctorum corpora in certis eorum cappellis seu monialium choris vel aliis locis intra septa et clausuram monasteriorum monialium S. Augustini vel alterius Ordinis, sub cura et regimine fratrum et superiorum Ordinis fratrum Praedicatorum viventium, existentibus, sepelire seu deponere consueverint, ab huiusmodi scandaloso abusu desistere non curantes, murum chori ecclesiarum monasteriorum huiusmodi pro introducendis cadaveribus rumpere et clausuram huiusmodi violare praesumant, in non modicum christifidelium scandalum.

Prohibitio.

§ 2. Nos, pro nostri pastoralis officii munere, scandaloso abusui et pernicioso exemplo huiusmodi obviare, ac monasteriorum clausurae et monialium in illis degentium quieti et animarum saluti, quantum cum Deo possumus, providere volentes, ac certam de praemissis notitiam habentes, motu proprio, non ad alicuius desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus ut auctoritate nostra prohibeas et statuas quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, nulla prorsus defunctorum corpora, praeterquam regalia, in choris, cappellis, capitulis vel aliis locis intra septa ecclesiarum huiusmodi existentibus, quovis praetextu aut colore, sepeliri aut deponi, perpetuo vel ad tempus, neque tumbae aut sepulturae intra septa et clausuram huiusmodi, cum stemmatibus aut insignibus vel alias quomodolibet, exceptis regalibus, fieri aut construi vel refici possint aut valeant quoquomodo.

Si quae sepulturae intra clausuram constructae sunt alio transferendae.

§ 3. Et quod de praesenti forsan constructae ex dictis locis intra clausuram huiusmodi existentibus, penitus et omnino amoveri, et ad alium locum in ecclesiis monasteriorum praedictorum, extra tamen clausuram, arbitrio superiorum praedictorum et partium interesse habentium, transferri debeant.

Cappellarum ianuae extra clausuram aperiendae.

§ 4. Siquae vero cappellae, etiam ad aliquas particulares personas quovis iure spectantes, intra eamdem clausuram reperiantur, ad quas, pro defunctorum corporibus inibi sepeliendis, ex ipsa ecclesia non nisi diruto muro pateat ingressus, earumdem cappellarum ianuae, quae de praesenti intra eamdem clausuram aperte existunt, occludi, et illis penitus clausis, alia ostia extra clausuram huiusmodi in eadem ecclesia aperiri et fieri debeant, ita quod pro ingressu cappellarum huiusmodi vel alias quomodolibet nullo modo eadem clausura de cetero violetur.

Opportunae ad id apostolico nuncio concessae facultates.

§ 5. Ac etiam ita in futurum, sub excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto per contravenientes incurrendae poena, a qua nonnisi per nos aut successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes absolvi possint, perpetuo observari eadem auctoritate praecipias et mandes, monialesque et conventus monialium seu domorum huiusmodi super praemissis a quoquam, etiam praetextu cuiuscumque consuetudinis, etiam immemorabilis, quam eadem auctoritate revoces et annulles, aut alias quovis colore nullatenus molestari, perturbari aut inquietari posse; necnon quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernas, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas alia-

que opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostra de non tollendo iure quaesito; necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis casibus, et in illis, ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur. Seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, a supradicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, nonis maii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 maii 1586, pontif. anno II.

XLVI.

Approbatio, declaratio et extensio constitutionum editarum a Pontificibus praedecessoribus circa solutionem annatarum, communium et quindenniorum de beneficiis ecclesiasticis Romanae Camerae Apostolicae debitorum [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Camerae nostrae Apostolicae et collegii fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et officialium Romanae Curiae, de annatis et quindenniis participantium, indemnitati, prout tenemur, consulere, et eorum iura illaesa praeservari volentes, ea, quae propterea a praedecessoribus nostris provide statuta fuerunt et ordinata, ut inviolate observentur, confirmationis nostrae munimine roboramus et innovamus, et alias desuper disponimus, prout rationi consentaneum esse, et in Domino conspicimus expedire.

Confirmatio bullarum Pauli II, III et IV et Pii V et aliorum Pontificum.

§ 1. Itaque, motu proprio et ex certa scientia nostra, quascumque, tam sub plumbo quam in forma brevis et motus proprii litteras felicis recordationis Pauli secundi et eiusdem nominis tertii, Pauli quarti ac Pii quinti, necnon quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum super solutione annatarum, communium, quindenniorum et aliorum iurium, ratione provisionum seu unionum perpetuarum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, per Sedem Apostolicam factarum et faciendarum, editas, confirmatas et innovatas, cum

[1] De hac materia, ultra ea quae sunt in extravagantibus, extant in hoc opere Pauli II const. VIII, *Decet*, tom. V, pag. 197; Innoc. VIII const. IV, *Apostolicae*, ibidem, pag. 311; Iulii II const. VI, *Romani*, ibidem, pag. 152; Clem. VII const. XLI, *Cum sicut*, tom. IV pag. 523; Iulii III const. XXVII, *Cupientes*, ibidem, pag. 473; Pauli IV const. XVI, *Incumbentia*, ibid., pag. 523, et const. XXV, *Decens*, ibidem, pag. 533. necnon Pii V const. LX, *Apostolicae*, tom. VII, pag. 598.

omnibus clausulis, decretis, derogationibus ac censuris et poenis in illis contentis, necnon omnia et singula per quoscumque iudices, executores et commissarios, in praemissis et circa ea quomodolibet gesta et executa, ac inde secuta quaecumque, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, necnon illis perpetuae et irrefragabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum et alios defectus, siqui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, atque illas et illa, quatenus opus sit, innovamus.

Extensio ad quascumque uniones beneficiorum hic non exceptorum.

§ 2. Praeterea, quoniam quindenniorum usus et solutio ratione beneficiorum unitorum constituta sunt, quia illorum vacatio amplius non speratur, et ut propterea damnum ex hoc Camerae Apostolicae et collegio cardinalium et Romanae Curiae officialibus praedictis emergens sarciatur; nos, attendentes quod tantumdem detrimenti Camerae, collegio et officialibus praefatis, ex unionibus quae ab ordinariis locorum et aliis fiunt, provenit, ac propterea aequum esse censentes ut quod in unionibus per Sedem Apostolicam factis obtinet, illud idem et fortius in unionibus per ipsos ordinarios factis et faciendis observetur; licetque in constitutionibus et litteris praedecessorum praefatorum comprehendi videatur, tamen, ut cuivis dubitandi occasio praecidatur, motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, statuimus, decernimus et declaramus quod uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et submissiones de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, tam sæcularibus quam regularibus, etiamsi monasteria monialium et hospitalia fuerint, quæ tamen, tempore ipsarum unionum, cura, conventu et hospitalitate caruerint, et quorum singulorum, vel si plura beneficia unicis litteris comprehensa sint, quorum quilibet annuus valor vigintiquatuor ducatos auri de Camera, secundum communem extimationem, non excedat, dummodo tamen omnium insimul illum transcendant, cuicumque ecclesiae, monasterio, collegio, domui, societati, congregationi, Ordini, militiae, hospitali, seminario aut alio loco pio, tam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos necnon Sedis praefatae legatos, nuncios et alios quoscumque subdelegatos, et alias quomodolibet auctoritate apostolica, quam per quemcumque loci ordinarium, in qualibet mundi parte, hactenus factae et faciendae, etiamsi manualia et de iure patronatus laicorum, etiam imperatoris, regum, ducum, marchionum, baronum, comitum et aliorum nobilium et illustrium illa beneficia fuerint, sub dictorum praedecessorum constitutionibus ac declarationibus omnino comprehendantur et includantur, ac ab omnibus comprehensae et inclusae censeantur. Et propterea omnia et singula cathedralium, etiam metropolitanarum, collegiatarumque ecclesiarum capitula, congregationes, societates, universitates, collegia, seminaria, hospitalia, monasteria et pia loca huiusmodi, et quivis alii, in quorum favorem uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et submissiones huiusmodi factae reperientur, aut posthac fient, quantumcumque exemptae et privilegiatae existant, etiamsi se superinde in Camera Apostolica non obligaverint, dummodo beneficia ipsa possideant, ad solutionem quindenniorum praefatorum eidem Camerae ac collegio et officialibus, ratione unionum, annexionum, incorporationum, applicationum et submissionum praefatarum singulis quindecim annis, a die quo illae suum sortitae fuerint effectum, iuxta tenorem litterarum praedecessorum praefatorum su-

per hoc editarum faciendam, teneri et obligatos esse; et ad id per sententias, censuras et poenas in ipsis litteris contentas cogi et compelli posse.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Iudicis deputatio et facultates in causis et exigentiis [illegible] etc.

§ 4. Mandantes dilecto filio magistro Alexandro Glorierio, clerico dictae Camerae, quem super cognitione et decisione causarum, tam occasione praemissorum quam annatarum beneficiorum pro tempore vacantium, per illorum provisos dictis Camerae, collegio et officialibus debitarum et debendarum, pendentium et movendarum, iudicem deputavimus, ac aliis in eius locum, per nos vel successores nostros subrogandis iudicibus, ut, pro faciliori indagatione unionum praefatarum, omnia et singula cathedralium, etiam metropolitanarum et collegiatarum ecclesiarum capitula et collegia, necnon tam virorum quam mulierum, saeculares et quorumvis Ordinum regulares congregationes seu collegia, seminaria et pia loca, eorumdemque praelatos, procuratores, ad indicandum et profitendum, medio iuramento, omnia et singula monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, parochiales ecclesias et alia quaecumque beneficia ecclesiastica, etiamsi manualia et de iure patronatus, ut praefertur, fuerint, quae ipsa collegia, seminaria, congregationes et alia pia loca praefata possideant, illorumque annuos veros valores, sub privationis et aliis in litteris in forma motus proprii Pauli IV et Pii V, praedecessorum huiusmodi, contentis sententiis, censuris et poenis, in Romana Curia et extra eam, moneant et requirant. Dantes eis plenam et liberam facultatem, pro eorumdem quindenniorum et iurium exactione, omnes et singulos illorum debitores, sub singulis praefatis et praesentibus nostris litteris comprehensos, etiam per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, tam in dicta Curia quam extra eam, citandi, monendi et requirendi; ac eis et aliis, quibus et quoties opus fuerit, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis, Alexandri et subrogandorum praefatorum arbitrio ferendis, statuendis, moderandis et applicandis, ac etiam privationis beneficiorum unitorum, etiam simili edicto, inhibendi; ipsosque debitores ad indicandum beneficia unita et solvendum quindennia decursa, etiamsi ad id in Camera Apostolica non se obligaverint, constito tamen de sortito effectu unionum, per similes sententias, censuras et poenas, etiam interdicti tam localis quam personalis appositionem, per Alexandrum et subrogandos praefatos, quoties opus fuerit, ferendas et promulgandas, necnon fructuum, redditSuum et proventuum beneficiorum ecclesiasticorum, quae ipsi debitores possidebunt, pro quantitate eorum debiti, sequestrationem et alia opportuna iuris et facti remedia, etiam cum invocatione auxilii brachii saecularis, cogendi et compellendi; ac in praemissis omnibus et singulis, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, ac alias more camerali, procedendi; ac eos qui sententias, censuras et poenas praefatas, ut praemittitur, incurrerint, ab eisdem censuris et poenis, praevia satisfactione, absolvendi et liberandi, aliaque faciendi, gerendi et exercendi, quae in

praemissis necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna.

Clausulae derogatoriae. § 5. Non obstantibus quacumque centenaria, etiam completa, et etiam maiori a iure statuta praescriptione, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus; necnon privilegiis, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis capitulis, congregationibus, collegiis, seminariis, hospitalibus et aliis piis locis praefatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, et ex causa initi contractus, aut alias quomodolibet concessis ac iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; necnon omnibus illis quae praedecessores praefati in singulis eorum litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 6. Volumus autem ut praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 maii 1586, pontif. anno II.

XLVII.

Confirmatio et nova concessio gratiarum et privilegiorum Ordini Cisterciensi, eiusque abbatibus, monachis et monasteriis a Gregorio IX, Innocentio IV, Sixto IV, Innocentio VIII, Pio IV, Pio V, Gregorio XIII et aliis Summis Pontificibus concessorum [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pontifex Romanus, primarias Christi Dei et Domini nostri in terris gerens vices, sicut totius dominici gregis pascendi curam et onus sustinere dignoscitur, ita in eos, quos gravius laborare, et suo praecipuo auxilio indigere perspexerit, propensius et favorabilius incumbere debet. Cum primis vero religiosorum monachorum, qui, mundanis abiectis illecebris, in spiritu humilitatis Altissimo famulantur, paternam curam gerere, nutantemque illorum statum, quantum ex alto conceditur, celeri ac salubri munimine fulcire.

Plures Summi Pontifices Ordini Cisterciensi diversas gratias et privilegia concesserunt. § 1. Sane, sicut pro parte dilecti filii Edmundi a Cruce, abbatis monasterii Cistercii, Cabilonensis dioecesis, totius Ordinis Cisterciensis generalis, necnon dicti Ordinis capituli generalis, nobis fuit expositum quod Cisterciensium monachorum Ordo a divo Roberto institutus, et a divo Bernardo illustratus, ceterisque eorum successoribus propagatus, multorum virorum sanctimonia praecellens, tam a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, quam etiam ab imperatoribus, regibus, ducibus et aliis principibus, tot et tantis privilegiis, gratiis et favoribus me-

[1] Institutionem huius Ordinis et omnia ipsum concernentia inspice in Paschalis II constitut. III, *Desiderium*, tom. II, pag. 209. Similem autem statutorum Ordinis et privilegiorum confirmationem habes in Pii quarti constitut. LXXXVII, *In eminenti*, tom. VII pag. 260; et Gregorii XIII const. XXVIII, *Superna*, pag. 73, huius tomi.

ruit decorari, ut nullo quovis temerario ausu, nullaque temporis diuturnitate, privilegia, exemptiones et gratias huiusmodi a quoquam violari aut modo aliquo infringi posse viderentur. Sed tamen ea est quorumdam hominum improbitas, talisque rerum humanarum conditio, ut, nisi saepius eadem iterentur et legum poenis fulciantur, huiusmodi hominum audacia et temporis iniuria optimae leges et privilegia conculcentur. Quo factum est ut, quemadmodum eadem expositio subiungebat, multi piae memoriae praedecessores nostri, praecipue vero Paschalis II, Callistus etiam II, Eugenius III, Alexander III, Lucius similiter III, Honorius etiam III, Gregorius IX, Innocentius IV, Alexander etiam IV, Urbanus IV, Clemens IV, Gregorius X, Nicolaus IV, Bonifacius VIII, Clemens V, Ioannes XXII, Benedictus XII, Clemens VI, Urbanus V, Ioannes XXIII, Martinus V, Eugenius IV, Nicolaus V, Callistus III, Pius II, Sixtus IV, Innocentius VIII, Leo X, Pius IV, Pius V et Gregorius XIII, Romani Pontifices, privilegia, praerogativas, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, conservatorias, facultates et alias gratias, monasterio seu abbati Cistercii, necnon Firmitatis, Pontiniaci, Clarevallis et Morimondi, Cabilonensis, Antisiodorensis et Lingonensis respective dioecesis, quatuor ipsius monasterii Cistercii filiabus appellatis, totique Ordini Cisterciensi et capitulo generali eiusdem concesserint et indulserint.

Gregorius IX sigillatim abbatis electionem a nemine impediri iussit.

§ 2. Inter cetera vero Gregorius IX ne ullus episcopus aut quaelibet alia persona, cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae existat, regularem electionem abbatum ipsius Ordinis impedire, aut in ea se quomodolibet ingerere.

Innocent. IV Ordinem a iurisdictione episc. eximit.

§ 3. Innocentius IV eisdem episcopis, ne monachos et abbates Religionis eiusdem, etiam ratione cuiuscumque delicti, causa fidei dumtaxat excepta, ad sua iudicia et tribunalia trahere.

Sixtus IV commendatariis nonnulla prohibuit.

§ 4. Sixtus IV commendatariis monachorum numeri taxationem et novitiorum receptionem et benedictionem in monasteriis commendatis prohibuit, atque eius rei curam penes abbates aliosque Ordinis superiores remanere voluit.

Innocen. VIII habitus difformitatem vetuit.

§ 5. Innocentius VIII, ne quisquam ex abbatibus et monachis ipsius Ordinis, in habitu et vivendi ritu, longo usu passim recepto, se ab aliis difformare praesumeret.

Pius IV, Pius V, et Gregor. XIII alia commendatariis prohibuerunt.

§ 6. Pius IV, Pius V et Gregorius XIII commendatariis eisdem eorumque ministris ceterisque personis saecularibus, quovis titulo ipsius Ordinis monasteriorum fructus atque proventus percipientibus, ne templa et alia loca regularia et ad monachorum usum destinata, abbatiarum huiusmodi et monasteriorum quomodolibet occuparent aut profanarent, neve in illis mulieres cuiuscumque conditionis introducerent, nec sese in bonis per monachos pro tempore decedentes relictis illorumve spoliis quomodolibet intromitterent, aut bona ipsa sibi appropriarent, respective statuerunt, mandarunt et districtius praecipiendo vetarunt.

Nonnulli alii Pontifices, quaedam alia Ordini concesserunt.

§ 7. Ac etiam alii Romani Pontifices praedecessores nostri alias et aliter in favorem Ordinis eiusdem statuerunt, ordinarunt, concesserunt, indulserunt, prohibuerunt et inhibuerunt, prout in singulis tam praedictorum quam aliorum quorumcumque praedecessorum nostrorum litteris, sub quacumque forma et data respective (quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis) expeditis et emanatis, latius dicitur contineri.

Hic modo Pontifex omnia confirmat et, quatenus sint in usu et concilio Tridentino non contraria, innovat;

§ 8. Quare ipsius Ordinis Cisterciensis afflicto statui paterno affectu, et ex pastoralis officii nobis ex alto iniuncti munere providere volentes, motu proprio, non ad abbatis Cistercii ipsius Ordinis generalis,

nec alterius cuiusque pro eo sive toto Ordine ipso nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex nostra mera et spontanea voluntate et certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praedicta omnia et singula privilegia, praerogativas, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, conservatorias, facultates, indulta et alias gratias Cistercii et quatuor aliarum nuncupatarum praedictis monasteriis et Ordini universo eiusque capitulo generali, definitoribus et aliis superioribus quibuscumque per supradictos et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa et innovata, concessasque et innovatas, praesertim vero ipsas litteras Gregorii IX, Sixti IV, Innocentii VIII, Pii IV, Pii V et Gregorii XIII, per quarum ausu temerario contemptam a multis observationem eiusdem Ordinis convellitur immunitas, regularis status periclitatur, uniformitas decoloratur, confirmamus, roboramus et approbamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, et, quatenus opus sit, concedimus et indulgemus, vetamus, prohibemus et inhibemus, ac etiam solemnitatum, etiam substantialium, et quoscumque alios defectus, siqui in singulis privilegiis, indultis et litteris apostolicis prædictis vel aliis quibuscumque quomodolibet intervenerint, motu et scientia similibus, eodem præsentium tenore, supplemus. Decernimus omnia et singula in ipsis privilegiis et indultis ac praesentibus nostris contenta et comprehensa, quatenus sint in usu et sacris canonibus, praecipue vero concilii Tridentini decretis, non adversentur, perpetuo valida et efficacia ac firma et stabilia fore et esse, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac omnibus et singulis quos tangunt seu tangere poterunt quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere.

Clausulae praeservativae appositi;

§ 9. Ac praesentes nostras, etiam ex quavis causa, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari seu impugnari et alias quomodolibet infringi vel retractari nullatenus umquam posse, sed eas semper et perpetuo valere et tenere ac viribus subsistere, necnon eis, quos vel quorum favorem concernunt et concernent, omnino suffragari.

Clausulae *sublata etc.* additi;

§ 10. Sicque per quoscumque iudices, etiam causarum sacri nostri Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam legatos de latere, et quacumque potestate et dignitate fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Executores deputat;

§ 11. Quocirca omnibus nostris et dictae Sedis legatis ac nunciis, ubicumque existentibus, ac quorumcumque locorum ordinariis necnon Ordinis praefati conservatoribus, ac dilecto filio moderno et pro tempore existenti Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ipsorumque singulis, per apostolica scripta mandamus quatenus praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte patris generalis, abbatum, procuratoris generalis, vicariorum, visitatorum et aliorum praefatorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ipsisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra patrem generalem, abbates, procuratorem generalem, vicarios, visitatores et alios praedictos confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, concessione, statuto, ordinatione, invocatione, praece-

pto, interdicto, revocatione, abolitione ac sui generalis voluntatibus, mandatis, decretis nostris aliisque praemissis pacifice frui et gaudere, ac praesentes litteras ab omnibus, quos illae concernunt, inviolabiliter et inconcusse observari, non permittentes patrem generalem, abbates, procuratorem generalem, vicarios, visitatores, superiores ac alios praedictos desuper contra litterarum earumdem praesentiumque tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, per praedictas ac alias sententias, censuras et poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat; § 12. Non obstantibus praemissis ac sanctae memoriae Bonifacii Papae VIII, pariter praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus; necnon quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus et decretis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, legatis, nunciis et ordinariis praedictis ac aliis quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, etiam consistorialiter aut alias quomodolibet concessis, et etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum veriores tenores, formam, datas et decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse decernimus; necnon omnibus illis, quae in litteris Pii IV, Pii V et Gregorii XIII ac aliorum praedictorum expressum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 13. Ceterum, quia difficile foret, *etc.* Fides exemplorum.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 maii 1586, pont. anno II.

XLVIII.

Confirmatio constitutionum congregationis fratrum Sancti Ambrosii ad Nemus [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romanum decet Pontificem ea, quae pro felici regimine et salubri directione monasteriorum et regularium locorum quorumlibet ac personarum in eis degen-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tium statuta et ordinata fuisse comperit, ut firma et illibata persistant, apostolicae Sedis munimine roborare.

Rector generalis et cardinalis protector, auctoritate capituli generalis, reformant constitutiones.

§ 1. Sane dilectus filius noster Franciscus Sancti Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Sfortia nuncupatus, Ordinis et congregationis fratrum Sancti Ambrosini ad Nemus sub Regula Sancti Augustii protector, nobis exposuit quod nuper dilecti filii moderni, rector generalis ac prior monasterii Sancti Clementis de Urbe, Ordinis et congregationis huiusmodi, a capitulo generali Mediolani antea celebrato, auctoritatem reformandi constitutiones Ordinis et congregationis huiusmodi habentes, una cum ipso Francisco cardinali protectore pluries congregati, nonnullas constitutiones, numero XLV, partim ex veteribus, partim ex his, quas bonae memoriae cardinalis Borromaeus, tunc in humanis agens et dicto capitulo praesidens, ediderat, partim vero aliunde, ut melius visum fuit, collectas, eidem Francisco cardinali protectori legendas et ab eo approbandas obtulerunt; quodque dictus Franciscus cardinalis protector, illis diligenter visis ac mature consideratis, illa tam Franciscus cardinalis protector quam generalis et prior praedicti approbarunt et pro approbatis habuerunt, illasque ab omnibus et singulis Ordinis et congregationis praedictorum fratribus et personis observandas esse iudicarunt atque mandarunt, prout in ipsis capitulis, per Franciscum cardinalem protectorem ac generalem et priorem praedictos die XV mensis aprilis proxime praeteriti subscriptis, plenius dicitur contineri.

Easdem pontificia auctoritate firmari petunt.

§ 2. Quare praedictus Franciscus cardinalis protector, tam suo quam generalis ac prioris praedictorum nominibus, nobis humiliter supplicavit quatenus constitutiones praedictas omniaque et singula in eis contenta capitula confirmare et approbare, illisque perpetuae firmitatis robur adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Easdem confirmat Pontifex;

§ 3. Nos, de omnibus in eisdem constitutionibus contentis informati, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones praedictas, dicta quadraginta quinque capitula, ut praefertur subscripta, continentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque quomodolibet omissarum defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Perpetuoque servari praecipit.

§ 4. Easdemque constitutiones per generalem ac priorem et fratres dictorum Ordinis et congregationis tunc et pro tempore existentes perpetuo observari debere, et ad id cogi et compelli posse, nec ab illis ullo umquam tempore quovis praetextu resilire posse; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Cardinalem protectorem ad earum exequutionem iubet incumbere, addita ad id potestate;

§ 5. Mandantes eidem Francisco cardinali, moderno et pro tempore existenti protectori, ac vice-protectori Ordinis et congregationis huiusmodi, ut omnia et singula in dictis capitulis contenta, per supradictos ac omnes alios, quos ea concernunt et concernent in futurum, sub excommunicationis et aliis ecclesiasticis sententiis, et privationis officiorum et aliis poenis suo arbitrio imponendis, inviolabiliter observari faciant; contradictores et impeditores eisque auxilium et favorem quomodolibet praestantes, per easdem censuras et poenas aliaque sibi visa remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac

Contraria tolli. quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Ordinis et congregationis praedictorum, eorumque monasteriorum ac regularium locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis per felicis recordationis Gregorium XIII et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros Ordini et congregationi praedictis ac eorum monasteriis et regularibus locis, necnon rectori generali et prioribus ac fratribus aliisque personis in praeiudicium seu contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alio expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX maii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 maii 1586, pontif. anno II.

XLIX.

Institutio artis conficiendi sericum in Urbe et toto Statu Ecclesiastico cum nonnullis ordinationibus [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Petrus Valentinus Prentin. curat artem fabricandi sericum in dominio ecclesiastico. § 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius Petrus Valentinus Prentin., civis Romanus, de introducenda arte conficiendi sericum, necnon artificio texendi et componendi aulæa in Urbe nostra eiusque districtu ac civitate nostra Beneventana et universo Statu Ecclesiastico nobis immediate subiecto, excepta civitate et dominio Bononiensi, necnon in civitatibus, terris, oppidis et locis domicellorum nobis mediate subiectorum, apprime cogitaverit.

Propositum laudat probatque Pontifex; § 2. Nos, conficiendi sericum et aulæum praeclarum inventum ad commune commodum et populorum solatium, pauperumque recreationem, et inopiae sublevationem, in maximam subditorum nostrorum et Camerae Apostolicae utilitatem cedere et in dies magis cessurum esse animadvertentes, ac primarias orbis civitates atque provincias, in quibus artificia haec vigent, illis maxime illustrari ac eiusmodi artes non mediocri illorum decori et ornamento esse conspicientes, quo idem Petrus eam in curam totis viribus magis magisque incumbat, nostra in primis auctoritate ac uberiori Sedis Apostolicae munificentia suffultus, motu proprio, ac ex certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, artem conficiendi sericum, ac artificium texendi aulæa et stragula in Urbe praedicta ac in universo Statu Ecclesiastico ac singulis in civitatibus, terris et locis nobis mediate vel immediate subiectis perpetuo introducimus et instituimus.

In singulis vineis, hortis pratis etc. arbores celsi plantari iubet. § 3. Ac quo ex ea introductione optati fines sequantur, statuimus unamquamque personam Status nostri Ecclesiastici praedicti, in termino quod per publicum decretum quam primum innotescat, adstrictam fore plantare unam arborem celsi vel mori pro quolibet petio vineæ, horti seu canneti, et tam vinearum exiguarum quam arboribus consitarum, et quinque arbores pro quolibet rubro terrae, ad rationem rubri Romani ad mensuram cathenae, uti dicitur, in omnibus casalibus, sylvis, communitatibus et possessionibus quomodolibet nuncupatis, consi-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

stentibus in pratis, vallibus aut collibus, in quibus frumentum seri non solet.

De huiusmodi arboribus Camera Apostol. nullum fructum percipere debet, sed tantum de serico.

§ 4. De quarum quidem arborum foliis producendis ipsa Camera nullum commodum sentire debeat, sed super serico tantum commodum percipiat, ipsasque arbores insimul in uno arboreto, vel divisim, prout illis magis placuerit, dummodo praeordinatum numerum constituant, et in locis, qui commode seu artificiose saltem quater in anno, quatenus opus fuerit, aquis irrigari possint, et per quadraginta palmos ab invicem distantes plantentur, sive plus vel minus, habito respectu et consideratione qualitatis terreni.

Tales arbores a dominis terreni custodiendae.

§ 5. Et quamdiu huiusmodi arbores parvae fuerint, et ignis ac animalium necnon siccitatis et ariditatis temporum ac locorum aliisque periculis exponentur, domini vinearum, possessionum, casalium, praediorum et aliorum praedictorum illas custodire vepribus et spinis ac saepibus circumdare et vallare, ac ab omnibus periculis accurate defendere teneantur.

A communitatibus, locis piis et Camera Apostol. quinque arbores plantandae pro singulo rubro terreni.

§ 6. Quodque, pro beneficio Camerae, necnon communitatum et universitatum ac domicellorum et praecipue locorum piorum et bonorum ecclesiasticorum, in omnibus casalibus, sylvis, communibus et terrenis Camerae, communitatum, universitatum aliorumque hominum supradictorum plantari debeant numero quinque arbores celsi seu mori, pro singulo rubro terrae; ipsaque Camera, ceteris praedictis exemplo existens, primam huic operi manum apponere debeat, quibus accedere teneantur omnes supranominati, coniunctim vel divisim, sicuti magis expedire iudicaverint, sed in dohana Patrimonii plantari debeant de consensu, et ubi dohanerii pro tempore indicabunt et eis benevisum fuerit.

Ab huiusmodi arboribus nullam Camerae beneficium, sed nonnullis hic indicatis communitatibus;

§ 7. Insuper constituimus quinque arbores plantandas fore pro quolibet rubro omnium quantitatum terrarum et sylvarum communium nunc existentium, quae, nisi mensuratae fuerint, eas mensurare faciant iuste et fideliter; ac ipsas celsos et moros, quinque videlicet pro quolibet rubro terrae huiusmodi, plantatas a communitatibus et universitatibus aliisque personis ecclesiasticis praedictis, etiamsi archiepiscopi, episcopi, abbates, commendatarii, praepositi Societatis Iesu, seu abbatissae et quaevis aliae personae titulo Religionis insignitae fuerint, ad communitates et universitates necnon archiepiscopos et episcopos, abbates, commendatarios, necnon loca pia singulasque alias personas ecclesiasticas huiusmodi pertinere; domicellos autem et barones praedictos nullam ipsarum arborum partem eidem Camerae praestare teneri declaramus; immo vero illis, necnon senatori populoque Romano, ac communitati et hominibus civitatis nostrae Sabinensis, necnon universitatibus Chorae, Vitorchiani ac Barbarani et Malleani castrorum seu oppidorum, Sabinensis et aliarum dioecesum, unam earum arborum in sylvis et territoriis suis necnon alteram earumdem arborum medietates, per eorum subditos et vassallos plantandarum in terris et locis ab ipsis ad firmam seu in arrendam seu quamvis aliam locationem conductis, loco ac in recompensam terrarum per eos pro praemissis concedendarum, utque solertes ac pervigiles sint, quod eorum vassalli et subditi praefati arbores huiusmodi diligenter plantent, concedimus.

Si arbores plantatae non fuerint intra quinque annos, inobedientes incurrant poenam mille scutorum, easque plantet Camera Apostolica.

§ 8. Si vero infra quadriennium proximum, a die constituti seminarii et plantumarii huiusmodi computandum, in omnibus civitatibus, provinciis et locis praedictis, etiam episcopi, necnon communitates et universitates ac aliae personae privatae, tam ecclesiasticae quam saeculares, praedictae non plantaverint seu

plantari fecerint saltem tertiam partem celsorum et mororum, ad quam tenebuntur, incidant in poenam mille scutorum huiusmodi pro qualibet persona, etiamsi privata, baro et domicellus seu communitas et universitas fuerint; dictaeque Cameræ officiales et personæ easdem arbores per se ipsos plantare seu plantari facere possint, sumptibus et expensis episcoporum ac omnium aliorum praedictorum; ipsaque Camera fructus suos faciat, nedum earumdem arborum, verum etiam casalium et sylvarum huiusmodi durante quinquennio; celsi autem et mori huiusmodi per ipsam Cameram plantatae, cultivatae et gubernatae, ad illam in perpetuum spectare et pertinere dignoscantur.

Quid faciendum si subditi communitatum arbores non plantaverint, et quam poenam singuli subire debeant.

§ 9. Praeterea, si incolae, populi et habitatores et subditi eiusdem Status negligentia usi fuerint, et saltem ipsarum tertiam partem intra dictum quadriennium non plantaverint, communitates et universitates huiusmodi illas, sumptibus et expensis civium et oppidanorum ac incolarum aliorumque praedictorum, in eorum terris et possessionibus plantare valeant, ac arborum perpetuo, terrarum vero et possessionum earumdem fructus et proventus ad quinquennium, ad ipsas communitates et universitates ipso facto pertineant.

Cum primum nascentur folia, educandi vermes iuxta modum a Petro praescribendum.

§ 10. Volumus autem quod cum primum enascentur folia arborum celsorum et mororum huiusmodi in territoriis et locis supradictis, tunc detur principium, ubi adhuc datum non est, in manutentione educandi vermes pro directione et exercitio harum artium; illudque successive augeatur iuxta augmentum foliorum earumdem, prout Petro ac haeredibus et deputatis praedictis visum fuerit.

Regens, notarius et computatores deputandi ad praemissorum effectum, et civitates expurgandae ab immunditiis, quae ex vermium educatione proveniunt.

§ 11. Sed quia in Urbe ac districtu et Statu Ecclesiastico praedictis maxima celsorum et mororum adest copia, ex quibus a nonnullis parum commodi et utilitatis percipitur, ipsaque Camera ex illis nullum fructum sensit, et cum reipublicae intersit ne bona dissipentur, ideo, volentes artes serici et aulaei ad omnium, praesertim pauperum et egentium, necnon piorum locorum ceterorumque utilitatem quam primum introducere, statuimus et ordinamus quod nunc deputari debeant regens et vicegerentes supradictarum artium, una cum notario et computatoribus, pro commodo et utilitate Camerae necnon civitatum et universitatum aliorumque omnium supradictorum; et quando educabuntur vermes praedicti, debeant illi ab eorum stercoribus et immunditiis necnon foliis consumatis et confectis mundari et recte gubernari, quae quolibet triduo ab eorum receptaculis cum curribus seu alio decentiori modo extrahantur, ac proiiciantur in flumen in locis ad hoc deputandis; in civitatibus vero ac terris in locis significandis, sub poena centum scutorum similium pro qualibet vice.

Quibus in locis arbores plantari non debeant.

§ 12. Item in recompensationem terrarum eidem Petro ad effectum praemissorum concedendarum et assignandarum, et pro publica utilitate, utque aliquod commodum capiatur ex terris incultis et inutilibus praedictis, sub poena mille scutorum similium, necnon amissionis terrarum et possessionum huiusmodi praecipimus et mandamus quod in locis, in quibus praesens noster motus proprius executione demandatus non est, ille sedulo exequatur, praeter quam a Porta Pinciana usque ad Portam Flaminiam, vulgo dictam B. Mariae de Populo, iuxta vero propugnacula et aggeres ac muros dictae almae Urbis ad ulnas iuxta constitutiones Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, necnon populi Romani; et quod quilibet patronus vinearum seu praediorum et possessionum huiusmodi illas saepibus circumvallare, quatenus illis non-

dum circumdatae sint, et manutenere debeat.

Nonnulla loca conceduntur senatui Romano ad plantandas arbores.

§ 13. Insuper, omnes terras intra et extra dictam Urbem nostram prope aggeres et muros dictae Urbis, et etiam omnia et singula loca publica intus et circum quamlibet antiquitatem intra et extra dictam Urbem consistentia, etiamsi termae et aliae antiquitates, quae nondum alienatae aut appropriatae legitime fuerint, dummodo de illarum venditionibus et concessionibus per publica documenta ac instrumenta a Camera seu populo Romano praedictis, ac confirmationibus a Romanis Pontificibus et Camera praedictis factis legitime non constet, etiamsi argini, colles, ripae fluminum et paludum, vel ipsaemet paludes, possessiones ac loca inutilia et deserta ac derelicta seu alia loca publica fuerint, exceptis plateis et viis publicis, quibus muliones cum mulis et aliis animalibus cum sarcinis uti, et redae seu carpenta commode vehi posse volumus, necnon etiam portibus et ripis ad navigationem limborum, cymbarum et scafarum commodis, et conducentibus in Tyberim, Anienem et alia flumina, quia videlicet illas in districtu ipsius Urbis, et territoriis Choriae, Barbarani, Vitorchiani et Malleani, senatui et populo praedictis concedimus et condonamus, ad hoc ut ipse populus disponat ad commodum publicum, et concordet ac conveniat cum ipsarum terrarum ac possessionum et rerum vicinarum et adiacentium dominis et patronis vel aliis sibi benevisis personis; et ibidem celsos et moros viginti palmos ab invicem distantes, et in termis aliisque antiquitatibus populi praedicti esse, ac ad illum pertinere volumus, ut illas concedat calderariis, idest sericum ex globis extrahentibus, et aliis opificibus aliquem affictum pro locatione exinde soluturis.

Quid agendum pro commodo et indemnitate dominorum dictarum arborum.

§ 14. Utque facilius reperiantur computa serici et aulaei conficiendi, in ipsius Camerae necnon communitatum et universitatum ac baronum et domicellorum commodum, ne ipsi desuper defraudentur, ac universale et particulare beneficium; et similiter omnes aquas fontium iam constitutorum, et in posterum, etiam ex aqua *Felice* nuncupata, conficiendorum, et quae perducentur, eidem populo concedimus necnon filatoria et torcitoria serici et aulæi, ita ut ipsa filatoria, torcitoria et caldaria ad usum serici et aulæi huiusmodi conficiendi ad ipsum populum pertinere, nullumque praeter populum huiusmodi seu ab eo deputatos filatoria et torcitoria seu aenea caldaria ad eum usum conficere posse statuimus; ac id ipsum fieri intelligimus et exequi volumus in omnibus civitatibus, terris, et locis prædictis, intra et extra eorum moenia, propugnacula et aggeres, ac in eorum territoriis, necnon in locis publicis, in quibus arbores praedictae sitae sive plantatae fuerint ex concessione populorum praedictorum, per eos plantandarum, et de celsis sive moris unam quartam Romano et aliis populis praedictis; reliquam vero quartam de celsis sive moris tantum partes ipsi Camerae concedimus; reliquas vero duas quartas partes vicinis seu colonis qui dictas arbores plantarint seu fecerint plantari; hac tamen ratione ut ipsa divisio fiat in globis sericeis et aulaeis seu pecunia numerata, prout fiet cum ipsarum arborum plantatoribus; et ex commodis proventuris ex locationibus aedificiorum publicorum et aliarum antiquitatum vel caldariorum et filatoriorum ac torcitoriorum aquatilium unam populis, alteram vero medietatem Camerae praedictis assignamus, quibus quidem populis in primis de expositis et impensis per eos, cum interventu et consensu Petri seu ab eo deputandorum praedictorum et non alias satisfieri debeat; quod si populi prae-

dicti in recuperatione et redemptione terrarum et antiquitatum ac aedificiorum, necnon caldariorum ac filatoriorum et torcitoriorum huiusmodi aliarumque rerum et aedificiorum desuper utilium et necessariorum, ac refectionem expensarum desuper factarum infra quinquennium, a die sibi factae intimationis per Petrum seu deputatos praedictos computandum, negligentes fuerint, illa omnia non redempta et recuperata ac restaurata ad ipsam Cameram pertineant, et ipsi populi de non redemptis et recuperatis ac restauratis nihil commodi exinde sentire possint; si vero aliquis episcopus, archiepiscopus vel alia ecclesiastica seu mundana aut quantumvis nobilis seu privata persona a plantatione celsorum et mororum huiusmodi debitis temporibus facienda defecerit, illis omnes et singulos fructus penes quoscumque affictuarios et locatarios existentes eo ipso sequestramus, ipsosque ad plantandum arbores huiusmodi omnibus viis iuris cogi et compelli volumus; quod si in hoc negligentes extiterint, debitis affici poenis, necnon casalium et terrarum praedictarum dominos ad solutionem expensarum in huiusmodi plantationibus faciendarum prorsus teneri decernimus; si vero aliqua communitas seu universitas aut ecclesiastica seu alia persona huiusmodi celsos seu moros numerum quinque pro quolibet rubro terrae huiusmodi excedentes plantaverit, illae ad ipsosmet plantantes spectent, omnesque et singulos, cuiuscumque status, conditionis et præeminentiae existentes, ut praefertur, celsos et moros in Statu Ecclesiastico huiusmodi ad praesens possidentes, illas notariis subscriptis, intra quindecim dies a die significationis edicto publico faciendae, in notam dari tenere, et an velint vermes nutrire et alere, ac sericum et aulaeum conficere declarare; quod si id facere recusaverint seu neglexerint praedicta, et eorum animum eidem notario quotannis infra dictum tempus patefacere volentes, illa emere possint illorumque patronos ad illorum venditionem iusto et rationabili praetio faciendam, sub poena centum aureorum pro singula celso seu moro cogere; et ipsos praemissa non denunciantes et non declarantes, ipsa folia vendere sub eisdem poenis cogi et compelli posse mandamus; ipsaque folia in plateis per cardinalem protectorem deputandis, et per Urbem, publicae commoditati, cum licentia tamen in scriptis obtenta, revendi posse volumus; omnesque et singuli vineas, hortos, cannetos, casalia, praedia, possessiones, castra et sylvas ementes, hoc ipsum eidem notario, una cum numero petiorum et mensurarum reducendarum ad mensuram rubri cathenae Romanae huiusmodi, patefacere teneantur; ipsique vineas et hortos aliaque supradicta in affictum, arrendam, firmam seu locationem detinentes, notam authenticam ipsarum locationum eidem notario, una cum mensuris cuiuslibet vineae et horti aliorumque supra speçificatorum, ac etiam numero celsorum seu mororum inibi plantandarum seu iam forsan plantatarum, dare teneantur; ac ad tenendum librum rationum, qui sit rincontri Camerae huiusmodi, per personam idoneam, quæ deputari debeat ab ipsamet Camera; omnemque ratam illam tangentem in omnibus locis supradictis recipere teneantur, qui bonum et fidele computum serici et aulaei ad Cameram et populos praedictos spectantis, ac tam vectigalis et datii quam arborum bonorum ecclesiasticorum, et etiam communitatum et universitatum aliorumque populorum praedictorum reddere teneantur; et omnes supradicti, cuiusvis status, gradus, ordinis vel conditionis existant, quolibet anno, in mense septembris, in notam fideliter dare debeant omnes celsos

seu moros plantatas in eorum casalibus, territoriis, vineis, cannetis, possessionibus et iurisdictionibus quibuscumque sub poenis praedictis, ac centum scutorum pro qualibet planta celsorum aut mororum deficientium ex numero dato et assignato; et insuper, ordine servato, et in catasto omnes mensuras quarumlibet terrarum praedictarum, numerum quoque singularum arborum plantatarum in civitatibus et locis praedictis distincte tenere ac certo scire debeant, ut ipsa Camera exploratum habeat quid et ex quibus sit perceptura; necnon omnium locationum et affictuum seu arrendationum antiquitatum seu aedificiorum aquatilium ad torcendum nedum subinandum sericum et aulæum, ac eamdem Cameram, impartimur, dum ipsa licentiam et facultatem impartietur exportandi ab Urbe seu Statu Ecclesiastico huiusmodi mari seu terra sericum crudum, olosericum, aulæum seu pannos cum serico, quod illa exigat indifferenter ab unoquoque quatuor scuta vectigalis pro quolibet centenario. Statuimus denique quod nullus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et præeminentiae existens, et quacumque praefulgeat dignitate, audeat seu praesumat extrahere globos sive pollicellos sericos extra dictum Statum Ecclesiasticum, seu eos Bononiam transportare in parva seu mediocri aut magna quantitate, sub duorum millium ducatorum pro qualibet vice qua praemissis contraventum fuerit, eidem Camerae et pro una quarta portione exploratori et accusatori applicandorum poenis; ac quod nemo, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et præeminentiae, ut praefertur, existens, ac sericum vel aulaeum conficiens, audeat seu debeat illud extra globos huiusmodi amovere, neque ad caldararios idest sericum extrahentes deferre, minusve ex dictis globis per se ipsos submovere, nisi prius toto serico seu aulaeo delato in globis ad officium notarii artium serici et aulaei pro tempore deputati in omnibus civitatibus, terris, oppidis, castris, locis Status praedicti, et ex dictis globis quatuor libras datii et vectigalis pro quolibet centenario ipsius Camerae nomine, et pro ea soluturo incumbebit onus instrumentum quietantiae et receptionis huiusmodi vectigalis eius signo munitum, ad hoc ut, illo cognito, sericum seu aulaeum ipsum ex huiusmodi globis libere extrahi possit, nullusque domicellus, baro nullaque alia persona, etiam quantumvis qualificata, in suis ditionibus temporalibus audeat habere seu tenere caldararios ad conficiendum et extrahendum sericum seu auleum sub poena decem millium aureorum similium pro quolibet eorum, ac amissionis sericorum et aulaeorum, necnon privationis privilegiorum eis pro tempore desuper concessorum; aliae vero privatae personae, si sericum seu aulaeum huiusmodi in eorum Statu ac dominio confecturi erunt, poena capitis et bonorum per eos possessorum, ac dictis poenis; sed sericus seu aulæa per eos seu alios eorum nominibus conficienda tam ad eos quam eorum vassallos et subditos spectantia in eorum Statu ad officia notarii huiusmodi extrahenda mittere teneantur, ad quatuor libras pro quolibet centenario datii nomine ipsimet notario eisdem locis viciniori quietantiam eiusdem Camerae nomine, atque bolletam, ut iidem caldararii, illud ex dictis globis extrahant, postea confecturos; quodque nullus caldararius possit seu debeat removere sericum seu aulaeum ex ipsis globis, cuiusvis personae, etiam quantumvis insignis, intuitu, absque speciali permissu eiusdem notarii in scriptis obtento, et signo suo desuper statuendo obsignato, sub caldarii et aliorum supellectilium necnon fustigationis et triremium respective poenis; et quando celsorum et mororum huiusmodi

folia superexcreverint, statuimus et ordinamus quod nemo illa, minusve sericum crudum seu aulaeum extra Urbem Statumque Ecclesiasticum praedictos, sine expressa licentia cardinalis protectoris praedictorum, desuper extrahenda quoquomodo deferre, ad effectum illos inibi inter pannos seu olosericos gansapina et villosa, necnon polimita, necnon vela seu caligas laborandi, sub poena amissionis sericorum et aulæorum ac mille et quingentorum scutorum pro qualibet vice; et tunc temporis constitui et deputari debeant consules huiusce artis in omnibus civitatibus, terris et locis supranominatis, cum institutionibus, constitutionibus, ordinationibus et legibus perpetuis Longobardiae et aliis civitatibus, etiam cum solitis ministris concessis. Ac volumus omnes gratias, facultates et concessiones a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore emanandas, apud ipsum notarium et in eius officio registrandas esse, alioquin illas nullius roboris vel momenti fore et esse decernimus; quodque nullus, per se vel alium seu alios, extrahi facere possit plantas celsorum seu mororum huiusmodi vel illarum frondes extra dictum Statum Ecclesiasticum, seu illas ab eo abducere, nec minus eas ex una provincia in aliam extra Statum ipsum conducere, neque e ditione temporali baronum seu aliorum domicellorum praedictorum ad alia loca extra dictum Statum constituta, sine licentia notarii in scriptis obtenta huiusmodi, et subscripta a regente seu vicegerentibus et successoribus vel nominatis deputatis praedictis, exportare; et qui secus fecerit, pro qualibet planta et quovis centenario librarum frondium huiusmodi centum scutorum similium, eidem Camerae cum effectu applicandorum, et triremium poenis subiacere volumus; omniaque edicta, constitutiones et ordinationes ac statuta desuper necessaria et opportuna per cardinalem protectorem et pro eius parte fieri; necnon communitates et universitates ac barones aliosque lacuum, fluminum et paludum dominos, ad plantandum circum lacus et paludes huiusmodi celsos et moros viginti ulnas vel circa et quadraginta palmos ab invicem, prope ripas vero fluminum quatuor ulnarum, cum eadem seu minori distantia ab invicem distantes, ut maior illarum numerus ibidem plantari queat, omnibus iuris remediis adstringi obligarique volumus, ex quibus globis volumus et praecipimus sericum et aulaeum huiusmodi extrahi, et ex Benevento, necnon Romandiola et Marchia Anconitana, et insuper Umbria ac aliis provinciis Status Ecclesiastici huiusmodi Romam deduci ad constituendum telaria ad texendum oloserica, gansapina et villosa, aliave exercitia dictarum artium, aliosque pannos, ut quantocitius artes praedictae hic in dicta Urbe introducantur, in maximam dictae Urbis utilitatem; utque illius loca antea vacua et derelicta inhabitentur, volumus insuper quod in civitatibus Perusina et Spoletana, ac Fulginatensi, necnon Camerinensi, aliisque praedicti Status Ecclesiastici civitatibus, in quibus huiuscemodi artes exerceri non mediocriter cupimus, tot serici et aulæi remaneant, quot pro introductione et continuatione atque augmento ipsarum artium opus et necessarium fuerit. In civitate autem Perusina et aliis, ubi iam ars texendi serica introducta existit, et illæ, quae consulatos bene formatos et erectos cum eorum residentiis et statutis habent, eius artifices reddant, nolumus in eis vicegerentes per introductorem seu inventorem deputari, sed tantummodo notarium et computatorem ad hoc ut illic artem etiam texendi aulæa, seminaria et plantumaria ceterasque supradictas ordinationes executioni et perfectioni demandari cu-

rent; et postremo communitati et hominibus civitatis nostrae Bononiensis huiusmodi nihil damni afferri volentes, quod notarius artium huiusmodi, qui electus et deputatus fuerit, nihil datii seu vectigalis ex globis sericeis et aulaeis huiusmodi a communitate et hominibus dictae civitatis Bononiensis, sed dumtaxat ex foliis celsorum et mororum huiusmodi proventuris in bonis et possessionibus ecclesiasticis et locis piis praedictis petere seu exigere possit, statuimus et declaramus.

Cardinalis Castruccius huiusmodi artis et Petri inventoris protector constituitur.

§ 15. Ac tandem dilectum filium nostrum Ioannem Baptistam tituli S. Mariae in Ara-Coeli presbyterum cardinalem Castruccium nuncupatum, ipsarum artium ac dicti inventoris, introductoris suorumque haeredum et successorum seu ab eisdem deputatorum protectorem, cum potestate, facultate et auctoritate omnia et singula, quae ad officium protectoris alicuius artis de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet spectant et pertinent, faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi, facimus, creamus, constituimus et deputamus, ac nonnulla alia capitula, pacta, facultates, statuta, ordinationes et decreta desuper edidimus, prout in aliis nostris litteris plenius continetur.

Praesentes litterae nullo umquam vitio notandae.

§ 16. Necnon concessionem et indultum aliaque omnia praemissa, necnon praesentes litteras nullo umquam tempore, quovis quaesito colore vel ingenio, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus vel derogationibus similium vel dissimilium concessionum et aliarum gratiarum a nobis et Sede Apostolica, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu pari pro tempore emanatis, comprehendi posse, sed illa semper valida et efficacia fore, ac quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita ac de novo, etiam sub data per Petrum ac haeredes et successores ac ipsius Camerae officiales aliosque praedictos eligenda, concessa fore, ac vim validi et efficacis contractus inter nos et Sedem eamdem ac illos desuper habere et obtinere.

Sic per quoscumque iudices iudicandum.

§ 17. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Pro praedictorum executione commissarii deputati.

§ 18. Mandantes propterea per praesentes pari modo praedicto Ioanni Baptistae cardinali et protectori, ac omnibus et singulis totius Status praedicti legatis et vicelegatis, necnon gubernatoribus et potestatibus ac aliis magistratibus, quibuscumque nominibus censeantur ac quibusvis praefulgeant dignitatibus, necnon quibusvis aliis, quavis auctoritate fungentibus, faciant, auctoritate nostra, omnia et singula praemissa ab omnibus inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 19. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac Urbis necnon civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum et locorum necnon Status Ecclesiastici praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam motu simili ac etiam consistorialiter concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et in-

dividua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 20. Et quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 maii 1586, pontif. anno II.

L.

Facultas archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti in ecclesia S. Petri de Urbe commutandi cuique confraternitati aggregatae et aggregandae primam dominicam mensis, ad processionem habendam, in aliam dominicam, prout unicuique huiusmodi confraternitati expedire iudicaverit [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Fidelium votis, quae ad spiritualem animarum consolationem et ad maiorem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti celebritatem et honorem tendere conspicimus, quantum cum Deo possumus, libenter annuimus.

Causae faciendae commutationis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, quamplures societates extra Urbem, quae aggregatae sunt archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti in basilica Sancti Petri de Urbe iampridem institutae, quasdam indulgentias consequantur, processionem prima dominica cuiuslibet mensis celebrando: multis vero in locis contingat ut eodemmet die processio Rosarii seu alterius societatis fiat; unde, populo in partes diviso, minori frequentia eiusdem Sanctissimi Sacramenti processio celebretur.

Concessio facultatis, de qua in rubrica. § 2. Nos, officialium archiconfraternitatis praedictae precibus inclinati, ipsis officialibus, ut dictam primam dominicam mensis, ad processionem habendam, in aliam dominicam arbitrio suo, prout magis cuique confraternitati aggregatae vel aggregandae expedire iudicaverint, commutare possint, cum omnibus privilegiis, gratiis et indulgentiis in eadem prima dominica concessis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem concedimus.

Facultas confraternitatibus habendi processionem infra octavam Corporis Christi. § 3. Praeterea, quoniam in festo Corporis Christi, quo die in Ecclesia Dei inductus fuit mos ut praecelsum et venerabile Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebretur, atque in processionibus reverenter et honorifice per vias et loca publica circumferatur, in dicta basilica processio a dicta archiconfraternitate non habetur, cum a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, una cum collegio cardinalium ac praelatis et officialibus omnibus Romanae Curiae, maiori qua fieri possit, celebritate fiat, confraternitatibus, ut praefertur, aggregatis, ut processionem ipso die Corporis Christi aut dominica vel alio die infra octavam eiusdem celebritatis, prout a prioribus seu administratoribus ipsarum societatum honori Sanctissimi Sacramenti magis convenire iudicatum fuerit, habere possint, eisdem auctoritate et tenore potestatem facimus.

Obstantium derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac litteris aggregationum huiusmodi, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum danda. § 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium transumptis, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 maii 1586, pontif. anno II.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

LI.

Quod Eremitae S. Romualdi Montis Coronae, Ordinis Camaldulensis, sub Regula S. Benedicti, alterius Ordinis religiosos recipere possint; ipsi vero ad alium etiam Eremi Camaldulensis transire nequeant [1].

Sixtus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Congregationis Eremitarum S. Romualdi est strictior observantia ceteris in Italia existentibus.

Ea est congregationis Eremitarum Sancti Romualdi, Ordinis Camaldulensis Montis Coronae austeritas et observantia, ut, quemadmodum non solum relatu aliorum sed propriis etiam interdum oculis vidimus et percepimus, merito et vere eam sub strictiori Regula custodiri, quam omnes aliae, quae in tota Italia reperiuntur, dici et censeri possit.

Unde aliqui minus fortes ad alios Ordines transire non verentur.

§ 1. Quo etiam fit ut nonnulli, parum cauti et constantes ac minus fortes ad resistendum pravis tentationibus, ab ipsa congregatione ad alios Ordines se transferre non verentur, cum magno plurimorum scandalo et animarum suarum periculo.

Hic ideo Pontifex, huius congreg. indultum recipiendi quoscumque alterius Ordinis religiosos confirmat, et ex ea ad alios etiam sacri Eremi religiosos transitum prohibet;

§ 2. Hinc est quod nos his malis occurrere, eamdemque congregationem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, omnes gratias, indulta et privilegia eidem congregationi et illius Eremitis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris super recipiendis quibuscumque, quarumvis Religionum et Ordinum Mendicantium et non Mendicantium, religiosis, ad ipsos transire volentibus, concessa, rata et firma esse volentes, et quatenus opus sit, auctoritate apostolica, tenore praesentium, innovantes, omnibus et singulis Eremitis praedictae congregationis nunc et pro tempore existentibus, et cuilibet eorum, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis maioris eo ipso incurrendae, a qua nullus praeter Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium impendere possit, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, necnon apostasiae reatus, suspensionis a divinis aliisque arbitrio maioris eiusdem congregationis pro tempore existentis moderandis, infligendis et declarandis poenis, ne ad alios quoscumque Ordines, nec etiam ad sacrum eremum eiusdem Camaldulensis Ordinis Aretinae dioecesis, sine expresso consensu et licentia ab eodem maiore pro tempore existente supradictae congregationis in scriptis petita et obtenta, transire et transmeare audeant vel audeat, eisdem auctoritate et tenore, interdicimus et prohibemus.

Contravenientes, ultra alias poenas, ad congregationem redire debere praecipit;

§ 3. Volumus etiam quod, ultra supradictas poenas, qui contrafecerint personaliter capi et apprehendi, necnon incarcerari, puniri et etiam ad redeundum cogi, libero praedicti maioris pro tempore existentis arbitrio, possint et valeant.

Maiori dictae congreg. contra eos procedere posse indulget;

§ 4. Eidemque maiori pro tempore existenti praedicta omnia et singula per se vel alium seu alios sibi benevisos faciendi, exercendi et effectualiter ac omnino exequendi, et brachii saecularis auxilium, si opus fuerit, invocandi omnimodam, plenam, amplam et absolutam, auctoritate apostolica praedicta, tenore praesentium, licentiam, auctoritatem et facultatem concedimus et impartimur.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon indultis, privilegiis et exemptionibus aliis religionibus, congregationibus et Ordinibus, eremis et eremitoriis quibuscumque, quocumque modo et sub quibusvis verbis et clausulis concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, speci-

1 Ad hoc vide notata in Clem. VII. const. XXVI. *Vestrum*. tom. IV pag. 2.

fica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, auctoritate praedicta, earumdem tenore praesentium, quas perpetuis futuris temporibus valere decernimus, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annullo Piscatoris, die IX iulii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 iulii 1586, pontif. anno II.

LII.

Confirmatio privilegiorum doctorum et legentium Universitatis Bononiensis, ac praesertim applicationis datii mercium [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Alias datium mercium doctoribus assignatum ab Eugenio PP. IV.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum doctorum collegiatorum, tam in decretis et legibus quam artibus et medicina in Universitate Studii Bononiensis, quod dudum felicis recordationis Eugenius Papa IV, praedecessor noster, litteras bonae memoriae Marci tunc episcopi Avinionensis, in civitate nostra Bononiensi pro Sede Apostolica in spiritualibus et temporalibus gubernatoris, per quas ipse Marcus episcopus et gubernator tunc et pro tempore existentibus rectoribus et legentibus huiusmodi, pro suorum salariorum solutione, datium gabellae grossae mercantiarum dictae civitatis, cum omnibus emolumentis suis, obligaverat et assignaverat, approbavit, et datium ipsum doctoribus et legentibus praedictis de novo perpetuo concessit.

Idem datium eisdem Iulius II novis legibus addixit.

§ 2. Et cum doctores et legentes praedicti datium ipsum libere percipere non possent, sed salaria et solutiones huiusmodi per manus thesaurarii seu depositarii aut forsan aliorum officialium dictae civitatis non integre, ut decebat, reciperent, piae memoriae Iulius Papa II, litterarum Marci episcopi et Eugenii praedecessoris huiusmodi tenorem, ac dicti datii assignationem approbans, voluit ut, absque subhastatione aut alia solutione seu onere subhastationis, dictum datium ad doctores et legentes praedictos pertineret; ac quod singulis annis duo doctores collegiati iuris canonici, et duo iuris civilis, ac duo artium et medicinae, electi per doctores collegiatos, et confirmati per legatum seu gubernatorem dictae civitatis, licentia regiminis minime requisita, datium seu gabellam huiusmodi et illius redditus, per se vel alios ab eis deputandos, a quibuscumque personis petere et exigere, ac depositarium reddituum huiusmodi deputare possent; ac, sub excommunicationis latae sententiae poena, quibusvis personis inhibuit ne in gabella seu illius redditibus quoquomodo se intromittere praesumerent; et deinde recolendae memoriae Leo X, praemissa omnia approbans, etiam voluit quod electio sex syndicorum fieri deberet quotannis perpetuo post decimam quintam diem decembris ante festum nativitatis Domini nostri Iesu Christi; ac electores prius iurarent in manibus prioris dictorum doctorum; et quod non posset eligi qui non fuisset matriculatus in dicto collegio per decem annos ad minus; quodque in ipso regimine gabellae nullos alios magistratus dictae civitatis agnoscerent aut eis parere tenerentur, sed solum Romanum Pontificem, praemissorum occasione, in superiorem agnoscerent; inhibuitque magistratibus dictae civitatis ne in datio seu illius

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

redditibus, sub poena excommunicationis, se intromittere possent.

§ 3. Postea sanctae memoriae Clemens Papa VII, praemissa omnia approbando et denuo concedendo, voluit quod dicti doctores deputati unum alium quemcumque collectorem seu depositarium ad percipiendos redditus datii seu gabellae huiusmodi deputare possent; et quartam partem datii huiusmodi auxit erigens Montem pro Camera Apostolica, quod augmentum datii per eosdem doctores syndicos exigeretur et exerceretur; et cum quondam Iulius de Malvetiis, ex concessione forsan dicti Iulii praedecessoris et consensu eorumdem doctorum, quamdiu vixit, depositarius dictorum proventuum nominatus fuisset; et dilecti filii Pirrus et Hercules fratres, etiam de Malvetiis, dicti Iulii de Malvetiis ex fratre nepotes, assererent dictum depositariatus officium, per decessum dicti Iulii vacaturum, per eumdem Leonem praedecessorem eis concessum fuisse, decrevit et declaravit quod Pirrus et Hercules praedicti, occasione praemissorum, illa omnia et singula quae dictus Iulius ex concessione Iulii II, ac ipsi Pirrus et Hercules ex concessione Leonis praedecessorum praedictorum habebant, dimitterent, et nullatenus aliud quidquam habere possent; ipsique doctores ad eorum libitum personam, quae redditus huiusmodi gabellae recipere deberet, et quandocumque eis placeret, eligere et deputare valerent, derogando omnibus privilegiis eisdem Herculi et Pirro concessis.

A Clemente VII auctum, erectus Mons, dataque doctoribus facultas depositarium pro suo libito deputandi.

§ 4. Praeterea Paulus III omnia et singula concessa tam a dictis Pontificibus, quam imperatoribus et principibus ipsis doctoribus approbavit, et canale navigii ad curam ipsorum pertinere voluit.

Paulus III privilegia omnia confirmavit, et curam canalis concessit.

§ 5. Paulus vero IV erexit Montem super augmento datii per dictum Clementem praedecessorem facto, ita ut exactio reddituum eiusdem Montis ad doctores collegiatos spectaret; necnon Pius IV, cupiens egregium et laudabile opus gymnasii dictae civitatis, per dilectum filium nostrum Petrum Donatum cardinalem de Caesis nuncupatum, tunc episcopum Narniensem et dictae civitatis vicelegatum, incoeptum, ad finem debitum perduci, officium depositarii gabellae huiusmodi, quod quondam Hercules Malvetius, civis Bononiensis, dum viveret, obtinebat, motu proprio, auctoritate apostolica, penitus et omnino per mortem dicti Herculis vacans, suppressit et extinxit; necnon salarium et provisionem, ac omnes et singulos redditus et proventus dictae gabellae, videlicet tres quadrantes lagiorum cuiuslibet librae argenteæ reddituum dictae gabellae, pro tempore existenti depositario dicti officii, illius ratione, solvi solita, massae reddituum dictae gabellae, ac monti trium millium scutorum per eumdem Pium IV praedecessorem in dicta civitate antea erecto, cum obligatione dictorum doctorum et legentium solvendi creditoribus dicti Montis summam ducentorum et quadraginta scutorum, ut in dictis Pii Papae litteris ac instrumento desuper confecto latius continetur, applicavit et appropriavit.

Paulus IV et Pius IV erecti Montis curam collegio doctorum vindicarunt

§ 6. Postremo piae memoriae Pius Papa V, praedecessor noster, omnia et singula privilegia et gratias huiusmodi, quatenus essent in usu, et prout tunc reperiebantur, licita tamen et honesta ac sacris canonibus non contraria, similiter approbavit et confirmavit.

Demum Pius V omnia et singula privilegia eisdem confirmavit.

§ 7. Nuper vero iidem doctores haeredes quondam Cornelii de Malvesia et Iulium de Malvesia cohaeredem in depositarios reddituum gabellae huiusmodi, vigore praemissorum, ac ex eorum antiqua et eatenus observata consuetudine ac alias quomodolibet, ad septennium, et deinde ad eorum beneplacitum, nominarunt et

Causae novae huius faciendae confirmationis.

deputarunt, prout in diversis eorum praedecessorum litteris ac duobus instrumentis publicis super nominatione et deputatione depositariorum huiusmodi confectis plenius continetur. Cum autem nuper nos, certis tunc expressis causis adducti, dilectum filium Pirrum Malvetium, civem nobilem Bononiensem, depositarium praedictae gabellae, cum emolumento annuo trecentorum scutorum auri in auro, ac facultatibus, privilegiis, praerogativis, honoribusque solitis et consuetis, quoad vitam duceret, fecerimus, constituerimus et deputaverimus, in grave dictorum doctorum et legentium praeiudicium et gravamen, stante maxime obligatione solvendi eisdem creditoribus dictam summam ducentorum et quadraginta scutorum; pro parte eorumdem doctorum et legentium nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eos in possessione suorum privilegiorum praedictorum manutenere de benignitate apostolica dignaremur.

Depositarium a doctoribus constitutum confirmat Sixtus;

§ 8. Nos igitur, eosdem doctores et legentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac litterarum omnium praedictarum et privilegiorum tenores praesentibus pro expressis habentes, eosque et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, deputationem dicti Pirri in depositarium dictae gabellae cum emolumento dictorum trecentorum scutorum, ac facultatibus, privilegiis, praerogativis ac honoribus, praedictis per nos, ut praefertur, factam, necnon litteras desuper die XXII iunii, pontificatus nostri anno primo, confectas, ac illarum intimationem, omniaque et singula inde sequuta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus et annullamus, ac cassa, irrita et inania ac nullius roboris vel momenti fuisse et esse, nec quodquam ius in dicta depositaria per deputationem huiusmodi acquisitum fuisse aut esse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, ac legatum, vicelegatum et gubernatorem, necnon quadraginta viros dictae civitatis, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; eidemque Pirro, sub excommunicationis aliisque ecclesiasticis ac pecuniariis poenis, ne in dicta depositaria eiusdem gabellae quoquomodo, vigore aut praetextu deputationis per nos, ut praefertur, factae aut alias quomodolibet, se ingerere audeat vel praesumat, inhibemus.

Vetera omnia confirmat privilegia;

§ 9. Et nihilominus omnia et singula privilegia et facultates, immunitates, praerogativas, libertates, gratias et indulta, prout per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros praedictos, eisdem rectoribus et legentibus concessa, approbata et innovata fuerint, eisdem auctoritate et tenore approbamus, confirmamus et etiam de novo concedimus; ac omnes defectus iuris et facti, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Commissarios deputat;

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Bononiensi et episcopo Imolensi ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte doctorum et le-

gentium praedictorum fuerint requisiti, eosdem in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem doctores et legentes revocatione, cassatione, annullatione, decreto, inhibitione, confirmatione, approbatione, concessione, suppletione aliisque praemissis iuxta earumdem praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, eaque omnia perpetuo firmiter observari; non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 11. Non obstantibus praemissis ac nostra de non tollendo iure quaesito, quatenus opus sit; ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis quae dicti praedecessores suis litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscat., die XXX iulii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno secundo.

Dat die 30 iulii 1586, pontif. an. II.

LIII.

Confirmatio et extensio iurisdictionis consulum artis pistorum et praefecti annonae almae Urbis in rebus ipsam artem tangentibus, ac privilegiorum et gratiarum eorumdem pistorum.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Coelestis Pater ad hoc nos universalis Ecclesiae rectorem constituit, et nobis oves suas pascendas commisit, ut omnibus personis, praecipue Romanam Curiam sequentibus, ne indebitis molestiis afficiantur, sed pro earum qualitate iustitia ministretur, quantum cum Deo possumus, salubriter provideamus; et ea, quae pro ipsarum personarum facili regimine et gubernatione a nostris praedecessoribus provida consideratione emanarunt, ut eo firmius illibata persistant, quo frequentius apostolico fuerint stabilita praesidio, nostrae approbationis munimine, dum a nobis petitur, roboremus.

Leo X et Iulius III decreverant quae leguntur in bulla Iulii III hic cit.

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum universitatis pistorum Urbis nostrae nobis nuper exhibita petitio continebat quod alias, postquam felicis recordationis Leo Papa X, praedecessor noster, *etc.*

§ 2. Et deinde per recolendae memoriae Iulium Papam III [1].

Gregor. XIII aliam edidit constitutionem hic indicatam.

§ 3. Cum postmodum antiqua statuta ipsius Urbis, de mandato sanctae memoriae Gregorii Papae XIII, *etc.* [2]

Ars modo supplicat Papae pro uberiori provisione.

§ 4. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, plerique dubitent aliqua artis pistorum huiusmodi statuta, et praesertim illud quo dispositum est quoscumque artem praedictam exercere et clibanum habere volentes, priusquam ad hoc admitti possint, ad solutionem trium scutorum, pro una consulibus artis huiusmodi, et reliquis duabus partibus hospitali Beatae Mariae de Laureto de dicta Urbe applicandorum, teneri, per praedictas litteras Gregorii praedecessoris huiusmodi declarationis et reintegrationis iurisdictionum artium, earumque collegiorum et consulum huiusmodi nullatenus reintegrata fuisse. Quare, pro parte universita-

1 Omittitur relatio bullae Iulii III, quia ipsam habes in tom. VI, pag. 467; et quia ibi relata bulla Leonis, ideo hic omittitur eiusdem relationis repetitio. 2 Omittitur etiam relatio bullae Gregorii XIII, *Almam*, quia est superius, pag. 332.

tis pistorum huiusmodi nobis humiliter fuit supplicatum ut litteris praedecessorum huiusmodi robur nostrae approbationis adiicere, aliaque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex omnes d. constitutiones ad favorem pistorum Urbis confirmat;

§ 5. Nos igitur, universitatem pistorum huiusmodi illiusque singulares personas, quarum quietem et commodum non minori, quam praedecessores nostri praedicti paternae dilectionis affectu prosequimur, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie, absolventes et absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum praedictarum tenores veriores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, statuta et ordinationes dictae universitatis, ac singulas etiam reintegrationis iurisdictionum litteras praedecessorum huiusmodi ac in eis contenta quaecumque, praedicta auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus.

Iurisdictionemque consulibus in causis usque ad ducatos XXX; et inde supra praefecto annonae contra quoscumque concedit;

§ 6. Ac insuper eisdem nunc et pro tempore pistoribus, ut facilius et minori cum dispendio iura sua consequi possint, in omnibus et singulis eorum causis, litibus, controversiis et differentiis, ratione panis per eos crediti et rerum ad artem huiusmodi spectantium de cetero movendis, videlicet, quae triginta ducatos auri de Camera non excesserint, consules pro tempore existentes dictae artis, contra quoscumque eiusdem Urbis cives, opifices, habitatores ac alias quascumque personas saeculares; in aliis vero usque ad quamcumque summam, praefectum pro tempore existentem annonae, iudices, contra quoscumque S. R. E. cardinales, episcopos, praelatos, oratores, proceres et alios ecclesiastica vel temporali dignitate fungentes, dictae Urbis originarios vel exteros, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo constituimus et deputamus; eisdemque nunc et pro tempore existentibus pistoribus facultatem, omnes, qui eis, occasione crediti panis ac aliarum rerum artem ipsam concernentium, debitores, fuerint, pro consequenda satisfactione, ad iudicium coram consulibus et annonae praefecto iudicibus huiusmodi evocandi; dictis vero consulibus et annonae praefecto pro tempore existentibus, singulas causas huiusmodi summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, manuque regia, ac sola facti veritate inspecta, et prout in exactione pecuniarum pretii grani eisdem pistoribus ab officialibus eiusdem Camerae Apostolicae pro tempore dati, contra eosdem pistores procedi solet, audiendi, cognoscendi, decidendi fineque debito terminandi, necnon citandi et in forma inhibendi, cum omnibus aliis facultatibus necessariis et opportunis, auctoritate et tenore similibus, etiam perpetuo, tribuimus.

Pistorum credita occasione panis in discussionibus, non venire, sed ceteris creditoribus, etiam habentibus obligationes camerales anteriores esse decernit;

§ 7. Quodque debita cum ipsis pistoribus, ratione panis crediti et aliarum rerum huiusmodi, contracta, ad bonorum et haereditatum quarumvis personarum, etiam cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentium, coram quibusvis iudicibus dictae Urbis, tam ordinariis quam delegatis et subdelegatis, pro tempore faciendas discussiones nullo pacto trahi possint. Quinimmo ipsi pistores, pro consequenda debitorum huiusmodi satisfactione, in omnibus eorum litibus et causis, etiam si priores et potiores creditores non sint, primum et potiorem locum, obligationibus etiam in forma Camerae Apostolicae, etiam iuramento vallatis, ac privilegiis ceterisque in con-

trarium facientibus non obstantibus quibuscumque, habere et obtinere omnino debeant, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo statuimus et ordinamus; necnon sententiarum, mandatorum executivorum et decretorum per consules et annonae praefectum iudices praefatos pro tempore latarum et relaxatorum executionem, quovis praetextu, etiam quarumcumque appellationum, recursuum, inhibitionum et significationum, etiam dotalium, nullo modo impediri posse, sed easdem significationes et inhibitiones per gubernatorem et alios dictae Urbis iudices, ad quos ipsi appellantes et recurrentes recursum habuerint, denegandas esse; easque concessas, illico revocatas et ipsis recurrentibus minime suffragari volumus.

Appellationem a scutis 10 supra ad conservatores permittit;

§ 8. Decernentes a sententiis, declarationibus et decretis eorumdem consulum ad conservatores et non alios quosvis iudices appellari posse, et appellationes, non nisi in causis et litibus super maiori quam decem scutorum summa vertentibus, admittendas esse, nec a decem infra recursus ad aliquos iudices haberi, minusque concedi posse.

Decretum irritans apponit;

§ 9. Ac praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, mentisque aut intentionis nostrae defectu notari aut impugnari nullatenus posse. Irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Urbis statutis, legibus et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem auditori Camerae, seu obligationibus cameralibus, ac quibusvis dictae Urbis iudicibus, ordinariis et extraordinariis ac delegatis, illorumque tribunalibus et quibusvis aliis personis, etiam locis piis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, etiam consistorialiter ac alias, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, quartodecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 augusti 1586, pontif. anno II.

LIV.

Iurisdictio S. R. E. cardinalis et iudicis causarum archiconfraternitatis Beatae Mariae Virginis de Urbe, Confalonis nuncupatae, ad redemptionem captivorum ab infidelium servitute aliaque pia opera exercenda dudum institutae [1].

Sixtus Papa V, motu proprio, etc.

Causa concessionis.

Cum, sicut accepimus, venerabilis archiconfraternitas Confalonis gloriosissimae Virginis Mariae, eiusque pro tem-

1 Alia quae hanc sodalitatem concernunt, vide in Greg. XIII const. LVII, *Pastoris*, pag. 145 huius tomi.

pore existentes custodes, camerarius, officiales et ministri, ob lites, quaestiones et controversias civiles, profanas, spirituales, meras et mixtas, per diversa Urbis tribunalia, occasione locationum, censuum, donationum, haereditatum, legatorum, dotium et diversarum aliarum rerum eiusdem, tam agendo pro ipsa archiconfraternitate quam eam defendendo vel alias iugiter implicati existant, ex quo saepissime quamplura damna et interesse patiuntur, ac impensa litis valorem rei, de qua ex tempore agitur, saepenumero superet.

Hic Pontifex, dat facultatem dictis custodibus quatuor praelatos nominandi cardinali protectori, qui ex eis unum eligat iudicem causarum dictae archiconfraternitatis, cum potestate eas summarie cognoscendi;

§ 1. Nos, archiconfraternitatem praefatam, quam singulari dilectione prosequimur, et in qua diversa pietatis, caritatis et misericordiae opera, etiam eleemosynas pauperibus erogando, ac miserabilibus puellis dotes elargiendo, necnon captivos a durissima infidelium servitute, maxima cum caritate, redimendo, continuo impendi spectantur, necnon dilectos filios magistrum Hieronymum de Avila U. I. D., litterarum apostolicarum correctorem et abbreviatorem, ac in utraque Signatura nostra referendarium, praelatum nostrum domesticum, Paulum de Matthaeis, Carolum de Maximis, ac Ulissem Lancerinium, patritios Romanos, necnon Franciscum Covarucium, ipsius confraternitatis modernos et pro tempore existentes custodes et camerarium, ab huiusmodi dispendiis, quantum cum Deo possumus, sublevare volentes, motu simili et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, moderni et pro tempore existentes dictae archiconfraternitatis custodes, quatuor ex referendariis utriusque Signaturae nostrae et pro tempore existentis Romani Pontificis, moderno et pro tempore existenti ipsius archiconfraternitatis protectori nominare et proponere possint et valeant, ad effectum ut ex illis quatuor unus per eumdem modernum et pro tempore existentem protectorem eligi seu deputari debeat, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus. Ac eidem referendario sic pro tempore electo et deputato, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, post electionem et deputationem huiusmodi, omnes et singulas causas, lites, quaestiones et controversias inter dictam archiconfraternitatem sive illius custodes, camerarium, officiales et ministros nunc et pro tempore existentes, ac quascumque alias, tam laicas quam ecclesiasticas, personas, cuiuscumque gradus, status, ordinis, dignitatis, conditionis vel praeeminentiae existentes, etiam cardinalatus honore praefulgentes, universitates, societates, congregationes, collegia, ac tam virorum quam mulierum monasteria, hospitalia aut alia loca pia, etiamsi coram nunc et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, clericis et praesidentibus Camerae Apostolicae, et eiusdem Camerae causarum auditori generali, necnon vicario, gubernatore et senatore dictae Urbis, illorumque locatenentibus, collateralibus iudicibus ac appellationum causarum [1] Palatii Apostolici auditoribus, ac eiusdem S.R.E. cardinalibus et aliis quibuscumque iudicibus ordinariis ac a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus specialiter quomodocumque commissariis deputatis et delegatis, ac deputandis et delegandis, nunc et pro tempore motas et pendentes, ac quomodolibet movendas et pendendas, de et super quibuscumque locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fidei commissis, testamentis, haereditatibus et illarum discussionibus, ac quibusvis aliis dispositionibus, ad favorem tam eiusdem archiconfraternitatis quam redemptionis captivorum, dictae archiconfraternitati per Sedem Apostolicam

1 Cherub. addit: *Curiae Capitolii eiusdem Urbis capitaneo, nec non* etc. (R. T.).

iniunctae, factis, ac dotibus et quorumcumque iurium et actionum cessionibus, aliisque quibuscumque inter vivos ac causa mortis, et quasi contractibus, etiam vigore obligationis in forma Camerae, executionibus, revocationibus, bonis, rebus, iuribus et actionibus ipsius archiconfraternitatis, eiusque custodes, camerarium, officiales et ministros praefatos, eorumque litis consortes, tam coniunctim quam divisim, et tam active quam passive, tam secundario quam principaliter interesse concernentes, et ad ipsam archiconfraternitatem, etiam per viam necessariae defensionis, et alias quomodolibet spectantes et pertinentes, in quacumque instantia, quarum omnium status et merita, ac iudicum et collitigantium nomina et cognomina et qualitates ceteraque, etiam de necessitate exprimenda, praesentibus pro expressis habentes, in statu et terminis in quibus ad praesens reperiuntur et quandocumque reperientur, harum serie, ad nos et Sedem Apostolicam advocantes, illasque omnes et singulas alias, similes vel dissimiles, causas, quomodolibet nunc et pro tempore motas et pendentes, ac quas dicta archiconfraternitas, illius custodes, camerarius, officiales et ministri habere et movere volent contra easdem personas, universitates, societates, congregationes, collegia, monasteria, hospitalia aut alia aeque vel magis pia loca, etiam quomodolibet et qualitercumque privilegiata et exempta, pro ipsius archiconfraternitatis rebus, bonis, haereditatibus, legatis, iuribus et actionibus huiusmodi, tam agendo pro ipsa archiconfraternitate et quacumque persona ab ea causam habente, quam etiam si contra ipsam archiconfraternitatem, ad instantiam quarumcumque personarum, qualitercumque qualificatarum et privilegiatarum quomodolibet agatur, eidem referendario, ut praefertur electo et deputato, una cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter et de plano, et sola facti veritate inspecta, ac sine strepitu et figura iudicii, et absque tela iudiciaria ac aliquorum terminorum substantialium observatione, aut alicuius registri vel extractus confectione, per se ipsum vel, in eius a dicta Urbe absentia aut alias ex quavis causa, per alium ab eisdem custodibus, accedente, ut supra, dicti protectoris approbatione, durante absentia seu alias quomodolibet, eligendum, usque ad finalem sententiarum exequutionem inclusive, audiendas, cognoscendas fineque debito terminandas, ac etiam alibi introducendas seu committendas, reassumendas *etc.*, auctoritate et tenore praefatis, etiam perpetuo committimus et mandamus.

Citandique et inhibendi tam in Curia quam extra, et quibuscumque iudicibus;

§ 2. Ipsumque referendarium, ut praefertur electum et deputatum in dictis causis, tam pro ipsa archiconfraternitate quam contra illam motis et pendentibus et in futurum movendis, in iudicem ordinarium et apostolica auctoritate deputatum, cum facultate easdem causas usque ad finem, absque tamen alicuius propinae receptione, cognoscendi, decidendi atque terminandi, ac etiam cum potestate citandi et inhibendi quos, quibus ac quoties opus fuerit, etiam per se vel alium seu alios quoscumque, tam in Romana Curia quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi, etiam summarie, de non tuto accessu, eisdemque et praedictis ac quibuscumque aliis eiusdem Urbis curiarum seu tribunalium iudicibus et personis tam ecclesiasticis quam saecularibus, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, quibus ac quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris ecclesiasticis ac etiam pecuniariis poenis, prout sibi videbitur,

inhibendi; et in eventum non paritionis, contra inobedientes, contumaces et rebelles, ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi, illarumque aggravationes et reaggravationes ac alias, prout sibi melius expedire videbitur seu placuerit, servata forma concilii Tridentini, procedendi, sententiasque seu mandata, per eum pro tempore latas seu relaxata, debitae exequutioni demandandi sive demandari faciendi.

Contradictores etiam coercendi.

§ 3. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis quovis praetextu non parentes, per censuras ecclesiasticas ac etiam pecuniarias poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendi, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exequendi, ac cum aliis facultatibus ad id quomodolibet necessariis, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo facimus, constituimus et deputamus, sibique plenam, liberam et amplam super praemissis licentiam et facultatem atque auctoritatem etiam concedimus et impartimur.

Appellatio ab eius sententiis semel tantum et non suspensive, ad aliam iudicem a protectore deputatum, admittatur, et tres nullitates tantum opponi possint.

§ 4. Decernentes quod a pro tempore existentis referendarii, ut praefertur electi et deputati, sententiis, mandatis, ordinationibus et decretis nullatenus suspensive appellari, reclamari, de nullitate dici sive quomodolibet adversus illa, ad effectum impediendi exequutionem, aliquod remedium attentari possit. Devolutive autem semel tantum liceat appellare, et alia remedia intentare coram alio iudice praedicto pro tempore existenti protectori, ut praefertur, nominando et ab eo approbando. Secundo autem vel ulterius sublata sit omnis et quaecumque appellatio, sed praedictae duae sententiae plenariam exequutionem obtineant, ac firmae et illibatae permaneant, ac si essent tres conformes; ac nullitas aliqua, exceptis tribus substantialibus, opponi nullo modo possit.

Iudicis facultas in causis discussionum.

§ 5. Et licet ad instantiam quorumcumque haeredum sive quorumlibet aliorum committatur in futurum, vel etiam modo pendeat commissa causa discussionis alicuius haereditatis, et dictae archiconfraternitati, seu illius custodibus, camerario, officialibus et ministris, etiam virtute commissionis, fuerit inhibitum; tamen, ne exactio creditorum in praeiudicium ipsius archiconfraternitatis protrahatur, data idonea cautione per dictos custodes, camerarium, officiales seu ministros de restituendo summam debitam, in eventum succumbentiae, prioribus et potioribus creditoribus, pro tempore existens referendarius praedictus eosdem haeredes sive alios quoscumque debitores seu ipsorum quemlibet, ex quacumque causa cessionarios, vel ab eis quomodolibet et ex quocumque titulo causam habentes, ad satisfaciendum integraliter dictae archiconfraternitati de eius credito, iuris et facti remediis, cogat et compellat.

Singulisque diebus et horis procedendi,

§ 6. Ac in omnibus et singulis causis praedictis, ad dictam archiconfraternitatem, ut praefertur, quomodolibet spectantibus, singulis diebus et horis feriatis et non feriatis, praeterquam in honorem Dei, procedat.

Notarium deputandi.

§ 7. Et notarium actuarium per eosdem custodes eligendum, ac ab eis et eorum arbitrio ac ad eorum nutum ponendum et amovendum, quem eis placuerit, habeat; qui teneatur dare idoneam cautionem eisdem custodibus in eius deputatione, de restituendo, absque aliqua pecuniarum solutione et fraude, ac omni mora et dilatione atque exceptione seu excusatione postpositis, quoties ab eisdem custodibus ab huiusmodi notariatus

officio amotus fuerit, omnes et singulas scripturas ad dictam archiconfraternitatem, ut praefertur, quomodolibet spectantes, per eosdem custodes, facto de illis inventario, notario successori ab eisdem custodibus deputato consignandas.

Citationes fieri possint per quosvis mandatarios.

§ 8. Quodque citationes in causis praedictis etiam per Curiae Capitolii, seu alios quoscumque, etiam dictae archiconfraternitatis mandatarios, fieri possint.

Executores omnes exequi debeant mandata praedicti iudicis.

§ 9. Ac quod quicumque executores curiarum seu tribunalium dictae Urbis possint et debeant exequi et effectualiter exequutioni demandare omnes et singulas sententias, decreta et mandata pro tempore existentis referendarii huiusmodi sive, in eius absentia aut alias ipso impedito, ab eisdem custodibus eligendi, ac ut supra nominandi, ac a protectore approbandi, quae, non obstante regula Cancellariae, sub eius parvo sigillo expediri possint.

Alii iudices has causas non cognoscant.

§ 10. Ac insuper archiconfraternitatem praedictam eiusque custodes, camerarium, officiales et ministros ex nunc deinceps, occasione praemissorum, principaliter seu secundario, alibi quam coram pro tempore existente referendario, ut praefertur electo et deputato, conveniri, aut ad alios conveniendum constringi non posse; et processus, sententias, mandata et decreta per alium sive alios, tam ordinarios quam etiam specialiter deputatos et delegatos, iudices, quavis auctoritate fungentes, in causis praedictis quomodolibet pro tempore formatos, in quacumque instantia latas et facta, cum inde sequutis quibuscumque, nulla, irrita et inania, nulliusque roboris et momenti fore.

Clausulae praeservativae.

§ 11. Praesentem quoque motus proprii cedulam, sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum aut concessionum revocationibus, suspensionibus, moderationibus seu limitationibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices ac Sedem praedictam, vel eius etiam de latere legatos, et per Cancellariae apostolicae regulas pro tempore factas, etiam in favorem fabricae basilicae Principis Apostolorum de dicta Urbe nullatenus comprehensam, sed semper ab illis penitus et omnino exceptam, ac quoties illae emanabunt, toties praesentem cedulam in pristinum robur restitutam esse et censeri debere; nec eidem cedulae per quascumque clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes, derogari posse; et si illi ullo umquam tempore ex aliqua, etiam quantumvis necessaria et urgenti, causa, derogari contingat, nisi tenor cedulae huiusmodi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogatio consistorialiter facta, et per trinas distinctas litteras, eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, custodibus, camerario et aliis officialibus archiconfraternitatis huiusmodi legitime insinuata et intimata fuerit, eorumque ad id expressus accedat assensus, derogationes huiusmodi nemini suffragari debere; et si ac quoties illa aliquo alio modo revocari aut alias illi derogari contigerit, toties in pristinum statum restitutam, et de novo etiam sub posteriori data, per praedictos custodes, camerarium et officiales eligenda, concessam et stabilitam esse.

Decretum irritans.

§ 12. Et sic per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S.R.E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque *etc.* attentari.

§ 13. Volumus etiam et mandamus quod

Declaratio quod sub eodem iudice sint omnes redempti, et puellae ab archiconfraternitate dotatae.

omnia et singula praemissa habeant locum ad favorem quarumcumque pauperum puellarum, quae a praedicta archiconfraternitate dotem habuerint, pro dictarum dotium consequutione, ac quorumcumque ab eadem archiconfraternitate redemptorum; ita quod sint et esse intelligantur sub dicta iurisdictione in omnibus et per omnia, ac si principaliter, cum illis et quolibet illorum agendo seu defendendo, de interesse praedictae archiconfraternitatis ageretur.

Praefectus Signaturae iustitiae, regensque et referendarii non signent commissiones contra formam praesentium, et iudices, quibus essent commissae, nullatenus procedant.

§ 14. Inhibentes expresse moderno et pro tempore existenti Signaturae iustitiae praefecto, aut alias pro tempore iustitiae signaturam habenti, necnon regenti Cancellariae, qui pro tempore erit, omnibusque et singulis referendariis, ne de cetero, ad instantiam et requisitionem cuiuscumque, supplicationem aliquam recipere, referendariare seu proponere praefecto Signaturae iustitiae audeant vel praesumant; et similiter signaturam facienti non signet sive avocatoriam sive simplicis iustitiae sive appellatoriam et similem, neque in initio neque in medio litis, et signatae nullius sint roboris et momenti, nullamque tribuant iurisdictionem; neque ipse iudex, cui fuerint commissae, audeat illarum virtute citare, inhibere vel quomodolibet procedere; irritum et inane quicquid, scienter vel ignoranter, secus factum fuerit, ipso iure decernimus, salva semper nostra manu propria signata, sine qua omne rescriptum censeatur et sit invalidum et a nostra voluntate alienum. Et nihilominus referendarius, sicut praemittitur, deputatus a praedicta archiconfraternitate, absque vitio attentatorum, procedere possit et valeat.

Iudex praefatus cogere possit notarios etc. ad sibi consignan. instrumenta concernentia aliquod interesse archiconfraternitatis, seu redemptionis captivorum.

§ 15. Et insuper, ne, propter difficultatem habendi seu recuperandi instrumenta publica super testamentis seu aliis quibuscumque dispositionibus piorum christifidelium, per notarios et tabelliones confecta et stipulata, in quibus per ipsos christifideles in eiusdem archiconfraternitatis seu redemptionis captivorum favorem diversa legata facta, illisque bona relicta et erogata fuerint, et de quibus illius custodes, camerarius, officiales et ministri praedicti notitiam habere non possunt, ipsa archiconfraternitas varia in temporalibus damna et detrimenta substineat et patiatur, eidem referendario, ut praefertur electo et deputato, omnes et singulos, etiam quorumcumque tribunalium ac curiarum dictae Urbis et in archivio Romanae Curiae et Capitolii descriptos notarios et tabelliones publicos, etiam quantumcumque privilegiatos et exemptos, qui deinceps perpetuis futuris temporibus quaecumque instrumenta publica super testamentis, codicillis et quibusvis tam inter vivos quam causa mortis dispositionibus, pro quibuscumque utriusque sexus christifidelibus, conficient aut stipulabunt, vel de quibus ipsi notarii et tabelliones pro tempore rogati fuerint, in quibus pia legata, etiam iure donationis perpetuae vel fideicommissi seu cuiusvis alterius dispositionis aut quocumque alio titulo eidem archiconfraternitati sive redemptioni captivorum per christifideles de eorum bonis, in toto vel in parte, hactenus quomodolibet facta fuerunt et in futurum fient, seu quae utilitatem vel commodum aut augmentum bonorum, iurium et emolumentorum archiconfraternitatis seu redemptionis captivorum huiusmodi, tam coniunctim quam divisim, et tam active quam passive, ac tam secundario quam principaliter, concernunt et concernent quomodolibet in futurum, aut in archiconfraternitatis seu redemptionis captivorum huiusmodi utilitatem cesserint vel cedant, ad dictorum instrumentorum seu illorum particulam interesse dictae archiconfraternitatis seu redemptionis, ut

praefertur, concernentem, copiam authenticam et fide dignam, in forma iuris valida et probante, seu instrumentum publicum, postquam ad id per ipsam archiconfraternitatem illiusque custodes, camerarium, officiales et ministros coram eodem referendario requisiti fuerint, et post testatorum obitum, sub poena falsi ac excommunicationis aliisque sententiis et censuris ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis poenis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, ac arbitrio eiusdem referendarii infligendis et exequendis, eidem archiconfraternitati, sive illius custodibus, camerario, officialibus seu ministris, soluta per eosdem custodes, camerarium, officiales seu ministros ipsis notariis et tabellionibus mercede, pro scriptura ipsius copiae authenticae seu instrumenti publici tantum, omni mora et dilatione aut subterfugio cessantibus, ac quacumque appellatione seu recursu postpositis, realiter et cum effectu, ac sine aliqua fraude, dandum, tradendum et consignandum, auctoritate nostra moneat, omnibusque sibi visis remediis opportunis, usque ad omnimodam paritionem, cogat atque compellat.

Clausulae derogatoriae.

§ 16. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon fabricae praedictae ac personarum, universitatum, societatum, congregationum, collegiorum, monasteriorum et hospitalium huiusmodi aliorumque quorumcumque piorum locorum et Ordinum, etiam exemptorum ac qualitercumque privilegiatorum, etiam iuramento, *etc.* roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, conservatoriis, exemptionibus et litteris apostolicis, illis ac dilectis filiis populo Romano, necnon iudicibus, notariis, tabellionibus, curiis seu tribunalibus, eorumque personis et collegiis quibuscumque, et Romanae Curiae officialibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac alias sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium, etiam in vim contractus aut alias quomodolibet, concessis, confirmatis et innovatis, necnon reformationibus noviter factis, et paribus motu et scientia approbatis, etiam si in eis caveatur expresse quod causæ huiusmodi ad forum seu Curiam Capitolii, et seu auditoris dictae Camerae vel vicarii aut aliorum eiusdem Urbis tribunalium reassumi debeant, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet disponentibus; quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, et nihil penitus omisso, non per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum expressi, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse, eisdem motu, scientia et potestatis plenitudine derogamus et sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque. Aut si personis, universitatibus, societatibus, congregationibus, collegiis, monasteriis, hospitalibus aliisque piis locis praedictis, eorumque administratoribus, officialibus seu ministris vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab ea-

dem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca, curias et tribunalia, ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibusvis allis privilegiis, indultis ac litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, iurisdictionis ipsius pro tempore existentis referendarii, ut praefertur deputati, explicatio sive exequutio impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Sola signatura sufficit.

§ 17. Volumus solam praesentis motus proprii signaturam sufficere et ubique fidem facere, in iudicio et extra.

Fides exemplorum.

§ 18. Quodque eadem motus proprii exempla, etiam impressa, notarii publici sive eiusdem archiconfraternitatis secretarii manu subscripta, et sigillo dictae archiconfraternitatis vel illius protectoris sive referendarii pro tempore, ut praefertur, electi et deputati, obsignata, eamdem prorsus, in iudicio et extra illud, fidem ubique faciant, quam ipse motus proprius faceret si foret exhibitus vel ostensus, regula contraria quacumque non obstante.

Fiat, motu proprio. F.

Datum Romae apud S. Marcum, die XIX augusti, anno II.

Dat. die 19 augusti 1586, pontif. anno II.

LV.

Erectio Universitatis Studii generalis in civitate de Quito, provinciae Sancti Michaelis Indiarum Occidentalium, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini cum facultatibus aliis Universitatibus concedi solitis [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Intelligentes quam Domino grati, christianaeque reipublicae uberes fructus ex assidua verbi Dei praedicatione aliorumque piorum operum exercitio ex domibus regularibus Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, in partibus Indiarum Occidentalum fundatis, in dies producantur, facile inducimur ut eorumdem fratrum votis per quae ne, ob locorum nimiam distantiam, tam ipsi quam alii dictarum partium cives et incolae sacrarum litterarum cognitione privati remaneant, provideri valeat, libenter annuamus, eaque favoribus prosequamur opportunis.

Rationes erigendae Universitatis.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum provincialis et fratrum domus Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini civitatis de Quito, provinciae S. Michaelis, partium Indiarum Occidentalium, nobis exhibita petitio continebat quod, cum in dicta civitate domus dicti Ordinis in suis structuris et aedificiis satis commoda existat, ac proximior dictae civitati Studii generalis Universitas per nongenta milliaria et ultra distet, unde dicti Ordinis fratres, in eadem ac aliis dictae provinciae domibus commorantes, necnon cives et incolae sacrarum litterarum studio non sine maximo incommodo ac dispendio incumbere possint. Et sicut eadem petitio subiungebat, si in domo dictæ civitatis Universitas Studii generalis, in qua omnes scientiæ et facultates a iure permissæ per lecto-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

res deputandos a superiore vel capitulo provinciali eiusdem provinciae publice legi et interpretari, atque in eisdem facultatibus baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii gradus conferri possent et deberent, donec ut quaecumque alia Studii generalis Universitas in dicta civitate, ad instantiam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, qui etiam dictarum partium dominus existit, instituatur, erigeretur et institueretur, ex hoc ipsorum fratrum, civium, incolarum et aliorum studentium commoditati plurimum consuleretur.

Petitio P. provincialis.

§ 2. Quare pro parte provincialis et fratrum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus dictam Universitatem in praedicta domo eiusdem civitatis, ut praefertur, instituere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio de qua in rubrica.

§ 3. Nos igitur, considerantes quantae utilitatis in eisdem partibus sit quod dicti Ordinis professi et alii ibidem commorantes studendi commoditatem habeant, ut exinde in vinea Domini utilius se exercere valeant; ipsosque provincialem et fratrum praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in praedicta ipsius civitatis domo unam Universitatem Studii generalis, in qua aliqui magistri et eruditi professores, a superiore provinciali vel capitulo provinciali dicti Ordinis eligendi et deputandi, theologiam, ius canonicum et artes liberales necnon alias quascumque licitas facultates et scientias publice legant, doceant et interpretentur, ac ipsius Ordinis fratres et alii quicumque scholares, sive laici, sive clerici, saeculares et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, regulares, ubicumque oriundi et undecumque advenientes, in eisdem facultatibus et scientiis studeant.

Facultas concedendi laurearum.

§ 4. Necnon illis, qui catholici et ad id idonei reperti fuerint, baccalaureatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii ac alii cuiuslibet licitae facultatis gradus et insignia conferantur et concedantur, cum archa, sigillo et aliis insignibus Studii generalis, donec et quousque alia Studii generalis Universitas in dicta civitate ad instantiam ipsius Philippi regis instituta fuerit, apostolica auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus;

Privilegia ceterarum Universitatum concessa.

§ 5. Illique sic erectae et institutae ac eius pro tempore existentibus rectori, ab eodem superiore vel capitulo provinciali eligendo et deputando, magistris, professoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, bidellis et aliis officialibus, ministris et personis, necnon ibidem ad quoscumque gradus promotis, quod omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, non tamen a iurisdictione regia, praerogativis, antelationibus, praeeminentiis, favoribus, honoribus, dignitatibus, concessionibus, indultis et aliis quibuscumque gratiis, quibus aliae Studiorum generalium dictarum partium Universitates, illarumque pro tempore existentes rectores, magistri, professores, lectores, praeceptores, scholares, bidelli ac alii officiales, ministri et personae, necnon ibidem ad quoscumque gradus promoti, de iure vel consuetudine ac alias quomodolibet, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere possint et debeant, perinde

ac si eis specialiter et expresse concessa fuissent.

Privilegia studentium.

§ 6. Praeterea illis, qui in ipsa Universitate Studii generalis de Quito vel alibi studuerint theologiae vel artibus liberalibus aliisque facultatibus praedictis, baccalaureatus, licentiaturae et magisterii ceterosque omnes solitos gradus, si per magistros vel doctores illius facultatis, in qua voluerint promoveri, ad hoc praesentati, et praevio debito examine, assistentibus ibidem aliquibus doctoribus seu magistris in eadem facultate legentibus, desuper faciendo, aut alias servatis servandis, idonei reperti fuerint, a pro tempore existenti superiore provinciali seu ab alio per capitulum provinciale eligendo et deputando, emissa prius per promovendos huiusmodi in eius manibus fidei catholicae professione, iuxta articulos pridem a Sede Apostolica ad hoc propositos, ipsorum graduum solita insignia recipere, illaque sibi exhibere facere, necnon, postquam huiusmodi gradus et illorum insignia susceperint, facultates in quibus promoti fuerint, ubicumque, absque alio examine vel approbatione, legere et interpretari, ac quoscumque actus graduum per eos receptorum et convenientium exercere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratia indulgemus.

Facultas rectori condendi statuta.

§ 7. Necnon Universitati Studii generalis de Quito, ac illius pro tempore existenti rectori, pro salubri et felici ipsius Universitatis ac illius personarum, rerum, locorum et iurium regimine, directione et conservatione, reique litterariae progressu, quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta ac sacris canonibus ac concilii Tridentini decretis non contraria, a loci ordinario approbanda, condendi, illaque, postquam condita fuerint, mutandi, corrigendi, et reformata ab eodem ordinario approbari debeant, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Praesentium litterarum firmitas et observantia.

§ 8. Decernentes praesentes litteras, etiam eo quod interesse habentes seu praetendentes ad hoc vocati non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari vel impugnari aut alias infringi non posse, sed illas donec alia Universitas Studii generalis in dicta civitate, ut praefertur, instituta fuerit, validas et efficaces existere, suosque effectus sortiri; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputati.

§ 9. Quocirca dilectis filiis universis et singulis in dignitate ecclesiastica constitutis, tam saecularibus quam quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, regularibus personis, in illis partibus nunc et pro tempore commorantibus, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte provincialis et fratrum ac rectoris, magistrorum, lectorum, scholarium ac aliorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant praemissa omnia per eos, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, donec alia Universitas in dicta civitate, ut praefertur, instituta fuerit, observari. Non permittentes provincialem et fratres ac rectorem, magistros, lectores, scholares et alios praedictos super praemissis per quoscumque quomodolibet molestari; contradictores

quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac aliarum quarumcumque Studiorum generalium Universitatum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDLXXXVI, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 20 aug. 1586, pont. anno II.

LVI.

Iurisdictio S. R. E. cardinalis protectoris et iudicis causarum collegii cantorum cappellanorum Romani Pontificis, cum privilegiorum et gratiarum concessione.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

In superna militantis Ecclesiae cathedra, nullis nostris meritis, sed sola redemptoris nostri benignitate constituti, ad universa per orbem terrarum diffusa loca cultui dicata divino, provisionis nostrae remedia tenemur extendere; praecipue vero circa cappellae nostrae pontificiæ, cuius cura strictiori iure nobis incumbit, prosperum statum et felicem directionem nos convenit intendere, et providentiæ nostrae studium propensius adhibere, ut in ea missarum solemnia et alia divina officia continue decantentur; illiusque cantores ad eum numerum, qui eiusdem cappellae decori et servitio satis sit, reducti, congruis facultatibus pro eorum vitae subsidio valeant communiri.

Reductio numeri cantorum cappellanorum, cappellae pontificiae.

§ 1. Quocirca, huic rei sedulo incumbere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, numerum cantorum cappellanorum praedictorum, qui ad praesens vigintiquatuor existunt, ad numerum viginti unius dumtaxat, quorum nomina et cognomina in calce praesentium describuntur, apostolica auctoritate, tenore earumdem praesentium reducimus et contrahimus; reliquos vero tres cantores cappellanos ibidem non descriptos, illorum rationem aliorsum habituri, ab ipsius cappellae servitio et canendi onere, cantorumque cappellanorum huiusmodi numero et consortio absolvimus et amovemus.

§ 2. Necnon in eadem cappella, unum

Erectio collegii viginti unius cantorum cappellanorum, et descriptio qualitatum eorundem.

collegium viginti et unius cantorum cappellanorum, ut praefertur descriptorum, loco quorum pro tempore decedentium vel recedentium alii, artis musicae peritia et vocis suavitate pollentes, ab aliis de gremio collegii huiusmodi existentibus, praevio diligenti examine, ac alias iuxta laudabilem consuetudinem hactenus observatam, eligi debeant; sic tamen quod dictum numerum viginti et unius numquam excedant, et quorum unus dictae cappellae magister existat.

Concessio privilegiorum et reddituum.

§ 3. Et tam ipse quam alii pro tempore existentes cantores cappellani, de gremio collegii huiusmodi existentes, sint et esse censeantur, prout hactenus semper fuerunt, nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis veri et indubitati familiares, continui commensales, ac ex Palatio Apostolico solitam portionem panis et vini percipere et habere debeant, cum massa communi ex monasterio Sanctae Mariae de Crespiano, Ordinis S. Benedicti, Tarentinae civitatis seu dioecesis, eidem cappellae per nos nuper, ad usum et sustentationem ipsorum cantorum cappellanorum dumtaxat, dicta auctoritate unito, ac aliis eisdem massae usque ad valorem annuum trium millium scutorum monetae, assignandis fructibus, reditibus, proventibus, rebus et bonis; ac etiam, quoad de totidem reddituum annuorum summa illi a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus provisum fuerit, ex Camerae Apostolicae pecuniis eisdem cantoribus cappellanis, loco salarii, per menses singulos, deducta rata parte fructuum collegii et illius massae communis huiusmodi, praestandis conficienda, ac inter ipsos viginti et unum cantores cappellanos proportionabiliter, prout desuper ab ipsius collegii protectore pro tempore existente ordinatum fuerit, dividenda, ex qua tamen diacono et subdiacono, olim substitutis nuncupatis, in dicta cappella quotidie, non tamen in praesentia nostra, ministrantibus, ac scriptori et custodi librorum eiusdem cappellae congruam portionem, loco salarii, arbitrio ipsius protectoris assignari. Nec de cetero quicquam a sanctae Romanæ Ecclesiae cardinalibus, missam in eadem cappella pro tempore celebrantibus, etiam praetextu cuiuscumque consuetudinis, quantumlibet inveteratae, petere et exigere aut etiam sponte oblatum recipere debeant, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo erigimus et instituimus.

Concessio insignium collegii ac facultatis eligendi de eorum gremio magistrum cappellae et alios ministros.

§ 4. Illique sic erecto et instituto, arcam, sigillum aliaque collegialia iura et insignia, necnon facultatem et auctoritatem magistrum dictae cappellae, de ipsius collegii gremio existentem, qui per quindecim annos eidem cappellæ deservierit, vel saltem ex antiquioribus personis dicti collegii existat, et quem duae ex tribus partibus illius cantorum cappellanorum huiusmodi ad hoc idoneum iudicaverint, ceterosque officiales et ministros necessarios ad tempus desuper statuendum eligendi.

Statutaque pro bono collegii regimine condendi.

§ 5. Necnon, pro felici statu, regimine et gubernio dicti collegii illiusque personarum, rerum et bonorum, tam spiritualium quam temporalium, ac super electionibus, qualitatibus, oneribus, servitiis et ministeriis magistri cappellae aliorumque officialium et ministrorum eiusdem collegii quaecumque statuta, ordinationes et decreta, sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non contraria, condendi, et condita, quoties pro illorum ac rerum et temporum qualitate vel alias expediens videbitur, mutandi, corrigendi, reformandi, alterandi, moderandi, in toto vel in parte revocandi, ac alia de novo edendi, eaque omnia, dummodo apostolica vel saltem ipsius protectoris pro tempore existentis auctoritate approbata fuerint, ab

omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, sub poenis pecuniariis arbitrio eiusdem collegii infligendis et illi applicandis, observari faciendi, concedimus et elargimur.

Elargitio exemptionis ab omni superioritate ordinariorum et iudicum in Urbe et extra.

§ 6. Insuper collegium praedictum illiusque pro tempore existentes particulares personas, officiales et ministros ac eorum res et bona quaecumque, mobilia et immobilia, praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, et tam in dicta Urbe quam extra eam ubicumque locorum consistentia, ab omni iurisdictione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis vicarii, senatoris, conservatorum et reformatorum Urbis ac auditoris causarum Curiae dictae Camerae, necnon ordinariorum locorum, aliorumque iudicum et officialium quorumcumque, in ipsa Urbe vel extra eam ubilibet constitutorum, etiam perpetuo eximimus et liberamus, ac sub beati Petri et nostra Sedisque Apostolicae protectione suscipimus, ac nobis et eidem Sedi immediate subiicimus.

Confirmatio atque innovatio omnium privilegiorum iam concessorum.

§ 7. Omniaque et singula privilegia, exemptiones, libertates, praerogativas, facultates, gratias, tam spirituales quam temporales, et indulta eisdem magistro et cantoribus cappellanis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos et dictam Sedem hactenus quomodolibet concessa, approbata et innovata, quoad ea videlicet quae decretis praedicti concilii contraria et sub ullis revocationibus comprehensa non sunt, approbamus, confirmamus et innovamus.

Privilegium quod cantores de collegio non amoveantur, nisi data eis prius equivalenti recompensa, si xxv annorum spatio deservierint, vel legitime impediti fuerint.

§ 8. Praeterea statuimus et ordinamus ut illi ex cantoribus cappellanis praedictis, qui spatio vigintiquinque annorum cappellae praedictae deservierint, ex tunc de cetero ab omni illius onere et servitio sint et esse censeantur excusati, exempti et liberati, neque ipsi nec alii quicumque eorumdem cantorum cappellanorum, quos deinceps gravi aegritudine, aut corporis seu vocis imbecillitate vel alio legitimo impedimento detineri contigerit, ab ipso collegio illiusque cantorum cappellanorum numero et consortio amoveri, neque alii in eorum locum subrogari ullatenus possint, nisi eis prius de aequivalenti recompensa fuerit omnino provisum.

Quodque privilegia cantorum etiam amotorum perpetua sint.

§ 9. Quodque tam per nos, ut praefertur, amoti, quam deinceps propter huiusmodi aut similia impedimenta amovendi, omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, facultatibus, gratiis et indultis, quibus alii cantores cappellani de gremio et consortio collegii huiusmodi existentes utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter, in omnibus et per omnia, uti, potiri et gaudere libere et licite possint.

Deputatio protectoris dicti collegii cum facultate praedicta omnia ordinandi et gubernandi.

§ 10. Ut autem ipsius collegii conservationi et bono regimini consulatur, ipsique cantores cappellani ab indebitis molestiis praeserventur, dilectum filium nostrum Decium tituli Sancti Matthaei in Merula presbyterum cardinalem Azzolinum nuncupatum, eiusdem collegii et illius particularium personarum rerumque et bonorum quorumcumque protectorem, defensorem, conservatorem et iudicem ordinarium, cuius consilio et ope, omnia supradicta et alia quaecumque ad electionem magistri cappellae aliorumque officialium et ministrorum, necnon receptionem et admissionem cantorum cappellanorum praedictorum spectantia et alias quomodolibet necessaria agantur, statuantur et ordinentur.

Iurisdictione que causas e

§ 11. Cum plena et omnimoda potestate et auctoritate omnes et singulos di-

...nes dicti collegii eiusque personarum cognoscendi summarie appellationeque remota etc.

cti collegii eiusque personarum, officialium et ministrorum pro tempore existentium causas, etiam beneficiales, profanas, meras et mixtas, tam active quam passive motas et movendas, per se ipsum vel eius auditorem aut alium seu alios ei bene visos, exclusive quoad omnes alios iudices, tam ordinarios quam delegatos, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, manuque regia, et nulla tela iudiciaria servata, sed sola facti veritate inspecta, ac etiam omni et quacumque appellatione remota, audiendi, cognoscendi, decidendi et fine debito terminandi; ac quibus et quoties opus fuerit, in forma, etiam sub pecuniariis et aliis eius arbitrio infligendis poenis et, in subsidium iuris, censuris ecclesiasticis, inhibendi quaecumque mandata, etiam executiva, decernendi et relaxandi; censuras et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravandi; auxiliumque brachii saecularis invocandi; ac alia omnia et singula in praemissis et circa ea ac alias quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exercendi, ceterisque facultatibus ad id requisitis, quae etiam ad ipsius Decii cardinalis in officio protectoris huiusmodi successores perpetuo se extendere, auctoritate et tenore similibus constuimus et deputamus.

Clausulae praeservativae.

§ 12. Decernentes praemissa omnia et singula ac praesentes litteras, nullo umquam tempore, ex quavis causa, quantumvis legitima et urgenti, de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam revocari, seu ad terminos iuris reduci posse, sed semper valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et inviolabiliter observari, et cantoribus cappellanis et aliis supradictis perpetuo suffragari.

Decretum irritans.

§ 13. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique et in quavis instantia iudicari atque definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 14. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon stylo Palatii; ac Urbis, Camerae et locorum praedictorum, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; ac etiam novis reformationibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac vicario, auditori, senatori, conservatoribus, reformatoribus, ordinariis aliisque iudicibus et officialibus praedictis et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

Nulli ergo *etc.*

Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, kalendis septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 1 septem. 1586, pontif. anno II.

LVII.

Hortatio ad omnes christifideles ut Rhemensi collegio, pro catholicis Anglis a Sede Apostolica instituto, pie et liberaliter subveniant, et ad imperatorem, reges et principes christianos, ut Anglos, propter iustitiam persecutionem patientes, iuvent et foveant [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolic. benedictionem.

Haereticorum Anglorum immanitatis exeeratio.

Afflictae et crudeliter vexatae Anglorum qui in catholica fide perseverant reliquiae, communi piorum moerore ac luctu, animos cunctorum mortalium in sui misericordiam et admirationem convertunt. Quocirca nos, qui pontificii muneris nostri esse putamus cunctarum ecclesiarum, etiam quae Dei beneficio pace fruuntur, curam gerere, multo etiam magis solliciti sumus de ovibus perditis quaerendis, et afflictis populis et personis pro viribus sublevandis. Saevit enim in dies acrius dira haereticorum immanitas, in eos praecipue ecclesiastici ordinis viros, qui de ipsa orthodoxa fide vocem paulo liberiorem mittere, aut hiscere audent, ita ut plerique novis et ante hunc diem inauditis tormentorum generibus dilacerati atque membratim discerpti, exquisitis suppliciis trucidentur. At quibus divina benignitas annuit e cruentis impiorum manibus elabi, ii vero, quasi funesti tantae cladis nuncii, ad augendum nostri doloris acerbitatem missi, vix aliquod aerumnarum suarum solatium reperiunt; nam extorres patriis finibus, bonis ac fortunis suis spoliati, summa rerum omnium egestate misere premuntur, ac dispersi incertis sedibus vagantes, externarum atque ignotarum gentium, sed fidei ac communionis catholicae sociarum, opem implorant. Et cum divitias et ampla atque opulenta patrimonia possiderent, quibus in patria secundum carnem abunde affluentes frui poterant, si a vera pietate declinassent, maluerunt, divino Spiritu ducti, ea praedae ac direptioni sacrilegorum domi relinquere, quam fidem negare.

Anglorum catholicorum praeclara laudatio.

§ 1. Numquam ergo satis Anglorum catholicorum laudari potest constantia, dum pro studio religionis, illi acerbissimos cruciatos et necem, hi vero exilium, mendicitatem, quaeque ultima censentur in malis, data optione, cunctis huius saeculi deliciis et commodis anteponunt. Neque sane est quod miseri exules a suis necessariis et amicis in patria relictis opem aliquam expectent; ipsi namque nefariis edictis deterriti, aut paribus depressi angustiis, suas nequeunt miserias tolerare, nedum aliis adiumento esse.

Collegii Rhemensis pro catholicis Anglis a Sede Apost. instituti, boneramque fructuum inde provenientium enarratio atque commendatio.

§ 2. Quare horum calamitatis miserata Sedes Apostolica, per omnes christiani orbis partes dispersis Angliae populis, iis praesertim qui in collegium Rhemense, hac ipsa de causa, auctoritate apostolica institutum, se receperunt, superioribus annis coeperat aliquid auxilii suppeditare, quod pium institutum nos quoque persolvendo, ex aerario nostro, in singulos menses certum subsidium prosequi non cessamus, nec sine magno fructu, siquidem

[1] Similem hortationem fecit Gregorius decimustertius, ut supra in eius const. CXXXIV, *Omnipotens*, pag. 383. Qui iam in Urbe collegium pro catholicis Anglis instituit, ut in alia eius bulla LXXXI, *Quoniam*, pag. 208.

ex sancto illo Anglorum, illuc pietatis et catholicae disciplinae capessendae causa profugientium, seminario, multos fere quotidie prodire audimus, qui, Deo iuvante, in Angliam ad confirmandos catholicorum animos redeuntes, gloriosis et apud posteros quoque illustribus futuris martyriis, suam et erga catholicam fidem hanc Sanctam Sedem devotionem usque ad sanguinis et spiritus effusionem testentur. Horum autem eximia virtus et infracti animi robur saevissimos haereticos urit, spemque eis eripit quam de catholicorum nomine ad internecionem delendo, aut certe penitus profligando, animo conceperunt. Sed cum haud desinant propterea pios omnes vexare, excrescente in dies exulum numero, idem collegium Rhemense in maximas difficultates est adductum, ac ne ipsius quidem aerarii apostolici ingentibus oneribus gravati tenuitas sufficere potest tot necessitatibus sublevandis, cum praesertim nos turbulentissimis temporibus ad Ecclesiae gubernacula vocati, imminentibus undique periculis circumsessi, ex toto terrarum orbe ad nos confluentium fidelium pauperum necessitatibus succurere, pro communi christianae reipublicae bono, ingentes sumptus facere et gravissima onera sustinere assidue cogamur.

Pontificis ad Deum oratio pro Angliae liberatione.

§ 3. Primum igitur confugimus ad divinam opem implorandam, ut Deus omnipotens cohibeat tandem aliquando effraenatae tyrannidis in caede ac strage piorum debacchantis furorem, et nobilissimam nationem verae religionis studio quondam florentem ac beatam, et adhuc pro suo ab haereticorum intolerabili iugo liberatione, usque ad sanguinem gloriosissime concertantem, tali peste ac pernicie liberet, ac in pristinam quietem et tranquillitatem vindicet.

Eiusdem pro dicti collegii subventione ad christifideles exhortatio.

§ 4. Mox imitati felicis recordationis Gregorium Papam XIII, nostrum praedecessorem, eius exemplo, ut plus ponderis habeat duplicata Romanorum Pontificum commendatio, nos quoque denuo per praesentes universos christifideles enixe obtestamur et obsecramus in Domino, cuius causa nunc maxime agitur, ut sublevent Anglorum fidelium, praesertim dicti collegii Rhemensis, supplices manus tendentium, inopiam, pia et liberali, pro suarum quisque facultatum modo, eleemosynarum largitione, nec denegent eis vel a dilecto filio Guillelmo Alano, rectore eiusdem collegii moderno ac pro tempore existente, deputatis promptum auxilium, ne quos divina misericordia incolumes defendit ab efferata crudelissimae tyrannidis saevitia, eos nunc in media christianorum republica enectos fame, nudos, macie et squallore confectos tabescere ac perire, summa cum ignominia patiantur.

Ecclesiasticis modum indicit praesentes litteras publicandi, et eleemosynas colligendi.

§ 5. Mandamus praeterea universis et singulis ecclesiarum praelatis et rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis quibuscumque, ut curent praesentes litteras, earumve authentica exempla in suis quisque ecclesiis et locis ac etiam concionibus publicari, spectataeque integritatis viros, non autem quaestores, deligant, qui eleemosynas et oblata caritatis subsidia colligant, ac sine lucro et fraude, dicto rectori vel ab eo deputatis fideliter tradant, ex quibus idem rector modernus et pro tempore futurus, ubi eiusdem collegii necessitatibus satis esse provisum noverit, ceteris Anglis exulibus dispersis presbyteris opportune subveniat.

Hortatio ad principes christianos ut Anglos exulantes recipiant et foveant.

§ 6. Demum carissimos in Christo filios imperatorem cunctosque reges ac reliquos principes christianos etiam atque etiam rogamus et monemus ut eosdem Anglos exules, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, christianorum quidem principum patrocinio dignissimos, iuvent pro viribus et foveant, vel in eis po-

tius ipsummet Christum, cuius nutu omnia regna et dominia sibi ab eo tradita, regi meminerint.

Fides transumptorum.

§ 7. Et quia praesentes nostrae litterae ad singula loca, ubi illis opus est, deferri nequeunt, decernimus ut earum exemplis *etc*.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, tertio nonas septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 3 sept. 1586, pont. anno II.

LVIII.

Quod fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de Observantia licite retineant loca, quae etiam sine titulo possident, dummodo ordinariorum consensus accedat, quoad ea quae possident a decem annis citra [1].

Sixtus Papa V.

Dilecte fili, salutem et ap. benedictionem.

Generalis minister exponit quod multa loca et ecclesias ipsi possident, licet de legitimo titulo seu concessione, ex causis hic expressis, docere nequeant.

Cum, sicut nobis nuper exposuisti, tu annis proxime lapsis, pro iniuncto tibi ministeriatus tui generalis Ordinis fratrum Minorum de Observantia onere, omnes et singulas praefati Ordinis provincias, tam in Italia quam extra eam existentes, visitaveris, multasque domos, ecclesias et loca Ordinis praefati ab eorum ministris, custodibus seu guardianis et fratribus retineri repereris, absque eo quod ipsi ministri seu guardiani et fratres de aliquo ecclesiarum et domorum ac locorum huiusmodi titulo seu concessione a Sede Apostolica vel alias legitime habita et facta docere valeant, cum dictae concessiones aut non obtentae vel non expeditae, seu dictarum domorum ministrorum, guardianorum seu custodum incuria, sive etiam ob bella aut depopulationes vel alios casus sinistros aut alias deperditae sint, quamvis domus et ecclesiae ac loca praedicta ab eorum ministris sive guardianis et fratribus bona fide ac pacifice et quiete possideantur. Tuque nobis humiliter supplicasti ut, potiori pro dictorum ministrorum, custodum sive guardianorum et fratrum conscientiarum securitate et cautela, tibi dictisque ministris, custodibus sive guardianis et fratribus in praemissis de aliquo opportuno nostro et Sedis Apostolicae remedio providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic itaque Pontifex eisdem concedit ut ea libere et licite retinere valeant, dummodo habeant consensum ordinariorum, quo ad loca quae habeant a decem annis citra;

§ 1. Nos igitur, pro nostri pastoralis officii munere, tuisque supplicationibus in hac parte inclinati, in praemissis opportune [1] dictarumque domorum et ecclesiarum ac locorum qualitates et quantitates aliaque necessaria exprimenda hic pro plene et sufficienter expressis habere volentes, teque ac dictos ministros, guardianos seu custodes et fratres a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, tibique ac ceteris ministris, custodibus seu guardianis et fratribus dicti Ordinis, nunc et pro tempore existentibus, ut quaecumque loca, domos et ecclesias, quae vos in hanc usque diem, in quibuscumque mundi partibus, ac etiam insulis et regnis novis Indiarum Occidentalium et Orientalium, quomodolibet, ea videlicet quae a decem annis supra, quae vero a decem annis citra de consensu ordinariorum possidetis, libere et licite ac absque aliquo conscientiarum vestrarum scrupulo, aut censurarum et poenarum

1 Alia de his fratribus videri possunt in Leonis X constit. XXVII *Ite*, tom. V, pag. 692.

1 Deest *providere* (R. T.).

incursu, etiamsi de illorum concessionibus a Sede Apostolica vel alias quomodolibet factis ac fieri necessariis nullibi, ut praemittitur, appareat, perpetuo retinere et possidere, ac in eorum quieta et pacifica possessione remanere, illamque in omnibus et per omnia, perinde ac si antequam loca, domus et ecclesiae huiusmodi et eorum singula recepta fuissent, de illis recipiendis competens et sufficiens facultas a Sede Apostolica et locorum ordinariis, in quorum civitatibus et dioecesibus consistunt, obtenta fuisset, continuare valeatis, apostolica auctoritate, praesentium tenore, concedimus.

Indulgentiasque et privilegia eisdem concedit, quae concessa fuerunt locis et ecclesiis a principio licite receptis et aedificatis.

§ 2. Necnon ecclesiis, domibus et locis praedictis, illorumque ministris et guardianis seu custodibus et fratribus nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, antelationibus, præeminentiis, indultis, favoribus, gratiis, concessionibus, indulgentiis et peccatorum remissionibus et relaxationibus, quibus aliae dicti Ordinis ecclesiae, domus et loca, quae a principio de eiusdem Sedis Apostolicae et ordinariorum locorum licentia recepta et aedificata fuerunt, eorumque ministri, guardiani seu custodes et fratres ac aliae personae, tam de iure, usu, consuetudine, privilegio et concessione quam alias quomodolibet, in genere vel in specie, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ipsi similiter ac pariformiter et sine ulla penitus differentia uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, indulgemus.

Ampliatio supradicti indulti.

§ 3. Decernentes insuper te ac ministros, custodes seu guardianos et fratres ecclesiarum domorum et locorum praedictorum de cetero ad docendum de facultate sive licentia recipiendi ecclesias, domos et loca praedicta ab eadem Sede et locorum ordinariis obtenta, alias quam per praesentium ostensionem, quam ubique, tam in iudicio quam extra, praeter quam quod ad docendum de dicto consensu ordinariorum in his quae possidetis a decem annis citra, sufficere volumus pro sufficienti et plena probatione omnium et quorumcumque necessario probandorum, ad effectum consequendi praemissa, hisque omnibus plenarie fruendi, minime teneri nec obligatos existere.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, ordinarios et delegatos, etiam Palatii Apostolici causarum auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate, iudicari, definiri et interpretari debere, ac quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de novis locis per Mendicantes, absque dictae Sedis licentia, non recipiendis; et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.* praedicti Ordinis eaque concernentibus prope diem, te auctore, in typographia Romana dilecti filii Dominici Basae cudendis, aut etiam separatim imprimendis, et a te seu pro tempore existente ministro seu commissario generali Ordinis praefati separatim subscriptis.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die III septembris MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 sept. 1586, pontif. an. II.

LIX.

Confraternitas S. Annae Varsaviae erigitur in archiconfraternitatem cum eiusdem facultatibus et privilegiis, quae habet archiconfraternitas Confalonis de Urbe[1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a piis operibus quae per confratres huius confraternitatis exercentur desumptum.

Praeclara ac insignia charitatis et pietatis opera, quae dilecti filii prior seu senior, camerarius, deputati aliique confratres societatis S. Annae, quae gloriosissimae Virginis Salvatoris nostri Iesu Christi genitricis matrem esse et appellari commerita fuit, ad gloriam Dei, et animarum christifidelium salutem quotidie exercent, nos inducunt ut eamdem confraternitatem, quae non solum Lomzae, Vilnae, Carinae, Scampis, Varsaviae, Vartae, Leopoli, sed etiam per universam Poloniam, Lituaniam et Russiam, tam apud fratres Sancti Francisci de Observantia, quam apud alias plerasque ecclesias atque sacella eiusdem Sanctae Annae erecta et instituta reperitur, ampliori ac digniori nomine ac titulo decoremus ac illustremus, favoribusque, gratiis et praerogativis prosequamur opportunis.

Confraternitas in archiconfraternitatem erigitur, ceteraeque eiusdem nuncupationis confraternitates ei subiiciuntur.

§ 1. Itaque charissimae in Christo filiae nostrae Annae, Poloniae reginae illustris, eiusdem societatis patronae ac protectricis, supplicationibus hac in parte inclinati, confraternitatem S. Annae praedictae, Varsaviae existentem, in archiconfraternitatem et caput omnium confraternitatum sub eadem invocatione in quibuslibet civitatibus, terris, oppidis et locis regni Poloniae ac aliis dominiis et ditionibus praedictae reginae Annae constitutis, erectarum et erigendarum, et aliarum cuiusvis alterius nuncupationis, eiusdem tamen instituti, eidem archiconfraternitati pro tempore aggregandarum, auctoritate apostolica, perpetuo erigimus et instituimus.

Seniori confraternitatis statuta condendi facultas conceditur;

§ 2. Ac priori seu seniori, camerario ceterisque deputatis archiconfraternitatis huiusmodi, quaecumque statuta, decreta et ordinationes, licita tamen et honesta ac sacrorum canonum dispositioni et praesertim concilii Tridentini decretis minime contraria, faciendi et condendi, et iam facta, edita seu condita, matura consideratione et deliberatione super illis per eos adhibita, nostro nomine confirmandi et approbandi.

Aliasque confraternitates aggregandi, proprioque privilegia, indulgentias etc. communicandi.

§ 3. Necnon quascumque confraternitates, ubicumque existentes, tam sub dicto nomine Sanctae Annae, quam alterius nuncupationis, idem tamen institutum circa praedictae charitatis et pietatis opera tenentes, ipsi archiconfraternitati aggregandi, ac omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones et alias quascumque gratias spirituales eidem archiconfraternitati per nos et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessas et in futurum concedendas, dictis confraternitatibus, quarum ipsa archiconfraternitas S. Annae caput existit, impartiendi.

Communicantur eidem privilegia a summis Pontificibus concessa archiconfraternitati Confalonis.

§ 4. Necnon omnia privilegia, indulta, praerogativas, facultates archiconfraternitati Confalonis de Urbe per nos et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, praesertim illa quae in libro statutorum eiusdem archiconfraternitatis continentur, quorum tenores hic pro expressis haberi volumus, data, tributa et concessa, tam respectu facultatis aggregandi confraternitates et alia pia loca, indulgentiasque et aliis peccatorum remissiones communicandi, quam orationes XL horarum et indulgentias ad instar stationum Urbis, certis anni temporibus, indicendi, necnon cetera omnia, prout ipsa archiconfraternitas Confalonis de Urbe facit et gerit, faciendi et gerendi

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

in dicto regno Poloniae facultatem et auctoritatem, tenore praesentium, damus, concedimus et impartimur.

Contraria omnia tolluntur.

§ 5. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis ad instar ac aliis constitutionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDLXXXVI, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 16 septem. 1586, pontif. anno II.

LX.

Confirmatio erectionis provinciae Hispaniarum fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, cum transitu eiusdem ad Discalceatos [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae a praedecessoribus nostris pro personarum, maxime religiosarum bono regimine et mutua quiete ac concordia inter eas conservanda salubriter ordinata fuerunt, ea ut firmiora persistant, libenter, cum a nobis petitur, nostram interponimus auctoritatem.

Post conditas Ordinis huius constitutiones sub Innocentio IV, Eugenius IV declaravit Carmelitas non teneri nisi ad ieiunia ecclesiastica et trium dierum in qualibet hebdomada etc.

§ 1. Alias siquidem, post confirmationem Regulae fratrum eremitarum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quae, de mandato felicis recordationis Innocentii PP. IV, nostri praedecessoris, a bonae memoriae Hugone tituli S. Sabinae presbytero cardinali et Guillelmo episcopo Antedariensi correcta et declarata, ac deinde iuxta correctionem et declarationem huiusmodi ab eodem Innocentio praedecessore comprobata fuisse asseritur, piae memoriae Eugenius PP. IV, etiam praedecessor noster, rigorem illius mitigans, et Regulam ipsam moderans ordinasse et congessisse inter alia dicitur, quod eiusdem Ordinis professores tribus dumtaxat diebus singularum hebdomadarum, et quibus ieiunare iuxta eamdem Regulam essent astricti, praeterquam in Adventu, Quadragesima et aliis generaliter prohibitis diebus, carnibus vesci, et horis congruis in eorum ecclesiis manere, ac per claustra et eorum ambitus deambulare libere et licite valerent. Decernens eosdem fratres circa praemissa ad arctiorem observantiam, quae superius praemittitur, occasione professionis in dicto Ordine emissae vel imposterum emittendae, minime teneri, et alias prout latius in dictorum praedecessorum litteris dicitur contineri.

Gregorius autem XIII fratres provinciarum Hispaniarum Mitigationis huiusmodi ad Discalceatorum Ordinem transire, eius priori generali subesse, ac in provinciam redigi permisit, cum nonnullis aliis privilegiis hic adnotatis.

§ 2. Ac demum, cum recolendae memoriae Gregorio PP. XIII, similiter praedecessori nostro, expositum fuisset quod de anno Domini MDLXV seu alio veriori tempore nonnulli professores dicti Ordinis, cum licentia sui prioris generalis tunc in partibus Hispaniarum existentis, aliquot fratrum et monialium eiusdem Ordinis monasteria, in quibus primitiva Regula praedicta cum omni observantia et rigore retineretur, in Hispaniarum regnis, sub obedientia tamen provincialis, fundare et aedificare coeperant; quodque Regulam et observantiam huiusmodi tam fundatores praedicti quam alii qui ex Mitigatis pro tempore admittebantur, renunciando mitigationi et relaxationi dicti Eugenii praedecessoris, transacto probationis anno, denuo, ac etiam alii de saeculo venientes profitebantur, ac numerus religiosorum, qui Discalceati nuncupantur, primitivam huiusmodi Regulam profitentium et observantium, magnopere, uti tunc expressum fuit, excreverat; quodque iidem religiosi Discalceati, ultra contenta in dicta Regula, de licentia ipsius prioris generalis et cuiusdam vicarii per eumdem

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

in provincia Castellae deputati, et cum approbatione visitatorum apostolicorum dictae Religionis, quaedam alia instituta, ad carnis mortificationem et populi aedificationem, ab initio suae institutionis observare incoeperant, veluti discalceatos incedere, indui sacco, dormire super tabulis, ad sublevandam suam inopiam manibus propriis operari, multum se in oratione exercere, divinumque officium sine cantu et sine modulatione recitare; idem Gregorius praedecessor, charissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Philippi Hispaniarum Regis catholici, ac etiam eorumdem fratrum Discalceatorum precibus annuens, de consilio venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S.R.E. cardinalium, super visitatione apostolica, consultatione episcoporum et regularium reformatione deputatorum, de quorum numero nos quoque, in minoribus constituti et cardinalatus honore fungentes, tunc eramus, institutum huiusmodi, quod iuxta primitivam Regulam praedictam ipsi fratres profitebantur, laudando et approbando, dictos fratres et moniales primitivam huiusmodi Regulam in regnis Hispaniarum observantes, Discalceatos nuncupatos, eorumque domos, conventus, monasteria et loca, tunc et pro tempore existentia, a provinciis fratrum et monialium eiusdem Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, Regulam per dictum Eugenium praedecessorem mitigatam tunc et pro tempore observantium, qui Mitigati nuncupantur, penitus et omnino, in perpetuum, auctoritate apostolica, seiunxit, separavit et dismembravit, ipsosque Discalceatos ab omni et quacumque iurisdictione, visitatione, correctione et superioritate, quae prioribus provincialibus ceterisque praelatis et superioribus Mitigatis in ipsos Discalceatos competebat, perpetuo exemit et liberavit; ac eorumdem fratrum et monialium Discalceatorum domos, monasteria et loca quaecumque eatenus erecta et instituta, et ex tunc in futurum erigenda et instituenda, in unam provinciam, de per se Discalceatorum nuncupandam, per unum priorem provincialem, qui in capitulo ipsius provinciae ex eisdem Discalceatis, ut praefertur, eligi deberet, regendam et gubernandam, in perpetuum erexit et instituit; ipsamque provinciam fratrum et monialium Discalceatorum sub obedientia et superioritate prioris generalis totius Ordinis, ad instar aliarum provinciarum eiusdem Ordinis, perpetuo subiectam remanere; subesse et subiacere voluit. Qui prior generalis, per se ipsum tantum vel per alium virum idoneum ex ipsis Discalceatis, et iuxta eorum primitivam Regulam ac regularia instituta ab ipsis Discalceatis observari solita, eos visitare, reformare, corrigere et punire posset, in monasteriis tamen, domibus et locis ipsorum fratrum Discalceatorum, extra quae nullatenus ipsi Discalceati vel aliquis eorum ab eodem priore generali, quovis praetextu vel occasione, amoveri, assignari, mutari, extrahi seu transferri, aut ad alias provincias mitti aut retineri possent, nisi aliter in eorum capitulo provinciali fuisset ordinatum; ipsi vero dictae provinciae Discalceatorum fratres in praemissis perpetuo eidem priori generali parere et obedire, et cum ipsum ad eorum monasteria, domos et loca divertere, aut pro visitatione huiusmodi vel alias accedere contigisset, cum omni humilitate et reverentia benigne recipere et pertractare tenerentur et deberent. Priori vero provinciali eiusdem provinciae fratrum Discalceatorum, ipsos fratres et moniales Discalceatos, illorumque domos, monasteria et loca quaecumque regendi, puniendi et castigandi; ac capitulum provinciale suis loco et tempore indicendi, convocandi, congregandi et celebrandi; quos-

cumque officiales necessarios, una cum capitularibus, eligendi; ac quaecumque statuta et ordinationes pro bono Regimine ipsius provinciae et Dei servitio in eodem capitulo condendi, mutandi alterandi, ac in totum, si videbitur, abrogandi, et etiam de novo edendi, dummodo sacris canonibus et concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis, eorumque primitivae regulae et institutis praedictis non adversarentur; et abusus quoscumque tollendi et emendandi; monasteria item, domos et conventus tam virorum quam mulierum eiusdem provinciae in quibusvis locis, cuiusvis licentia desuper non requisita, de consensu dictorum capituli, et alias servata forma eiusdem concilii, construi et aedificari faciendi; ipsique priori provinciali, postquam electus fuisset, officium suum exercendi, absque alia confirmatione, quam tamen a priore generali totius Ordinis mox petere teneretur, plenam et liberam facultatem concessit; ac prohibuit perpetuo ne fratres et moniales Discalceati ad suum fratrum Mitigatorum vel alium Ordinem, praeterquam Carthusianorum, sine apostasiae nota, transire possent, nisi Sedis Apostolicae licentia obtenta, atque inhibendo, sub poena excommunicationis, priori generali, provincialibus et commissariis aliisque praelatis, ministris aut officialibus, ne eosdem fratres vel moniales Discalceatos super praemissis quoquomodo molestarent; ipsis etiam Discalceatis indulsit ne eis ullo modo parere aut deferre tenerentur, salva tamen in reliquis obedientia prioris generalis totius Ordinis, cui eos perpetuo subiectos esse et subiacere voluit; aliaque nonnulla eisdem Discalceatis, sub certis modo et forma tunc expressis, concessit et indulsit, cum de sic iudicando et irritanti aliisque decretis et clausulis praeservativis et derogationibus adiectis, certis etiam iudicibus sive etiam executoribus deputatis, prout in litteris Gregorii praedecessoris huiusmodi sub datum die XXVIII iunii anni domini MDLXXX, in forma brevis expeditis, latius continetur.

Ad haec cum processerint dicti fratres, confirmari petunt a PP. Sixto.

§ 3. Ad quarum litterarum executionem, cum, sicut iidem fratres Discalceati nobis exponi fecerunt, iam processum, et usus ipse doceat in dies magis, iuvante Domino, ex illarum dispositione plura bona ad honorem divini nominis et eiusdem provinciae atque adeo totius Ordinis salubrem directionem statumque pacificum et tranquillum redundare. Propterea nobis fuit humiliter supplicatum ut haec ipsa, pro eorum subsistentia validiori, de novo auctoritate apostolica roborare de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§ 4. Nos igitur, dicti Philippi regis ac horum Discalceatorum supplicationibus inclinati, dictas Gregorii praedecessoris litteras, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, tam quoad praemissa, quam reliqua in eis contenta, ac processus habitos per easdem et inde secuta omnia et quaecumque, auctoritate apostolica perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae, inviolabilis et inconcussae firmitatis et approbationis apostolicae robur adiicimus, eaque universa et singula praesentis scripti patrocinio communimus, ac omnes et quascumque iuris et facti vel solemnitatum aut alios defectus, etiam substantiales, si qui intervenerint in eisdem, supplemus, eaque de novo per praesentes, alias tamen iuxta formam et tenorem praedictarum Gregorii praedecessoris litterarum, concedimus, indulgemus, statuimus et ordinamus, ac per eos ad quos spectat firmiter, inviolate observari in omnibus et per omnia praecipimus et mandamus.

§ 5. Decernentes ex nunc irritum et

Si quid secus attentetur, declarat irritum; inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attentari.

Recitationem breviarii Romani iuxta novam reformationem eisdem concedit. § 6. Ac insuper eorumdem Discalceatorum precibus in hoc quoque annuentes, universis et singulis fratribus ac monialibus Discalceatis praedictis, tam professis et in sacris, etiam presbyteratus, ordinibus constitutis, quam aliis quibuscumque, ut in eorum ecclesiis, domibus, monasteriis et locis, tam in choro quam extra chorum, horas canonicas diurnas et nocturnas, secundum usum, ritum et morem Romanae Ecclesiae, iuxta formulam breviarii Romani novissime ex decreto dicti Tridentini concilii reformati, et piae memoriae Pii Papae V, etiam praedecessoris nostri, iussu editi, publice et insimul, etiam privatim et singillatim, dicere et recitare libere et licite valeant, ita ut amplius ad dicendas horas canonicas secundum ritum et morem dicti Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo minime teneantur, et nihilominus praecepto et obligationi satisfaciant.

Romae autem generalem procuratorem habere; § 7. Quodque eisdem Discalceatis in Romana Curia procuratorem suae provinciae Discalceatorum, ad tractanda eiusdem provinciae negocia, ex numero ipsorum Discalceatorum destinare et perpetuo habere liceat, auctoritate praedicta, de speciali gratia concedimus et indulgemus.

Huiusce constitutionis executores deputat; § 8. Quocirca venerabilibus fratribus Toletano et Hispalensi archiepiscopis, et episcopo Palentino, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae auditori generali, ac universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, necnon quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis, per apostolica scripta mandamus ut ipsi vel plures aut duo vel unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes ac praedictas Gregorii praedecessoris huiusmodi litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Discalceatorum vel aliorum, quorum intererit, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque Discalceatis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praemissa omnia et singula, iuxta praesentium ac praedictarum Gregorii praedecessoris litterarum tenorem, per eos, quos illa concernunt et concernent quomodolibet in futurum, debitae executioni demandari, et ad unguem perpetuo et firmiter observari. Non permittentes quemcumque desuper quoquomodo indebite molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores ac inobedientes, eisque auxilium, consilium vel favorem directe seu indirecte vel alias praestantes, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, ac in conciliis, etiam generalibus, editis; dictique Ordinis ac illius provinciarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Mitigatis vel Discalceatis aut universo Ordini vel praedictis aut alias illorum superioribus ceterisque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus; atque omnibus iis quae in dictis Gregorii praedecessoris litteris concessa fuerunt non Contraria tollit.

obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die xx septembris MDLXXXVI, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 20 septem. 1586, pontif. anno II.

LXI.

Praefinitio numeri et qualitatum praelatorum referendariorum utriusque Signaturae Romani Pontificis, cum privilegiorum concessione [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Causae constitutionis edendae.

Quemadmodum providus agricultor, ad uberiorem eius futuram frugem, temporum vices sollicite observat, arbores ordine disponit, et ne illarum vires latius diffusae evanescant, nimiam frondium ramorumque frequentiam comprimit et resecat, ac ibidem inordinata et indisposita, si quae sint, ad meliorem formam reducere satagit; ita nos, agri dominici curae superna dispositione praepositi, efficacem et fructuosam operam in illius cultura impendere credimus, cum ad ea vigilantiae nostrae studium sedulo convertimus, per quae huius Sedis Apostolicae dignitates et officia, praesertim nostram gratiae et iustitiae Signaturam concernentia, tamquam feraces plantae in ipso agro dominico consitae, utili et commoda rerum dispositione salubriter dirigantur, et ex eorum administratione sperati fructus, ad Dei gloriam et illius gregis utilitatem dictaeque Sedis decorem, maiori in dies cum foenore proveniant; abusus vero, qui in illis passim, absque personarum delectu conferendis irrepserunt, resectis et veluti putatis ramis sterilibus, de medio submoveantur. In quam curam cogitationemque pro officii nostri debito incumbentes, opportunum, immo necessarium esse censemus ut ad eiusdem Signaturae tam gratiae quam iustitiae ministeria, non nisi cognitae et spectatae virtutis viri assumantur, et proinde illius referendariorum coetus, nimia praeteritorum temporum indulgentia et quorumdam instantia, supra modum, non sine pristinae suae dignitatis diminutione, adauctus, resecata illorum multitudine, ad certum et determinatum numerum inque compositum ordinem redigatur, ne multitudo ipsa rebus gerendis confusionem et impendimentum afferat, et spes uberioris fructus, quae in eorum muneribus rite et fideliter obeundis posita esse debet, nos atque ipsos frustretur.

Referendariorum numerum ad centum praefinit.

§ 1. Itaque, opportuna circa haec remedia adhibere volentes, motu proprio *etc.* et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, statuimus et ordinamus quod nullus deinceps in referendarium alterutrius Signaturae praedictae, etiam cedentibus vel decedentibus aut alias deficientibus, qui nunc sunt, referendariis praefatis, omnino admittatur, donec et quousque omnium referendariorum huiusmodi numerus imminutus et ad centum dumtaxat reductus fuerit. Illo autem sic reducto et imminuto, praescriptus centenarius numerus referendariorum huiusmodi nullo umquam tempore augeatur. Sed neque inter hos omnes ultra septuaginta Signaturae gratiae referendarii esse possint.

Admittendorum ad Signaturam iustitiae qualitates praescribit.

§ 2. Nec ullus numero et consortio referendariorum iustitiae de cetero adscribatur, nisi sit ex legitimo matrimonio honestisque parentibus procreatus, et clericali

[1] Ampliora concessit indulta Paulus III in sua const. XXX, *Debita*, tom VI; De Officio autem referendariorum, vide in Pii IV const. LXXII, *Cum nuper*. tom. VII, pag. 224, ubi etiam notavi de materia Signaturae iustitiae et gratiae.

charactere insignitus, ac utriusque vel alterius iurium doctor, in aliqua Studii generalis Universitate promotus, et in Romana Curia, habitu et tonsura clericalibus incedendo, per biennium versatus, vitaeque integritate ac morum probitate commendatus, et saltem in vigintiquinque aetatis suae annis constitutus, habeatque in bonis temporalibus vel beneficiis ecclesiasticis unde in ipsa Curia dignitatis suae gradum valeat decenter sustinere.

Admissionisque formam;

§ 3. Porro, antequam ad ipsius admissionem procedatur, per eiusdem Signaturae iustitiae praefectum, vocatis et congregatis ad id sex antiquioribus referendariis, secreto examinari, et ad hunc effectum saltem binas supplicationes seu commissiones sibi ab ipso praefecto ex tempore porrectas proponere debeat; quod si, collectis praefecti et sex antiquiorum referendariorum praefatorum suffragiis, super quibus eorum conscientiam oneramus, taliter in huiusmodi propositione se habuerit, ut relatione super hoc, per dictum praefectum nobis aut pro tempore existenti Romano Pontifici facta, meruerit commendari et approbari, tunc et non alias in referendarium eiusdem Signaturae iustitiae admittatur, praestito prius per eum in manibus eiusdem praefecti solito iuramento.

Et in ea versatos per triennium, ad Signaturam gratiae admitti posse declarat;

§ 4. Ad Signaturam vero gratiae nemini pateat ascensus, nisi saltem triennio in Signatura iustitiae fuerit laudabiliter versatus, exceptis dumtaxat causarum Palatii Apostolici auditoribus et Camerae Apostolicae clericis, quorum quisque ad utramque Signaturam quovis tempore adsc isci valeat.

Assistentium Signaturae gratiae numerum et ordinem ponit;

§ 5. Insuper quod eidem Signaturae gratiae semper decem et octo referendarii in Curia praesentes nec legitimo impedimento detenti, assistant, duodecim videlicet antiquiores, penes quos sententiae dicendae in ipsa Signatura gratiae, suo quisque loco et ordine, facultas existit; et alii tres, quibus onus libellos supplices proponendi incumbit; reliqui vero tres successive propositur i; necnon thesaurarius generalis, et etiam generalis auditor causarum Curiae dictae Camerae, ac unus ex Palatii Apostolici auditoribus, et unus ex eiusdem Camerae clericis, alternatis vicibus, item nostri in Urbe vicarii et causarum Curiae praefatae auditoris locatenentes, necnon secretarius apostolicus; ac in eadem Signatura gratiae proponendi munus a referendariorum decano ad ceteros omnes per turnum, iuxta suae cuiusque receptionis et admissionis ordinem, deducatur.

Rationem proponendi non mutat;

§ 6. In Signatura vero iustitiae circa rationem proponendi ibidem servari solitam nihil ducimus innovandum.

Referendarios super concessione referendariatus infra tres menses litteras apostolicas expedire praecipit;

§ 7. Ne autem quo quisque tempore in Signatura tam iustitiae quam gratiae sit admissus haesitari contingat, singuli referendarii nunc existentes, quibus suum cuique locum et ordinem salvum et illaesum esse volumus, intra tres menses a data praesentium computandos; alii vero in futurum admittendi, ante cuiusque eorum admissionem, litteras apostolicas sub plumbo super concessione sui officii referendariatus huiusmodi expedire teneantur, quae nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis datarii manu subscriptae, eamdem prorsus roboris firmitatem obtineant, quam obtinerent, si iuxta stylum Cancellariae Apostolicae seu dictae Camerae per omnes et singulos officiales et alios, ad quos litterarum apostolicarum expeditio pertinet, rite et legitime forent expeditae.

Familiaritatis et vere nobilitatis privilegia ac insignia suae gentilitia eisdem concedit, et a iurisdic-

§ 8. Ceterum, ut referendarii praefati, ad suscipiendos pro dicta Sede labores eo promptiores reddantur, quo exinde spiritualibus et temporalibus gratiis se cognoverint uberius esse refertos, omnes et sin-

tione ordinariorum eximit, gulos nunc et pro tempore existentes referendarios utriusque vel alterius Signaturae huiusmodi, in nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, continuos commensales, gratiose recipimus, et ab omni iurisdictione ordinariorum locorum quorumcumque eximimus et totaliter liberamus, ac nobis et dictae Sedi immediate subiicimus, nobilitatisque titulo decoramus, ac veros et indubitatos familiares, continuos commensales nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis, ut praefertur, liberos, exemptos et nobiles esse, seque tales in quibuscumque apostolicis et aliis litteris, scripturis et actibus, tam publicis quam privatis, scribere et nominare, ac ab aliis inscribi et nominari debere decernimus et declaramus; eisdemque referendariis nunc et pro tempore existentibus, in signum honoris et verae nobilitatis, insignia nostra gentilitia, una cum suis armis et insigniis, gestare, ac omnibus et singulis privilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, honoribus et gratiis, quibus alii veri et indubitati nobiles ex nobilium, etiam illustrium, genere ex utroque parente procreati, tam in iudicio quam extra, ubicumque locorum, de iure vel consuetudine ac alias quomodocumque utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, in omnibus et per omnia, perinde ac si de nobilium, etiam illustrium, genere vere et non ficte procreati et geniti forent, uti et potiri et gaudere.

§ 9. Necnon in monasteriis per eos in commendam pro tempore obtentis, quorum praeteriti abbates mitra et aliis pontificalibus insigniis ex privilegio apostolico aut alias uti consueverunt, etiam mitra, annulo et baculo ceterisque pontificalibus insigniis et ornamentis, perinde ac si eisdem monasteriis tamquam abbates præessent, etiam uti; necnon, post missarum et aliorum divinorum officiorum solemnia, populo tunc interessenti, solemni more, dummodo inibi praesens non sit aliquis antistes seu dictae Sedis legatus, aut, si praesens fuerit, ad id eius accedat assensus, benedicere libère et licite valeant.

Et in suis monasteriis mitra etc. utendi, et populo benedicendi facultatem elargitur,

§ 10. Necnon aliquem idoneum presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem, ab ordinario approbatum, in suum possint eligere confessorem, qui omnium peccatorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel in vita et in mortis articulo, plenariam remissionem et indulgentiam, eis sacra communione refectis, et in catholicae fidei sinceritate Romanaeque Ecclesiae unitate ac Romani Pontificis canonice intrantis obedientia perseverantibus, dicta auctoritate concedere possit.

Confessoremque ab ordinario approbatum eligendi, qui semel in vita et in articulo mortis plenariam eis concedat indulgentiam,

§ 11. Liceatque eisdem referendariis, ubi negotiorum et temporum ratio expostulabit, missas antequam elucescat dies, circa tamen auroram; necnon, si forsan ad loca ecclesiastico interdicto, tam ordinaria quam apostolica auctoritate, supposita, eos declinare contigerit, in illis submissa voce, clausis ianuis et non pulsatis campanis, ac excommunicatis et interdictis exclusis, in sui familiariumque suorum domesticorum et trium aliarum personarum eorum arbitrio eligendarum praesentia, dummodo ipsi et qui praesentes fuerint causam non dederint interdicto, neque eis specialiter interdictum fuerit, similiter missas et alia divina officia per seipsos, si presbyteri fuerint, vel per proprium aut alium idoneum sacerdotem ab ordinario approbatum, celebrare et celebrari facere, illaque audire et eis interesse; necnon, tempore interdicti huiusmodi, sacram Eucharistiam et cetera sacramenta recipere; ipsisque dicto tempore decedentibus, eorum corpora ecclesiasticae sepul-

Celebrandique ac celebrari faciendi circa auroram et etiam in locis interdicto ecclesiastico suppositis;

turae, etiam cum funebri pompa, christiano ritu tradi possint.

Stationes Urbis dictis referendariis visitantibus ecclesias ab eis eligendas concedit.

§ 12. Necnon quadragesimali et aliis temporibus ac diebus stationum basilicarum et ecclesiarum dictae Urbis et extra eius muros, si in iis locis, in quibus eos etiam Romae, esse contigerit, duas ecclesias aut unius vel diversarum ecclesiarum eorum arbitrio eligendas visitaverint, ac ibidem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam saltem ter devote recitaverint, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si eisdem temporibus et diebus stationum basilicas ac ecclesias Urbis et extra eius muros huiusmodi ad id deputatas, personaliter visitassent.

Carnibus quando vesci possint.

§ 13. Eisdem quoque ut quadragesimali et aliis temporibus, quibus esus carnium, ovorum et lacticiniorum usus de iure vel consuetudine est prohibitus, eisdem carnibus, ovis et lacticiniis de consilio utriusque medici, ac secreto et sine scandalo, uti et vesci libere et licite valeant, dicta auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Dignitate gaudeant, de qua in capit. *Statutum*, *De Rescript.* in vi.

§ 14. Praeterea, constitutionem felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, quae incipit *Statutum*, ad eosdem referendarios nunc et pro tempore existentes extendimus, ita ut ipsi omnes sint et esse censeantur ecclesiastica dignitate praediti, et iuxta dispositionem constitutionis huiusmodi qualificati, etiam ad hoc ut in eorum tamquam personarum in dignitate ecclesiastica constitutarum manibus pensiones ab iis qui sufficienti ad hoc facultate suffulti fuerint, transferri valeant, ac translationes pensionum ab ipsis faciendae huiusmodi validae et efficaces existant, suosque effectus sortiri debeant.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 15. Decernentes praesentas litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari aut in ius vel controversiam revocari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, validasque et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores huius constitutionis deputat, et facultates concedit;

§ 16. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis necnon dilectis filiis abbatibus, prioribus et quibusvis aliis personis in dignitate ecclesiastica et ubicumque locorum constitutis, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, aut quoties pro parte referendariorum praedictorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque, in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; ipsosque referendarios ac eorum singulos illis pacifice frui et gaudere; nec permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, cen-

suras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilii brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae adde;

§ 17. Non obstantibus praemissis, ac praefati Bonifacii praedecessoris de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur; necnon Lateranensis, etiam novissime celebrati, et praefati generalis et aliorum conciliorum, ac piae memoriae Innocentii IV, Sixti etiam IV, Innocentii VIII, Pauli II et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum contra exemptos editis, necnon Pii IV, similiter praedecessoris nostri, de gratiis, interesse dictae Camerae concernentibus, in eadem Camera registrandis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon Camerae praefatae ac ecclesiarum, monasteriorum et locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque praesulibus, capitulis, abbatibus, conventibus et personis, necnon praefatis locorum ordinariis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet, etiam iteratis et multiplicatis vicibus, concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, et ad effectum praemissorum omnium, harum serie specialiter et expresse derogamus; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 18. Verum, quia difficile foret praesentes litteras *etc.* Transumptis credi iubet.

Datum Romae, x kalendas octobris, anno secundo.

Dat. die 22 septemb. 1586, pontif. anno II.

LXII.

Nonnulla statuuntur pro ecclesiis Calaguritana et Calceatensi super receptione filiorum patrimonialium in beneficiatos dictarum ecclesiarum [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Cum de rebus et personis ecclesiasticis peculiarem, ut par est, curam geramus, ad ea providentiae nostrae partes libenter impendimus, per quae beneficia ecclesiastica non precibus, non favoribus nec consanguinitate coniunctis, sed magis Prooemium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

idoneis personis conferantur, obstacula quaequae hinc submovendo, ac alias desuper disponendo, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae ferendae legis.

§ 1. Nuper siquidem ad nos relatum fuit quod, cum in civitatibus et dioecesibus Calaguritana et Calceatensi invicem seu alias perpetuo unitis, cuncta fere beneficia ecclesiastica, tam in receptivis quam numeratis ecclesiis nuncupatis consistentia, aut illorum fructuum, redditmum et proventuum supercrescentium certae portiones clericis filiis patrimonialibus seu naturalibus, quorum scilicet pater aut mater, avus vel avia, aut proavus vel proavia, saltem continuato decennio, in civitate vel loco benificii sive ecclesiae habitaverint, et ecclesiae vel ecclesiis huiusmodi, in qua vel quibus beneficia consistunt, saltem per decennium decimas solverint, aut natis et baptizatis in illo loco, viventibus ibi patre et matre, tamquam vicinis ecclesiae vel ecclesiis huiusmodi, iuxta constitutiones synodales, conferri vel concedi soleant; ac in ecclesiis, in quibus certus beneficiatorum numerus existit, quae numeratae dicuntur, ad beneficia huiusmodi praesentatio sive electio personae ex eisdem filiis patrimonialibus ad eosdem clericos in eadem ecclesia beneficiatos spectat, et in aliquibus ex numeratis et forsan receptivis ecclesiis praedictis, qui primo cantabit epistolam, evangelium aut missam admittendus sit; institutio vero personae sic praesentatae sive electae seu admittendae ad loci ordinarium pertineat; in receptivis autem per receptionem beneficiatorum, qui integra possident beneficia, nulla per ordinarium facta institutione, recipi consueverint; unde ipsi clerici beneficiati, qui, ut praefertur, eligendi seu praesentandi ius habent, plerumque, Dei timore postposito, ac suorum secundum carnem propinquorum, affinium aut consanguineorum praecipuam rationem habentes, neglectis aut repulsis magis idoneis, ac doctrina, moribus et virtute conspicuis, consanguineos et propinquos suos et minus habiles, indoctos et indignos aut in puerili ætate nonnumquam constitutos eligunt atque praesentant, admittunt vel recipiunt; saepe etiam in praedictis ecclesiis receptivis unum beneficium in plures portiones, quarum singulae singulis clericis, ut plurimum consanguineis vel amicis ea intentione conferuntur vel assignantur, ut deinceps, occurrente alia vacatione, ii, qui portiones sic dissectas obtinent, integras accipiant, ceteris non amicis neque consanguineis exclusis, dissecant atque dividunt, eosdem filios patrimoniales ac naturales ad fructuum vacantium sive super excrescentium huiusmodi perceptionem et possessionem, inscio atque irrequisito loci ordinario, admittendo et recipiendo, aliasque pactiones, alter alteri complacendo, omnino illicitas et detestabilem simoniae labem redolentes, aut quae prohibitam haereditariam in beneficiis ecclesiasticis successionem sapiunt, ineundo; aliaque quamplura absurda et pravi abusus, quoad praemissa, inoleverunt, non sine magno divini cultus detrimento, ac animarum periculo, et scandalo plurimorum, cum praesertim loci ordinarius curam animarum alicui ex huiusmodi beneficiatis suo arbitrio deligendo demandare ad tempus consueverit et teneatur, neminem interdum reperiat ad id munus idoneum. Cumque tunc existentes episcopi Calaguritani, post concilii Tridentini confirmationem, decretis ipsius concilii inhaerendo, ut ipsi filii patrimoniales, praevio examine ab ipso episcopo iuxta formam dicti concilii habendo, ad beneficia huiusmodi reciperentur et admitterentur instarent, ipsique beneficiati in ecclesiis receptivis, se ad beneficia huiusmodi, nullo praecedente examine, recipere

et admittere posse praetenderent, diversae, sicut accepimus, lites, controversiae et discordiae cum bonae memoriae Ioanne de Quinonnes, ac forsan eius praedecessoribus Calaguritanis episcopis, et novissime cum venerabili fratre nostro Ioanne, moderno episcopo Calaguritano, super praemissis et forsan aliis rebus latius deductis, tam in partibus coram tunc existente metropolitano ac etiam nuntio apostolico, quam etiam in Romana Curia in causarum Palatii Apostolici auditorio introductae fuerint; ac postmodum praedictus Ioannes modernus episcopus, ad evitandum lites, ac ut eius conscientiae securitati et dictorum beneficiorum quieti consuleret, Sedem Apostolicam et congregationem cardinalium dicti concilii interpretum, qui declararunt neminem esse admittendum et recipiendum tam in receptivis quam in numeratis ecclesiis praedictis, nisi examine et approbatione episcopi praecedentibus, recursum habuerit; ac propterea vicarius dicti moderni episcopi eisdem beneficiatis ut declarationem huiusmodi observarent praeceperit, a quo praecepto, licet ipsi beneficiati illi acquiescere debuissent, nihilominus ad Sedem eamdem appellarunt, et recursum habuerunt ad modernum nostrum et dictae Sedis in illis partibus nuncium, qui mandavit praedictam declarationem servari: unde ipsi beneficiati iterum ad nos et Sedem eamdem appellarunt, causamque appellationis huiusmodi dilecto filio Marcello Bubalo, causarum dicti Palatii auditori et cappellano nostro, committi obtinuerunt, coram quo causa huiusmodi introducta fuit et adhuc indecisa pendet.

Statuit circa collationem beneficiorum, examen faciendum coram ordinario a praesentatis, aliaque nonnulla ad invectos tollendos abusus.

§ 2. Nos, pro debito pastoralis officii, tandem praemissis occurendum et congruum remedium adhibendum fore censentes, ac ut beneficia ipsa dignioribus ac virtute et bonis moribus praeditis personis conferantur, unde alii eorum exemplo, ad litterarum studia accensi, idonei in eorum ecclesia ministri, ac quibus etiam cura animarum demandari seu committi possit, efficiantur, providere volentes; necnon causam et causas seu controversias et molestias huiusmodi coram dictis vel aliis quibuscumque iudicibus ordinariis vel etiam in vim specialis rescripti apostolici delegatis aut subdelegatis, in dicta Curia vel extra eam, in prima vel alia quavis ulteriori instantia, etiam per viam quarumcumque appellationum a quibusvis iudicibus interpositarum, super praemissis vel illorum occasione, ut praefertur, motas, in quibuscumque statu et terminis reperiuntur, etiamsi iam instructae sunt, quarum omnium status et merita, necnon ipsorum iudicum et collitigantium nomina, cognomina, gradus et qualitates haberi volumus pro expressis, ab eisdem iudicibus ad nos harum serie advocantes, illasque omnes et singulas penitus et omnino cassantes, extinguentes, eisdemque iudicibus, ne in eis ad ulteriora procedant districtius inhibentes, ac utrique parti perpetuum silentium imponentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, quando et quotiescumque beneficia ecclesiastica integra seu dimidia vel quarta aut alias quomodolibet nuncupata, patrimonialibus et naturalibus huiusmodi filiis conferri aut alias concedi solita, in ecclesiis receptivis vel numeratis aut alias nuncupatis, in Calaguritana et Calceatensi civitatibus et dioecesibus praedictis consistentia, quomodolibet vacare, seu superexcrescentibus fructibus vel alio quocumque modo aliorum filiorum patrimonialium novae receptioni et admissioni locum fieri contigerit, nullus admittatur aut recipiatur, nisi praevio

examine, ad quod omnes filii patrimoniales et naturales, qui se ad huiusmodi beneficia vel portiones fructuum superexcrescentium opponere voluerint, per edicta publica vocentur eo modo quo vocantur filii patrimoniales in Burgensi seu Palentina civitatibus et dioecesibus, ut intra tempus in edictis praefigendum compareant et se opponant coram episcopo vel vicario generali; quo termino elapso, illi, quos constiterit legitimos esse oppositores, per tres examinatores in synodo dioecesana deputatos, et per unum nominatum a beneficiatis ecclesiae, in qua beneficium vacat vel fructuum superexcrescentium facienda est admissio, quem intra sex dies a die vacationis, si nominare voluerint, nominare teneantur, et interim quo synodus congregatur, per examinatores a moderno episcopo deputatos examinentur, et adnotetur uniuscuiusque sufficientia; quo examine facto, detur beneficiatis, ad quos praesentatio vel receptio pertinet, copia oppositorum et adnotationis sufficientiæ uniuscuiusque, ut ex illis præsentent aut recipiant antiquiorem ordine, si duo pluresque reperti fuerint aeque idonei; si autem minus antiquus ordine fuerit repertus magis habilis, scientia, moribus et vita, talis praeferatur, prout constitutio synodalis de institutionibus per bonae memoriae Ioannem Ortega, dum vixit, episcopum Calaguritanum, edita, quam praesentium tenore confirmamus et innovamus, ac per eosdem beneficiatos et filios patrimoniales, tam in numeratis quam receptivis ecclesiis praedictis observari mandamus; et si praedicti beneficiati praesentaverint aut nominaverint ad beneficia vel ad portiones fructuum superexcrescentium, iuxta praedictam formam, episcopus instituat sic nominatum aut praesentatum vel recipiendum tam in numeratis, quam in receptivis ecclesiis huiusmodi; si vero non praesentaverint aut nominaverint iuxta praedictam formam, episcopus instituat eum qui iuxta huiusmodi formam erat praesentandus aut nominandus vel recipiendus. Volumus autem quod, ceteris paribus, presbyter diacono, diaconus subdiacono, subdiaconus minoribus ordinibus initiato praeferatur, apostolica auctoritate, earumdem praesentium tenore, perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae ad huiusmodi ordinationum perpetuam firmitatem stabiliendam.

Decernentes quascumque electiones, praesentationes, nominationes, admissiones, receptiones aut alias dispositiones de supradictis ecclesiis seu beneficiis, tam in numeratis quam in receptivis nuncupatis ecclesiis praedictis aut illarum fructuum portionibus, aliterque servata forma praesentis nostri statuti, et cuiuscumque constitutionis, privilegii et consuetudinis, etiam immemorabilis, aut alio quovis praetextu faciendas, ac reliqua omnia inde pro tempore secuta quaecumque, nulla et invalida ac nullius roboris vel momenti fore, prout ea omnia ex nunc prout ex tunc, et e contra, revocamus, irritamus, annullamus, viribusque et effectu evacuamus, ac irrita, nulla et inania fore et esse nunciamus et declaramus, neque cuiquam suffragari aut prodesse, neque per illas, aut illa ius in re vel ad rem, seu in possessorio seu petitorio titulum saltem coloratum possidendi acquiri vel tribui posse; neque ipsos clericos filios patrimoniales aut naturales, praeter et contra formam praesentis statuti pro tempore admissos et receptos, fructus suos facere, aut regulis de annali vel triennali possessione aut alio iuris remedio in favorem possessorum edito frui seu gaudere, sed tamquam meros et nudos detentores et intrusos, etiam non citatos neque auditos, absque vitio spolii, libere et licite inde amoveri ac expelli posse et debere, eosdemque intrusos necnon beneficiatos qui illos sic recipere et

admittere temere praesumpserint, singulos poenam privationis omnium et quorumcumque dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, inhabilitatisque ad illa et alia in posterum obtinenda eo ipso incurrere.

Clausula sublata. § 4. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputati executores. § 5. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Burgensi, et episcopo Calaguritano, ac moderno et pro tempore existenti in regnis Hispaniarum nostro et dictae Sedis nuncio per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorum, quorum intererit, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque efficacis defensionis praesidio in praemissis assistentes, faciant statutum, ordinationem et decretum ceteraque superius disposita per eos, ad qnos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari; non permittentes quemquam contra earumdem praesentium tenorem in praedictis ecclesiis aut ad beneficia huiusmodi quoquo modo aut quovis praetextu recipi et admitti; receptos vero seu admissos, tamquam temere et de facto intrusos ac illicitos detentores, quam primum inde realiter expelli et amoveri curent; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, eisque auxilium, consilium vel favorem, directe vel indirecte, quomodolibet praestantes, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in generalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis; et etiam ordinationibus ecclesiarum, quas numeros appellant, de modo et forma providendi de beneficiis, ac de providendo, ut dicitur, per cantamentum, etiam apostolica auctoritate confirmatis; necnon dictarum et aliarum quarumcumque ecclesiarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore pacifice observatis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ecclesiis, beneficiatis, necnon communitatibus, universitatibus et hominibus ipsisque filiis patrimonialibus et naturalibus aut personis quibuslibet, sub quibuscumqne tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis, ad instantiam imperatoris, regum, reginarum, ducum vel aliorum quorumcumque principum, etiam per modum statuti perpetui et stipulati contractus aut concordatorum inter homines dictarum civitatum et dioecesum Sedemque Apostolicam initorum, vel etiam motu simili et consistorialiter ac alias per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam concessis et saepius approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis derogari non possit, nisi eorum totis tenori-

bus ad verbum insertis, aut vocatis et auditis iis quorum interest, vel alias, pro eorum sufficienti derogatione, quaevis alia expressio seu forma requiratur, illorum tenores pro expressis ac de verbo ad verbum insertis, et formam pro servata habentes, illis, quoad reliqua, in suo robore permansuris, ad effectum praesentium, dumtaxat motu pari derogamus, contrariis quibuscumque; seu si eisdem capitulis, beneficiatis et ceteris praedictis vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 septem. 1586, pontif. anno II.

LXIII.

Communitates Status Ecclesiastici pro aliis obligatae, infra annum ab earum obligationibus liberentur; et de cetero pro aliis se obligare et eorum bona alienare ac, praeterquam ratione locationis, obligare; vel oratores sumptibus publicis ad Pontificem mittere nequeant [1].

Sixtus papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inter varias ac multiplices sollicitudines quas, pro communi utilitate universae christianae reipublicae, nostrae curae divina providentia commissae, dies noctesque suscipimus, id potissimum nobis cordi est ut subditorum S. R. E. commodis paterna caritate et praecipua quadam ac singulari vigilantia consulamus, quod illos, quasi nostros peculiares eximieque caros et acceptos ac prae ceteris dilectos filios in nostram clientelam ac fidem receptos, speciali quadam et propria paterni amoris praerogativa complecti aequum censemus.

§ 1. Quare, cum eos ab omni iniuria et violentia tutos et illaesos defendere et custodire pro viribus studeamus, sicuti ad id vel ab initio nostri pontificatus opportuna remedia quaecumque potuimus, non sine magno fructu, Deo annuente, comparavimus; ita etiam nunc eodem erga illos pietatis affectu permoti, duximus omni studio occurrendum dolis callidorum hominum, qui, privatis suis lucris intenti, plerumque commune bonum ac publicam nostrarum civitatum et oppidorum utilitatem non mediocriter laedunt. Quoniam vero in tota fere ditione et Statu temporali huius Sanctae Sedis pravus inolevit abusus, ut plerumque ex levissimis, minime necessariis neque utilibus, ac forsan etiam magnopere damnosis, causis, dilecti filii communitates sive universitates et homines eorumdem civitatum et oppidorum, respective, ad instantiam, et suasu quorumdam, qui privatim suae rei familiaris ac domesticae, etiam cum communi aliorum dispendio, lucrum quaerere non erubescunt, universi ac publico nomine se suaque bona obligare et hypothecare, aut pro aliis fideiubendo, seu principaliter pro suo interesse, consueverint, et contractus celebrare, magno olim eisdem universitatibus et communitatibus detrimento et damno futuros, sive etiam expensas minime necessarias, interdum vero prorsus supervacaneas, facere, sicuti iam in multis communitati- Causae huius constitutionis.

[1] Consonat const. XVIII Pii IV, tomo VII, p. 65 in qua decrevit, vassallorum obligationes pro eorum dominis esse nullas, dominosque teneri vassallos ab obligationibus pro eis factis relevare, et pecunias solutas restituere.

bus et universitatibus ingenti aere alieno gravatis, aerariisque earum plane exhaustis res ipsa et experientia docuit.

Communitates pro quibuscumque personis obligatae, intra annum a die denunciationis liberentur.

§ 2. Nos propterea, indemnitati illorum et huic malo, antequam latius serpat et graviora afferat damna et incommoda, quamprimum providere cupientes, de attributae nobis apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, praecipimus et mandamus universis et singulis personis, quavis dignitate et auctoritate fulgentibus, pro quarum utilitate, commodo et interesse, directo vel indirecto, aliqua universitas seu communitas cuiuscumque civitatis, terrae, oppidi, castri, villae aut alterius loci, nostrae et dictae Romanae Ecclesiae ditioni mediate ve immediate in temporalibus subiecti vel subiectae, universi insimul, ex quacumque causa et quocumque modo, fideiussisse, vel etiam uti principales obligati hactenus fuisse reperientur, ut ipsi et eorum unusquisque debeant ac teneantur, intra annum a die denunciationis, in vim praesentium litterarum eorum cuilibet faciendae, etiamsi ipsi ex eadem civitate et loco vel aliunde oriundi sint, atque inibi vel alibi domicilium habeant bonaque stabilia cuiuscumque valoris, etiam maximi, possideant, eaque minime dilapident, ab huiusmodi fideiussione et alia quacumque obligatione reali et personali vel hypotheca generali aut speciali, etiam a modico tempore citra contractis, easdemque communitatem seu universitatem earumque res et bona penitus exemisse et liberasse; curentque, vel cassatis penitus et extinctis ipsis obligationibus et instrumentis desuper confectis, aut dato alio expromissore in locum ipsius communitatis vel universitatis, aut alias quoquomodo re ipsa efficere ut ii in quorum favorem ipsae communitates aut universitates se obligaverint, illarum liberationi sponte et expresse consentiant.

Et si obligationes sint eius naturae ut ipsi creditores ad eas extinguen. cogi nequeant, tunc eisdem communitatibus idonei relevatores dentur.

§ 3. Cuiusmodi consensum, si nec ipsi, in quorum favorem communitates vel universitates praedictae se suaque bona obligaverint, praestare ullo modo voluerint, et ea fuerit contractus vel obligationis natura, ut neque, etiam facta aliqua oblatione aut solutione, ad consentiendum ipsi inviti cogi, seu alias obligationes ipsae cassari et annullari possint, tunc dictae personae, a quibus eædem communitates et universitates occasione talium obligationum indemnes relevandae sunt, alios fideiussores et expromissores arbitrio pro tempore existentis gubernatoris seu legati, cui ipsa universitas vel communitas mediate seu immediate suberit, de conservando easdem communitates vel universitates indemnes, praestare teneantur.

Communitates, et particulares personae ad praemissa agere valeant, iudicesque, unica praecedente citatione mandatum exequutivum, post annum a die denunciationis exequen. relaxent.

§ 4. Liceatque ipsarum communitatum seu universitatum magistratibus, procuratoribus, agentibus seu etiam particularibus personis ad praemissa, contra quoscumque, vigore praesentium litterarum, coram quocumque iudice, agere et iudicio experiri; ac ipsi iudici, unica citatione praecedente, mandatum executivum in rem et personam contra eum pro quo est facta fideiussio vel obligatio, statim elapso praedicto anno exequendum, relaxare, perinde ac si eædem personae ad id expresse in specie atque efficaciter se obligassent, etiam si hoc ipsum naturae et substantiae contractuum, quorum occasione obligationes huiusmodi initae fuerint, omnino repugnet et adversetur, aut alias ne quis ad extinguendum et redimendum census super bonis suis stabilibus venditos, creatos et impositos, cogi aut compelli queat apostolicis constitutionibus expresse cautum fuerit.

Communitates in futurum, absque licentia, bona alienare, vel praeterquam re-

§ 5. Ceterum, hac nostra in perpetuum valitura constitutione prohibemus ne in posterum, sine nostra aut Romani Pontificis pro tempore existentis vel Camerae

tione locationis et non ultra decennium obligare nequeant.

Apostolicae licentia speciali, ulla communitas aut universitas, ex quacumque causa, etiam iustissima, urgentissima et omnino necessaria, et in evidentem utilitatem aut necessitatem, bona sua immobilia seu iura percipiendi quoscumque fructus, reditus, proventus ac introitus annuos, distrahat, vendat, quovis modo alienet, hypothecet, aut super illis census annuos creet, imponat seu vendat, vel illa alias quam ratione locationis, nec ultra decennium, alicui obligationi vel hypothecae subiiciat aut supponat, neque etiam mutui, depositi vel alias quocumque titulo, in rem nec in personam, immediate vel per interpositam personam se obliget, aut quoquomodo aere alieno se obstringat.

Communitas pro communitate non fideiubeat.

§ 6. Pro alio vero quocumque incola seu originario vel forensi, aut vicissim universitas seu communitas una pro altera, nequaquam ex quavis occasione vel causa umquam fideiubeat, aut tamquam principalis alienae obligationi quoquomodo accedat.

Obligationes, alienationes etc. contra hanc constitutionem de cetero a communitatibus quovis modo, etiam in earum utilitatem fiendae, nullae et invalidae sint.

§ 7. Decernentes nihilominus omnes et singulas distractiones, alienationes, hypothecas, fideiussiones, accessiones, etiam cum clausula principaliter in solidum, necnon uti principales, et tam personales quam reales et alias quascumque obligationes et promissiones ac renunciationes et pacta de non petendo liberationem et exemptionem huiusmodi in vim supradicti nostri mandati et praecepti, per dictas universitates seu communitates earumve procuratores aut magistratus, etiam speciali ad id mandatum habentes, etiam in ampliori forma Camerae Apostolicae, cum iuramento censurarum, ac mandati exequutivi etiam susceptione, et quavis submissione, cautela et promissione, etiam iurata, ac de non utendo remedio praesentium nostrarum litterarum ultro et sponte, seu ad preces et instantiam ac commodum vel utilitatem aliorum quocumque modo posthac faciendas, sub quibuscumque verborum formulis et clausulis etiam efficacissimis et insolitis, concipiendas et instrumenta desuper conficienda, etiam guarentigiata, iurata, vel alias sub dicta forma Camerae Apostolicae celebranda, nulla, irrita et invalida, nulliusque roboris vel momenti esse aut fore, nullam fidem facere, neque ullam actionem aut exceptionem aut officium iudicis, neque obligationem civilem seu naturalem parere, vel ullum omniuo effectum aut vires habere posse, sed neque ipsas communitates et universitates, etiam si id omne, quod gestum est, in eorum utilitatem versum esse constiterit, ullo modo aut obligationis vel iuramenti vinculo teneri. Et ita per quoscumque iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Communitates oratores ad Pont. sumptibus publicis, sine licentia, mittere nequeant.

§ 8. Ac ne easdem communitates seu universitates sumptibus minime necessariis nimium gravari contingat, districtius interdicimus ne qua communitas aut universitas ex praedictis legatos sive oratores ad nos et Sedem Apostolicam, ex quacumque, etiam urgenti et similiter necessaria ac utili occasione vel causa, sumptibus publicis mittat, neve quis huiusmodi munus obeat vel suscipiat, nisi prius simili licentia a nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice vel dicta Camera, ut praefertur, obtenta; revocantes omnes qui ad praesens deputati reperiuntur.

Contravenientes puniantur ut hic.

§ 9. Quod si quis magistratus dictarum commuuitatum vel universitatum fuerit negligens quoad utendum remedio praesentium litterarum et petendum suas communitates vel universitates ab ipsa fideiussione vel obligatione eximi et libe-

rari, aut alias contra dictam prohibitionem easdem communitates et universitates illarumve bona obligare attentaverit, aut legatos vel oratores mittere, seu aliquis munus huiusmodi suscipere sine dicta licentia praesumpserit, eos singulos, qui in culpa fuerint, poenam, nostro et Romani Pontificis aut gubernatorum vel legatorum seu praesidentium praedictorum arbitrio infligendam, eo ipso incurrere volumus.

Pii IV litterae nec non statuta Urbis in suo robore permanent.

§ 10. Litteris felicis recordationis Pii Papae IV quoad communitates aut universitates, quae pro suis dominis temporalibus fideiusserint aut se obligaverint (quibus nequaquam derogando haec omnia supradicta addimus) et statutis novissimis Urbis Romae, per quae certa forma obligationibus et contractibus per dilectos filios nostros senatum populumque Romanum celebrandis praescribitur, nihilominus in suo robore permansuris [1].

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque provinciarum, civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum, villarum et locorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis earumque communitatibus, universitatibus, magistratibus quocumque nomine nuncupatis, et aliis personis, motu proprio et ex certa scientia ac de similis potestatis plenitudine, aut consistorialiter vel per modum statuti perpetui, vel inter illos ex una et nos Sedemque praedictam ex altera partibus, initi et stipulati contractus, vel alias quomodolibet concessis, approbatis innovatis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, quae omnia et eorum tenores praemissis pro expressis habentes, quatenus praemissis in aliquo adversentur, omnino tollimus et annullamus, ac nolumus cuiquam ullatenus suffragari; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis adhibeatur.

§ 12. Ut autem praesentes litterae amplius innotescant, volumus ut exemplis *etc.*

Haec constitutio in vulgarem sermonem versa, in consiliis publicetur, et inviolabiliter observetur.

§ 13. Mandamusque universis et singulis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, eorumque locatenentibus, ac etiam ducibus, marchionibus aut aliis baronibus et domicellis ac dominis temporalibus, nobis et eidem Sedi in temporalibus mediate vel immediate subiectis, ut in civitatibus, terris, castris, villis et locis eorum cuique subiectis, et consiliis vel congregationibus generalibus earumdem communitatum et universitatum, praesentium litterarum exempla, in vulgarem sermonem versa, quamprimum publicari, ac deinceps inviolate observari omnino curent.

Datum Romae apud S. Marcum, pridie kalendas octobris, anno II.

Dat. die 30 septem. 1586, pontif. anno II.

LXIV.

Unio hospitalium congregationis Ioannis Dei in unum corpus, cum nonnullis ordinationibus [1].

Sixtus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Etsi pro debito pastoralis officii, cui nos, licet immeritos, praetulit divina Maiestas, fideles cunctos, praesertim vero religiosos, contemptis huius transitorii saeculi pompis, suos in coelo thesauros reponentes, paterna dilectione confovemus, eos tamen promptius in viis Domini

1 Pii IV constitutio ista est in tom. VII, p. 65, et statutum istud est in lib. III, cap. XXXI.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dirigimus, qui quasi novellae plantationes et teneri palmites in vinea Domini uberes quidem proferunt, ac Deo gratas proximoque utiles fructuum primitias, sed tamen indigent magis irrigatione sancti roris, quo, altioribus actis radicibus, firmius adolescant. Qua in re exemplum etiam sectamur coelestis Patrisfamilias, qui operariis in vineam suam, nedum primo mane ac tertia et sexta, sed nona quoque, decima et undecima hora missis, dummodo solliciti et solertes sint, uberrimam mercedem est largitus.

Pii V nonnullis confratribus in Hispaniarum partibus concessit ut per servientes eleemosynas colligerent pro pauperibus, hospitalia erigerent etc.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, certior factus per tunc existentem confratrem maiorem hospitalis Ioannis Dei nuncupati, Granatensis, in certis tunc expressis locis Hispaniarum esse nonnulla alia eiusmodi hospitalia, quae singula per unum maiorem nuncupatum et propterea aliquos alios confratres, eidem maiori confratri obedientiam praestantes, eleemosynasque et oblata a christifidelibus charitatis subsidia colligere solitos ad commodum et subventionem pauperum et miserabilium personarum, administrarentur; concessit licentiam et facultatem pro tempore existentibus confratribus, etiam iis, qui singuli in quolibet hospitali presbyteri forent, deferendi certum habitum tunc designatum, quo facilius a ceteris internosci possent, utque eis liceret colligere eleemosynas et pium hospitalis exercitium continuare, dummodo degerent sub Regula Sancti Augustini et sub obedientia ordinarii eius loci in quo hospitalia ipsa consisterent, aliaque nonnulla quoad eosdem confratres eorumque hospitalia indulsit et ordinavit, prout in dictis litteris latius continetur.

Crevit tamen ab illo tempore hospitalium et confratrum numerus non solum in Hispania, sed etiam in Italia.

§ 2. Ac deinde, sicut nobis nuper expositum fuit, ad illorum exemplum et imitationem ab eo tempore usque in hodiernum diem hospitalia complura ad numerum duo de viginti, non solum in Hispaniis, sed in Italia quoque et forsan aliis provinciis erecta et instituta fuerunt; confratrum quoque eodem nomine et habitu utentium numerus, benedicente Domino, valde auctus extitit et in dies magis crescit, non sine magna cunctorum fidelium, in quorum civitatibus et locis consistunt, spirituali consolatione ac bonae famae odore, ac praesertim Christi pauperum aegrotorum ad eos confugentium adiumento, qui ab eis personaliter ministrantibus praecipua quadam charitate excipiuntur et curantur; eademque opera alii fideles, a quibus confratres praedicti eleemosynas colligunt, ad sublevandos pauperes tali exemplo et occasione non mediocriter incitantur, sicuti et in hac alma Urbe nostra, in hospitali Sancti Ioannis Calybitae in Insula, pia huiusmodi opera magno cum fructu exerceri videntur.

Unum tamen superiorem et eamdem Regulam cum minime haberent,

§ 3. Quin vero iidem confratres, licet plerique sub dicta Regula degentes tria vota substantialia ac etiam quartum de iuvandis infirmis egenis emittant, certum tamen superiorem, qui generaliter cunctis hospitalibus et confratribus praesit non habent, neque etiam constitutiones aut vivendi normam sui Ordinis proprias unquam condiderunt, maximeque convenit ut qui habitus, nominis et pii exercitii similitudine coniuncti sunt, ii quoque non dissimili ritu, ut cuique libitum est, ac pene cuiusque hospitalis proprio, sed sub uno eodemque capite, optima et uniformi regularis observantiæ disciplina, communi consensu atque unanimi spiritu praescripta, ad veram Deo acceptam religiosisque personis maxime consentaneam unitatem redigantur.

Uniri insimul petiere, ac capitulum generale Romae cogere, in eoque constitutiones efformare.

§ 4. Idcirco ipsi confratres, salutari desiderio permoti, ad rectam institutionem sanctamque conservationem sui Ordinis valde pertinere existimarunt, si, ad

instar ceterarum rite institutarum congregationum regularium, ipsi quoque in unam congregationem redigantur, eorumque capitulum generale nunc primum, deinde statutis temporibus convocetur, in eoque generalis aliquis superior totius Ordinis deligatur, et congregatio ipsa propriis, iisque optimis, institutis temperetur atque informetur. Delegerunt autem sibi hac prima vice hospitale ipsum Sancti Ioannis Calybitae, in quo cupiunt generale capitulum quamprimum convocari. Hic enim locus maxime opportunus videtur, in quo ipsius congregationis quasi quaedam primordia firmius stabiliantur, atque promptiora ab hac Sede, sine qua tuto aliquid determinare vix queunt, consilia et subsidia habere possint; et sicuti ipsius Romanae Ecclesiae communis matris et magistrae auctoritate primum fundata est eorum Religio, ita quoque eiusdem Sedis patrocinio feliciora in dies suscipiat incrementa, atque e purissimis apostolicae Ecclesiae fontibus sinceram hauriat, sine aliquo offensionis periculo, regularis observantiae disciplinam.

Hospitalia omnia in unum corpus unit Sixtus;

§ 5. Nos itaque, eorum laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, omnia praedicta hospitalia Ioannis Dei nuncupata, tam in Italia quam in ceteris quibusvis provinciis, etiam transalpinis aut transmarinis, nunc consistentia et in futurum erigenda, tamquam diversa et distincta membra in unum commune corpus coniungimus et unimus, ac instar aliarum approbatarum monachorum aut regularium personarum congregationum, et ex eorum sic inter se unitorum personis unam congregationem confratrum Ioannis Dei nuncupandam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Primum capitulum Romae in hospitali S. Ioannis Calybitae haberi permittit;

§ 6. Et iam nunc in dicto hospitali S. Ioannis Calybitae de Urbe capitulum generale de eorum confratrum omnium, de mense maii proxime venturi celebrandum, simili auctoritate indicimus.

Ad illud binos confratres ex singulis hospitalibus praecipit transmitti;

§ 7. Praecipimusque in virtute sanctae obedientiae universis et singulis maioribus et ceteris confratribus hospitalium quorumcumque Ioannis Dei, ut praefertur, nuncupatorum, ubilibet gentium aut locorum consistentibus, etiamsi in aliquibus hospitalibus huiusmodi tria vota substantialia nondum aliquis confratrum emiserit, nec certae Regulae aut voto se obstrinxerit, dummodo habitum praedictum gestent, et confratres Ioannis Dei nuncupentur, uti ad dictam diem binos aut saltem singulos ex singulis hospitalibus huiusmodi confratres ad capitulum praedictum generale transmittant, iique de regulari disciplina, institutis, consuetudinibus aut vivendi norma seu ritu, quae in unoquoque hospitali huiusmodi servantur, plene instructi, possint etiam de his omnibus in dicto capitulo reddere rationem.

Ab aliquo eos impediri prohibet.

§ 8. Districtius inhibentes, sub poena indignationis nostrae, quibuscumque personis, quavis dignitate et auctoritate fungentibus, et cuiusvis status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, ne eis ad Urbem tali de causa iter suscipientibus impedimentum aliquod adferre audeant vel praesumant. Quinimo omnibus locorum ordinariis, in quorum civitatibus aut dioecesibus hospitalia ipsa consistunt, et eorum cuilibet per easdem praesentes mandamus ut confratres ipsos huc ad tempus praedictum, ut praemittitur, praefixum mittere procurent.

Facultates nonnullas primo huic ceterisque concedit capitulis;

§ 9. Quod quidem capitulum, ut deinceps maiori cum fructu celebretur, eisdem confratribus, ex unoquoque hospitali singulis sicut praefertur in capitulo generali congregandis, atque adeo ipsi capitulo, evangelicae atque apostolicae doctrinae sacrorumque canonum et gene-

ralium conciliorum decretis, ac sanctorum Patrum traditionibus, ac dictis Pii praedecessoris litteris ceterarumque Religionum approbatarum salubribus exemplis et institutis inhaerendo, omnia et quaecumque ad bonum regimen certamque administrationem dictorum hospitalium pertinentia, aut quae ad vitam, ritus, mores et disciplinam confratrum ipsorum bene ac pie instituendos aut reformandos expedire videbuntur, perpetuo statuendi et ordinandi, statumque, regulas, formam, instituta, regimen, statuta, consuetudines tam cuiusque hospitalis singillatim, si correctione, revocatione aut ex integro editione indigere videbuntur, mutandi et corrigendi, quam illa ac etiam totius congregationis generalia de novo condendi; sicubi aliqua statuta laudabilia et sacris canonibus non repugnantia edita iam fuerint, confirmandi; abusus quoscumque tollendi; regulas, institutiones, observationes, disciplinam religiosis personis congruentem praescribendi; ipsosque confratres ad debitum et honestum vitae modum dirigendi; ac quidquid statutum et ordinatum fuerit, etiam sub censuris et poenis per eos definiendis, perpetuo observari faciendi; congregationemque ipsam in plures, si videbitur, provincias, quae tamen cunctae tamquam membra capiti et generali superiori subsint, distinguendi; generalem quoque et alios superiores confratrum, hospitalium ac religiosorum omnium totiusque congregationis vel singularum etiam provinciarum ad tempus benevisum eligendi; necnon eidem generali capitulo sic congregato ac superioribus in eo delectis, qui postea, dimisso capitulo, hospitalia huiusmodi frequenter visitare, et confratrum ac ceterorum ministrorum in eis degentium reformationi, tam in capite quam in membris, incumbere teneantur, durante eorum officio, eamdem auctoritatem in quaecumque dictae congregationis hospitalia et confratres aliosque regulares in eis commorantes, quam praesides et visitatores in ceteris habere solent Ordinibus regularibus, in omnibus et per omnia gerendi et exercendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem simili auctoritate concedimus.

Decreta praesentis capituli perpetuo observari iubet;

§ 10. Decernentes nihilominus statuta et ordinationes in huiusmodi generali capitulo promulganda, aliaque praecepta aut decreta, etiam singulorum hospitalium interesse concernentia, necnon auctoritatem, iurisdictionem et potestatem superioris generalis in eo deligendi, vim et robur obtinere, et se extendere etiam quoad ea hospitalia eorumque confratres, e quorum numero nemo fortasse ad ipsum capitulum accedere voluerit aut potuerit; eosque nihilominus iussionibus, statutis et auctoritati superiorum huiusmodi obedire teneri; et capitulum generale per eos tantum, qui ad dictam diem convenerint, etiamsi ex multis hospitalibus confratres nulli venerint, nihilominus legitime celebrari posse, et capitulum ipsum per eos, qui convenerint, universum reputari et quae inibi disposita fuerint, inviolate observari debere etiam in hospitalibus post hac sub huiusmodi nomine, habitu et Regula erigendis, et per confratres cunctos habitum gestantes, etiam non professos, aut post hac suscepturos, perinde ac si cuncti, nemine deficiente, concorditer in id consensissent; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Contraria tollit;

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictorum hospitalium, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, usibus et naturis, etiam ab eorum primaeva fundatione editis; privilegiis quoque, in-

dultis et litteris apostolicis dictis Granatensi et aliis hospitalibus, eorumque maioribus vel aliis confratribus et personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus alias in suo robore permansuris, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice tantum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Ordinariorum auctoritati nil detrimenti per praesentes afferri declarat;

§ 12. Per hoc autem iurisdictioni et auctoritati quae cuique loci ordinario in hospitalia et personas suae dioecesis per litteras dicti Pii praedecessoris tributa est, non intendimus in aliquo derogare.

Transumptis fidem addit.

§ 13. Volumusque ut praesentium, quas ubicumque iis opus esset, circumferri difficile foret, transumptis, etiam impressis, notarii publici *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die I octobris MDLXXXVI, anno II.

Dat. die 1 oct. 1586, pontif. anno II.

LXV.

Quod omnes etiam S. R. E. cardinales, beneficia et pensiones militiae S. Ioannis Hierosolymitani, etiam ex Sedis Apostolicae provisione obtinentes, ad solutionem iurium communis aerarii omnino teneantur, receptoresque propria auctoritate exigere valeant, ex indulto Pii V [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Pius V concessit privilegia militiae approbare et extendere.

Aequum arbitramur et congruum ut ea, quae de Romanis Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, litterae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, sollicita considerationis indagine perscrutans quantis periculis quantisque bellorum turbinibus tunc agitata fuerit insula Melevitana, menteque recolens quam indefesse et viriliter dilecti filii hospitalis Sancti Ioannis Hierosloymitani milites in illa a christianae fidei hostibus defendenda se praestiterant, dignum, quin potius debitum, reputavit ut ea, quae a Romanis Pontificibus illis liberaliter concessa fuerant, non solum confirmationis suae munimine roborarentur, verum etiam illa, quae suam utilitatem et commodum concernent, si minus generaliter facta viderentur, ita extenderet ut propter illa omnis in posterum dubitandi materia tolleretur.

Cum itaque caveretur statutis et privilegiis huius Ordinis, quoscumque, etiam a Sede Apostolica provisos, certa iura communi aerario solvere, certaque onera subire debere,

§ 1. Accepto igitur per eumdem praedecessorem quod, licet alias stabilimentis, usibus et naturis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani huiusmodi, seu privilegiis, indultis et litteris apostolicis eidem hospitali et dilectis filiis illius magistro et conventui concessis, expresse cautum fuerat quod etiam apostolica auctoritate, etiam per resignationem in manibus pro tempore existentis Romani Pontificis factam, provisio, ac provisiones, commendas seu alias dispositiones, etiam apostolicas, de praeceptoriis seu aliis beneficiis dicti hospitalis sibi pro tempore factas, prosequentes, et certa iura vacantia seu mortuaria aut alias nuncupata, forsan duplicata, communi hospitalis praedicti thesauro seu alias persolvere, ac quaedam alia tunc expressa onera subire tenerentur. Quodque de reditibus et proventibus huiusmodi praeceptoriarum, primo et secundo ac forsan aliis annis procedentibus disponere, seu illos percipere minime possent, sed illos dicto thesauro, ac alias in usum et utilitatem hospitalis ac illius militum seu mensae applicari, et

[1] Multa, quae de hac militia in hoc opere habentur, indicata sunt in Anastasi IV, const. xv, *Christianae*, tom. II, pag. 618.

pro illius necessitatibus sublevandis, ac tuitione fidei adversus Turcas, christiani nominis hostes, distribui deberent. Ac insuper prioratus, baiulivatus, castellaniam empostae, praeceptorias et alia illius beneficia quaecumque pro tempore qualitercumque obtinentes, certas responsiones ac ordinarias et extraordinarias impositiones eidem communi thesauro annis singulis solvere tenerentur. Ipsisque prioratibus, baiulivatibus, castellaniis, praeceptoriis et beneficiis, per obitum seu resignationem, etiam in manibus praedicti Romani Pontificis, aut alias quomodolibet pro tempore vacantibus, illorum fructus, reditus et proventus, si per resignationem, iuxta vero novam reformationem, usque ad festum Ss. Iacobi et Philippi, de mense maii ex tunc immediate sequentis; pro mortuario et vacantibus, ab eodem festo usque ad aliud proximum eiusdem Sancti Ioannis Baptistae, seu, ut praefertur, Ss. Iacobi et Philippi de dicto mense respective, eidem thesauro cederent.

Et nonnulli a Sede Apostolica provisi derogationem extorquerent,

§ 2. Cum tamen saepe contingeret nonnullorum potentium ambitionem ita se extendere, ut, Sedis Apostolicae liberalitate non contenti, etiam ea quae in magnum dictae Religionis praeiudicium tendere conspiciebant, a Sede praedicta extorquere, Romanumque Pontificem, ob eius innumeras occupationes, ad aliquas gratias sibi concedendas impellere non erubescerent, quas si plene cognovisset, eas profecto illis non concessisset.

Pius praedictus, considerans quod hac via debilitarentur vires ipsius Ordinis,

§ 3. Attendens itaque dictus praedecessor quanta et quam gravia discrimina dicta insula passa fuerat, et quam graves magister et conventus praedicti, tam in illa defendenda, quam in civitate nova per eos constructa munienda et reparanda subierant expensas et incommoda; quodque si ipsi qui pro expensis huiusmodi supportandis, certa iura, quae super quibuscumque dicti Ordinis prioratibus, baiulivatibus, castellaniis, praeceptoriis et aliis beneficiis praedictis exigere consueverant, ab illorum exactione desisterent, illorum vires non parum debilitarentur; consideransque.

Quamdam eius provisionem dictis statutis et indultis minime praeiudicasse decrevit;

§ 4. Quod, postquam piae memoriae Pius Papa IV, etiam praedecessor noster, tunc suus, unam S. Iacobi in Platea Nursiae Spoletanae, et alteram Sanctissimae Trinitatis Tudertinae respective dioecesis, dicti hospitalis praeceptorias, tunc certo modo vacantes, tunc dilecto filio Simoni Brombillae clerico Bergomensi, sub certis modo et forma commendaverat et seu de illis per suas litteras providerat, dictusque Simon, sub earumdem seu aliarum litterarum praetextu, per quas stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis et indultis praedictis per eumdem Pium IV praedecessorem derogatum esse praetendebat, fructus earumdem praeceptoriarum et iura, illarum ratione dicto communi thesauro, ut praefertur, debita, solvere et relaxare recusaverat et recusabat, eumdem Pium IV praedecessorem, motu proprio, non ad magni magistri aut conventus seu hospitalis fratrum praedictorum sibi pro eis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex suis certa scientia et apostolicae potestatis plenitudine, per suas in simili forma brevis desuper confectas litteras, declarasse per derogationem huiusmodi aliquod, vel minimum, thesauro huiusmodi praeiudicium afferri noluisse, et alia fecisse, prout in ipsius Pii IV, praedecessoris, litteris plenius continetur.

Et quoscumque etiam S. R. E. cardinales beneficia et pensiones obtinentes dicti Ordinis, quamvis a Sede Apostolica provisis, ad dictam solutionem teneri diffinivit;

§ 5. Idem Pius V, praedecessor, tam Pii IV, praedecessoris huiusmodi, vestigiis inhaerens, quam praemissis de causis motus, omnia et singula in eiusdem Pii IV praedecessoris litteris contenta approbans et confirmans, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicens, om-

nesque et singulos tam iuris quam facti defectus siqui forsan intervenissent in eisdem, supplens, necnon quarumcumque litium, inter venerabiles fratres nostros, tunc suos, S. R. E. cardinales et Religionem praedictam pendentium, status et merita, et in qua pendebant instantia, pro expressis haberi volens, motu et scientia similibus ac de apostolicae potestatis plenitudine, sub datum videlicet duodecimo kalendas aprilis, pontificatus sui anno II, decrevit et declaravit omnes et singulos prioratus, baiulivatus, castellanias, praeceptorias et alia beneficia huiusmodi seu illorum membra et ab illis dependentia obtinentes, et ab illis regressus, accessus, coadiutorias et alias gratias, tam a Sede Apostolica quam quavis auctoritate concessas, habentes, necnon illorum fructus et proventus aut alia iura loco pensionis annuae seu pensiones ipsas, super eorumdem fructibus, redditibus et proventibus quavis de causa impositas et imponendas, percipientes, pro rata fructuum et pensionum eorumdem, de omnibus et singulis annatis, vacantiis, mortuariis et aliis quibuscumque iuribus per eos dicto communi thesauro quomodolibet debitis satisfacere; nec quascumque litteras statutorum, stabilimentorum, usuum ac privilegiorum, indultorum, etiam quod praeceptoriarum fructus, reditus et proventus et aliorum dicti hospitalis beneficiorum, pro primo et secundo annis vel alias, communi thesauro dicti hospitalis, pro mortuariis seu aliis causis applicati essent et esse censerentur seu applicari deberent.

Ordinemque ipsum auctoritate propria percipere et de illis disponere posse decrevit;

§ 6. Dictique hospitalis praeceptores seu receptores aut alii pro eis agentes, illos propria auctoritate exigere et percipere, ac interim possessionem praeceptoriarum et beneficiorum praedictorum nomine dicti hospitalis apprehendere et retinere, ac huiusmodi fructus de facto exigere, et alias de illis certis modo et forma tunc expressis disponere possent, disponendi, vel aliis illorum totali insertione, vel cum decreto, quod pensiones ipsae a quocumque onere mortuario et passagio vel alias quomodolibet nuncupato, quavis, etiam apostolica seu magni magistri dicti hospitalis pro tempore existentis auctoritate exempti essent, vel titulares beneficiorum ratam partem ipsos pensionarios tangentem, pro solutione pensionis huiusmodi, sibi retinere valerent, et ad solutionem pensionis huiusmodi minime tenerentur, ac alias huiusmodi titulares renunciassent, onusque illam solvendi in se suscepissent, in quibuscumque gratiis, commendis, provisionibus, regressibus, accessibus, ingressibus, coadiutoriis, ceterisque dispositionibus de prioratibus, baiulivatibus, castellaniis, praeceptoriis et aliis beneficiis huiusmodi quovis modo, etiam apud eamdem Sedem, vacantibus, necnon fructuum et pensionum huiusmodi reservationibus, per eum, etiam motu simili, et quorumvis, etiam imperatoris vel regum intuitu, ac etiam quibusvis eatenus factis et in posterum faciendis, quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis et praeeminentiae existentibus, etiam forsan cardinalatus honore et officio fungentibus, per eum quomodolibet eatenus concessis et in posterum concedendis, derogatorias, ac desuper confectas et pro tempore conficiendas litteras apostolicas, etiam quascumque generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias et efficaciores et insolitas clausulas, necnon irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione in se continentia, personas, quibus prioratus, baiulivatus, castellaniae, praeceptoriae seu ab illis dependentia beneficia praedicta aut illorum membra collata seu ad vitam commendata fuerant, seu fructus, redditus et proventus aut pensio-

nes annuae reservatae et assignatae fuerant, aut in quorum favorem de illis dispositum extiterat, vel illae commendarentur seu conferrentur, aut fructus vel pensiones reservarentur et assignarentur vel alias disponerentur, a solutione et praestatione fructuum, censuum, passagiorum, annatarum, vacationum et mortuariorum aut aliorum quorumcumque iurium seu responsionum aut ordinariarum vel extraordinariarum impositionum, vigore dictorum stabilimentorum et privilegiorum debitorum, in toto vel in parte eximere vel liberare, aut alias communi thesauro hospitalis huiusmodi seu illius iuribus in aliquo praeiudicasse, nec per illas praeiudicatum seu praeiudicium aliquod generatum fuisse vel esse vel in posterum fore, sed derogatorias ipsas ad effectum validitatis collationum, commendarum et aliarum dispositionum huiusmodi dumtaxat processisse et suffragari debuisse; illasque in quantum communi thesauro et illius iuribus in aliquo praeiudicassent aut praeiudicarent, a se et Sede Apostolica, per occupationem et circumventionem, praeter et contra voluntatem suam, extortas, ac nullius roboris vel momenti fuisse et esse et in posterum fore; illisque non obstantibus, omnes et singulas huiusmodi derogationes, tunc et pro tempore habentes et prosequentes, etiamsi a iurisdictione magni magistri et conventus praedictorum et aliorum quorumcumque iudicum, apostolica auctoritate praedicta exempti, ac ei et Apostolicae Sedi immediate subiecti essent, ad exhibitionem et relaxationem fructuum ac pensionum huiusmodi, ut praefertur, eidem communi thesauro faciendam teneri et adstrictos fore, in omnibus et per omnia, perinde ac si provisiones commendarum, et regressus, accessus, coadiutoriae et aliae dispositiones, necnon fructuum et pensionum reservationes, non a Sede Apostolica, sed a magistro et conventu praedictis emanassent, et ad id etiam per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia cogi et compelli posse.

Clausulas dictae suae constitutionis praeservativas apposuit;

§ 7. Litterasque tunc desuper conficiendas et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis suae defectu, notari vel impugnari, minusve sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et limitationibus similium vel dissimilium gratiarum comprehendi ullatenus posse, sed, quoties illae emanarent, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antequam illa emanarent, statum, restitutas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque data per magistrum et conventum bene visa, toties quoties opus esset, concessas esse censerentur. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales ac causarum sacri Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate, iudicari, definiri et interpretari debere; et quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentare contigerit, irritum et inane decrevit. Et nihilominus, pro potiori cautela, supradictas et alias derogatorias clausulas in quibuscumque litteris appositas, in quantum communi thesauro huiusmodi, quoad praemissa, praeiudicare videbantur, revocavit, cassavit, irritavit et annullavit, ac toties quoties concessa essent, quoad iura vacantia et mortuaria, ratione gratiarum, per eum et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, concessarum, quoad ea quae suum tempus nondum effluxerant tantum, toties pro nullis et infectis haberi, nullamque prorsus in iudicio vel extra fidem facere vel effectum sortiri de-

bere, et constitutionem suam de non tollendo iure quaesito adversus tunc conficiendas litteras praedictas locum sibi vindicare non posse, ac illis minime suffragari voluit.

Clausulas contrariorum derogatorias addidit;

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac ipsorum prioratuum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis; quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Et quia haec Pii V constitutio, eius superveniente obitu, non fuit expedita, ideo hic Pontifex eam validat a die suae datae;

§ 9. Ne autem de decreto, declaratione, revocatione, cassatione, irritatione, annullatione, voluntate et derogatione dicti Pii praedecessoris, pro eo quod super illis ipsius prædecessoris eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ac magnus magister, conventus et fratres seu milites hospitalis praedicti illarum frustrentur effectu, volumus et apostolica auctoritate decernimus quod decretum, declaratio, revocatio, cassatio, irritatio, annullatio, voluntas et derogatio dicti Pii quinti praedecessoris a dicta die duodecima kalendas aprilis suum sortiantur effectum, perinde ac si super illis ipsius praedecessoris litterae sub eiusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur. Quodque praesentes litterae ad probandum plene decretum, declarationem, revocationem, cassationem, irritationem, annullationem et derogationem dicti Pii quinti praedecessoris ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Executoresque deputat dictae constitutionis.

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Toletano, et episcopo Parisiensi, sive eorum officialibus, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque valere decernentes, ac pro tempore existenti magno magistro, conventui et fratribus praedictis, in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, præmissa omnia ab omnibus, quos illa concernunt, integre et inviolabiliter observari, illosque eis pacifice et quiete uti, frui et gaudere; non permittentes eos aut eorum aliquem contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus omnibus supradictis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die I maii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 maii 1586, pontif. anno II.

Sequitur alia constitutio, quae praecedentem ampliat.

Sixtus episcopus servus servorum Dei, universis et singulis nostris et Apostolicae Sedis, in quibusvis nobis et Romanae Ecclesiae immediate subiectis provinciis, civitatibus, terris et locis, etiam de latere legatis, ac singularum provinciarum, civitatum, terrarum et locorum huiusmodi gubernatoribus, aliisque in eis ius dicentibus et iustitiae ministris, necnon quorumcumque regum, ducum, mar-

chionum et aliorum christianorum principum magistratibus et officialibus, ac eorum cuilibet, salutem et apostolicam benedictionem.

Receptores huius militiae, pro consecutione iurium communis aerarii, capere solent prioratuum et aliorum beneficiorum possessionem

§ 1. Cum, sicut accepimus, saepius contingat ut receptores hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, in singulis illius prioratibus pro tempore deputati, prioratus, baiulivatus et praeceptorias dicti hospitalis ac alia beneficia per fratres eiusdem hospitalis obtineri solita, tam per ipsos fratres quam ex concessione seu dispensatione apostolica per clericos saeculares in titulum aut commendam aut alias pro tempore obtenta, ob non solutionem passagiorum, spoliorum, responsionum, vacantium et mortuariorum ac aliorum iurium, per eos communi thesauro praedicti hospitalis pro tempore debitorum, ad manus suas, iuxta formam stabilimentorum et laudabilium consuetudinum dicti hospitalis, ac privilegiorum et indultorum apostolicorum eis desuper concessorum, recipere, et usque ad integram passagiorum, spoliorum, responsionum, vacantium et mortuariorum ac aliorum iurium praedictorum satisfactionem, pro dicto hospitali seu communi thesauro, retinere, ac ad huiusmodi effectum, possessionem prioratuum, baiulivatuum, praeceptoriarum et aliorum beneficiorum praefatorum capere et apprehendere, eorumque fructus, redditus, proventus percipere, colligere et levare, seu prioratus, baiulivatus, praeceptorias et beneficia huiusmodi eorumque fructus, redditus et proventus aliis locare et arrendare habeant.

Hic ideo Pont. mandat ut officiales omnes et principes eis faveant et assistant;

§ 2. Nos, cupientes quod praeceptores praedicti officium suum contra fratres et alios non solventes praedictos libere exercere, et facultatibus eis per Sedem Apostolicam contra eosdem non solventes concessis, sine aliqua difficultate uti possint, vos et vestrum quemlibet per praesentes requirimus, vobis videlicet, nobis et sanctae Romanae Ecclesiae subditis, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena, districte praecipientes et mandantes; vos vero, qui nobis subiecti non estis, in Domino hortantes, quatenus vos et vestrum singuli, quoties pro parte receptorum praefatorum seu alicuius eorum aut procuratorum suorum vel pro eis agentium desuper requisiti fueritis, per vos vel alium seu alios, brachium vestrum saeculare eisdem receptoribus seu procuratoribus vel agentibus, ad hoc ut prioratus, baiulivatus, praeceptorias et beneficia praedicta, iuxta stabilimenta et consuetudines ac privilegia et indulta huiusmodi, quoties illis locus fuerit, ad manus suas recipere, et usque ad integram passagiorum, spoliorum, responsionum, vacantium et mortuariorum ac aliorum iurium praedictorum satisfactionem, pro hospitali seu thesauro praedicto retinere; ac ad huiusmodi effectum, possessionem prioratuum, baiulivatuum, praeceptoriarum, et aliorum beneficiorum huiusmodi capere et apprehendere, eorumque fructus, reditus et proventus percipere, colligere et levare; vel prioratus, baiulivatus, praeceptorias, beneficia ac eorum fructus, reditus et proventus huiusmodi plus offerentibus locare et arrendare; necnon census seu affictus annuos locationum et arrendationum huiusmodi exigere pro rata debiti possint, statim et incontinenti, omni dilatione seu exceptione remota, praestetis et exhibeatis, praestarique et exhiberi faciatis.

Contrariis derogat;

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quibusvis provisionibus seu commendis aut aliis dispositionibus per nos et Sedem Apostolicam de eisdem prioratibus, baiulivatibus, praeceptoriis et beneficiis, quibusvis personis dicti hospitalis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordi-

nis vel conditionis existentibus, pro tempore factis; necnon omnibus illis, quae privilegiis et indultis praedictis concessum fuit non obstare, quae praesentibus pro specialiter et expresse repetitis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 octob. 1586, pontif. an. II.

LXVI.

Erectio collegii Montis Alti in civitate Bononiensi [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Cathedram militantis Ecclesiae, meritis licet insufficientibus, regentes in terris, ad ea libenter intendimus, ut in singulis locis ac civitatibus, praesertim insignibus, erigantur et instituantur collegia, in quibus clerici et scholares ac aliae personae scientiae margaritam acquirere possint, et litterarum exercitio huiusmodi longe melius reipublicae consulatur.

Collegium pro Germanica natione statuerat Gregorius XIII, Sixtus V pro populis Marchiae Anconitanae construit, praefixo alumnorum numero, a communitatibus nominandorum unicuique nonnullis beneficiis ecclesiasticis;

§ 1. Cum itaque nos alias, postquam acceperamus quod felicis recordationis Gregorius PP. XIII, praedecessor noster, in civitate nostra, tunc sua, Bononiensi quasdam aedes, animo et intentione unum collegium scholarium nationis Germanicae in eis instituendi, nomine et impensis Camerae Apostolicae, pretio septem millium scutorum auri vel alterius verioris summae emi et acquiri curaverat, morteque praeventus, huius mentis suae conceptus executioni demandare nequiverat, in civitatibus et aedibus praedictis unum collegium de Monte Alto nuncupandum pro viginti scholaribus, quorum undecim per dilectos filios Montis Alti, unde originem duximus, et tres per Parculae ac alios tres Patrignoni, necnon reliquos alios tres per Montis Novi oppidorum provinciae nostrae Marchiae universitates et homines ex eisdem suis oppidis, si tot ibidem idoneos et aptos reperirent, alioquin ex aliis ipsius provinciae indigenis, arbitrio suo eligi et nominari, sicque electi et nominati in ipso collegio Montis Alti recipi, ac ibidem sub unius rectoris cura et gubernio ali atque confoveri deberent, erigi et institui; ipsique collegio sine cura ecclesiam, abbatiam nuncupatam, seu S. Benedicti et alterius Ordinis conventu carens monasterium Sancti Michaelis de Castro Britorum, Bononiensis dioecesis, quam seu quod bonae memoriae Alexander episcopus Viglevanensis in titulum vel commendam, necnon prioratum non conventualem S. Mariæ de Angelis nuncupatae, prope et extra muros Bononienses, Camaldulensis Ordinis, quemque Achilles Torphaninus clericus etiam in commendam ad eius vitam ex concessione seu dispensatione apostolica, dum viverent obtinebant, ecclesiam videlicet per dicti Alexandri episcopi de februarii, seu monasterium ac prioratum huiusmodi, commendis prædictis per eorumdem Alexandri episcopi et Achillis de iunii mensibus proxime praesentis extra Romanam Curiam defunctorum obitus, cessantibus adhuc iis, quibus ante commendas huiusmodi vacabant modis, vel alias tunc vacantibus, uniri, annecti et incorporari motu proprio concesserimus.

§ 2. Nos, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeDictum collegium transfert ad aedem ecclesiamque Sancti Antonii Ordinis S. Augustini, prioratumque ipsi unit;

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

ret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, erectionem, institutionem, unionem, connexionem et incorporationem, concessionem huiusmodi ex quibusvis causis et simili motu ac ex certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, cum quibusvis clausulis derogatoriis factam, etiamsi illa effectum sortita fuerit, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa nostra scientia revocantes, cassantes et annullantes ac penitus et omnino dissolventes, ac pro nulla et infecta ac viribus vacua haberi decernentes, motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, prioratum S. Antonii Bononiensis, Ordinis Sancti Augustini, quem dilectus filius Antonius de Iancrinis, ipsius prioratus prior, utriusque iuris doctor, obtinet, ac in eo nomen, titulum et denominationem prioratus, Ordinemque ipsum S. Augustini ac omnem essentiam regularem perpetuo, de ipsius Antonii consensu, auctoritate et tenore praemissis, supprimimus et extinguimus, ac in palatio et aedificiis suppressi prioratus huiusmodi praedictum collegium Montis Alti pro totidem scholaribus, iuxta ordines et statuta desuper facienda et statuenda qualificatis, per universitates et homines huiusmodi modo praemisso eligendis et nominandis ut, in ipso collegio Montis Alti recipiendis ibidemque sub unius rectoris cura et gubernio ad quinquennium vel aliud tempus desuper statuendum, et non ultra, alendis atque confovendis, necnon in Universitate Studii generalis dictae civitatis theologiae ac utriusque iuris artiumque studiis ac aliis scientiis et disciplinis pro cuiusque capacitate operam navaturis, ibidem perpetuo erigimus et instituimus; ipsique collegio Montis Alti ecclesiam eiusdem suppressi prioratus necnon aedes praedictas, cum earum situ, ambitu, circuitu, structuris, aedificiis et pertinentiis universis, etiam perpetuo concedimus et assignamus, applicamus et appropriamus.

§ 3. Insuper eidem collegio Montis Alti, pro illius dote ac rectoris et scholarium praedictorum sustentatione, onerumque illis pro tempore incumbentium, ecclesiam seu monasterium S. Michaelis et prioratum S. Mariae de Angelis huiusmodi, quibus cura non imminet animarum, ac quorum et illis forsan annexis insimul fructus, redditus et proventus nongentorum ducatorum auri de Camera, secundum communem extimationem valoris annui, ut etiam accepimus, non excedunt, quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, seu per liberas resignationes quorumvis de illis seu regimine et administratione dicti monasterii, in dicta Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factas, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint quod eorum collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem praedictam legitime devoluta, ac ecclesia et prioratus S. Mariae huiusmodi dispositioni apostolicae specialiter reservati existant, ac praedicti monasterii provisio ex quavis causa ad Sedem camdem specialiter vel generaliter pertineat, et super eis inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ecclesia et prioratu huiusmodi alicui specialiter ius quaesitum, ex dicto monasterio de abbate provisum, aut illud alteri commendatum canonice non existat, et de dicto monasterio consistorialiter disponi consueverit seu debeat, cum annexis huiusmodi ac omnibus iuribus et pertinentiis suis perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ita quod liceat ipsius collegii Montis Alti rectori pro tempore existenti illorum omnium corporalem pos-

Alia quoque unit beneficia hic expressa.

sessionem, per se vel alium seu alios, nomine dicti collegii Montis Alti, propria auctoritate, etiam absque alicuius mandato vel decreto ac spolii et attentatorum vitio, libere apprehendere et perpetuo retinere, eaque regere et administrare, ac fructus, iura, obventiones et emolumenta eorumdem in communes dicti collegii Montis Alti usus, utilitatem et necessitates convertere, necnon Sancti Michaelis seu monasterii aut prioratus huiusmodi ecclesiis, presbyteros idoneos ad nutum pro tempore existentis rectoris dicti collegii Montis Alti vel alias iuxta statuta desuper edenda ponendos et amovendos, et ab ordinario loci approbandos, in divinis deserviri facere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, ac in monasterio et prioratu praedictis Ordinis huiusmodi omnemque illorum statum, essentiam et dependentiam regulares pariter perpetuo supprimimus et extinguimus.

Ipsum a quacumque iurisdictione, onere, datio etc. exemptum declarat, et sub Sedis Apostolicae protectione recipit;

§ 4. Praeterea collegium Montis Alti huiusmodi illiusque pro tempore existentes rectorem, scholares, oeconomos, officiales, ministros, necnon eiusdem collegii Montis Alti bona mobilia et immobilia, praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, et ubilibet consistentia, ab omni iurisdictione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentis nostri et Sedis Apostolicae in dicta civitate Bononiensi legati de latere, et archiepiscopi Bononiensis, necnon gubernatoris, auditoris Turroni, antianorum, vexilliferi et potestatis dictae civitatis Bononiensis, ac rectoris Universitatis Studii generalis eiusdem, aliorumque legatorum, archiepiscoporum, episcoporum, locorum ordinariorum, gubernatorum et potestatum, eorumque vicelegatorum, locatenentium, officialium, iudicum et quarumcumque aliarum personarum ubilibet constitutarum, ac quavis auctoritate et dignitate, tam ecclesiastica quam mundana, etiam cardinalatus honore fulgentium; necnon collegium ipsum Montis Alti in propriis eius bonis et rebus, ac illius ratione rectorem, scholares, oeconomos, officiales ac ministros aliasque personas in eo degentes et cum eis contrahentes a solutione et exactione quorumcumque pedagiorum, datiorum, vectigalium, angariarum, bollettinorum, decimarum et quorumcumque aliorum onerum ordinariorum et extraordinariorum tam in Bononiensi quam aliis civitatibus et dioecesibus, necnon universo Statu Ecclesiastico et alias ubilibet, quavis occasione vel causa, etiam de necessitate exprimenda, hactenus quomodolibet impositorum et imponendorum, etiam ratione carnium, vini, granorum, lini, lanae, serici, librorum, cartarum et quarumcumque aliarum rerum ad humanum usum necessariarum ex toto Statu Ecclesiastico et quibusvis aliis locis extra dictum Statum consistentibus, ad dictum collegium Montis Alti, tam per terram quam per mare et aquam dulcem et alias quomodolibet conducendorum, ac pro ipso collegio Montis Alti in quantumvis magna quantitate emendorum; necnon a contributione quorumcumque aliorum, etiam iuxta decreta concilii Tridentini ubilibet institutorum et instituendorum collegiorum, etiam seminariorum puerorum ecclesiasticorum et alias quomodolibet nuncupatorum vel qualificatorum, similiter perpetuo eximimus et liberamus, ac sub beati Petri et dictae Sedis atque nostra protectione suscipimus, nobisque et eidem Sedi immediate subiicimus.

Eidem aliorum collegiorum ipsiusque Universitatis Bononiensis privilegia concedit;

§ 5. Ipsis quoque collegio Montis Alti rectori, scholaribus, oeconomis, officialibus, ministris et personis, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, indultis, ceterisque gratiis, quibus Universitas Studii gene-

ralis Bononiensis huiusmodi, necnon alia collegia in dicta civitate instituta, illorumque rectores, scholares, oeconomi, officiales et ministri ac personae, de iure vel consuetudine aut ex privilegio vel alias quomodolibet, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter, in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere valeant, itidem perpetuo de speciali gratia indulgemus, illaque eis communicamus.

In huiusmodi privilegiis quomodolibet molestari illud vetat;

§ 6. Districtius inhibentes legatis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum ordinariis, necnon gubernatoribus, auditoribus, antianis, vexillifero, potestatibus, legatis, locatenentibus, vicariis, officialibus, iudicibus et aliis praedictis, ac etiam S. R. E. camerario, dictaeque Camerae praesidenti, clericis, thesaurariis et commissariis, necnon pedagiorum, datiorum, vectigalium, gabellarum, angariarum, decimarum et aliorum onerum praedictorum appaltatoribus, dohaneriis et exactoribus pro tempore deputatis, ne, quarumvis litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum praetextu, collegium Montis Alti, illiusque rectorem, scholares, oeconomos, officiales et ministros huiusmodi seu eorum aliquem super praemissis quovis modo molestare, perturbare vel inquietare audeant seu praesumant.

Cardinalem de Monte Alto deputat in protectorem.

§ 7. Ut autem ipsius collegii Montis Alti regimini, gubernio et conservationi opportune consulatur, dilectum filium nostrum Alexandrum S. Hieronymi Illiricorum diaconum cardinalem de Monte Alto nuncupatum, ex sorore germana secundum carnem pronepotem eoque cedente vel decedente, et in alios eventus, alium ex S. R. E. cardinalibus, quem rector et scholares praedicti seu eorum maior et sanior pars pro tempore duxerint eligendum, eiusdem collegii Montis Alti, illiusque personarum, rerum, bonorum et iurium ac privilegiorum protectorem et defensorem ac conservatorem, cuius consilio et ope omnia supradicta et quaecumque alia in his et circa ea quomodolibet necessaria agantur, statuantur et ordinentur, constituimus et deputamus.

Facultas protectori conceditur.

§ 8. Necnon Alexandro cardinali et pro tempore existenti protectori dicti collegii Montis Alti rectores, oeconomos, officiales, advocatos, procuratores ceterosque ministros ipsius collegii Montis Alti deputandi et amovendi, ac loco amovendorum alios sufficiendi, ac quaecumque statuta, ordinationes et decreta, tam circa eiusdem collegii Montis Alti illiusque rerum et bonorum spiritualium et temporalium curam, directionem, regimen et administrationem, quam scholarium praedictorum receptionem et admissionem; eorumque aetatem, qualitates, victum, amictum, instructionem et disciplinam, studiique cursum, ac tempus per quod in dicto collegio Montis Alti ali et confoveri debeant, ac alias in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et decretis dicti concilii non contraria, faciendi et edendi; ac illa, quoties pro eorum et temporum qualitate seu alias expediens videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi ac etiam alia ex integro condendi, quae, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint, eo ipso dicta auctoritate apostolica confirmata et approbata sint et esse censeantur, ac ab omnibus ad quos pro tempore spectabit, etiam sub poenis in contravenientes statuendis, observari debeant, plenam liberamque facultatem concedimus.

Praesentium litterarum firmitas

§ 9. Decernentes omnia et singula praemissa ac praesentes nullo umquam tempore, sive pro eo quod causae, propter quas haec omnia facta sunt, coram locorum ordinariis, etiam tamquam dictae Sedis delegatis, vel alibi examinatae, verificatae et approbatae, ac quicumque interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, sive aliis ex quibuscumque causis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari aut in ius vel in controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, vel adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse; nec quemquam ad easdem praesentes in Camera praedicta, iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, desuper editam, aut alias quandocumque praesentandum, insinuandum et registrari faciendum teneri, neque propterea illas irritas esse, sed omnino valere, ac si constitutio praedicta et alia contraria minime emanassent.

Et observantia perpetua.

§ 10. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac dictae S. R. Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus priore voluntate nostra praedicta aut aliis praemissis; necnon Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac nostra de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis, necnon in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; ac monasterii, Ordinum, Camerae et prioratus suppressi praedictorum monasteriorum vel aliorum regularium locorum, a quibus vacans et suppressus prioratus huiusmodi forsan dependent, civitatumque, provinciarum et locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Ordini et prioratui praedictis illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, quomodocumque concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales ibidem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prioratibus huiusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum vel alias quomodolibet sit processum; quas quidem litteras et processus habitos per easdem et inde sequuta quaecumque ad ecclesiam seu monasterium et prioratum huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prioratuum seu beneficiorum aliorum praeiudicium generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus

non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Ecclesiae et prioratus onera supportanda per collegium.

§ 12. Volumus autem quod, propter unionem, annexionem et incorporationem praedictas, ecclesia debitis non fraudetur obsequiis, et monasterium huiusmodi in spiritualibus non laedatur, et in temporalibus detrimentum non sustineat, sed eorum congrue supportentur onera consueta. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae poenales.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae revocationis, cassationis, annullationis, dissolutionis, suppletionis, extinctionis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, extinctionis, exemptionis, liberationis, susceptionis, subiectionis, indulti, communicationis, inhibitionis, concessionis, deputationis, derogationis, voluntatis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, nonis octobris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 oct. 1586, pontif. an. II.

LXVII.

Erectio officii commissariatus Rev. Camerae Apostolicae in officium perpetuum vacabile, cum iurisdictionis, emolumentorumque et indultorum concessione [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad excelsum universalis Ecclesiae culmen, nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate sublevati, in eam curam cogitationemque ex pastoralis officii nostri debito propensius incumbere nos convenit, ut Camera Apostolica a rerum suarum iacturis sarta tectaque praeservetur, et quae pro feliciori illius iurium tuitione, negociorumque prosecutione, ac officiorum ad id institutorum decore et stabilimento sunt maxime profutura, nostris auspiciis ordinentur, ipsaque officia egregiorum virorum prudentiae et industriae commissa perpetuis votivis iugiter proficiant incrementis.

Commissariatus officium, quod Bernardinus Piscina, ab isto Summo Pontifice ad eius beneplacitum deputatus, obtinebat, vacavit, quia ipse civitatis Nursiae et totius Montanae praefectus ab eodem Pontifice deputatus fuit.

§ 1. Cum itaque pro tempore existenti dictae Camerae commissario generali graviorum ipsius Camerae negociorum cura incumbat, et ex frequenti illius mutatione eadem Camera in rebus et iuribus ad eam spectantibus plurimum damni et incommodi patiatur, expediensque sit ut, pro negociorum, rerum et iurium eorumdem votiva directione, prosecutione et defensione, officium commissariatus huiusmodi, quod dilectus filius Ioannes Bernardinus Piscina, ad id a nobis ad beneplacitum nostrum deputatus, ab initio

1 Hodie hoc officium non est perpetuum, sed ad nutum Pontificis commissarius deputatur. Et de eius munere et auctoritate vide in Pii IV constit. LXVIII, *Romanus*, tom. VII, pag. 203; et Pii V const. CVII, *Cum de litteris*, ibid., pag. 697; et in alia const. LXXXI, *Attendentes*, ibidem, pag. 646. Et in specie quod, in causis cambiorum illicitorum in Urbe contractorum, ad eius instantiam procedatur, vide in Pii IV const. I, *Cum sicut*, ibid., pag. 1.

nostri pontificatus usque huc obtinuit seu exercuit, aliquo certo et firmo statu constituatur, illudque pro tempore obtinens non amovibilis, ut hactenus, sed donec officium ipsum per eius cessum vel decessum, aut alias vacet, perpetuus existat, ac speciali honoris et dignitatis praerogativa fruatur. Nos, qui nuper dictum Io. Bernardinum in civitatis nostrae Nursiae pro nobis et sancta Romana Ecclesia gubernatorem in temporalibus constituimus, praemissorum consideratione et ex certis aliis causis inducti, eiusdem Camerae indemnitati et utilitati, ac officii commissariatus huiusmodi stabilimento et incremento, prout sollicitudinis nostrae partes requirunt, consulere, et quae ad illud pertinent, quibusve facultatibus et gratiarum muneribus potiri debeat plenius explicare volentes, necnon beneplacitum nostrum praefatum harum serie revocantes, illudque cessare et expirare decernentes:

Illud itaque idem Pontifex in officium perpetuum et vacabile ad instar aliorum Romanae Curiae officiorum erigit;

§ 2. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, officium commissariatus huiusmodi in officium perpetuum, ad instar clericatuum dictae Camerae et aliorum officiorum Romanae Curiae vacabile, pro uno clerico vitae ac morum probitate praedito, et utriusque vel alterius iurium doctore, non coniugato, futuro eiusdem Camerae commissario generali, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Facultates easdem ei concedit;

§ 3. Ac ipsi commissario generali pro tempore existenti omnes ad eius officium huiusmodi pertinentes, et illi per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos dictamque Sedem ceteris omnibus et singulis aliis commissariis concessas facultates, iurisdictiones et praerogativas.

Archivii scripturarum Camerae Apostolicae curam eidem annectit;

§ 4. Ac etiam eas facultates, praecipuamque curam et administrationem archivii scripturarum dictae Camerae, ita ut, sine expressa eiusdem commissarii licentia, aliquae scripturae ad Cameram praefatam spectantes ex ipso archivio extrahi, ac earum exempla extra eamdem Cameram aliisque illius cameralibus dari et consignari non possint; ipsiusque archivii archivistae et ministri, nunc et pro tempore existentes, illi de dicto archivio ac omnibus eius scripturis rationem reddere, et eius ordinationes ac mandata, necnon statuta et decreta, quae per eum pro bono gubernio et regimine dicti archivii pro tempore fieri contigerit, observare omnino teneantur.

Detinentes scripturas Camerae ubique, et scientes et non revelantes coercendi iurisdictionem concedit;

§ 5. Necnon plenam et liberam facultatem omnes et singulas alias scripturas ad Cameram praefatam spectantes et extra archivium huiusmodi, in quocumque loco vel penes quoscumque existentes, recuperandi; ac contra quoscumque easdem scripturas indebite detinentes, ac scientes et non revelantes eos a quibus detinentur, pro illarum recuperatione, tam in Urbe quam in omnibus terris et locis Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectis, civitate nostra Bononiensi etiam comprehensa, summarie, manu regia et via executiva, telaque iudiciaria omissa, etiam per censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam iuxta constitutiones felicis recordationis Iulii secundi et Iulii tertii ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum contra dictas scripturas indebite detinentes et occultantes, aut scientes et non revelantes, non tamen privative quoad alios quibus per dictas constitutiones fuerit huiusmodi facultas tributa, procedendi. Propterea super praemissis illas facultates, quas piae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, olim pro recuperatione scripturarum Camerae et Sedis prae-

fatarum bonae memoriae Carolo de Grassis episcopo Montis Flasconensis, et quondam Honuphrio Camaiano, dictae Camerae praesidenti, dum in humanis agerent, per cedulam motus proprii sub datum videlicet XIV Kalend. septembris, pontificatus sui anno tertio, concesserat.

Praelatosque et clericos, ingerentes se in beneficiis, ante expeditionem litterarum apostolic., coercendi iuxta const. Iulii II et Iulii III;

§ 6. Ac etiam facultatem contra praelatos et clericos possessionem ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum quorumcumque, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, absque litterarum apostolicarum super provisionibus, commendis, concessionibus et aliis dispositionibus sibi de illis dicta apostolica auctoritate factis, expeditione, praeterquam vigore brevis de eorumdem possessione nomine dictae Camerae capienda, apprehendentes, et in illis se quomodolibet immiscentes, similiter summarie, etiam via executiva, ac per censuras et poenas ecclesiasticas in Iulii II et Iulii III, praedecessorum, et aliorum Romanorum Pontificum, similiter prædecessorum nostrorum, constitutionibus desuper editis contentas, et alias iuxta huiusmodi constitutionum tenorem, sine tamen praeiudicio facultatum eiusdem Camerae generali thesaurario super fructibus male perceptis concessarum et competentium, etiam procedendi, auctoritate et tenore praefatis, concedimus.

Portionem consuetam panis etc. necnon salaria, regalia et solita emolumenta largitur;

§ 7. Necnon eidem commissariatus officio ut praefertur erecto, pro eius dote et illud pro tempore obtinentis substentatione, portionem panis, vini, esculentorum et aliarum rerum per ipsius Camerae commissarium generalem pro tempore existentem dietim ex Palatio Apostolico percipi et ei praestari solitam, cum ea integritate, quam ipse illam percipiebat et percipere poterat, necnon omnia et singula iura, regalia, salaria, redditus, proventus, exemptiones, immunitates et emolumenta quaecumque, ordinaria et extraordinaria, quomodolibet nuncupata, quae dictus commissarius pro tempore existens, quocumque titulo vel causa, ac undecumque et quomodocumque habere, consequi, lucrari, frui, potiri et percipere consuevit, seu etiam potuit et debuit, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et annui valoris sint vel fuerint, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo, applicamus et appropriamus.

Referendarium utriusque Signaturae ipsum commissarium creat, et referendariorum et familiariorum atque clericorum atque camerallum privilegia commissario tribuit;

§ 8. Ipsumque commissarium pro tempore existentem in nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis verum, indubitatum et non fictum familiarem et continuum commensalem domesticum ac utriusque Signaturae nostrae referendarium, auctoritate et tenore similibus, creamus et constituimus ac deputamus, aliorumque nostrorum et pro tempore existentis Romani Pontificis familiarium, continuorum commensalium ac praelatorum domesticorum et utriusque Signaturae praefatae referendariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro vero, indubitato et non ficto nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis familiari, continuo commensali et praelato domestico, ac utriusque Signaturae huiusmodi referendario haberi et reputari volumus et mandamus; sibique ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam concernentibus, se nostrum et pro tempore existentis Romani Pontificis familiarem, continuum commensalem et praelatum domesticum ac utriusque Signaturae huiusmodi referendarium nominare et inscribere, ac ab aliis nominari et inscribi facere, habitumque et insignia referendariorum utriusque Signaturae huiusmodi gestare et deferre, ac in utraque Signatura praedicta continuo intervenire et assistere, necnon omnibus et quibuscumque ac prorsus similibus privilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus,

libertatibus, exemptionibus, facultatibus, honoribus, antelationibus, praerogativis, favoribus, concessionibus et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus ceteri familiares, continui commensales ac praelati et referendarii praefati, necnon dictae Camerae clerici, praesidentes et alii camerales, de iure, statuto, consuetudine vel aliquo speciali privilegio seu alias quomodolibet, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, tam in iudicio quam extra, ubique locorum, absque ulla prorsus differentia, non ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia, ac si illa officio commissariatus huiusmodi illudque pro tempore obtinenti specialiter et expresse per praesentes concessa fuissent, uti, potiri et gaudere.

Indultumque circa pensiones;

§ 9. Necnon ut quicumque loci ordinarius, seu utriusque vel alterius Signaturae huiusmodi referendarius, aut metropolitanae vel alterius cathedralis ecclesiae canonicus, seu persona in dignitate ecclesiastica constituta ad id per ipsum commissarium pro tempore existentem eligendus seu eligenda, quascumque pensiones annuas super quarumvis mensarum episcopalium vel archiepiscopalium seu aliarum ecclesiarum, necnon monasteriorum, prioratuum, dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis ac etiam distributionibus quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus et proventus, iura, obventiones, emolumenta et distributiones huiusmodi, eidem commissario pro tempore existenti apostolica auctoritate reservatas et reservata, usque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera, in dicta Curia vel extra eam, etiam in mortis articulo, de ipsius commissarii pro tempore existentis expresso consensu, cassare et extinguere; ac, postquam cassatae seu cassata fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis et distributionibus, seu fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi, usque ad summam praefatam, uni vel pluribus personis ad id per eum nominandis, et quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, eisdem modo et forma, ac cum clausulis, decretis et ordinationibus quibus ipsi commissario pro tempore existenti reservatae seu reservata fuerint, etiam absque consensu solvere habentium pensiones seu obtinentium ecclesias, monasteria, prioratus, dignitates et alia beneficia huiusmodi, dicta auctoritate reservare, constituere, concedere et assignare, ac etiam transferre libere et licite valeat; reservationesque et translationes pensionum seu fructuum, redditurum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum huiusmodi, vigore praesentium faciendae, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus et per omnia, perinde ac si per nos seu pro tempore existentem Romanum Pontificem, de consensu solvere habentium pensiones, seu obtinentium ecclesias, monasteria, prioratus, praeposituras, dignitates et alia beneficia huiusmodi factae fuissent, auctoritate et tenore praefatis, concedimus et indulgemus.

Habitum et locum in Camera et actibus cameralibus visitationibusque carcerum et cappella et consistoriis et aliis actis publicis assignat;

§ 10. Insuper statuimus et ordinamus quod officium commissariatus huiusmodi pro tempore obtinens, in Camera praefata aliisque actibus cameralibus et carcerum visitationibus, habitum per clericos, praesidentem et alios praelatos camerales deferri solitum, gestare, et in Camera praefata immediate post ipsum praesidentem; ac in carcerum visitationibus,

post clericum carcerum praesidem; in cappella autem pontificia et consistoriis publicis, necnon processionibus, equitationibus aliisque actibus, tam publicis quam privatis, in loco Palatii Apostolici auditoribus ac dictae Camerae clericis assignato, immediate post illos, sedere et incedere debeat.

Resignandi facultatem concedit;

§ 11. Dictumque officium commissariatus in favorem cuiuscumque personae, ut praefertur qualificatae, quandocumque sibi placuerit, resignare, nec resignationis huiusmodi receptio vel admissio per Romanum Pontificem ex quavis causa denegari vel differri, neque pro signatura concessionis eiusdem, per huiusmodi resignationem vacantis, quicquam ultra summam centum florenorum auri de Camera ab eo, cui de illo sic vacante providebitur, exigi possit; quodque litterae apostolicae super supplicatione concessionis dicti officii commissariatus conficiendae, etiam si in ea de officio referendariatus huiusmodi nulla esset facta mentio, nihilominus expediantur tam in Cancellaria praefata, quam per Cameram secretam, cum expressione concessionis dicti officii referendariatus; neque possit aut debeat per nostrum et pro tempore existentis Romani Pontificis datarium seu quemcumque alium, pro signatura huiusmodi supplicationis, licet vim concessionis duorum officiorum, commissariatus videlicet et referendariatus huiusmodi, habeat, aliquid ultra id, quod superius est expressum, omnino exigi, sed sicut per concessionem commissariatus venit pariter concessio referendariatus officiorum huiusmodi, sic per unicam solutionem signaturae suprascriptam sit integre satisfactum, quasi de unica concessione.

Expeditiones pro commissario gratis fieri iubet;

§ 12. Ulterius, quod omnes et singulae litterae apostolicae sub plumbo ac etiam in forma brevis, tam super praesentibus quam aliis quibuscumque gratiis, indultis, facultatibus et concessionibus, tam gratiam quam iustitiam concernentibus, per praefatum commissarium pro tempore existentem a nobis et successoribus nostris ac Sede praefata pro tempore impetratis, seu etiam motu simili concessis, in omnibus et singulis Cancellariae, Camerae et Curiae praefatarum officiis, necnon Plumbo et Registro, ac ubilibet gratis, etiam absque annatarum communium, iocalium et aliorum quorumcumque iurium et taxarum solutione, ad instar clericorum eiusdem Camerae, expediri, et rescribendarius ad taxandas litteras apostolicas, cum subscriptione *gratis* pro persona commissarii generalis Camerae Apostolicae, subscribere, et tam ipse quam alii scriptores [1], et sollicitatores litterarum apostolicarum, necnon cubicularii, scutiferi et quicumque alii dictae Curiae officiales expeditioni litterarum huiusmodi pro tempore praesidentes et ministri, etiam in annatis communibus, iocalibus et aliis iuribus Camerae huiusmodi participantes, easdem litteras personam dicti commissarii concernentes, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis et suspensionis suorum officiorum, necnon perceptionis emolumentorum eorumdem pœnis, per eos ad quos pertinuerit, et qui eas gratis subscribere vel concedere noluerint, eo ipso incurrendis, absque alio nostro aut successorum nostrorum et Sedis praefatae ulteriori mandato, omnino gratis et absque aliqua annatarum, iocalium vel aliorum iurium praedictorum solutione et exactione, in omnibus et per omnia, usque ad plumbum et alia necessaria inclusive, omni contradictione cessante, expediri, ac subscribi et expediri facere et permittere debeant et teneantur.

Ioffredo Lomellino, U. S. referendario, officium commissariatus, cum iurisdictionibus

§ 13. Ut autem officium commissariatus huiusmodi viro idoneo, qui rebus ad illud pertinentibus iugiter incumbat, cuiusque virtus et industria nobis praecipue

1 *Abbreviatores*, Cherub. (R. T.).

et emolumentis praedictis ad eius vitam concessit.

sit cognita, quanto citius concedatur, de dilecti filii magistri Ioffredi Lomellini, clerici Ianuensis, U. I. D., et in utraque Signatura nostra referendarii, ac praelati nostri domestici, summa fide, integritate, probitate et doctrina plurimum in Domino confidentes, ipsumque Ioffredum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon erectionis et institutionis commissariatus generalis ac quorumcumque aliorum officiorum praedictorum, necnon privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum et aliarum gratiarum, illis ac eorum singulis concessorum et inde secutorum quorumcumque tenores, iuriumque, regalium, salariorum, taxarum, emolumentorum, portionum panis et vini, esculentorum et aliarum rerum per pro tempore existentes commissarios generales dictae Camerae percipi solitorum et eis debitorum qualitates, quantitates, denominationes et veros etiam annuos valores praesentibus pro expressis habentes, motu simili, eidem Ioffredo officium commissariatus huiusmodi a primaeva eius erectione sic vacans, per eum quoad vixerit, ad instar aliorum officiorum Sedis et Curiae praedictarum tenendum, regendum et gubernandum, cum portione panis et vini, esculentorum et aliarum rerum ex dicto Palatio, ut praemittitur, percipi solita, ac aliis illi annexis, necnon omnibus et singulis iuribus, iocalibus, regalibus, sportulis, taxis, proventibus, obventionibus, honoribus, emolumentis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, præeminentiis, antelationibus, praerogativis, iurisdictionibus, favoribus, gratiis, indultis et facultatibus suprascriptis, et quibuscumque aliis commissariis generalibus dictae Camerae Apostolicae hucusque concessis et assignatis, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et assignamus; ipsumque Ioffredum ad officium commissariatus huiusmodi eiusque liberum exercitium ac omnia et singula supradicta ex nunc recipimus et admittimus; ac per eos, ad quos spectat et pro tempore spectabit, recipi et admitti, receptumque et admissum, in eis, quoad vixerit, manuteneri, sibique de eisdem integre responderi debere volumus et mandamus.

Clausulae praeservativae.

§ 14. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod interesse forsan habentes ad id vocati non fuerint, vel ex quavis alia causa, quantumvis legitima, urgenti et iuridica, etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, minusque sub similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie, etiam sub quacumque data, per Ioffredum eiusque hæredes ac successores praedictos eligenda, reintegratas, ac de novo concessas, validasque et efficaces fore et esse, vimque validi et efficacis contractus, inter nos et ipsam Cameram ex una, et Ioffredum eiusque haeredes et successores praedictos ex altera partibus, rite et recte initi et stipulati, ac etiam utrimque iurati habere et perpetuo obtinere; dictamque Cameram ad Ioffredum eiusque haeredes et successores

praedictos in iuribus huiusmodi tuendos, et ab omni incommodo, damno, laesione, lite, causa et controversia immunes, indemnes et exemptos conservandos teneri ac obligatam esse et fore.

Decretum irritans.

§ 15. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum et defensorum deputatio et facultates.

§ 16. Quocirca venerabilibus fratribus Amerino et Materanensi episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicæ generali auditori, motu simili, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ioffredi eiusque successorum praedictorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praedictis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac Ioffredum eiusque haeredes et successores praedictos illis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos vel eorum quempiam per quoscumque desuper quodomolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 17. Non obstantibus praemissis, ac de praestando consensu in pensionibus, et iure quaesito non tollendo, necnon revocatoria facultatum percipiendi praetium officiorum dictae Curiae, et gratiis ad instar non concedendis, aliisque Cancellariæ Apostolicae regulis editis, ac etiam in crastinum assumptionis cuiusque Romani Pontificis ad summi apostolatus apicem edendis; necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati, extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut aliis vices suas committere praesumant; et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; necnon, quatenus opus sit, recolendae memoriae Symmachi et Innocentii tertii ac Pauli secundi et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac etiam in nostris, de rebus Ecclesiae seu Camerae et Sedis praedictarum non alienandis, necnon super reformatione, numero et qualitatibus dictorum referendariorum, aliisque constitutionibus et ordinationibus, tam apostolicis quam in provincialibus, synodalibus et generalibus conciliis, specialiter vel generaliter, contra praemissa vel eorum aliqua quomodolibet editis et edendis; necnon ecclesiarum et monasteriorum, etiam in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, ac Ordinum, militiarum et hospitalium, etiam quorum illa extiterint, necnon Camerae Urbis, officiorum et collegiorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, usibus, naturis, stabili-

mentis et etiam novis reformationibus; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus et litteris apostolicis illis eorumque praesulibus, capitulis, conventibus, officialibus, appaltatoribus et quibusvis aliis personis, etiam per modum statuti ac initi et stipulati contractus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, ac quantocumque tempore observatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro eorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctio poenalis.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, quarto idus octobris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 oct. 1586, pontif. anno II.

LXVIII.

Damnatio contractuum societatis securitatem capitalis aut certam responsionem aut aliter usurariam pravitatem continentium.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Compendium pactorum illicitorum, quae in contractibus societatum apponi contingit.

Detestabilis avaritiae ingluvies, et insatiabilis lucrandi cupiditas, malorum omnium radix, usque adeo excoecat mortalium mentes, ut multi, nimis avide lucro inhiantes, in laqueos et insidias diaboli misere incidant. Irrepit enim versute et callide antiquus humani generis hostis per varios dolos et fallacias, et incautos homines quaestus dulcedine captos et delinitos opprimit, atque eo perducit ut se ipsos in usurarum voraginem, Deo hominibusque odiosam, sacris canonibus damnatam, et christianae caritati contrariam, foede immergant, et dum vanas et terrenas divitias quaerunt, veras ac coelestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audivimus hoc malum in quasdam provincias pervasisse. Nam multi, speciosum et honestum societatis nomen suis foeneratitiis contractibus praetexendo, hoc quasi colore et fuco, mercatoribus, opificibus, negociatoribus et aliis personis super eorum mercibus, officinis, tabernis, panariis aliisque rebus ac bonis, pecunias suas aut alias res, societatis nomine, conferunt; vel greges, armenta aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis dant in societatem sive ad soccidam, ut vocant, ea conditione, ut sors ipsa seu caput, quod vulgo dicitur *capitale*, tam pecuniarum quam animalium et rerum salvum semper et integrum existat pro eo qui non industriam aut operas, sed pecunias, animalia aut res huiusmodi in societatem confert, utque omne periculum et damnum ab altero

socio recipiente substineatur, contra æquitatem et societatis iustitiam, diversimode paciscuntur; eosdemque socios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes et egenos suoque labore et industria victitantes, ad sortem seu capitale restituendum, quicumque tandem casus et rerum eventus consequatur, pacto et obligatione obstringunt, simulque etiam certam lucri quantitatem et summam, veluti tot pro quolibet centenario in singulos annos aut menses per alterum socium, durante societate, solvendam, praefiniunt ac praescribunt; eamque summam et quantitatem, non subductis rationibus accepti et expensi, quod in codices seu tabulas societatis referri solet, neque facto calculo vel computo, pro ipsius lucri vel damni modo variabilem, sed laborem et curam computandi et calculandi se invicem remittere et renunciare asserentes, quovis tempore certam constituunt.

Damnatio illicitarum pactionum in societatibus apponendarum.

§ 1. Proinde nos, qui hoc potissimum munus, nostraeque pastoralis sollicitudinis maxime proprium arbitramur ut gregem dominicum fidei nostrae creditum ab omni offensione et aeternae vitae discrimine tutum, in viam salutis, coelesti gratia adiutrice, dirigere nitamur, huiusmodi morbi contagionem, antequam in communem fidelium perniciem latius serpat, quantum, Deo favente, possumus, tollere cupientes, de attributae nobis apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, damnamus et reprobamus omnes et quoscumque contractus, conventiones et pactiones posthac ineundos seu ineundas, per quos seu quas cavebitur personis pecunias, animalia aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiam si fortuito casu quamlibet iacturam, damnum aut amissionem sequi contingat, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, et integrum a socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate vel summa in singulos annos aut menses, durante societate, respondeatur. Statuimusque huiusmodi contractus, conventiones et pactiones usurarios et illicitos posthac censeri debere; atque in posterum non licere iis, qui pecunias vel animalia aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut praefertur, percipiendo inter se pacisci et concordare; neque etiam, sive ad certum sive ad incertum lucrum convenerint, socios, qui ea recipient, ad sortem seu capitale salvum et integrum, ubi illud casu fortuito perierit vel amissum erit, reddendum quovis pacto aut promissione sibi obligare. Ac ne de cetero societates ineantur sub huiusmodi pactis et conditionibus, quae usurariam pravitatem sapiunt, districte interdicimus et prohibemus.

Forma societatum de cetero contrahendarum.

§ 2. Sed potius cuncti noverint societates huiusmodi, cum in posterum unus pecuniam, animalia aut alias res et bona, alter vero operam vel industriam confert, pure, sincere et bona fide, sicut decet, iustis et aequis conditionibus et pactis, secundum iuris dispositionem, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione aut usurariae pravitatis labe aut suspicione ineundas seu contrahendas esse; ita ut non ad certam summam aut quantitatem ab omni periculo et damno, ut praefertur, immunem, lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum, socius accipiens teneatur. Si vero, finita societate, ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitime conventum sit. Ac praeterea iidem contrahentes, fructus, expensas et damna in commune conferant, et, prout aequum et iustum fuerit, sibi communicent atque dividant.

Contra facta non obligent.

§ 3. Decernentes, siqui contractus, conventiones et pactiones in futurum, contra

nostram huiusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tamquam per hanc eamdem constitutionem nostram damnatis et reprobatis, etiamsi iuramento aut in forma Camerae Apostolicae vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem aut naturalem oriri, nullamque actionem realem aut personalem, aut iudicis officium, neque aliud quodcumque ius cuiquam competere, neque quoad sortem seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit aut amissum erit, neque quoad certas summas et quantitates in singulos annos aut menses lucri socialis nomine promissas.

Contravenientium poenae.

§ 4. Si qui vero in posterum sub praedictis conditionibus et pactis contrahere temere praesumpserint, aut, praetextu similium contractuum, conventionum et pactionum societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactionem dictae sortis seu capitalis sive illius precii et valoris, postquam illud in toto vel in parte casu fortuito perierit aut amissum sit, aut certae summae vel quantitatis annuae aut menstruae sibi promissae, in futurum procedere ausi fuerint, eos universos et singulos in poenas contra manifestos usurarios et foeneratores, a sacris canonibus et conciliis generalibus latas et promulgatas, eo ipso, incurrere, et contra illos, uti manifestos usurarios et foeneratores, via iuris aliisque opportunis remediis procedi posse et debere.

Decretum irritans.

§ 5. Sicque ab omnibus censeri, et ita, quoad praemissa universa et singula, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio et facultates executorum huius constitutionis.

§ 6. Mandamus vero universis et singulis locorum ordinariis, per quascumque provincias et regna christiani orbis constitutis, et quibusvis nostris et Sedis Apostolicae, etiam de latere, legatis ac vigelegatis, ceterisque officialibus, praesertim provinciarum et locorum Status nostri Ecclesiastici, ut in suis quisque civitatibus, dioecesibus, provinciis et locis praesentem nostram constitutionem publicari et inviolate observari curent; et contra personas, quae in futurum, praeter et contra prohibitionem hanc nostram, pacisci aut exigere ausae fuerint, tamquam publicos usurarios et foeneratores per viam accusationis vel denunciationis aut inquisitionis, et ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, reosque culpabiles repertos condignis poenis, ut supra dictum est, afficiant; invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus quarumcumque civitatum, provinciarum et locorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, sive per modum constitutionis et legis perpetuae quomodolibet concessis, etiam saepius approbatis et innovatis, quae omnia nolumus cuiquam de cetero suffragari.

Iussio publicandi hanc bullam.

§ 8. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis earum ignorantiam praetendere valeat, volumus ut illae in valvis basilicarum Principis apostolorum de Urbe et Sancti Ioannis Lateranensis et Cancellariae Apostolicae, atque in acie Campi Florae, per aliquem ex nostris cursoribus de more publicentur, dimissis et affixis earum exemplis in acie et valvis praedictis.

Fides transumptorum.

§ 9. Earumque transumptis, etiam impressis *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, decimo secundo kalendas novembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 oct. 1586, pontif. anno II.

LXIX.

Concessio privilegiorum hebraeis in Statu Ecclesiastico commorantibus, iisque qui in eodem Statu vel mansionem vel commercium fixerint [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Christiana pietas, infelicem hebraeorum statum commiserans, illos apud se patitur diversari, ac etiam singulari complectitur humanitate, ut crebro illorum intuitu Passionis Domini memoria fidelium oculis frequentius obversetur, ipsique hebraei, huiusmodi pietate compuncti, suos agnoscant errores, ad verum lumen, quod est Iesus Christus, perveniant claritatis.

Sixtus nonnulla privilegia hebraeorum universitati concedit.

§ 1. Unde et nos, qui hebraeis ipsis nostra praesidia poscentibus, ex iniuncto nobis apostolicae servitutis officio, christianæ pietatis mansuetudinem non denegamus, felicis recordationis Pii Papae IV et plurimorum aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigia secuti, statui universitatum hebraeorum opportune providere volentes, motu proprio, non ad ipsorum vel alicuius eorum aut alterius pro eis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, infrascripta privilegia, indulta et gratias vulgari idiomate expressa, ut facilius illa unusquisque eorum intelligere possit, tenore praesentium, perpetuo eisdem hebraeis concedimus et elargimur. Tenor autem privilegiorum, indultorum et gratiarum huiusmodi talis est, videlicet.

Facultas eis data in Statu Ecclesiastico permanendi ac quascumque artes exercendi, necnon victualia a christianis recipiendi.

§ 2. Concediamo generalmente che ogni ebreo di qualsivoglia sesso, grado, condizione e stato possi ora, e da qui innanti a loro beneplacito venire e pratticare per tutto lo Stato Ecclesiastico, ed abitare nelle città, castelli grossi e terre di esso Stato, eccettuate le ville e borghi, vivendo conforme alle presenti costituzioni, e possino liberamente fare ogni sorte di arte, esercizio, trafico e mercanzia di grano, frumento, vino, soccita de animali, e seminare de grani: e similmente possino fare con cristiani partiti, ed avere pratiche, familiarità ed amicizie con essi per le occasioni sudette, valendosi delli mestieri, uffici, esercizi, e manualità de' cristiani con pagare le loro oneste e debite mercedi: e particolarmente de' macellari cristiani, quali siano tenuti darli carne, secondo si usa in Ancona ed altri luoghi, al prezzo che pagano li cristiani: non possino però tener servitori o serve cristiane, nè farli fare cose che a essi cristiani sia proibito, conforme alle costituzioni de' Pontefici.

In locis, oppidis ac civitatibus honesto pretio eis locandae domus.

§ 3. Nelle città, castelli e terre, ove verranno novamente ad abitare essi ebrei, li siano assegnate case, abitazioni e luoghi commodi, ed atti al rito, vivere con famiglie, trafichi, mercanzie e simili negozii loro, con ordine che li affitti nel principio siano onesti secondo il solito, nè mai più si possino accrescere o alterare, conforme anco alle lettere di Pio IV.

Usus proprii ritus eis concessus, certaeque praefinitam dationem, ultra quod nil solvere teneantur.

§ 4. Ancora ci compiacciamo di tolerare essi Ebrei, e li loro riti, costituzioni e leggi, e similmente permettiamo che possino tener tutti li libri Ebraici, spurgati che siano o vero purgati che nell'avvenire saranno dalle blasfemie contro

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Santa Chiesa, e con la mutazione delli nomi, secondo fu già nel concilio Tridentino, e da Pio quarto e di parere di Pio V allora cardinale Alessandrino, stabilito ed ordinato, come appare nell'indice, e per scritture del secretario di detto concilio: nè mai sia astretto alcun ebreo nelli giorni festivi o delle loro solennità comparire in giudizio per cause civili, nè fare cose che siano contro li loro riti e leggi. Quelli ebrei, che di nuovo entraranno e verranno per l'avvenire ad abitare nello Stato Ecclesiastico, pagando li maschi, dall'età di quindici anni sino alli sessanta, venti giuli per testa subito che entraranno per entratura, poi similmente dodici giuli ogni anno per testa alla Reverenda Camera Apostolica, sin che essi vi saranno o viveranno, pagandosi la metà delli sudetti dodici giuli in fine di ciascuno semestre, cominciando li sei mesi del pagamento del primo semestre dal primo di che entraranno. Non siano tenuti mai a pagare o conferire per altre gravezze, pesi, vigesime, imposte o balzelli di qualsivoglia sorte o causa, messi o imposti, o che si mettessero o che s'imponessero, eccettuato il pagamento annuo che si fa in Campidoglio per il giogo di Nagone, Testaccio o Palii; ma possono godere nelli luoghi ove staranno, quelle utilità, commodi e privileggi, che godono l'istessi cristiani per le cose, di che essi ebrei saranno capaci; meno siano tenuti quelli, che di nuovo entraranno, pagare residui de vigesimà alcuna, caso ve ne fussero, nè sodisfare ad alcuni debiti d'università o communità passati, ma solamente ogni particolar ebreo sia tenuto a sodisfare suoi privati e particolari debiti, conforme alla ragione.

Data facultas synagogas aperiendi, et coemeteria construendi.

§ 5. Gl'ebrei che di nuovo entraranno nel suddetto Stato possino avere ed aprire le scole e sinagoghe, ove dicono e compiscono li loro offici e riti, in quelle città, castelli e terre dove n'erano prima aperte, pagando per l'avvenire solamente per le scole, che s'apriranno e s'useranno, alla casa de' catecumeni in Roma il loro ordinario; non essendo però tenuti per il tempo passato o per altre non aperte o già debitrici o fallite, a satisfare cosa alcuna: insieme li sia lecito e permesso recuperare li luoghi dove seppellivano i morti, pagando alli possessori e patroni, che l'avranno comprati, il loro prezzo, e che possino novamente comprarne a questo effetto con assenso degl'ordinari: similmente possino l'ebrei usare li terreni comprati al detto effetto di tempo in tempo, le parti bisognevoli per le sepolture, ed il resto goderlo a modo loro o affittarlo.

Telonia si aperiantur, quid sit licitum hebraeis.

§ 6. Erigendosi di nuovo banchi nelle città, castelli o terre di detto Stato, godino li banchieri, e osservino quelli capitoli e tolleranze, che sono già in convenzione con la Camera Apostolica, confermati da Pio IV ed altri, ove, secondo che conveniranno con le communità delli luoghi, ma però con participazione ed assenso della Reverenda Camera Apostolica, non intendendo essi ebrei vendere li pegni prima de dicidotto mesi, nè riscuotere interessi de interessi, nè fare cosa contra l'onesto.

Causae ab ordinariis locorum aliisque iudicibus agnoscendae iuxta solitum stylum.

§ 7. Li vescovi residenti nelle città e nelli altri luoghi, li governatori o vero ministri principali delle terre o castelli rispettivamente siano giudici competenti, e nelle liti che verteranno sì tra essi ebrei, come tra essi e cristiani, amministrino la giustizia, ma nel procedere osservino li statuti de' luoghi, ed il modo che si osserva tra cristiani soli. E nel giudicare sia terminato conforme alla raggione e giustizia o leggi, considerata però la qualità delle persone, differenze e cause; e possino servirsi de' notari, sollecitatori, procuratori e avvocati cristiani, satisfa-

cendoli per li loro rogiti, scritture, patrocinio e fatiche le giuste ed oneste mercedi, come pagano i cristiani. Non si possi ad alcuna sorte di credito presente, passato o futuro delli ebrei apponere et allegare altra prescrizione di tempo che quella, qual è stabilita o terminata di ragione ecc., come anco altre volte li è stato concesso.

Quibus in criminibus contra hebraeos ad Statum Ecclesiasticum accedentes procedi possit.

§ 8. A tutti li ebrei universalmente e singolarmente concediamo assoluzione generale d'ogni debito in qualsivoglia modo sin qui commesso, purchè sopra di esso non sii carcerato, processato o inquisito al presente, eccettuato l'omicidio, falsamoneta, rebellione o sacrilegio, qual assoluzione nell'avvenire si farà come era solito farsi da' Pontefici passati, massime da Pio IV, e per mezzo della Camera Apostolica a tempo di Pio V, e da Gregorio XIII. Nè per cause o delitti presenti criminali possino nell'avvenire essere molestati in giudizio passato un'anno, come anco Pio IV li graziò, eccettuati però li delitti suddetti, e l'interesse della parte.

Alia privilegia eis concessa.

§ 9. Li ebrei tutti di qualsivoglia sesso e stato nelli viaggi loro possino liberamente e continuamente andare e ritornare senza segno alcuno, e finalmente senza esso andare alle fiere, starvi e ritornarne nel modo che li ebrei di Roma vanno ed usano, conforme all'istromento fatto con la Reverenda Camera Apostolica dei 21 aprile 1581, purchè fermandosi in fiere o terra più di un dì debbano portare il segno. Andando generalmente li ebrei per viaggio non siano tenuti nè astretti pagare passaggi, gabelle, datii o pedaggi per le loro persone, nè meno per li loro beni, robbe o mercanzie, se non come quello e quanto li cristiani, il che anco li fu altre volte concesso da'Pontefici. Nessun ebreo navigando per mare, così nell'andare come nel ritornare, possi essere preso per schiavo, nè spogliato o privato de suoi beni o mercanzia ecc., confermandosi li brevi di Paolo III e di Gregorio XIII sopra ciò concessi. E possino portare, condurre o mandare liberamente mercanzie non proibite delle parti di Levante in Cristianità, e di Cristianità in Levante, come fanno li cristiani. Non sia lecito ad alcun cristiano di qualsivoglia grado, sesso e condizione battezzare, far violenza o far battezzare alcuno ebreo di qual sesso si sia, non avendo licenza o commandamento dalli suoi ordinari, e ciò conforme all'ordini e disposizioni de'sacri canoni, concilii e constituzioni de' Pontefici.

Quando teneantur conciones a christianis audire.

§ 10. Li uomini maschi ebrei siano tenuti andare ad udire prediche e sermoni di cristiani tre volte l'anno, quando saranno invitati o chiamati da' predicatori, e tre altre volte l'anno in qualche solennità, quando paresse o fossero invitati dalli ordinari; nel resto del tempo niuno sia astretto, ma possi andarvi à suo beneplacito anco non invitato.

Medici hebraei approbati infirmorum christianorum curam suscipere possunt.

§ 11. Ogni medico ebreo, che da noi e dalla Sede Apostolica averà licenza, possa medicare cristiani liberamente senza scrupolo di cristiani, conforme alle licenze et assensi de' Pontefici.

Praemissa omnia servari praecipit.

§ 12. Decernentes praemissa omnia et singula in praesentibus nostris litteris contenta inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et Sedis Apostolicae de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac diffiniri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praesentium exequutores deputati.

§ 13. Quocirca dilectis filiis nostro et S. R. E. camerario, ac etiam nostro in alma Urbe eiusque districtu in spiritua-

libus vicario generali, et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, motu simili, per praesentes mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum hebraeorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac eis, in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, concessione, indulto, voluntate, permissione, liberatione, absolutione, decreto, confirmatione, approbatione aliisque praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper contra praesentium tenorem quomodolibet molestari; contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Praedecessorum Pontificum privilegia et constitutiones confirmat; § 14. Confirmantes et approbantes omnia et singula privilegia, constitutiones, gratias, indulta et litteras per nos et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros in parte et partibus dictis hebraeorum universitatibus quomodolibet concessa, et de praedictis loquentia.

Contrariis derogat; § 15. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae IV, sub datum videlicet pridie idus iulii, pontificatus sui anno primo; necnon piae memoriae Pii Papae quinti illius confirmatoria sub datum videlicet tertiodecimo kalendas maii, et alia quarto kalendas martii, pontificatus sui respective I et IV annis; ac dicti Pii IV de registrandis gratiis interesse Camerae Apostolicae concernentibus in libris eiusdem Camerae infra certum tunc expressum tempus, ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et ordinationibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque verborum formis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, irritantibusque et aliis decretis quibuslibet terris, oppidis et locis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 16. Ceterum, quia difficile foret *etc.* Transumptis credi iubet.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 oct. 1586, pont. anno II.

LXX.

De temeraria tori separatione, ac publicis adulteriis, stupris et lenociniis in quibusdam casibus severius in alma Urbe puniendis [1]:

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ad compescendam, quantum in nobis Proemium.

1 Quoad lenocinia et stupra in Urbe contingentia, vide etiam in Pauli IV const. XXII. *Sanctissimus*, tom. VI, pag. 537.

est, carnis in lasciviam prolabentis petulantiam, praecipue vero continendos in officio sanctissimis pudicitiae et honestatis legibus subditos nostros, libenter omnem curam et sollicitudinem adhibemus. Nam et hoc ipsum arbitramur paternae caritatis et providentiae proprium, maximeque congruum munus, exquisita quadam diligentia, nova quotidie remedia et subsidia comparare, quibus a christifidelibus peccati et scandali occasionem, Domino adiuvante, submoveamus; et occurrendum est vehementiori studio ut nequaquam inolescant in publicae honestatis dedecus, pudoris et christianae disciplinae detrimentum ac animarum perniciem, graviorum quorumdam flagitiorum corruptelae, quale est adulterium, divinis humanisque legibus damnatum, praesertim si publico scandalo impudenter committatur, per quod sanctum matrimonii foedus, Deo auctore iunctum, sacrilege violatur, cum tamen illud oporteat caste et religiose custodiri, dicente Apostolo, *Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus;* ac coniuges mutua se debeant charitate diligere, eodem Apostolo monente, *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea.* Et iterum, *Mulieres, subditae estote viris sicut oportet in Domino; Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas.*

Adulteriorum execratio.

§ 1. Invigilandum quoque nobis est ut avertamus a christifidelibus divinae Maiestatis iram, indignationem atque flagella, quae propter huiusmodi foeda carnis peccata et scelera, in filios diffidentiae, praesertim vero in violatores alieni tori, gravissima divinitus immitti solent, quemadmodum sacrarum testimonio Scripturarum, tum variis successibus permultisque exemplis comprobatur, tum vel maxime ex iis, quae Pharaoni Ægypti regi, et Abimelech regi Gerarae, quod Saram Abrahae uxorem abduxissent, signis clarioribus evenerunt, praeter aeternae damnationis poenam, quam iidem miserabiliter incurrunt. Nam, sicut idem pronunciat Apostolus, *Adulteros et fornicatores iudicabit Deus.* Et si ulla unquam tempora fuerunt, quae iudiciorum et legum severitatem requirerent, certe haec ipsa temporum conditio, qua nos Deus ad Ecclesiae suae gubernacula vocavit, hoc vel maxime exposcit. Nam, ut est fragilis et fluxa mortalium natura, et ad malum prona, nisi divina bonitas adiuvet, et eorum, qui praesunt, fraenum cohibeat; ita plurimis ab hinc annis, propter nimiam ipsorum malitiam depravatamque peccandi consuetudinem et effraenatam audaciam vitiorumque licentiam, improbi homines tantum sibi sumpserunt, ut sperarent quicquid eis libitum esset, id se impune perpetrare posse. Igitur, post repressam sceleratorum audaciam, qui caedibus et latrociniis ditionem ecclesiasticam atque adeo suburbana loca vexabant, nunc etiam in Urbe, ut, quod aeque necessarium est, inde sumamus initium, corroboranda fides connubialis, comprimendae publicae praesertim moechantium libidines, et alienis coniugiis insidiantium impudens nequitia coercenda, legitimæ sobolis honestae propagationi consulendum, et siqua dissoluta aut dilapsa fluxerunt, severis legibus vincienda sunt, praecipueque curandum ne qui cives aut incolae sanctae huius et sacerdotalis civitatis flagitiorum turpitudine, per varias machinationes et fraudes, diabolico astu adinventas, polluantur, sed ab eorum commercio pravi abusus et publicae ignominiae labes nostris potissimum temporibus exterminentur, et perpetuo exulent, ac potius haec alma Urbs nostra, omni virtutum genere florens, pura et immaculata luceat splendore et munditia honestatis suae, omnes-

que externas gentes ad sui imitationem convertat. Id enim postulat ipsius Urbis sanctitas et religio, quae sanctorum apostolorum et innumerabilium martyrum sanguine consecrata atque adeo perfusa est, ut quoquo pedem quis ponat, credere possit se venerandos eorum cineres calcare. Id praeterea requirit dignitas ipsius civitatis, quae, nostra propria Sedes, caput orbis et religionis effecta, benigne excipit gremio suo, quasi communis patria, omnes undique nationes ex remotissimis regionibus et ultimis terris ad eam confluentes. Id denique exigit communis utilitas universi populi christiani, ut, obstructo ore impiorum, advenae petentes huc disciplinam, mores, regulam normamque vivendi, spiritualis aedificii non minus quam materialium operum structuram admirentur, urbanisque exemplis meliores effecti, ad suos revertantur. Proinde ad servandam, invicem inter coniuges perpetua fide et concordia, societatem, et ad publicae honestatis pudorem illibate tuendum, super infrascriptis capitibus praesenti nostra, in eadem Urbe dumtaxat perpetuo valitura, constitutione duximus providendum.

Coniuges temere se a communi cohabitatione et coniugali toro separantes, arbitrio iudicis puniantur.

§ 2. Primum igitur, cum matrimonium individuam vitae consuetudinem continere debeat, idque non solum naturali iure, sed etiam divino manifestius comprobetur, dum dicitur *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una;* et Christus Dominus noster in Evangelio subiungat: *Itaque iam non sunt duo sed una caro, quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* ac denique testetur Apostolus sacramentum hoc magnum esse in Christo et in Ecclesia. Et propterea nefas sit coniuges fideles se, propria voluntate aut arbitrio, a coniugali toro separare, nisi ex causa a sacris canonibus permissa et auctoritate ac iudicio Ecclesiae cognita et probata. Idcirco, ne quis in posterum huiusmodi facinus impune committat vel attentare audeat, apostolica auctoritate statuimus et ordinamus ut coniuges, qui quaeve, indissolubilem matrimonii nexum divina lege copulatum contemnentes, sine Ecclesiae iudicio, seu ecclesiastici iudicis sententia, propria temeritate, a communi cohabitatione discesserint, aut se a coniugali toro separare praesumpserint, arbitrio iudicum, pro excessuum gravitate, puniantur.

Maritus, iudicis auctoritate, tori separationem obtinens, et deinde impudicam vitam ducens, ita ut appareat quod separationem affectavit ut luxuriose viveret poena ultimi supplicii plectatur.

§ 3. Sed, et si per sententiam iudicis ecclesiastici separatio facta fuerit, ne ipsi coniuges, sacrorum canonum et publica iudicum auctoritate abutentes, delinquendi et adulteria committendi occasionem sumant, statuimus et decernimus maritum, qui dolo aut fraude sive alia quavis occasione vel causa, etiam secundum iuris canonici dispositionem, separationem tori ab uxore sua affectaverit, procuraverit et obtinuerit, seque a cohabitatione uxoris, cum effectu separaverit, ac, post a se abiectam vel amotam uxorem, pellicem vel concubinam palam induxerit et retinuerit, aut cum scortis et meretricibus et aliis mulieribus impuram vitam duxerit adeoque impudenter se volutaverit in coeno luxuriae et adulteriis, ut vel ex eo satis constet ipsum ad exercendam liberius libidinem suam se ab honestissimo matrimonii iugo exolvendi causam de industria quaesivisse, poena ultimi supplicii plectendum esse.

Uxor quae separationem obtinuerit, impudiceque postea vixerit et complura adulteria commiserit, aut palam quaestum fecerit, eamdem poenam incurrat.

§ 4. Similiter uxorem, quae, instigante antiquo pacis et pudicitiae hoste, sub praetextu morum, saevitiae, furoris vel insaniae, impotentiae coeundi, maleficii aut alterius canonici impedimenti vel alicuius delicti marito suo obiecti, aut alias quoquomodo suscitatis contra maritum discordiis ac dissidiis, etiam ad id via iuris procedendo, subterfugium obedientiae maritalis improbe exquisierit, et fraenum

ac iugum viri sui excutere seque ab illo eximere procuraverit, aut certe culpa sua marito petendae separationis causam praebuerit, et postea quam a connubiali toro iudicio Ecclesiae separata extiterit, quasi auctoritate legum et iudiciorum suae luxuriae explendae occasionem nacta, se scandalosae et impudicae vitae dederit, et complura ac cum diversis personis adulteria perpetraverit, aut se in praedam adulterorum turpiter commaculandam publice exposuerit, sive palam quaestum fecerit, eadem poena ultimi supplicii puniri volumus.

Uxor quae ex aliquo loco per iudicem sibi assignato aufugerit, et impudice vixerit, eadem poena capitis puniatur.

§ 5. Quod si, pendentibus huiusmodi litibus et controversiis super separatione vel divortio, aut subsecuta, ut praemittitur, tori separatione, uxor ipsa arbitrio iudicis, ad quem spectaverit, in monasterio aliquo monialium aut certe in aliquo tuto et honesto loco, sive apud aliquas probas, honestas et non suspectas personas deposita et collocata fuerit (super quo etiam, ut id magna adhibita cautione et sine aliquo periculo aut suspicione circumspecte fiat, iudicis ipsius conscientiam oneramus), statuimus ut ipsa uxor sic deposita et collocata, si e monasterio, sine licentia sui iudicis, violata clausura, exiverit, sive a custodia et cura vel alio honesto loco sibi per iudicem assignato, temerario ausu aufugerit, et vitam impudicam et inhonestam duxerit, eadem etiam poena plectatur.

Qui ut virginem vel coniugatam cognosceret, patrem aut matrem vel tutorem etc. carcerari fecerit, illamque stupraverit vel adulteraverit, eadem poena plectatur.

§ 6. Praeterea eum, qui ut virginem aliquam aut alienam uxorem stupro sive adulterio corrumpat aut polluat, eius patrem aut matrem, fratrem sive sororem aut maritum aliamve personam, sub cuius cura, tutela, custodia vel potestate illa existit, praetextu cuiusvis causae civilis, criminalis aut mixtae, etiam ad procuratoris fisci instantiam, in carcerem detrudi directe vel indirecte procuraverit, et ea occasione deinde virginem illam sive uxorem alienam stupraverit aut adulteraverit, cum et is quoque, suae pravae concupiscentiae explendae causa, publica legum et magistratuum potestate impudenter abutatur, et sub colore iudicii, innocentes atque incautos opprimat, dicta quoque poena statuimus puniendum.

Parentes aut mariti suas filias vel uxores ad palam lenociose vivendum inducentes, eadem poena puniantur.

§ 7. Ac postremo etiam in patrem, matrem aut virum, qui quaeve suae filiae virginis pudorem aut propriam uxorem in praedam alienae libidinis tradiderit, et re ipsa prostituerit aut induxerit ut contra ius et fas, stupra et adulteria, quaestus aut alia quavis causa, palam exerceat, poena eadem volumus animadverti.

Contra alios adulteros, lenones etc. antiqua iura serventur.

§ 8. Antiquis tamen iuribus contra ceteros adulteros et adulteras, lenones et lenas ac stupra et huiusmodi facinora perpetrantes promulgatis, alias in suo robore permansuris.

Coniugatae palam impudice viventes resipiscant, alioquin poenas praedictas incurrant.

§ 9. Ceterum, quemadmodum hac nostra constitutione in nobis propositum est, ut siquos homines in posterum honestatis ac divinae legis interdum oblivio coeperit, eos saltem supplicii metus a flagitiis sceleribusque deterreat, ita hodie tales nullos esse vehementer optamus. Quod siquae forte sint coniugatae, quae palam impudice ac turpiter vivant, iis novem dumtaxat dierum spatium post huius constitutionis publicationem ad resipiscendum damus, intra quod tempus, si velint redire ad cor, venerabilem fratrem nostrum Iacobum episcopum Portuensem cardinalem Sabellum, nostrum in praedicta Urbe vicarium vel eius vicesgerentem adire debeant, eisque polliceri se deinceps pudicam vitam acturas, et aut cum suis viris cohabitaturas, aut honesto in loco, ubi ab ipsis iudicibus, ut supra dictum est, collocatae seu depositae fuerint, permansuras. Quo termino elapso, contra sic ut supra delinquentes, ad poenas praedictas omnino procedi mandamus.

§ 10. Decernentes sic per quoscumque

Decretum irritans

iudicari debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Iudicum facultas procedendi contra delinquentes.

§ 11. Et nihilominus mandamus universis et singulis dictae Urbis iudicibus ordinariis pro tempore existentibus, quibus contra reos talium criminum aut quoad causas huiusmodi iurisdictio competit vel in futurum competet, ut curent praemissa omnia, iuxta praesentium litterarum continentiam et tenorem, firmiter et inviolate perpetuis futuris temporibus observari, et contra criminosos ac delinquentes praedictos utriusque sexus inquirant et procedant, ac in eos iuxta praemissa culpabiles repertos, praedictis poenis, ut supra dispositum est, animadvertant; contumaces, rebelles et inobedientes, eisque auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestantes per opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ac adhibito, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; dictae Urbis statutis, reformationibus et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, populo Romano vel curialibus aut aliis personis, etiam motu proprio et consistorialiter seu alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, et quibuslibet aliis indulgentiis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset in eisdem nostris litteris mentio specialis, quae omnia nemini volumus adversus praemissa in aliquo suffragari; atque illis ad effectum earumdem praesentium dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut ipsarum praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra illud, habeatur, quae eisdem originalibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Forma et effectus publicandi huius constitutionis.

§ 13. Quodque eædem praesentes ad valvas Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe basilicarum, ac in acie Campi Florae de more publicentur, affixis et dimissis inibi earum exemplis; quodque post decem dies, ab huiusmodi publicatione numerandos, statim incipiant unumquemque arctare, perinde ac si personaliter omnibus intimatae forent, cum non sit verisimile a quoquam id ignorari, quod tam patenter cunctis fuerit intimatum.

Sanctio poenalis.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationis, onerationis, decretorum, mandati, derogationis et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, tertio kalendas novembris, pontificatus nostri anno II.

Pubblicatio.

Anno a nativitate Domini 1586, indictione XIV, die vero III mensis novembris, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Sixti divina providentia Papa V anno II, retroscriptae litterae apostolicae lectae, affixae et publicatae fuerunt, et per aliquod temporis spatium dimissae in valvis seu portis basilicarum san-

cti Ioannis Lateranensis, et sancti Petri principis apostolorum de Urbe, ac Cancellariae Apostolicae, per nos Ioannem Burlurault, et Octavium Tagliettum sanctissimi D. N. Papae cursores, necnon in acie Campi Florae, per eosdem cursores.

Alex. Parabiacus, mag. curs.

Dat. die 30 oct. 1586, pontif. anno II.

LXXI.

Iurisdictio iudicis causarum beneficialis confidentiae et simoniae et cum eis connexitatem habentium, in Romana Curia movendarum, aut per appellationem a iudicibus extra curia introducendarum [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Divina Dei providentia, quae cunctorum fidelium coetum per diversa tribunalia statuit in rectitudine gubernandum, in superno iustitiae throno, meritis licet imparibus constituti, nunc in muneribus et officiis ad ipsius iustitiae cultum instituendis, nunc pro personis idoneis ad illa assumendis et condignis titulis decorandis, aciem nostrae mentis sedulo convertimus, et quae ad officiorum et personarum huiusmodi stabiliendam iurisdictionem salubremque directionem pertinere noscuntur, ne propter varios diversorum iudicum et tribunalium concursus, et varias procedendi formas desuper dubitari contingat, ex pastoralis nostri officii debito constituimus, ac in his eiusdem officii nostri partes favorabiliter impartimur, prout, rerum et causarum circumstantiis debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Pius V causarum confidentialium decisionem sibi reservavit quas postmodum per particularem iudicem decidi consueverunt.

§ 1. Cum itaque alias felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, omnium causarum confidentialium pro tempore movendarum cognitionem et decisionem, ac litterarum apostolicarum a piae memoriae Pio Papa IV [1], etiam prædecessore nostro, super huiusmodi confidentiis emanatarum, executionem sibi et successoribus suis reservaverit; et postmodum, ob varias et continuas pro tempore existentium Romanorum Pontificum in gravissimis et arduissimis totius reipublicae christianae negociis occupationes, causae ipsae in Romana Curia pro tempore motae et introductae, per particularem iudicem, ex delegatione apostolica, audiri, decidi et cognosci consueverint; ipse autem iudex nedum solo Romani Pontificis nutu amovibilis, sed etiam sibi contra ordinarios collatores episcopos et alios superiores praelatos hac confidentiali labe plerumque infectos, procedendi facultas praeclusa existat; qui etiam in huiusmodi causarum prosecutione ut plurimum delegantur diversae simoniacae pravitates et aliae illicitae pactiones, quae licet ex istis confidentiis resultent seu illis mixtae et coniunctae sint, tamen a nonnullis praetenditur eas sub facultatibus praefato iudici concessis minime comprehendi, nec in illis ab ipso, sine speciali Sedis Apostolicae rescripto, posse procedi. Unde fit ut modo ipsius iudicis mutatione, quae interdum contingit, nunc facultatum suarum angustia, ac etiam delinquentium cavillationibus et subterfugiis, eiusdem iudicis auctoritas saepius illudatur, ac ea, quae ad purgandam hac contagione Dei Ecclesiam a dictis praedecessoribus sapientissime sunt sancita, ut plurimum debito effectu careant, in

1 De huiusmodi materiis attende const. IX, *Cum detestabile*, Eugenii IV de Simon. tom. V, pag. 16, const. CII. Pii IV, *Romanum*, tom. VII, pag. 305 atque Pii V const. CXXXI, *Intollerabilis*, tom. VII, pag. 754 cum ibi notatis, ubi constitutiones dictorum Pii IV et Pii V extenduntur ad regnum Galliae.

1 Pii IV et Pii V constitutiones sunt indicatae in nota ad rubricam.

animarum perniciem et scandalum plurimorum.

Erectio officii auditoratus causarum confidentialium.

§ 2. Nos, huiusmodi incommodis, pro nostri pastoralis officii debito, obviare cupientes, operae pretium fore duximus praefati iudicis personam speciali titulo et denominatione decorare, illiusque iurisdictionem ampliare, ut in tribunali suo, tum iudicia tum cetera ad id munus pertinentia perpetuo stabiliantur, ac ad certum debitumque finem ordinentur; necnon litterarum et constitutionum Pii IV et Pii V, praedecessorum huiusmodi, ac praefatorum aliorumque privilegiorum, indultorum, gratiarum et facultatum, pro tempore existenti iudici causarum confidentialium huiusmodi concessarum, ac sententiarum desuper forsan latarum, et inde secutorum quorumcumque tenores, necnon litium et causarum huiusmodi status et merita, nomina et cognomina collitigantium praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, unum officium auditoratus generalis quarumcumque confidentialium, etiam simoniacam pravitatem et quamcumque aliam illicitam pactionem inducentium, seu connexitatem aliquam cum confidentia habentium, rerumque omnium inde resultantium, pro uno generali illarum auditore, qui omnium et singularum causarum huiusmodi ordinarius iudex existat, et officium ipsum ad eius vitam obtinere, illudque in nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis manibus quandocumque resignare licite possit, ad instar aliorum Romanae Curiae et dictae Sedis officiorum vacabilium et resignabilium, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Emolumentorum et reddituum assignatio.

§ 3. Illique sic erecto et instituto, pro illius dote, decimam partem omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum ac etiam distributionum quotidianarum, etiam solis praesentib. et divinis officiis interessentib. dari et per eos percipi solitarum, et aliorum quorumcumque emolumentorum, ac etiam pensionum annuarum, cum interventu confidentiae, vel alias simoniaca aut alia illicita pactione interveniente, seu quae commissis confidentiis aliquam dependentiam vel connexitatem habeat, indebite perceptorum, ad quorum restitutionem quoscumque per ipsius auditoris sententiam condemnari, etiamsi postmodum per alios iudices causam fortasse revideri, et dictam sententiam confirmari seu reformari, ac etiam super quibus, post litem desuper in officio huiusmodi intentatam, quomodolibet componi vel alias concordari contigerit. Necnon omnia et singula alia iura, salaria, regalia et emolumenta quaecumque, ordinaria et extraordinaria, undecumque et quomodocumque provenientia, etiam sportulas vel alio quocumque nomine nuncupata, quae iudices causarum confidentialium huiusmodi in dicta Curia pro tempore deputati quomodolibet et quocumque titulo vel causa habere, consequi, lucrari et percipere consueverunt, seu etiam potuerint ac debuerint, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris fuerint, auctoritate et tenore praesentis, etiam perpetuo, applicamus et appropriamus.

Privilegiorum omnium quae veri familiares Pontificis continuique commensales et praelati domestici, Sedisque Apostolicae notarii habent, concessio.

§ 4. Necnon quod de cetero pro tempore existens auditor praedictus, statim a die concessionis sibi de huiusmodi auditoratus officio, dicta auctoritate factae, sit et esse censeatur noster et pro tempore existentis Romani Pontificis verus, indubitatus et non fictus familiaris, continuus commensalis et praelatus domesticus ac dictae Sedis notarius, aliorumque familiarium, continuorum commen-

salium, nobis et dicto Romano Pontifici in Palatio Apostolico servientium, ac praelatorum domesticorum et eiusdem Sedis notariorum numero et consortio favorabiliter aggregatus, ac pro vero, indubitato et non ficto nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis familiari, continuo commensali et praelato domestico, Sedisque huiusmodi notario haberi et reputari debeat, habituque et insigniis dictorum praelatorum et notariorum per quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam, quam ad hoc duxerit eligendam, sibi, recepto prius ab eo fidelitatis et obedientiae solito iuramento, exhibendis et conferendis, omnibusque et singulis ac prorsus similibus privilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, honoribus, antelationibus, praerogativis, favoribus, indultis, concessionibus et gratiis, tam specialibus quam temporalibus, quibus ceteri nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis veri, indubitati et non ficti familiares, continui commensales ac praelati domestici, dictaeque Sedis notarii, etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum et rochetum notariorum Sedis huiusmodi non deferant, de iure, statuto, usu, consuetudine vel aliquo etiam speciali privilegio aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possint et poterunt quomodolibet in futurum, in iudicio et extra ac ubique locorum, absque aliqua prorsus differentia, non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia, perinde ac si eidem auditori pro tempore existenti specialiter et expresse per praesentes concessa fuissent, sine tamen ipsorum praelatorum domesticorum et notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, potiri et gaudere libere et licite possit et valeat.

Iurisdictionis cognoscendi quascumque causas confidentiales etc. concessio.

§ 5. Ipseque auditor pro tempore existens, omnes et singulas dictarum confidentiarum symoniacam pravitatem vel quamvis aliam illicitam pactionem inducentium seu aliquam dependentiam vel connexitatem habentium, rerumque omnium inde resultantium causas huiusmodi in eadem Curia quomodocumque et qualitercumque, ac per quascumque personas, etiam cardinalatus honore, ac patriarchali, archiepiscopali, episcopali dignitatibus fungentes, etiam per viam inquisitionis, aut ex officio seu apostolica delegatione vel alias quomodolibet motas et movendas, ac etiam quae per viam appellationis a sententiis definitivis vel interlocutoriis vim definitivae habentibus, per quoscumque iudices, ordinarios vel delegatos, ac etiam dictae Sedis legatos vel nuncios pro tempore latis et promulgatis, ad Sedem praefatam pro tempore interpositae, seu reclamationis iudicialis aut nullitatis, ad Sedem eamdem hactenus devolutae sunt vel in posterum devolventur, ita ut causae appellationum huiusmodi per eum solum cognosci, nec alteri, nisi per commissionem in Signatura Gratiae, vocato ipso auditore, propositam, et manu nostra signatam, committi possit, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola veritate inspecta, etiam manu regia, ac terminis substantialibus, qui de stylo seu ordinatione Palatii Apostolici observari consueverunt, penitus omissis, ac etiam quibusvis appellationibus, nullitatibus et aliis diffugiis prorsus semotis, procedendo, una cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, ac etiam toto negotio principali, audiendis, cognoscendis, decidendis, fineque debito terminandis, etiam singulis diebus et horis praeterquam in honorem Dei feriatis; necnon super omnibus et singulis confidentiis, e-

tiam aliquam dependentiam vel connexitatem cum symoniaca vel alia illicita pactione habentibus, seu mixtis huiusmodi, rebusque omnibus inde resultantibus, tam ad procuratoris fiscalis denunciationem et promotionem, quam etiam partium accusationem, seu ex mero officio inquirendi, omnesque et singulas huiusmodi confidentialem et symoniacam pravitatem vel quamvis aliam illicitam pactionem inducentium, seu aliquam dependentiam vel connexitatem habentium, rerumque inde resultantium causas, coram quibusvis iudicibus, etiam Palatii Apostolici causarum auditoribus, inter quascumque personas motas et movendas, ad se et suum tribunal avocandi; ac omnes et singulos dictarum confidentiarum auctores, machinatores, conscios, complices et alios, quos opus fuerit, ac suum quomodolibet interesse putantes, etiam per edictum publicum, si ad eos tutus non pateat accessus, citandi; et constito sibi quantum sufficere videbitur de indiciis, ad personaliter vel alias legitime comparendum, sub excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ac privationis omnium et singulorum beneficiorum et officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa et alia quaecumque in posterum obtinenda, necnon pecuniariis aliisque eius arbitrio, etiam, iuxta demeritorum exigentiam, corporis afflictivis poenis, monendi; eisque ac quibusvis iudicibus, tam ordinariis quam commissariis, etiam quacumque auctoritate fungentibus et functuris, sub similibus sententiis, censuris et poenis, tam in dicta Curia quam extra eam, ubilibet inhibendi, detinentes quoscumque libros, scripturas, computa, instrumenta et alia documenta publica vel privata dictarum confidentiarum, causas etiam, ut praefertur, mixtas quomodolibet concernentia, ad illa exhibenda, necnon quoslibet testes ad se examini subiiciendum, ac veritatis testimonium perhibendum, etiam ex officio vel alias, prout sibi videbitur, per similes censuras et poenas cogendi et compellendi; eosque necnon contradictores quoslibet et rebelles, in sententias, censuras et poenas, etiam privationis huiusmodi, incidisse, servata forma concilii Tridentini, declarandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi; necnon unum locumtenentem in huiusmodi causis, cum simili vel limitata potestate, quoties sibi videbitur, constituendi et deputandi, eumque revocandi, ac alium eius loco subrogandi; necnon litteras seu constitutiones Pii IV et Pii V, praedecessorum huiusmodi, super huiusmodi confidentiis editas, ac omnes et singulas sententias in dictis causis confidentiarum, tam hactenus per earum iudices, qui pro tempore fuerint, latas, quam in posterum per futurum auditorem huiusmodi eiusque successores ac locumtenentes ferendas, via executiva, nulla tela iudiciaria servata, et quacumque appellatione remota, ac alias iuxta litterarum seu constitutionum praefatarum ac etiam facultatum dictis iudicibus per nos et praedecessores nostros quomodolibet concessarum formam, continentiam et tenorem, plenarie et totaliter exequendi et executioni demandandi, mandataque executiva et alia quomodolibet necessaria et opportuna decernendi et relaxandi; ac generaliter omnia et singula alia, quae in praemissis omnibus et singulis quomodolibet necessaria et opportuna fuerint, faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, mandandi, decernendi, statuendi, ordinandi et exequendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem habeat et habere debeat.

§ 6. Et quod officium notariatus earumdem causarum de cetero, perpetuis futu- *Notariatus officii ad auditoratus officium*

praedictum applicatio et concessio.

ris temporibus, ad meram et liberam pro tempore existentis auditoris praedicti dispositionem spectet et pertineat; ipseque pro tempore existens auditor officium notariatus huiusmodi, quod dilectus filius Prosper Vacca, ad hoc a nobis deputatus, ad praesens exercet, cum primum per cessum vel decessum aut privationem vel amotionem dicti Prosperi aut cuiusvis alterius, qui illud pro tempore quomodolibet obtinebit, aut alias quovis modo vacaverit, quibusvis personis, de quibus sibi videbitur, per suas patentes litteras, sigillo officii sui auditoratus, gratis vel pro pretio repetibili concedere et assignare, ac soluta sibi solita compositione resignationis de dicto officio notariatus pro tempore faciendae; necnon personam, cui officium ipsum notariatus pro tempore concesserit et assignaverit, ad illud illiusque liberum exercitium, absque alia nostra et pro tempore existentis Romani Pontificis concessione et assignatione, recipere et admittere, ac per eos, ad quos spectat et pro tempore spectabit, recipi et admitti, ac illi de solitis et consuetis iuribus et emolumentis responderi facere, libere et licite valeat, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo statuimus et ordinamus.

Auditoratus officii, in personam Alexandri Catalani Romani utriusque Signaturae referendarii, cum praedictis iurisdictionib., emolumentis et privilegiis collatio.

§ 7. Insuper de dilecti filii magistri Alexandri Catalani clerici Romani, I. U. D. ac litterarum apostolicarum maioris praesidentiae abbreviatoris, et in utraque signatura nostra referendarii, fide, integritate, probitate et doctrina nobis praecipue in iudicis earumdem causarum munere iam dudum exercendo et obeundo cognita atque perspecta, specialem in Domino fiduciam obtinentes, ipsumque Alexandrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eidem Alexandro officium auditoratus generalis causarum confidentialium vel alias, ut praefertur, mixtarum, a primaeva eius electione vacans huiusmodi, per eum, quoad vixerit, ad instar aliorum officiorum Curiae et Sedis praedictarum, tenendum, regendum et gubernandum, cum decima parte fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum et aliorum emolumentorum ac pensionum indebite perceptorum et percipiendorum huiusmodi, et aliis illi annexis, necnon omnibus et singulis iuribus, regalibus, iocalibus, sportulis, taxis, proventibus, obventionibus, honoribus, emolumentis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, præeminentiis, antelationibus, praerogativis, iurisdictionibus, favoribus, gratiis, indultis, ac de dicto officio notariatus disponendi et illius resignationes admittendi ceterisque facultatibus supradictis, auctoritate et tenore similibus, concedimus et assignamus, ipsumque Alexandrum ad officium auditoratus causarum confidentialium huiusmodi, illiusque liberum exercitium necnon decimam fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum, emolumentorum et pensionum huiusmodi partem, ac iura, regalia, sportulas, taxas, proventus, obventiones, honores, privilegia, facultates ceteraque omnia et singula supradicta ex nunc recipimus et admittimus, ac per eos, ad quos spectat et pro tempore spectabit, recipi et admitti, receptumque et admissum in eis, quoad vixerit, manuteneri, sibique de eisdem integre responderi debere volumus et mandamus, *etc.*

Clausulae praeservativae.

§ 8. Ac easdem praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu, etiam ex eo quod in-

teresse forsan habentes ad id vocati non fuerint, vel ex quavis alia causa, quantumvis legitima et iuridica, etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, minusque sub quibusvis illarum aut similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie, etiam sub quacumque data per Alexandrum eiusque successores praefatos eligenda, reintegratas et de novo concessas, validasque et efficaces fore et esse, vimque validi et efficacis contractus inter nos et Cameram ex una, et Alexandrum eiusque successores praefatos ex altera partibus rite et recte initi et stipulati, ac etiam utrimque iurati, habere et perpetuo obtinere, dictamque Cameram ad Alexandrum et eius successores praefatos in iuribus et aliis praefatis tuendos, et ab omni incommodo, damno, laesione, lite, causa et controversia immunes, indemnes et exemptos conservandos teneri et obligatam esse ac fore.

Decretum irritans.

§ 9. Sicque et non aliter per quoscumque iudices, ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum et defensorum deputatio et facultates.

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Amerino et Marturanensi episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, motu simili, per apostolica scripta, mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Alexandri et eius in officio auditoratus huiusmodi successorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac Alexandrum et successores praefatos illis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos seu eorum quempiam, per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, desuper quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus praemissis et de certo nominatorum praedictorum numero, necnon, quatenus opus sit, recolendae memoriae Symmachi et Innocentii III et Pauli II et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae seu Camerae et Sedis praedictarum non alienandis; aliisque apostolicis ac in provincialibus, synodalibus et generalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, dictaeque Cancellariae regulis, editis et edendis, etiam de gratiis ad instar non concedendis, eiusque et dictae Camerae ac earum officiorum et collegiorum; necnon Urbis

Romae, illiusque tribunalium et curiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stylis, usibus, naturis, stabilimentis et etiam novis reformationibus; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus et litteris apostolicis, illis necnon ordinariis iudicibus et personis supradictis et quibusvis aliis, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum et sanctio poenalis.

§ 12. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, kalendis novembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 nov. 1586, pontif. anno II.

LXXII.

Montis Alti oppidi in provincia Marchiae in civitatem sublimatio; eiusque collegiatae ecclesiae in cathedralem et episcopalem erectio.

Sixtus Papa V ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius erectionis.

Super universas orbis ecclesias, Eo disponente, qui cunctis imperat, et cui omnia obediunt, meritis licet insufficientibus, constituti, levamus in circuitu agri Dominici oculos nostrae mentis, more pervigilis pastoris inspecturi, quid ecclesiarum ipsarum, praesertim cathedralium, statui et decori congruat, et quid operis circa illas earumque statum prosperum et felicem impendi debeat, et divino fulti praesidio, quo cuncta aequa benignitate pro populorum suorum fidelium salute disponuntur, ad ea, quae statui ecclesiarum huiusmodi congruunt, nostri officii partes salubriter et utiliter intendere curamus, prout in Domino conspicimus expedire.

Montis Alti oppidi in multis commendatio et separatio Montis Alti etc. a dioecesi Asculana, Firmana et Ripana.

§ 1. Sane, cupientes terram Montis Alti, Ripanae dioecesis, quae felicem nostris dedit ortum natalibus, ac in celeberrimo et eminenti loco sita, et muris undique cincta est, et in qua saecularis et collegiata ecclesia S. Mariae ad Collem eleganter constructa, et duas dignitates, et decem canonicatus et totidem praebendas ac sacristiam aliaque ad cultum divinum necessaria habens, et duae aliae ecclesiae, una scilicet S. Georgii et S. Petri, et altera Oratorium nuncupata S. Nicolai, in qua confraternitas sub in-

vocatione Sanctissimi Sacramenti canonice instituta reperitur, necnon domus circiter trecentae nobiliter aedificatae ac plateæ lateribus stratae existunt, ac singula quaque quarta feria cuiuslibet hebdomadae emporium, ad quod ex omnibus locis circumvicinis fit magnus concursus, celebratur, et ex qua denique viri et in theologia ac iure et medicina aliisque scientiis excellentes prodierunt; ac saecularem ac collegiatam ecclesiam huiusmodi dignioribus titulis et nominibus decorare, habita super his cum fratribus nostris matura deliberatione, et de illorum consilio, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac eiusdem Beatae Mariae honorem, ac christifidelium devotionis augmentum, praedictam Montis Alti et Porculae ac Patrignonis, necnon Montis de Novem. et Rotellae ac Furciae, a dicta Ripana, necnon Montis Elpari, Communatiae ac Montis Monachi, a Firmana, et denique Castagnoni terrae seu loca aut castra, eorumque omnium territoria, ab Asculana dioecesi, quibus in spiritualibus subiectae sunt, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo separamus et dismembramus, illaque et eorum incolas et habitatores, ecclesiarum rectores, beneficiatos, priores et alia inibi beneficia ecclesiastica obtinentes, ac monasteria et domos fratrum aliaque pia loca ab omni iurisdictione, potestate et subiectione venerabilium fratrum nostrorum Ripanae, Firmanae et Asculanae dioecesum episcoporum, nunc et pro tempore existentium, necnon solutione decimarum eisdem episcopis per eas debitarum, ac de cetero faciendarum, perpetuo eximimus et liberamus.

Erectio in civitatem et episcopatum.

§ 2. Necnon terram Montis Alti in civitatem, et saecularem collegiatam ecclesiam huiusmodi in cathedralem, sub invocatione eadem eiusdem Beatae Mariae Virginis, pro uno episcopo Montis Alti nuncupando, qui iurisdictionem episcopalem habeat et exerceat in spiritualibus, cum mensa episcopali, arca, sigillo aliisque insignibus, honoribus et privilegiis, quibus alii episcopi de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet in eisdem spiritualibus utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere quomodolibet poterunt in futurum, de simili consilio, auctoritate et tenore praemissis, erigimus et instituimus. Ac civitatem et cathedralem ecclesiam sic erectas et institutas necnon episcopum Montis Alti pro tempore existentem ac ipsius ecclesiae Montis Alti capitulum Sedi Apostolicae immediate subiicimus, et sub protectione beatorum Petri et Pauli apostolorum subiicimus.

Dotis pro episcopo assignatio.

§ 3. Eidemque ecclesiae sic in cathedralem erectae et institutae, pro sua seu mensae suae episcopalis dote, monasterium Beatae Mariae de Monte Sancto, Ordinis S. Benedicti, dictae Asculanae dioecesis certo, quem haberi volumus pro expresso, modo vacante, similiter perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; ac silvam seu tenutam Bonettini concedimus, necnon terras et territoria pro dioecesi Montis Alti, illorum vero necnon dictae civitatis Montis Alti, ecclesias, personas pro clero, et habitatores pro populo, etiam perpetuo assignamus; ac eos, quoad superioritatem, iurisdictionem et iura episcopalia Montis Alti subesse, et tamquam membra capiti obsequentes de iuribus episcopalibus responderi volumus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae et sanctio poenalis.

§ 5. Non obstantibus nostris de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac exprimendo vero valore, et de non tollendo iure quaesito; ac Lateranensis concilii novissime cele-

brati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis; ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Ripanae, Firmanae et Asculanae ecclesiarum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris ap., eisdem illarumque praesulibus, capitulis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illarum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, octavo kalendas decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 nov. 1586, pontif. anno II.

LXXIII.

Erectio custodiae S. Gregorii, Ordinis fratrum Minorum de Observantia Discalceatorum nuncupatorum in insulis Philippinis, in provinciam [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Dum ad uberes fructus, quos religiosae personae, praesertim vero fratres Minores de Observantia Discalceati nuncupati custodiae S. Gregorii in insulis Philippinis Indiarum Occidentalium, quasi in agro dominico seduli operarii, ad Dei gloriam et spiritualem salutem populorum, in remotissimis terris degentium et magno a nobis locorum intervallo disiunctorum, assidue sua industria, Deo iuvante, colligunt, convertimus oculos nostrae mentis, dignum, quin potius debitum, reputamus ut ad eorum commodum et propagationem apostolici favoris gratiam benigne impartiamur, eosque amplioribus privilegiis decoremus, praesertim cum id a nobis piis catholicorum regum votis postuletur.

§ 1. Sane carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, tam suo quam dilectorum filiorum custodis et aliorum fratrum custodiae S. Gregorii in insulis praedictis nominibus, nobis exposuit quod alias fratres provinciae Sancti Iosephi eiusdem Ordinis, in regnis Hispaniarum institutae, a qua custodia Sancti Gregorii praedicta dependebat, in capitulo nuper celebrato in oppido de Cadahalso, Toletanae dioecesis, provide considerantes se non posse huiusmodi custodiam, sine notabili sua diminutione, sustinere propter continuas fratrum missiones, quas fere annuatim facere cogebantur, nec religionem in illis partibus propagari, aut novas domus seu conventus fundari et institui posse, nisi custodia praedicta in provinciam erigeretur; decreverunt nobis humiliter supplicare quatenus custodiam praedictam provinciae nomine decorare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: Quibus rationibus custodiam Sancti Gregorii in provinciam erigi petitur.

§ 2. Nos igitur, qui etiam ex dilecti filii Francisci Gonzagae, ministri generalis totius Ordinis de Observantia, insinuatione accepimus propter huiusmodi erectionem nulli praeiudicium inferri, ac custodiae Erectio de qua in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

praedictae patres sub debita regulari observantia magno cum fructu gratum domino famulatum praestare, eos condignis favoribus exornare volentes, necnon ministrum et fratres praedictos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, custodiam S. Gregorii praedictam in provinciam Discalceatorum S. Gregorii in insulis Philippinis de cetero nuncupandam, ita quod deinceps per unum ministrum provincialem, ab ipsius provinciae fratribus in eorum capitulo provinciali, ad instar aliarum provinciarum eiusdem Ordinis, eligendum, sub obedientia tamen ministri generalis totius Ordinis fratrum de Observantia praedictorum, ac commissarii generalis Indiarum in curia regis praedicti pro tempore residentis, atque eorum commissariorum ad praedictam provinciam specialiter deputatorum seu deputandorum, prout sunt et aliae earumdem partium provinciae, regi et gubernari debeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Neo-erectae provinciae ceterarum provinciarum privilegia communicantur.

§ 3. Dictaeque sic erectae provinciae illiusque pro tempore existenti provinciali ministro et singulis fratribus, ut omnibus et quibuscumque privilegiis et facultatibus, immunitatibus et exemptionibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indulgentiis, etiam spiritualibus, quibus ceterae dicti Ordinis provinciæ, hactenus ubilibet institutae et existentes, earumque ministri provinciales et singuli fratres, tam de iure quam consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praefatis, concedimus et elargimur.

Provinciali data facultas novas erigendi domos in Indiis, nonnullis exceptis.

§ 4. Decernentes custodiam praedictam in provinciam sic erectam pro tali haberi, et ut praefertur regi et gubernari deinceps debere; necnon pro tempore existenti dictae provinciae Sancti Gregorii ministro provinciali, ut tam in ipsis insulis Philippinis quam in aliis quibusvis terris et locis Indiarum praedictarum ac regnorum *della China* nuncupatorum, et in quibus conversio gentilium ad fidem catholicam commode curari et tractari poterit, novas domos et conventus pro fratribus dicti Ordinis recipiendis, ad Dei laudem et gloriam, nostra aut Romani Pontificis vel ordinariorum locorum aut cuiusvis alterius licentia minime requisita, fundare et instituere, eosque ad inhabitandum recipere, et fratres in illis introducere libere et licite valeat, facultatem auctoritate et tenore similibus impartimur. Ita tamen ut minister provincialis provinciae noviter erectae huiusmodi a fundatione et institutione novarum domorum et conventuum in Malachan et de Sian ac de Chochin-Chinae regnis sive provinciis et eorum dominiis, necnon in terris illis et locis ad quae dudum dictus Franciscus generalis minister quosdam alios fratres, etiam Minores de Observantia provinciae Portugalliae, seu custodiae Sancti Thomae in Indiis Orientalibus institutae, pro erigenda alia custodia in posterioribus regnis seu provinciis ac eorum dominiis praedictis cum suis patentibus litteris destinavit, cuius commissio et auctoritas salva sit et esse censeatur, omnino abstineat, nec in domibus aut conventibus in civitate Malachan aut locis praedictis iam fundatis et institutis vel cum fratribus et personis in illis degentibus se ullatenus intromittat, aliamve in eas et eos iurisdictionem aut superioritatem exercere praesumat.

Ecclesiae provinciae huius visitantibus propositae indulgentiae.

§ 5. Praeterea universis et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac Sanctissimo Eucharistiae Sacramento refectis, qui aliquam ex ecclesiis provinciae praedictae erectis seu erigendis in duabus anni festivitatibus per provincialem pro tempore specificandis a primis vesperis usque ad occasum solis earumdem festivitatum singulis annis perpetuis futuris temporibus devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, gentilium conversione, haeresum extirpatione, sanctaeque matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id fecerint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 6. Necnon praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod alias provincia illiusque fratres vocati non fuerint, aut erectio huiusmodi extra generale capitulum ipsius Ordinis facta fuerit, notari, impugnari vel alias invalidari nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Gregorii Papae X, in generali concilio Lugdunensi edita, qua expresse cavetur ne cuiusvis Ordinis Mendicantes domos ad inhabitandum de novo recipere valeant absque Sedis Apostolicae licentia speciali, ac aliis diversorum Romanorum Pontificum nostrorum praedecessorum, quod Regulae dicti et cuiusvis Ordinis in partibus huiusmodi transmarinis, praesertim Indiarum, pro tempore degentes sub obedientia ministrorum provincialium provinciarum citeriorum omnino subsint; ac reliquis apostolicis, necnon in aliis etiam generalibus seu provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini illiusque provinciis antiquitus erectis, necnon superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, necnon consistorialiter, et de fratrum nostrorum consilio quomodolibet, in genere vel specie concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; etiam de non erigendo custodiam in provinciam, nisi certum et determinatum domorum sive conventuum numerum contineat. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, seu quaevis alia expressio aut exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV novembris MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 nov. 1586, pont. anno II.

LXXIV.

S. Severini oppidi in provincia Piceni in civitatem sublimatio, eiusque collegiatæ ecclesiæ in cathedralem et episcopalem erectio.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius erectionis.

Superna dispositione, cuius inscrutabili providentia incrementum suscipiunt universa, pro Sedis Apostolicae excellenti præeminentia, dignum arbitramur in irriguo militantis Ecclesiae agro novas episcopales sedes et ecclesias plantare, ut per huiusmodi novam plantationem, singulorum christifidelium augeatur devotio, divinus cultus effloreat, et animarum salus subsequatur, humiliaque loca dignioribus et eminentioribus titulis ac condignis favoribus illustrentur, ut propagatione novæ Sedis honoratique praesulis assistentia et regimine, cum apostolicæ potestatis amplitudine, ac ortodoxae fidei profectu et exaltatione, ipsi christifideles aeternae felicitatis praemium, nostri Redemptoris inaestimabili caritate media, valeant adipisci.

Oppidi Sancti Severini commendatio.

§ 1. Sane, cum oppidum S. Severini in Agro Piceno, Camerinensis dioecesis, inter cetera partium illarum oppida satis insigne ac percelebre, necnon, benedicente Domino, habitatorum ac incolarum multitudine refertum existat, ac dilecti filii, illius universitas et homines, pro eorum ac oppidi huiusmodi necnon eius cleri singulorumque habitatorum et incolarum praedictorum decore et amplitudine, ac divini cultus incremento et animarum salute, oppidum ipsum civitatis nomine et cathedralis ecclesiae honore decorari summopere desiderent; iidemque universitas et homines, pro saecularis collegiatae ecclesiae dicti oppidi, in qua una dignitas, quae inibi principalis dignitas existit, prioratus nuncupata, ac sex canonicatus et totidem praebendae fore noscuntur, si in cathedralem ecclesiam erigeretur, mensae episcopalis dote, redditum annuum seu censum mille scutorum monetae illarum partium, decem iuliis pro quolibet scuto huiusmodi computatis, super molendinis eiusdem oppidi, ad ipsos universitatem et homines legitime spectantibus, assignare parati sint:

Separatio dicti oppidi a dioecesi Camerinensi.

§ 2. Nos, pium et salutare universitatis et hominum propositum et desiderium huiusmodi volentes amplecti illique favere, ac cultum divinum augere, et spirituali animarum profectui huiusmodi, quem exinde speramus provenire, salubriter promovere intendentes, ipsosque universitatem et homines ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, matura super his cum fratribus nostris deliberatione praehabita, necnon universitate et hominibus praefatis nobis super hoc humiliter supplicantibus, de eorumdem fratrum consilio et apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae eius Genitricis Virginis Mariae totiusque curiae coelestis honorem, ac fidei catholicae exaltationem, et habitatorum ac incolarum praedictorum animarum salutem, oppidum praefatum cum illius comitatu et territorio, necnon omnibus et singulis castris, villis, locis, terminis, districtibus, ac clero, personis, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeposituris, praepositatibus et aliis piis locis ac beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et Ordinum quorumcumque regularibus, a dioecesi Ca-

merinensi praedicta, apostolica auctoritate, perpetuo separamus et dismembramus, ac ab omni iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, dominio et potestate venerabilis fratris nostri moderni et pro tempore existentis Camerinensis episcopi, ac dilectorum filiorum capituli ecclesiae Camerinensis eorumque vicariorum et officialium ac quorumcumque aliorum; necnon a solutione quorumvis iurium episcopo et capitulo huiusmodi per oppidi ac singulorum castrorum, villarum, locorum huiusmodi habitatores et incolas, ac clerum, personas, ecclesias, monasteria et alia beneficia huiusmodi, ratione iurisdictionis et superioritatis predictarum, respective debitorum, dicta auctoritate, ac de simili consilio, etiam perpetuo, penitus eximimus et totaliter liberamus.

Oppidi Sancti Severini in civitatem sublimatio, eiusque collegiatae ecclesiae in episcopalem erectio.

§ 3. Necnon oppidum S. Severini praefatum in civitatem S. Severini nuncupandam, ac in ea cathedralem ecclesiam pro uno episcopo S. Severini etiam nuncupando, qui ipsi ecclesiae S. Severini praesideat, ac in illa et civitate praedicta ipsique ecclesiae S. Severini assignanda dioecesi omnia et singula, quae ordinis et iurisdictionis ac cuiuscumque alterius muneris episcopalis sunt, exerceat, cum sede et mensa aliisque insigniis ac iurisdictionibus episcopalibus, necnon privilegiis, immunitatibus et gratiis, quibus aliae cathedrales ecclesiae et earum praesules de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de pari consilio, eadem auctoritate, similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Dioecesis assignatio.

§ 4. Ac oppidum civitatis, et ecclesiam cathedralis, necnon comitatum Sancti Severini huiusmodi ac illius territorium universum dioecesis, incolas vero et habitatores praefatos civium nomine et honore decoramus; eidemque sic erectae ecclesiae S. Severini in cathedralem oppidum praefatum, ut praefertur, in civitatem erectum, pro civitate, et universum comitatum ac illius territorium huiusmodi, cum omnibus illius castris, villis, locis et districtibus per eosdem universitatem et homines specificandis et statuendis, pro dioecesi ipsarum civitatis et dioecesis S. Severini et habitatores pro clero et populo concedimus et assignamus.

Dotis seu annui redditus scutorum mille pro episcopo assignatio.

§ 5. Necnon dictae ecclesiae S. Severini mensae episcopali, pro illius dote, redditum annuum seu censum mille scutorum huiusmodi, per ipsos universitatem et homines, ut praefertur, assignandum, ex nunc prout ex tunc et e contra, postquam assignatus fuerit, pariter perpetuo applicamus et appropriamus, ac S. Severini, aliaque eiusdem comitatus, oppidi et comitatum ipsum, singulaque illius castra, villas, loca, territorium, clerum et populum huiusmodi eidem episcopo Sancti Severini, qui pro tempore fuerit, quoad omnem ordinariam iurisdictionem et superioritatem, perpetuo subiicimus.

Privilegiorum concessio.

§ 6. Et insuper capitulo, clero, civitati et dioecesi S. Severini huiusmodi, ipsarumque civitatis et dioecesis incolis et habitatoribus, ac eorum singulis, ut omnibus et etiam singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, favoribus et indultis, quibus aliarum ecclesiarum cathedralium capitula, aliaeque civitates et dioeceses, ac eorum clerus, incolae et habitatores utuntur et potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere quomodolibet poterunt in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate praedicta indulgemus.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum, anno

Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, VI kalendas decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 nov. 1586, pontif. anno II.

LXXV.

Divisio Burgi a regione Pontis et Transtyberim, et erectio illius in regionem Castelli S. Angeli nuncupatam 1.

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Sixtus Pp. animum suum ad exornandum Burgum S. Petri paratum ostendit;

§ 1. Ut primum potestas data est augendae atque ampliandae dignitatis Burgi Urbis nostrae, in quo beatus Petrus, apostolorum princeps, sibi et successoribus suis Romanis Pontificibus hanc sanctam Apostolicam Sedem, cui summa Dei benignitate praesumus, collocavit, nihil profecto praetermisimus in eo ornando atque honestando, quod vel ad honorificandum gloriosissimum Domini nostri Iesu Christi nomen, aut ad excolendam in cordibus nostris durissimae Passionis suae memoriam spectaret. Id autem ex eo potissimum cognosci potest, quod nuper sacratissimam eius crucem, non sine ingentibus nostris et Camerae Apostolicae sumptibus, tametsi maxima cum spirituali non solum nostra et Romanorum civium consolatione, sed etiam cum incredibili universi fere christiani populi gaudio, in emporio, olim superstitionum ethnicarum sordibus contaminato, nunc caelestium benedictionum et indulgentiarum muneribus refertissimo obelisco, ad Dei omnipotentis gloriam et huius nostrae Urbis insigne ornamentum extolli curavimus.

Ideo causa illum a ceteris burgis separandum ducit;

§ 2. Quare nos, in praesentiarum consentaneum ac decens arbitrantes ipsum Burgum, quod nedum ipsius Urbis compendium, verum etiam nova propemodum civitas dici potest, tum propter augustissimam eiusdem Beati Petri basilicam, tum propter eximia et praeclara quae inibi existunt aedificia, quaeque nova in dies extruuntur, tum propter munitissimam nostram Sancti Angeli arcem, in qua aerarium publicum, ingenti pecunia a nobis auctum, conditur et asservatur, ab aliis tresdecim eiusdem Urbis regionibus distingui et seiungi, et in peculiarem et propriam regionem erigi atque ascisci.

Et in regionem decimam quartam erigit, dato proprio stemmate;

§ 3. Motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, Burgum ipsum cum praedicta S. Angeli arce, a regione Pontis ex uno, ex altero vero lateribus a regione Transtyberim, quibus prius suberat, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo seiungimus, dividimus et separamus, ita ut Pontis regio intra cancellos ipsius Pontis, Transtyberim autem regio usque ad portam Sancti Spiritus, vulgo Portones nuncupatam, exclusive terminetur et concludatur; illudque sic divisum, seiunctum et separatum in decimam quartam regionem, sicut antiquitus ipsa Urbs, quod in consesso est, ex decima quarta regione constabat, cum vexillo, cui pro suo stemmate et insigni leo anteriori pede dextero stellam super tribus montibus sustinens, uti vigilantissimus sacri thesauri custos, reliqua vero posteriore corporis parte aeneæ capsae innixus, iuxta exemplar quod praesentibus insertum demonstratur, cohereat', erigimus, creamus et instituimus, ac titulo et nomine regionis Castelli Sancti Angeli perpetuo insignimus et decoramus.

Aliarum regionum privilegia ei concedit;

§ 4. Necnon eidem regioni Castelli sic erectae, creatae et institutae huiusmodi, ac illius pro tempore existenti praefecto, qui caput regionis Castelli nuncupabitur, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, gratiis, favoribus, præeminentiis et honoribus, quibus aliae tresdecim regiones huiusmodi gaudent,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

fruuntur et potiuntur, ac gaudere, frui potirique poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter et aeque principaliter uti, frui et potiri ac gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis de speciali gratia indulgemus.

Secus attentanda irritat.

§ 5. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Camerae Apostolicae et populi Romani officialibus data commissio praedicta exequendi.

§ 6. Ac insuper mandantes in virtute sanctae obedientiae, ac sub nostro et successorum nostrorum arbitrio imponendis poenis, dilectis filiis tam modernis quam pro tempore existentibus Camerae Apostolicae camerario, vicecamerario, thesaurario generali, clericis et aliis eiusdem Camerae officialibus, necnon praedictae Urbis nostrae conservatoribus, priori et aliis eiusdem populi Romani ministris, ut dicto praefecto seu capiti regionis Castelli, aut pro eo praedicti populi Romani camerario de omnibus et singulis salariis, provisionibus, regaliis aliisque emolumentis, quocumque nomine nuncupatis, solitis tamen et consuetis, respondeant et responderi faciant, eisdem modo et forma, ac in omnibus et per omnia, prout aliis capitibus regionum praedictarum, seu pro eis eiusdem populi Romani camerario, per supradictos officiales et ministros de eis responderi usque ad praesentem diem solitum et consuetum fuit.

Obstantium derogatio.

§ 7. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae Urbis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque et indultis, eidem Urbi ac illius senatori, conservatoribus ac quibusvis aliis officialibus et personis, sub quibuscumque formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros Sedemque Apostolicam concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I decembris MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 dec. 1586, pontif. anno II.

LXXVI.

De S. R. E. cardinalium creandorum praestantia, numero, ordine, aetate et qualitatibus, et de optione sex cathedralium ecclesiarum quae cardinalibus conferuntur.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pontifex est verus Christi vicarius, cardinales apostolorum personas repraesentant, et sunt Pontificis consiliarii et coadiutores, et pro exaltatione catholicae religionis sanguinem et spiritum effundere debent.

Postquam verus ille atque aeternus Pastor et Episcopus animarum Christus Dominus ad gubernandam universalem Ecclesiam, quam suo pretioso Sanguine acquisivit, apostolorum principi B. Petro coelestis simul ac terrenae tradidit plenitudinem potestatis, eique suas in terris vices commisit, sicut in cathedra ipsius Petri successor et verus Christi vicarius, Romanus Pontifex, divina præordinatione, eiusdem supremae apostolicae dignitatis fastigium et locum in terris tenet, ita etiam sacrosanctae Romanae Ecclesiae cardinales repraesentantes personas sanctorum apostolorum, dum Christo Salvatori regnum Dei praedicanti atque humanae salutis mysterium operanti ministrarent, eidem Pontifici in executione sacerdotalis officii, et in dirigenda ipsa Ecclesia catholica, cui præest, consiliarii et coadiutores assistunt, quasi oculi et aures ac nobilissimae sacri capitis partes, et prae-

cipua illius membra a Spiritu Sancto constituta, qui in hac ipsa ecclesiastica hierarchia, divina dispositione, instar illius caelestis, cui ex altera parte respondet, ordinata, ad altissimum gradum evecti, cum ipso Romano Pontifice communi patre ac pastore, ad quem ex omnibus undique gentibus ac nationibus in gravissimis maximeque arduis rebus fideles omnium generum, omnium ordinum, summi, et infimi, quotidie confluunt, tanti ponderis molem atque onus populorum sustineant, et pro animarum salute, pro fide, pro iustitia, pro unitate assidue invigilent ac laborent; qui circa ipsum universali Ecclesiae serviendo, singularum ecclesiarum commoditatibus se impendant, quorum consilio idem Pontifex agenda disponat, quorum opera, et necessaria et plurimum fructuosa universae reipublicae christianae in secundis rebus ornamento et commodo, in dubiis praesidio et adiumento esse possit. Qui denique pro exaltatione catholicae religionis, pro pace et quiete christiani populi, pro augmento et honore sanctae Sedis Apostolicae sanguinem, si ita res ferat, et spiritum constanter effundant.

Pontifex igitur viros optimos et lectissimos cardinales creare debet.

§ 1. Cum itaque ipsi veri cardines sint, et clarissima Ecclesiae lumina, templi Dei bases, firmamenta et columina christianae reipublicae, singulari quadam pietate ac doctrina, nec vulgari aut mediocri, sed insigni atque eximia virtute abundare debent, ut, quam gerunt, personam digne et honorifice valeant substinere. Ac quemadmodum praecipuae sunt partes summi Romani praesulis in iis asciscendis exquisitam adhibere diligentiam, et accurata circumspectione providere ut viri optimi ac lectissimi assumantur, et vel in hoc potissimum necessitati atque utilitati totius Ecclesiae sibi commissae consulatur, ita etiam praelati ceteraeque personae ecclesiasticae ad tantae dignitatis sublimitatem promovendi, anteactae vitae laude atque excellenti quadam et rara meritorum commendatione prae ceteris fulgeant, necesse est ut hoc amplissimo honore digni habeantur. Siquidem eorum vita ac mores ceteris exemplo esse debent, verba et responsa pro oraculis, monita ac praecepta ab universis christianis regulae et norma recte vivendi recteque sentiendi existimantur, ab iis quasi sapientissimis magistris ecclesiasticae disciplinae forma suscipitur, quae ad mores vitamque cunctorum fidelium componendos longe lateque diffusa propagetur. Ipsi denique vere sunt sal terrae, ac lucernae positae super candelabrum, ut inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram discernant, ac doctrinae opportunitate et veritate, infirma confirment, disrupta consolident, depravata convertant, luceant omnibus qui in domo Domini habitant, ac primae huic Sedi assistentes, cunctos pastores, dum in gravioribus negotiis eamdem Sedem consulunt, eiusve opem implorant, suo iudicio, consilio et auctoritate instruere, dirigere ac docere non cessent. Ceterum, cum non solum ad eos spectet plurima et maxima momenti negotia et causas, quae eis in dies committuntur, praeclara fide et prudentia cognoscere, ac legationibus in provinciis gubernandis, et in gravioribus rebus saepius ad reges et imperatores perfungi:

Praesertim quia ex collegio cardinalium creandus est Summus Pontifex.

§ 2. Sed, quod omnium caput et summa est, ex eorum corpore, numero et collegio ille ipse, qui cunctis pastoribus est praeficiendus, ac totius Dominici gregis curam habiturus, Summus Pontifex, deligatur, iidemque illum suis suffragiis creent, qui tunc demum publico bono christiani populi, optimus sine ulla dubitatione existet, si e numero et suffragiis bonorum deligetur. In hac sacra electione censendi sunt veri interpretes atque inter-

nuntii voluntatis Dei, cuius spiritu sicut universum Ecclesiae corpus sanctificatur et regitur, ita maxime hoc totum huiusmodi electionis opus eiusdem afflatu et instinctu absolvi certissimum est atque omnibus exploratum, ut vel ex hoc ipso perspici possit quanta in eis requiratur puritas et sinceritas ab omni carnis affectu, privatorum commodorum cura et factionum studiis aliena, quorum pectora et voces, templa et organa futura sint Spiritus Sancti, et ex quibus quasi seminibus is sit proditurus, in quem totius apostolicae potestatis plenitudo, Deo annuente, merito conferatur.

Ideo hanc desuper edit constitutionem, videlicet:

§ 3. Quapropter, ut tanti muneris amplitudo ea, qua decet, observantia et admiratione apud cunctos mortales honoretur, et in quos ob celsitudinem gradus, omnium oculi, omnium ora convertuntur, in eis summae dignitati par claritas et splendor eluceat, atque in eis glorificetur Deus, honorificetur sacerdotale ministerium, et animae fidelium laetificentur, certe sacris amplissimis huius honoris insignibus ii demum decorandi videntur, qui eximia eruditione, innocentia ac sanctitate et omni virtutum genere a vero solidorum bonorum largitore Deo supra ceteros fuerint illustrati. Proinde nos, postquam placuit divinae bonitati imbecillitatem nostram ad summi apostolatus apicem vocare, inter ceteras, quas pro bono universalis Ecclesiae, his maxime turbulentis temporibus, dies noctesque suscipimus curas et cogitationes, hanc ipsam pontificia nostra sollicitudine dignissimam iudicavimus, ut ad communem salutem et profectum christiani populi nostrae curae crediti, ac ad ipsius sanctae Romanae Ecclesiae decus et ornamentum circa cardinalium electionem atque assumptionem, tam a praedecessoribus nostris quam a nobis hactenus editas sanctiones et decreta expenderemus; in quibus, licet pleraque salubriter ac prudenter disposita et ordinata fuerint, quia tamen res humanae facile in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas assidue renovet atque conservet, easdem illas sanctiones et decreta partim innovando, partim declarando, partim pro rerum et temporum exigentia supplendo et in melius reformando, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem fratrum consilio et unanimi consensu, hanc nostram perpetuo valituram constitutionem duximus promulgandam, qua et nosmetipsos in re tam gravi nostri muneris admonemus, et quam nobis legem imponimus, eamdem nostris successoribus indicamus, quos et sui officii non immemores fore confidimus, et se aliquando in districto ac tremendo Dei iudicio suae villicationis rationem esse reddituros, Apostolo dicente: *Omnes stabimus ante tribunal Christi; et unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.*

Cardinales non sint plures quam septuaginta, et electio promovendorum ultra hunc numerum nulla sit;

§ 4. Primum igitur cum, ita exposcente rerum ac temporum qualitate et occasione, recessum fuerit a veteri illo more admodum paucos viros in sacrum collegium adscribendi, iamque plures nostra aetate cardinales, quam antiquitus in ipsum collegium cooptari consueverint, tum ut iuxta generalis concilii Tridentini decretum omnium christianitatis nationum ratio habeatur, tum quia in eodem collegio multi, quae est humani corporis infirmitas, senectute vel morbis frequenter gravati, haud commode tanto oneri assidue substinendo sufficere queunt; ut in hoc moderatio congrua adhibeatur, et certi limites praescribantur, ne vel ad veterem illam paucitatem eos redigamus, vel rursus eorum honor nimia ac superflua numerositate vilescat, quod interdum et nos ipsi, dum in minoribus essemus,

vidimus et experti sumus. Ac, ut veteris synagogæ figura sanctae et Apostolicae Ecclesiae veritati respondeat, sequi cupientes mandatum Domini factum ad Moysen, de congregandis septuaginta viris de senibus Israël, quos nosset senes populi esse et magistros, ut secum onus populi sustentarent, et non ipse solus gravaretur, super quos ad ostium tabernaculi ductos, loquente Domino, Spiritus requievit: de praedictorum fratrum nostrorum consilio, perpetuo statuimus et ordinamus ut in posterum, connumeratis omnibus cuiusque ordinis episcopis, presbyteris et diaconis cardinalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum septuaginta nullo umquam tempore excedant, ac talis numerus quovis praetextu, occasione vel causa, etiam urgentissima, minime augeatur. Quod si unum vel plures a nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice in futurum ultra dictum numerum eligi in cardinalem aut creari aut pronunciari contigerit, decernimus huiusmodi electionem, creationem et pronunciationem nullam, irritam et inanem fore et censendam esse, nullumque ius seu titulum re aut nomine sic electo seu electis acquiri, neque eorum quemquam pro cardinali haberi aut reputari posse aut debere, neque dictam electionem, creationem, pronunciationem, ab initio invalidam et ultra numerum factam, si postea ad praescriptum numerum, moriente uno vel pluribus cardinalibus, ipsum collegium redigatur, propterea ex post facto convalescere, sed uti a principio, sic deinceps in perpetuum nullius fore roboris vel momenti.

Sintque ex eis episcopi sex, presbyteri L et diaconi xiv;

§ 5. Quoniam vero iam inde ab antiquissimis etiam apostolorum temporibus diaconorum ordo ad inserviendum et ministrandum in Ecclesia Dei ex magna providentia dignoscitur institutus, et pro temporum varietate modo maior, modo minor numerus esse consuevit, ita ut aliquando septem, interdum quatuordecim, quandoque vero decem et octo diaconi fuerint, et tamen hoc tempore tum propter eorum parvum numerum, tum propter aliquorum absentiam a Romana Curia, adeo pauci reperiantur ut eorum officio satisfacere nequeant; immo saepius presbyteri cardinales loco diaconorum, contra patrum instituta, Pontifici assistere et ministrare cogantur; idcirco statuimus ut ex praedicto numero cardinalium, diaconi quatuordecim, reliqui omnes, praeter sex episcopos, presbyteri sint et esse debeant.

Diaconi cardinales non sint minores xxii, et infra annum ad ordinem diaconatus promoveri debent, alias voce carent activa et passiva;

§ 6. Neque posthac quispiam in diaconum cardinalem assumi possit, nisi saltem in vigesimo secundo suae aetatis anno fuerit constitutus, ita ut omnino intra annum ad sacrum diaconatus ordinem valeat et debeat promoveri, alioquin si, anno elapso, ad ipsum diaconatus ordinem promotus non fuerit, eo ipso tam in consistorialibus et omnibus aliis actibus et negotiis cardinalitiis, quam etiam iuxta constitutionem felicis recordationis Pii Papae quarti, praedecessoris nostri, super reformatione conclavis editam, in electione Romani Pontificis voce activa et passiva omnino careat, ac privatus existat.

Diaconi ex fervore devotionis ad presbyteratum promoti, remaneant inter diaconos, quousque ex cardinalibus de novo creandis suppleatur numerus xiv diaconorum;

§ 7. Diaconorum autem numerus sic praefinitus perpetuo retineatur, ac diaconi in eodem ordine semper remaneant; et si qui eorum ex devotionis fervore ad presbyteratus ordinem promoti fuerint, semper tamen in eodem diaconatus ordine et officio ministrent, et suum locum inter diaconos cardinales teneant, donec ex cardinalibus de novo creandis sive eligendis, alii diaconi praedictum numerum suppleant, et in eorum locum subrogentur ac substituantur. Quo casu antiquiores diaconi ad presbyteratus ordinem

promoti, ad presbyteros cardinales transire atque inter eos sedere valeant et connumerari.

Diaconorum prior aut sequens, si sit legitimae aetatis, in quarta vacatione sex ecclesiarum episcopal., promoveatur ad ecclesiam vacantem, et in aliis tribus vacantiis antiquior promoveatur presbyter.

§ 8. Ut vero diaconos cardinales, qui in sua vocatione permanserint, et in ministerio ordinis sui perseveraverint, maioribus honoribus prosequamur, volumus ut cum aliquam ex sex cathedralibus ecclesiis, quibus episcopi cardinales praesunt, primo, secundo et tertio per obitum vel translationem aut alias pro tempore vacare contigerit, antiquior quidem presbyter cardinalis praesens, salvo cuique episcopo cardinali iure transeundi ad eam, dimissa priore cui præerat, ut moris est, promoveatur; sed ubi post tres vacationes, tres itidem ex ipsis presbyteris cardinalibus in episcopos praefecti fuerint, tunc si quarta alicuius harum ecclesiarum vacatio contigerit, excluso, ea tantum vice, antiquiore presbytero, prior diaconorum cardinalium, qui praesens fuerit et in aetate legitima constitutus, vel si ille noluerit aut nequiverit assumi, sequens diaconus eisdem qualitatibus prædilus, ad eam promoveatur; et ita deinceps in huiusmodi vacationibus sex ecclesiarum praedictarum perpetuo observetur, ut post tres presbyterorum ad dictas ecclesias promotiones, quarta occurrente vacatione, prior diaconorum aut sequens, ut praefertur, in episcopum praeficiatur.

Inter LXX cardinales praefatos assumantur saltem quatuor magistri in theologia;

§ 9. Inter hos septuaginta cardinales, praeter egregios utriusque iuris aut decretorum doctores, non desint aliquot insignes viri in sacra theologia magistri, praesertim ex regularibus et Mendicantium Ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores.

Creari possint cardinales in diebus ieiuniorum mensis decembris dumtaxat;

§ 10. Antiquum vero Clementis, Anacleti, Evaristi, Alexandri et aliorum sanctorum Pontificum praedecessorum nostrorum morem, per sexcentos et amplius annos continuata serie observatum, sequi volentes, ac decretum alias per nos in nostro consistorio editum innovantes, perpetuo sancimus tempus creandorum cardinalium seu promotionis ad cardinalatus honorem faciendae, mense decembri dumtaxat, in ipsis temporibus seu diebus ieiuniorum et non aliis, esse debere.

Promoveanturque idonei ex omnibus nationibus christianitatis quantum commode fieri poterit;

§ 11. Ut autem ipsi cardinales in regimine universalis Ecclesiae nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici utiliter assistere valeant, ac de omnibus christianorum regnorum provinciarumque moribus, rebus et negotiis prompte et fideliter certa ab eis notitia, pro rerum emergentium opportunitate, habeatur, praedicti concilii Tridentini decreto inhaerentes, statuimus ut ex omnibus christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, idonei assumantur.

Illegitimi, etiam per subsequens matrimonium legitimati, aut super defectu natalium auctoritate apostolica consecuti dispensationem, inhabiles sint ad cardinalatum,

§ 12. Praeterea, qui cardinales creandi erunt, legitimis et honestis sint exorti natalibus, neque ulla prorsus labe aut illegitimorum natalium suspicione quovis modo laborent, sed omni macula et impuritate careant; alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum penitus inhabiles et illius incapaces sint et esse censeantur. Quocirca considerantes quod, licet tanta sit vis et efficacia Sacramenti Matrimonii, quod, Apostolo teste, magnum est in Christo et in Ecclesia, ut qui antea geniti erant, ex soluto et soluta, inter quos rite matrimonium constare poterat, post illud contractum legitimi habeantur, in nonnullis tamen provinciis et dominiis nobilitatis privilegiis non gaudent, nec ad saecularia officia, honores et dignitates neque ad nobilium feudorum et statuum successiones admittuntur, quodque multo magis indecorum videretur, et ab Apostolicae Sedis dignitate alienum, si huiusmodi illegitimi, per sequens matrimonium, ut praefertur, legitimati, in cardinales assumerentur, ac cardinalatus celsitudo et splendor, qui dignitati regiae comparatur, facile deprimi, commaculari

aut quodammodo inobscurari posset. Ideo, ut puriori dignitati puriores natales respondeant, quoscumque illegitime natos, quorumvis, etiam magnorum principum, etiam ducali aut maiori, etiam regia et imperiali auctoritate fulgentium, filios, quocumque gradu, dignitate et præeminentia praeditos, etiam genitos ex soluto et soluta, inter quos tunc matrimonium constare poterat, ac postea per subsequens matrimonium, etiam rite et solemniter in facie Ecclesiae contractum, vel alias legitimatos et quomodolibet habilitatos et natalibus restitutos ac quorumvis bonorum capaces effectos, etiam si cum eis, ut hanc ipsam dignitatem obtinere valeant, super defectu natalium fuerit expresse et in specie auctoritate apostolica quomodolibet dispensatum; nihilominus praedictae cardinalatus dignitatis prorsus incapaces, et ad eam obtinendam perpetuo inhabiles decernimus ac declaramus.

Non secus ac qui ad sacros ordines promoveri non possunt;

§ 13. Sed et insuper prohibemus ne ii, quos propter defectus, vitia aut impedimenta quaecumque ad sacros ordines secundum canonicas sanctiones promoveri fas non est, etiamsi cum ipsis dicta auctoritate apostolica fuerit dispensatum, neve alicuius criminis aut infamiae nota respersi, in cardinales ullo umquam tempore assumantur.

Promovendi ad cardinalatum doctrina, vitae probitate et aliis qualitatibus a iure requisitis praestare debent;

§ 14. Ceterum, ut non solum honore, sed etiam re ipsa cardines sint, super quibus ostia universalis Ecclesiae tuto nitantur, divinaque et humana ministeria sibi commissa utilius exequi possint, statuimus ut lectissimi et praecellentes viri in ipsum collegium adscribantur, et quorum vitae probitas, morum candor, praestans doctrina et eruditio, eximia pietas et erga salutem animarum ardens studium et zelus, in dandis consiliis sincera fides et integritas, in rebus gerendis singularis prudentia, constantia et auctoritas et aliae qualitates a iure requisitae, tam ipsi pontifici quam universo collegio cognitae et probatae sint.

Clericali etiam charactere insigniti, et in IV minoribus ordinibus constituti, per annum saltem ante promotionem habitum et tonsuram gerere teneantur.

§ 15. Ac proinde, ne homines sacrarum rerum plane imperiti et rudes atque ecclesiasticarum functionum ignari, quasi in Ecclesia Dei hospites et peregrini, statim huiusmodi muneri praeficiantur, iuxta decretum iam pridem a nobis in praedicto consistorio nostro sancitum, quod pariter harum serie innovamus, districte interdicimus ne quis ullatenus ad cardinalatus honorem assumi queat, nisi qui, antea clericali charactere insignitus, et in quatuor minoribus ordinibus constitutus, per annum saltem habitum et tonsuram gestaverit clericalem.

Filium utriuslibet sexus, etiam ex legitimo matrimonio vel ex eo nepotem habentes, promoveri nequeunt ad cardinalatum.

§ 16. Cum autem ad hunc honorem adeo sublimem promovendi omni virtutum, et præsertim castimoniæ laude, supra ceteros plurimum eminere debeant; qui vero filios, etiam legitimos, ex uxore sua alias dignoscitur suscepisse, certum nequeat suae testimonium continentiae exhibere, et pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propensione feratur, verendumque sit ne propterea variis propriae domus negotiis ac multiplici liberorum cura distractus, Ecclesiae negotia sibi credita aut negligenter tractet aut minus sollicite et fideliter, quam par est, eiusdem Ecclesiae iura tueatur; prohibemus ne aliquis, qui utriuslibet sexus filium seu filios, etiam ex legitimo matrimonio susceptos, vel nepotem seu nepotes ex eis habeat, ullatenus in cardinalem assumi aut promoveri possit.

Frater, etiam ex uno parente germanus, vel patruelis consobrinus aut amitinus alicuius cardin. viventis, card. esse non possit.

§ 17. Insuper, ut factionum fomitem et simultatum ansam ex sacro hoc coetu, quantum cum Domino possumus, amputemus, decretum piae memoriae Iulii Papae III, praedecessoris nostri, in sacro olim consistorio editum, approbantes et declarantes, similiter perpetuo interdicimus ne ullo umquam tempore assumatur

aliquis posthac in eiusdem S. R. E. cardinalem, qui frater ex utroque vel alterutro parente germanus existat alterius cardinalis viventis, ita ut eodem tempore duo fratres germani in eodem collegio nullatenus esse possint. Quinimmo, idem decretum extendentes et ampliantes, prohibemus quoque ne, patruele, vel amitino aut consobrino cardinale vivente, alter eius patruelis vel amitinus aut consobrinus ad cardinalatum valeat promoveri.

Patruus aut avunculus nepotis ex fratre vel sorore cardinalis viventis prohibentur assumi ad cardinal. et e converso talis nepos patrui et avunculi.

§ 18. Sed et pari ratione sancimus ne patruo aut avunculo cardinali vivente eius ex fratre vel sorore nepos, nec rursus nepote ex fratre vel sorore cardinali existente, illius patruus aut avunculus, nec ullus denique alius, qui primo aut secundo tantum consanguinitatis gradu alicui cardinali viventi coniunctus sit, quamdiu is vixerit, in cardinalem assumi possit. Ita ut omnes et singuli praedicti, tam pater filios aut nepotes habens, quam fratres germani, patrueles, amitini, consobrini, patruus, avunculus, nepos ex fratre vel sorore, et quivis ut supra primo aut secundo gradu coniunctus alter altero cardinali vivente, ad cardinalatum inhabiles, et illius incapaces sint et censeantur; neque eorum aliquis cardinalis creari valeat; neque adversus hanc prohibitionem ex quacumque, etiam urgentissima, causa cum eis liceat dispensari. Et nihilominus electio, creatio ac promotio cardinalium huiusmodi contra praesentem prohibitionem aut interdictum facta et attentata, nulla, irrita et inanis sit eo ipso, ac cum omnibus inde secutis nullius sit roboris vel momenti.

Absentes a Curia ad cardinal. promovendi, creari debent, adiecta conditione ut infra annum Apostolorum limina visitare teneantur, et ante consignationem biretti rubri eis a Pontifice transmittendi, id facere iurent et observent; alias cardinalatus honore privati censeantur.

§ 19. Postremo, attendentes proprium esse eorumdem cardinalium munus assistere, ut praemittitur, Christi in terris vicario, eique in regenda Ecclesia catholica consilium et operam assidue praestare, atque cum eo Ecclesiae necessitatibus providere, ipsosque tum ad id ex ipsius officii debito, tum ex sanctorum patrum decretis teneri, ac propterea absurdum esse cardinales procul ab ipso Pontifice vitam agere, et locum mansionemque suam in Ecclesia Dei adeo praecelsam contra huiusmodi officii debitum et in suarum perniciem animarum negligere ac deserere; inhaerentes decreto similiter a nobis in consistorio nostro dudum desuper promulgato, de eorumdem fratrum consilio, statuimus et ordinamus ne quis in posterum a Romana Curia absens cardinalis creetur aut pronuncietur, nisi hac adiecta conditione ut intra annum in Romanam Curiam venire et Apostolorum limina visitare teneatur; necnon, antequam biretum rubrum, quod a Romano Pontifice de more benedici ac per certum nuncium mitti solet, ei tradatur, illiusve capiti imponatur, iuret in manibus personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae, cui id negocii datum fuerit, se intra annum a die praestiti iuramenti numerandum, omni mora postposita et impedimento remoto, ad Urbem vel alio ubi Romana Curia eo tempore fuerit, personaliter adventurum, ut sistat se nobis aut pro tempore existenti Romano Pontifici, et sanctae Sedi Apostolicae, cuius obsequiis erit adscriptus, et quamdiu ipsi Pontifici visum fuerit, muneri suo incumbat: atque ita de legibus, moribus, consuetudinibus ac toto statu eiusdem Sedis plene instruatur, atque ad ecclesiae seu provinciae, cui forsan praeerit, necessitates sublevandas, abusus tollendos, mores reformandos, ecclesiasticam disciplinam, siqua ex parte labefacta fuerit, restituendam, opportuna et salutaria consilia ab ipsius Pontificis paterna caritate, sapientia et vigilantia recipiat, et pro viribus exequatur. Cuius quidem iuramenti, postquam per eum praestitum fuerit, publicum inde instrumentum conficiatur, et in forma authentica ad nos vel nostri pro tempore

successorem, nulla interposita mora, transmittatur. Quod si forte id iurare recusaverit, volumus ut biretum rubrum ei omnino denegetur, ac nequaquam tradatur, sed ipso facto, absque alia declaratione vel decreto, cardinalatus honore privatus existat, atque habeatur, in omnibus et per omnia, ac si numquam in cardinalem assumptus vel promotus fuisset. Inhabilis quoque ad eamdem dignitatem postea obtinendam et illius incapax efficiatur. Sin autem iuret ac biretum rubrum accipiat, sed tamen postea ad Urbem et Romanam Curiam, ut praefertur, intra annum a die praestiti iuramenti non comparuerit, tunc pariter, absque alia declaratione, cardinalatus dignitate, officio, titulo, denominatione atque omnibus et quibuscumque illius insignibus, facultatibus, privilegiis aut auctoritatibus careat eo ipso, et perpetuo privatus sit et esse censeatur, perinde ac si numquam inter cardinales cooptatus fuisset, nec biretum rubrum accepisset. Quod quidem biretum post id tempus confestim deponere omnino teneatur.

Decretum irritans.

§ 20. Decernentes sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et ipsos S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuique quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 21. Non obstantibus apostolicis ac in generalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, etiam certum alium eorumdem cardinalium numerum praescribentibus, aut alias super praemissis disponentibus, quas omnes, quatenus praesenti constitutioni in aliquo adversantur, illarum tenores pro plene ac sufficienter expressis habentes, etiam si de illis specialis, specifica, expressa ac individua de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda esset, omnino abrogamus, abolemus et annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicandi fidesque transumptorum.

§ 22. Ceterum, ut praesentes litterae omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe basilicarum, atque Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae more solito publicari et inibi affigi, et per aliquod temporis spatium dimitti; eisque detractis, earum exempla eo in loco reliqui. Ac volumus ut illarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, in iudicio et extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 23. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.* Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, tertio nonas decembris, pontificatus nostri anno II.

Papae subscr.

† Ego Sixtus Catholicae Ecclesiae episc.

De ventre matris meae tu es Deus protector meus.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego A. card. Farnesius, vice-cancellarius, episcopus Ostien.

† Ego Iac. card. Sabellus, episc. Portuensis.

† Ego Io. Ant. card. S. Georgii, episcopus Tusculanus.

† Ego Io. Franciscus card. de Gambara, episcopus Praenestinus.

† Ego Inn. Avalus card. de Aragon. episcopus Sabinensis.

† Ego Marcus Siticus card. de Altaemps.

† Ego Marcus Ant. card. Columna.

† Ego P. card. Sanctacrucius.

† Ego Gabriel card. Paleottus.

† Ego frater Michael Bonel. card. Alex.
† Ego Ludovicus card. Madrutius.
† Ego Nicol. card. Senon. tt. S. Praxedis.
† Ego Iul. A. Sanctorius card. S. Severinae.
† Ego Hieronymus card. Rusticutius.
† Ego Io. Hieronymus card. Albanus.
† Ego Hieronymus card. Simoncellus.
† Ego P. card. Deza.
† Ego Io. Antonius card. Caraffa.
† Ego Io. Antonius card. SS. Quatuor.
† Ego Io. Baptista card. S. Marcelli.
† Ego Iulius card. Cananius.
† Ego Antonius card. Salviatus.
† Ego Augustinus card. de Verona.
† Ego Vincentius card. Montisregalis.
† Ego Philippus card. Spinola.
† Ego Georgius card. Razivil.
† Ego Scipio card. Lancellottus.
† Ego Vincentius card. Gonzaga.
† Ego Io. Baptista Castrucius, Signaturae iustitiae praefectus.
† Ego Federicus card. Cornelius.
† Ego Hippolytus de Rubeis card. Paviae.
† Ego Decius card. Azzolinus.
† Ego Hippolytus card. Aldobrandinus, maior poenitentiarius.
† Ego Ferd. card. de Medicis.
† Ego Philippus Vast. card. Camerarius.
† Ego Andreas card. Battorius.
† Ego A. card. Montaltus.

Dat. die 3 dec. 1586, pontif. anno II.

Sequitur declaratio dictae constitutionis.

Enarratio dictae bullae in parte hic declaranda.

§ 24. Sanctissimus D. N. dixit quod cum in constitutione seu bulla Sanctitatis Suae alias super creatione sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium edita, volens diaconos cardinales, qui in sua vocatione permanserint, et in ministerio sui ordinis perseveraverint, maioribus honoribus prosequi, inter alia statuerit ut post tres vacationes sex ecclesiarum cathedralium, quibus episcopi cardinales praesunt, quarta vacatione alicuius ex eis occurrente, prior diaconorum cardinalium, qui praesens fuerit et in aetate legitima constitutus, vel si ille noluisset aut nequivisset assumi, sequens diaconus eisdem qualitatibus praeditus, ad ecclesiam huiusmodi cathedralem, ut praefertur, vacantem, promoveretur, et ita deinceps servaretur, prout in eadem constitutione plenius continetur.

Dubium posset excitari circa tempus, quo diaconus cardinalis debeat perseverare in diaconatu antequam possit promoveri ad episcopatum, de quibus in dicta bulla.

§ 25. Agnoscensque idem S. D. N. mentis suae in ea constitutione fuisse non ut novus vel forte paucos ante annos creatus diaconus cardinalis, ad aliquem ex dictis episcopatibus seu ecclesiis, quibus seniores presbyteri cardinales praefici solent, promoveatur, sed qui diu in suo ordine et vocatione (ut verba eiusdem constitutionis aperte demonstrant) permanserit, et in ministerio sui ordinis perseveraverit, is tali ecclesiae praeficiatur; ac providere cupiens ne forte in futurum dubitari contingat de quanti temporis cursu perseverantia illa in diaconatus ordine et in ministerio intelligatur.

Declaratio dicti dubii.

§ 26. Eadem Sanctitas Sua, in eodem consistorio suo secreto habito supradicta die, de venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium unanimi consilio et assensu, sua apostolica auctoritate, declaravit et decrevit ut prior diaconorum cardinalium, seu alius sive immediate seu successive sequens diaconus cardinalis, quarta occurrente vacatione, ut praemittitur, ad dictam ecclesiam seu episcopatum ex sex praedictis vacantem, assumi seu promoveri possit, exigi et requiri debere ut integros annos saltem decem, et non pauciores, in suo diaconatus ordine permanserit, et in illius ministerio perseveraverit, etiamsi numerus XIV diaconorum cardinalium non sit expletus, dummodo ad minus decem diaconi tunc existant, prout declaravit et decrevit.

Clausula sublata aliter iudicandi potestate.

§ 27. Ac sic in praemissis *etc.* per quoscumque *etc.* etiam ipsos S. R. E. cardinales *etc.* sublata eis *etc.* aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid secus *etc.* contigerit attentari similiter decrevit.

Datum Romae apud S. Petrum, die mercurii XXV novembris MDLXXXVI, in consistorio secreto.

LXXVII.

Tolentini oppidi in provincia Picena in civitatem sublimatio, eiusque collegiatae ecclesiae in episcopalem erectio [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Super universas orbis ecclesias, Eo disponente qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis, constituti, levamus in circuitu agri dominici oculos nostrae mentis, more pervigilis pastoris inspecturi quid provinciarum et locorum quorumlibet statui congruat, ac desuper disponi debeat, unde, divino fulti praesidio, dignum, quin potius debitum, arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiae agro novas episcopales sedes et ecclesias plantare, ut per huiusmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, divinus cultus floreat, et animarum salus subsequatur, loca insignia, praesertim quorum incolae, benedicente Domino, multiplicari noscuntur, dignioribus titulis et condignis favoribus illustrentur, ipsique incolae honoratorum praesulum adsistentia, regimine et doctrina suffulti, in via Domini magis magisque in dies proficiant.

Oppidi Tolentini in multis commendatio.

§ 1. Sane, attendentes oppidum Tolentini, Camerinensis dioecesis, in agro Piceno, et territorio fructifero ac loco satis amaeno et pervio situm, admodum celebre, ac muris firmiter cinctum, plurium aedificiorum ornatu decorum, copioso incolarum numero habitatum, ac mille ad minus, ultra castra Colmurani sibi suppositi, focularia sive domus continere; ac in eo unam S. Mariae cum campanili, campanis, organo, choro, sacristia, plebano ac canonicis et aliis ad cathedralem ecclesiam requisitis, ac alteram ecclesiam collegiatam S. Iacobi, cum priore et canonicis, praeterea S. Catervii, S. Augustini canonicorum regularium, in qua eiusdem S. Catervii, S. Septimiae ac Sancti Bassi corpora reperiuntur, necnon S. Nicolai de Tolentino nuncupati, fratrum eremitarum eiusdem S. Augustini, in qua existit unum brachium incorruptum et corpus eiusdem S. Nicolai, qui ob vitae sanctimoniam, in vita et post eius obitum miraculis coruscans, numero sanctorum meruit adscribi, cuius etiam festum nuperrime in toto Statu Ecclesiastico celebrari et custodiri mandavimus. Ad haec S. Francisci fratrum Minorum Conventualium, et S. Mariae Cisoloni fratrum Minorum de Observantia, ac S. Petri fratrum [1] Cappuccinorum nuncupatorum, necnon S. Hieronymi fratrum eiusdem S. Hieronymi ac S. Agnetis monialium S. Clarae Ordinum monasteria et regulares domos ac quamplures alias ecclesias, ac duo hospitalia pro pauperibus et infirmis recipiendis satis commode extructa adesse, et ex eo cardinales, episcopos, referendarios et strenuos milites, capitaneos et duces generales Status Ecclesiastici aliosque illustres et egregios ac religione et doctrina praeclaros viros prodiisse.

Oppidi Tolentini ab incolis et beneficiis dioecesis Camerinensis separatio.

§ 2. Nos, cupientes oppidum Tolentini praefatum, cuius, dum cardinalatus honore fungeremur, protectores et fautores fuimus, cuiusque dilectos filios communitatem et homines singulari dilectione prosequimur, necnon collegiatam ecclesiam S. Mariae huiusmodi dignioribus titulis ac nominibus decorari, habita super his cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio et assensu ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac eiusdem Beatae Mariae Virginis honorem et christifidelium devotionis augmentum,

[1] Ex hac civitate prodit S. Nicolaus Tolentinus nuncupatus, de cuius canonizatione et festivitate videre est in Eug. IV. const. XXXVI, *Licet militans*, tom. V, pag. 88.

[1] *Minorum*, Cherub. (R, T.).

oppidum et castrum huiusmodi ac villas comitatus Tolentini eorumque territoria a dicta dioecesi, cui in spiritualibus subiecta sunt, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo separamus et dismembramus, illaque separata et dismembrata, ac illarum incolas, habitatores, ecclesiarum rectores, beneficiatos, priores et alios inibi beneficia ecclesiastica obtinentes, monasteria, domos regulares aliaque pia loca omnia ab omni iurisdictione episcopi Camerinensis necnon solutione decimarum eidem episcopo per eos debitarum de cetero facienda, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, eximimus et liberamus.

Erectio eiusdem oppidi in civitatem, et eius ecclesiae S. Mariae in cathedralem, et concessio privilegiorum.

§ 3. Insuper oppidum Tolentini in civitatem Tolentini, et collegiatam ecclesiam S. Mariae huiusmodi in cathedralem, sub invocatione eiusdem S. Mariae, ac in ea dignitatem, sedem et mensam episcopalem pro uno episcopo Tolentino nuncupando, qui eidem ecclesiae Tolentinae praesit, ac iurisdictionem episcopalem habeat et exerceat, cum omnibus privilegiis, honoribus, iuribus et insignibus debitis et consuetis, ac quibus alii episcopi de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet in spiritualibus utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere quomodolibet poterunt in futurum, necnon plebaniam illius in archidiaconatum, qui inibi dignitas maior post pontificalem existat, eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo erigimus et instituimus, ipsamque ecclesiam sic in cathedralem erectam Sedi Apostolicae immediate subiicimus, ac sub protectione Bb. Petri et Pauli apostolorum suscipimus.

Concessio almutiarum pro canonicis dictae cathedralis.

§ 4. Praeterea canonicis eiusdem ecclesiae sic in cathedralem erectae, ut almutias per canonicos aliarum cathedralium ecclesiarum deferri solitas, deferre libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, pariter perpetuo indulgemus.

Unio dicti episcopatus cum episcopatu Maceratensi.

5. Ipsamque ecclesiam sic in cathedralem erectam cum ecclesia Maceratensi unimus, ita ut pro tempore existens episcopus Maceratensis sit ambarum ecclesiarum unitarum huiusmodi episcopus, et, licet vocetur episcopus Maceraten., tamen in litteris et expeditionibus pertinentibus ad civitatem et dioecesim Tolentini, ordinarie se suscribere debeat episcopus Maceratensis et Tolentinus.

Vicarius extet in civitate Tolentini, qui solum episcopum in superiorem recognoscat.

§ 6. Teneaturque retinere unum vicarium in dicta civitate Tolentini qui non recognoscat superiorem, nec ab eo habeatur recursus ad vicarium dictae civitatis Maceratensis, sed tantum ad ipsum episcopum.

Assignatio dotis.

§ 7. Eidemque ecclesiae Tolentinae sic in cathedralem erectae, pro illius mensae episcopalis dote, redditum annuum quadringentorum scutorum monetae Marchiæ per episcopum Tolentinum propria auctoritate percipiendum, de semestri in semestrem, et in fine cuiuslibet semestris, vel in fine cuiuslibet mensis pro rata, arbitrio ipsius episcopi, quam praefata communitas Tolentini eidem ecclesiae sic in cathedralem erectae super redditibus molendini ipsius communitatis, quousque tot praedia ipsa communitas emat et eidem ecclesiae sic in cathedralem erectae consignet, quorum fructus ad dictam summam quadringentorum scutorum ascendant, constituerunt et assignarunt, ac domum contiguam dictae ecclesiae Tolentinae, pro usu et habitatione ipsius episcopi Tolentini applicamus.

Dioecesis praefinitio, et cleri assignatio.

§ 8. Ac ipsi ecclesiae sic in cathedralem erectae civitatem Tolentini, eiusque incolas et habitatores pro civitate et civibus, necnon terras, villas et castrum Colmurani praefata eorumque territoria pro eius dioecesi, ac etiam clerum et populum civitatis et dioecesis Tolentinae pro clero et populo, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo assignamus.

Decretum irritans.

§ 9. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 10. Non obstantibus Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon dictae S. Mariae et Camerinensis ecclesiarum praedictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis, illis earumque praesulibus, capitulis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu proprio ac consistorialiter et alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, quarto idus decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 dec. 1586, pontif. anno II.

LXXVIII.

Reformatio circa immoderatos sumptus, qui in alma Urbe fieri consueverunt, circa vestes, dotes, ornamenta, indumenta et convivia [1].

Sixtus Papa V, motu proprio, etc.

Cum in unaquaque bene et recte instituta republica et civitate, soleat sumptibus civium et privatorum hominum moderatio aliqua adhiberi, idque non solum redundet in utilitatem singularum personarum et familiarum, ne hac de causa, imminuto patrimonio sive re familiari absumpta, ad paupertatem redigantur, et plurima exinde damna et pericula proveniant, sed etiam ad universam rempublicam pertineat, cuius interest cives habere locupletes; et ne privati rebus suis male utantur, praecipue hoc ipsum observandum est in hac alma Urbe nostra, ex qua tamquam ex communi omnium patria, frugalitatis, modestiae ac bonorum morum exempla ad exteros manare convenit, ut quae tot donis ac praerogativis excellit, eadem optimis institutis, legibus et consuetudinibus sit temperata, sicuti iam inde a priscis etiam florentis reipublicae saeculis, mox imperatorum, ac deinceps posterioribus Romanorum Pontificum, praesertim felicis recordationis Clementis VII, Pii IV et Pii V praedecessorum nostrorum, temporibus, in eadem Urbe Roma complures leges ac statuta de sumptibus immoderatis coercendis, salubriter edita fuerunt. Quae cum successu temporum minime fuerint observata, et hac etiam tempestate, tum in constituendis dotibus puellarum, quae in matrimonium collocantur, tum in supervacaneis plerumque et minime decentibus ornamentis, tam circa mundum muliebrem, quam circa indumenta etiam virorum, tum in conviviis et aliis huiusmodi rebus, superflui ac pro modo facultatum excessivi sumptus fiant. Idcirco, pro eo quem gerimus erga eamdem nostram civitatem illiusque populum paternae dilectionis affectu, in primis nobis cordi fuit huiusmodi abusus, antequam latius serpant, de medio tollere, et, exemplo nostrorum huiusmodi praedecessorum, similibus remediis uti. Ideoque dilectis filiis Camerae eiusdem Urbis ac populi Romani conser-

Pontifex iste ex paterno erga almam Urbem affectu, et ex causis hic expressis iussit conservatoribus populi Romani, ut reformationes facerent opportunas, circa immoderatos sumptus.

[1] Similem reformationem vide in Pii V, const. LIX, *Quoniam*, tom. VII, pag. 596.

vatoribus et magistratui commisimus et mandavimus ut ad moderandos sumptus huiusmodi opportunas conficerent reformationes.

Illi hanc reformationem statuerunt, et Summo Pontifici dederunt.

§ 1. Qui, mandato nostro parentes, una cum civilibus aliquot ex unaquaque dictae Urbis regione ad id deputatis, eas praesentium temporum conditioni et moribus accommodatas composuerunt, ac postea, tam a magistratu quam a deputatis praedictis subscriptas, nobis praesentarunt.

Et cardinales et alii ab eodem Pontifice deputati eam absolverunt et perfecerunt.

§ 2. Nos vero, cupientes rem ipsam accurate et debita circumspectione absolvi, dilectis filiis nostris Iulio Antonio S. Bartholomaei in Insula S. Severinae, necnon Scipioni S. Simeonis Lancellotto, ac Henrico S. Pudentianae Caetano, mox, istis duobus ultimo dictis absentibus, Hippolyto S. Pancratii Aldobrandino, ac novissime Antonio Mariæ Salviato S. Mariae in Aquiro, titulorum presbyteris cardinalibus nuncupatis, dedimus in mandatis ut easdem reformationes diligenter reviderent et examinarent; qui postmodum, convocatis dicto magistratu, quatuor praelatis utriusque signaturae nostrae referendariis Romanis, et septem ex dictis per singulas regiones deputatis, saepius insimul hac de causa respective congregati, eisdem reformationibus diligenter excussis ac sigillatim examinatis, alia emendarunt, alia explanaverunt, nonnulla addiderunt, easque in meliorem ordinem redactas nobis exhibuerunt. Ac demum cum huiusmodi reformationes, in privato publicoque consilio eiusdem populi propositae nuper et perlectae fuerunt.

Confirmat modo idem Pontifex dictam reformationem.

§ 3. Nos, cupientes illas inviolate observari, motu *etc.* simili et ex certa nostra scientia, reformationes ipsas, prout inferius descriptae sunt, cum omnibus et quibuscumque in eis contentis, auctoritate apostolica, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, easque præsentis scripti patrocinio communimus, omnesque et singulos iuris, facti et solemnitatum, etiam substantialium, in eis forsan omissarum defectus, siqui intervenerint, supplemus, et pro illarum subsistentia firmiori, quaecumque in praedictis reformationibus continentur, de novo eadem auctoritate perpetuo statuimus et ordinamus, ac omnes et quascumque personas utriusque sexus, cuiusvis status, gradus, conditionis et præeminentiae fuerint, in eadem Urbe habitantes, etiam advenas et curiales, ad earumdem reformationum observationem teneri, et illis omnino obligari decernimus et declaramus.

Executores reformationis deputat, et iurisdictionem eisdem concedit.

§ 4. Necnon dilectis filiis eiusdem Urbis gubernatori et senatori ac conservatoribus praedictis, nunc et pro tempore existentibus, in solidum districte praecipiendo mandamus ut tam gubernator et senator praedicti et eorum quilibet, quam etiam ipsi conservatores curent et faciant reformationes huiusmodi perpetuo et inviolabiliter observari, et ad illarum executionem, etiam quoad poenas, sine ulla spe remissionis, procedi. Volentes nihilominus ut cuiusvis curiae aut tribunalis dictae Urbis executores, quascumque utriusque sexus personas, quas huiusmodi reformationibus contravenire deprehenderint, notare, ac dictis iudicibus deferre et denunciare.

Clausulas praeservativas apposuit;

§ 5. Necnon decernimus quod huiusmodi nostri motus proprii sola signatura sufficiat, isque, etiam non registratus, in iudicio et extra illud plenam fidem faciat, regula contraria non obstante. Et quod inferius descriptis reformationibus ac praesenti nostro motui proprio ac dispositioni etiam per nos et successores nostros numquam sufficienter derogatum censeatur, nisi prius accedente expresso

consensu eorumdem conservatorum pro tempore existentium et ipsius populi in consilio publico congregati, ac deinde publica signatura nostra proposita per aliquem referendarium supplicatione, cum huiusmodi nostri motus proprii insertione, per supplicationem aut alium motum proprium, nostra seu Romani Pontificis pro tempore existentis manu signatum, derogatio fuerit concessa, et quod dem motus proprius, una cum dictis reormationibus, manu scriptus sive impressus, reponatur et perpetuo retineatur post libros statutorum Urbis, inter alias eiusdem Urbis et Camerae populi Romani reformationes, privilegia et indulta quae in eorum proprio volumine continentur.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Quodque eiusdem motus proprii et reformationum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo gubernatoris aut senatoris vel conservatorum praedictorum vel alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides adhibeatur, in iudicio et extra, quae ipsis originalibus huiusmodi adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Forma et effectus publicandae constitutionis.

§ 7. Ac quod in Palatii Capitolini, conservatorum eorumdem ac audientiae causarum Palatii Apostolici valvis et in acie Campi Florae, dimissis inibi copiis, affixae omnes et singulos ita afficiant et arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Decretum irritans.

§ 8. Sicque in praemissis et infrascriptis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios et causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; aliisque dictae Urbis reformationibus, statutis, consuetudinibus, etiam novissime editis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem conservatoribus et aliis magistratibus, populo, civibus et incolis aut ceteris personis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Papae subscr.

Fiat, motu proprio. F.

Datum Romae apud Sanctum Marcum decimo kalendas ianuarii, anno secundo.

Dat. die 23 dec. 1586, pontif. anno II.

Sequitur tenor dictae reformationis.

Riforma del vestire, delle doti e d'altre spese, da osservarsi in quest'alma Città di Roma, da ciascuna persona di qualsivoglia stato, grado, condizione o preeminenza si sia, fatta per ordine di Nostro Signore dalla congregazione de' deputati da Sua Santità.

Modo da osservarsi nel vestire degli uomini.

Moderatio circa vestes virorum.

In primis non sia lecito di portar nelle berrette o cappelli medaglie, nè gioie, nè perle, nè vere nè false, nè puntali, nè rosette, nè altro ornamento d'oro o d'argento, nè buono nè falso, nè piume, nè pennacchi, nè ricami, nè smalti, eccetto un cordon di velo o di seta intorno.

Item, non sia lecito di portar collane al collo, se non à cavalieri di alcun' Ordine Militare, o altri fatti da principi,

per portare attaccata la croce o medaglia.

Item, non sia lecito di portar camiscie lavorate d'oro o d'argento.

Item, non sia lecito di portar giubbone con altra guarnizione, eccetto che con imbottitura di seta semplice, distesa per traverso o per lungo senz'altro lavoro, e si possa trinciare con taffettà sotto.

Item, non sia lecito in saio, casacca, colletto o simile sorte di vestimenti di panno o di drappo, mettere altra guarnizione, che una banda intorno alli busti, maniche e falde di drappo non proibito, larga al più un terzo di palmo per di fuori o dentro, overo un rivetto o passamano o frangetta o trina di seta mezzo dito larga intorno all'estremità, la qual banda non possa aver più di sei imbottiture, e si possa compartire in tre liste o rivetti al più con due imbottiture per ciascuno, con le mostre di ermesino o taffettà, nè sia lecito di portar bottoni, nè puntali d'oro, nè d'argento, nè di gioie, nè di perle, vere nè false, nè si possa foderare d'altro drappo, che di taffettà schietto, e non si possa mettere drappo sopra drappo, eccetto che taffettà o ermesino nell'estremità.

Dichiarando che li drappi proibiti s'intendano tutti quelli ne' quali entra oro o argento, buono o falso, e tanto tessuti quanto non tessuti.

Item, non sia lecito di portar nella cappa altra guarnizione che una banda intorno, di dentro o di fuori, di drappo non proibito, largo mezzo palmo al più, nella quale non si possano fare più di sei imbottiture, con un passamano o frangetta o trina intorno alla estremità, la qual banda possa compartirsi in due o trè liste o rivetti, con due imbottiture per ciascheduna, e la cappa, cappotto, tabarro o feraiolo non possano esser foderati d'altro che di roverso o taffettà o di pelli non proibite, le quali pelli proibite s'intendano zebellini, lupi cervieri, armellini e martore, eccettuata la cappa, la quale possa esser foderata di velluto, senz'altra guarnizione.

Item, non sia lecito usare calzoni o cosciali di drappi proibiti, nè in quelli oro o argento, buono o falso, nè ricamo o intaglio di sorte alcuna, nè disegno di ricamo, ma possano usarsi li cosciali con trinci di drappo non proibito, schietti, senza sorte di alcun'altro ornamento, che della fodera di tutto il cosciale di raso, dobletto, toletto, ermesino o taffettà, e così li cosciali di drappo non proibito, purchè non sia seta sopra seta.

Item, nelle calzette di seta o ligacci non si possa portare oro o argento, vero nè falso.

Item, non sia lecito nelle scarpe di velluto portare trapuntatura di seta d'altro colore che quello delle scarpe, nè farvi altra sorte d'ornamento.

Item, le cinte delle spade non si possano portare se non di corame o di velluto, senza ricamo e senza oro o argento, vero o falso, nè smalto, ma possano ben le fibie esser indorate o inargentate; e similmente le guarnizioni delle spade.

Item, perchè non solo nel vestir delle proprie persone, ma ancora nelle livree dei servitori ed ornamenti de' cavalli si eccede in molte spese, per questo si proibisce il vestir servitori, staffieri o paggi di casacca, saio, colletto, giubbone, cappotto, cosciali, calzoni di qualsivoglia drappo di seta, ma se li possa permettere una banda di drappo, overo al più due bande di drappo, che non eccedano un terzo di palmo intorno alla cappa, cappotto, casacca, saio, colletto o calzoni con una trina o passamano schietto senz'altro ornamento. E si proibisce inoltre che non si possano vestire di li-

vrea più di quattro persone tra servitori e paggi.

Item, non sia lecito di portare gualdrappa o coperta di velluto, nè di panno che sia guarnita di velluto, eccetto che d'una frangia o trina di seta nell'estremità.

Item, nelle selle di velluto non si possa portare guarnimento d'oro o d'argento, vero o falso, nè ricamo, eccetto frange, trina o passamani di seta del medesimo colore.

Item, non possano portare finimenti di cavalli se non di corame senza fiocco di sorte alcuna, nè manco miniati d'oro o d'argento, non proibendo che le fibbie, borchie, briglie, sproni o staffe possano esser indorate o inargentate.

Modi da osservarsi nel vestir delle donne, e prima dell'abito delle spose.

Non sia lecito alle spose di portare in testa, nè ciuffi, nè fiori, veri nè artificiosi,
Moderatio circa vestes sponsarum. nè ricci finti, nè piume, nè pennacchi, nè magnoselle, nè altra simil portatura alta, ma debbano portar la tela o panno listato, che arrivi alla fronte al principio dei capelli, ancorchè vadino in cocchio.

Item, non possano portare altri ornamenti in testa che perle ad oncia, ed una fronzetta di gioie e perle, che non ecceda il valor di ottanta scudi.

Item, non possano portare pendenti da orecchia con gioie, eccetto che con perle o d'oro smaltato.

Item, non possano portare camiscie, colletti nè altre cose lavorate d'oro o d'argento, eccetto li fazzoletti.

Item, non possano portar guanti profumati, ma solamente lavati d'acque odorifere.

Item, non possano portare più d'uno overo due anella nelle dita, che ambidue non passino il valor di cento cinquanta scudi.

Item, non possano portare maniglie alle braccia ornate di perle, camei o qualsivoglia altra sorte di gioie.

Item, non possano portare cannacche nè corone di profumo nè d'altra sorte al collo, nè traverso le spalle, nè alcuna sorte di banda, eccetto che al collo un vezzo di perle di un filo solo, il cui prezzo non passi scudi trecento, o catena d'oro senza gioie, che non ecceda il valore di settanta scudi.

Item, non possano portare cintura con gioie o con perle, nè che la fattura ecceda trenta scudi.

Item, nelle vesti o zimarre di drappo non possano portare altra guarnizione d'oro o d'argento, vero o falso, largo più d'un dito tanto nelli busti, quanto nell'estremità; nè possano aver vesti, nè zimarre trinciate nè ricamate; e similmente non possano portar pianelle con passamano d'oro o d'argento, vero o falso.

Item, non possano farsi nè portare più d'una veste d'oro o d'argento semplice, schietto, non trinciata nè ricamata, e senza guarnizione, eccetto che di una pistagna distesa o trina larga mezzo dito al più nell'estremità.

Item, non possano portare la veste con strascino che passi un palmo.

Item, non possano portare sottane d'oro o d'argento, ne dove sia in qualsivoglia modo oro, argento, vero o falso, o sorte alcuna di guarnizione, eccetto una o due liste o una trina di seta, larga al più mezzo dito, al busto, maniche ed estremità.

Item, nelle vesti non possano portare rosette, bottoni o puntali d'oro nè d'argento, nè gioie, nè perle, vere o false, o smalto.

Item, non possano portar vesti, zimarre, traverse, panni da testa o qualsivoglia al-

tra sorte di rete, eccetto cuffie, colletti e panni di spalle.

Item, non possano portare berretta, ma solamente il cappello, con un passamano o trina d'oro o d'argento intorno, senza piume o ricamo, senza puntali, rosette, medaglie o gioie, vere o false.

Item, non possano portar veli o buratti transparenti senz'altra veste di sotto.

Item, non possano andare in maniche di camiscie per Roma, nè a piedi nè in cocchio.

Dichiarando che l'esser sposa s'intenda per due anni dal giorno che sarà andata a marito, e non più, per tutto il qual tempo possa portare li sopradetti ornamenti, il qual passato, sia obbligata di mettersi in panni.

Item, che tutto quello che è proibito alle spose, s'intenda ancora esser proibito alle zitelle di qualsivoglia età, alle quali in oltre si proibiscono ancora le gioie, vere o false, le vesti d'oro o d'argento, vero o falso, ricami ed intagli.

Dell'abito delle maritate messe in panni.

Moderatio circa vestes mulierum coniugatarum.

Si ordina e dichiara che tutto quel che è proibito, come di sopra, alle spose, s'intenda espressamente proibito, ancora alle maritate messe in panni.

Item, a nessuna donna maritata e messa in panni sia lecito di portare alcuna veste o sottana o zimarra di drappo, nè trincio, nè ricamo, nè intaglio, nè guarnizione d'oro nè d'argento, vero o falso, eccetto crespone o buratto doppio, nè transparente.

Item, non possano portare alcuna sorte di pendenti all'orecchie, ne cannacca nè catena di gioie o d'oro, nè cintura d'oro o di gioie o di smalto, nè corone di profumo, nè al collo, nè alla cintura, nè in mano, eccetto che quando anderanno a nozze o a feste un vezzo di perle di un filo solo del prezzo come di sopra.

Item, non possano portare fazzoletti o colletti lavorati d'oro o d'argento, vero o falso, o di seta di colore.

Item, nelle vesti di sopra o zimarre non possano mettere altra guarnizione che una pistagna, trina o passamano negro o pavonazzo, che non sia largo più di mezzo dito, e solamente intorno alli busti, maniche ed all'estremità.

Item, non possano portar pianelle con alcuna sorte di ornamento, ma semplici, con un passamano di seta.

Item, non possano andar fuori di casa, nè a piè nè in cocchio, senza portar sopraietto o panno listato, steso e senza pizzo.

Item, andando a nozze ed a feste, possano portar le camiscie lavorate di seta di un color solo, ed una veste di drappo semplice.

Del vestire ed abito delle vedove.

Moderatio circa vestes et habitum viduarum.

Non sia lecito alle vedove di portare altri panni che roggi o tinti di colore, che non sia più oscuro che roggio, ed il panno listato non avanzi fuori della fronte più che uno o due dita, e le lor vesti vedovili siano senza busti, e se sono aperte al petto, abbino la pezzetta roggia sotto con il panno di spalla di sopra, e con la cinta solita di tela bianca; e le lor vesti siano semplici, senza ornamento o guarnizione di sorte alcuna, e le maniche delle vesti siano di maniera che non si possano vedere le maniche delle sottane, eccetto se le dette maniche fussero nere.

Moderazione delle Doti.

Moderatio dotium.

Frequentissime dantur maiores dotes, praevia supplicatione et gratia Papae.

Sebbene altre volte fu fatto particolar statuto sopra la moderazione delle doti, e quello confirmato per motu proprio dalla santa memoria di Papa Pio quinto, nondimeno non essendo nella debita osservanza, massime per domandarsene conti-

nuamente derogazione, e tuttavia aumentandosi le dette doti, per provedere con nuova moderazione, conveniente à questi tempi, à tal eccesso, che è causa di molti disordini e inconvenienti, ed ha molto bisogno di reduzione.

Si ordina che nessuna persona, di qualunque stato, grado o preeminenza si sia, ardisca nè presuma constituire, promettere, pagare, ricevere, ancorchè la donna fosse erede, tanto in denari contanti, quanto in argento, oro, gioie, provenzioni o altre cose, eziamdio mobili e semoventi, ragioni ed azioni, dote ed acconcio, in una o più volte, che passi o ecceda, e computata eziamdio cassa bianca, bacile e boccale, la somma di scudi cinquemila e cinquecento di moneta, à ragione di dieci giuli per scudo, nè sia lecito a questo contravenire per alcun patto o consentimento, etiam giurato, da farsi per li contraenti ed altre persone terze, per causa ed occasione di accrescer somma dotale, constituir pegno o in qualunque modo far fraude à questa ordinazione, ad effetto che il marito o la donna o altri per essi vengano ad aver più della detta somma di scudi cinquemila e cinquecento, in alcun modo o via, diretta o indiretta, alla pena di mille scudi simili, da incorrersi per ciascuno che contrafarà, e da applicarsi per la quarta parte all'accusatore, qual sarà tenuto secreto, l'altra parte all'essecutore, e per il resto alla fabrica del palazzo de'conservatori della Camera di quest'alma città di Roma; e nientedimeno, pagata o non pagata la detta pena, tutto quello che oltre la detta somma si desse, overo ancora con intervento di terze persone, sotto qual color si sia di donazione, parafreno o altro titolo, etiam in persona della donna, qual similmente si proibisce sotto la pena predetta, ipso facto sia applicato alla fabrica del palazzo delli conservatori. Ed ancora si ordina che colui che constituisce, dà ovvero promette in alcun modo oltre la somma predetta, o suo erede o successore, ovvero la donna, per la quale fusse data per verun tempo, venendo in caso della restituzione, non possa ridomandare il soprapiù, ed abbi perduta ogni azione, che in ciò e sopra ciò gli competesse, e detto soprapiù s'applichi ipso iure alla fabrica predetta, come di sopra; e che tutti simili contratti o private scritture, quali sopra ciò si facessero, siano quanto alla detta quantità eccessa, ipso iure nulli et invalidi, e per vigore di essi non se ne possa fare alcuna esecuzione, quanto alla quantità eccedente li scudi cinquemila e cinquecento. Ancora si proibisce à tutti e singoli notari che non ardiscano nè presumano rogarsi d'alcun istromento qual sia contra la proibizione soprascritta, nè far scrittura, o che si riferisca à quella cedola privata, o qualunque altra scrittura o arbitrio d'uomo, sotto pena del falso e di scudi duecento per ciaschedun di loro che contrafarà, d'applicarsi come di sopra, e detti contratti siano nulli ed invalidi ipso iure et nullius fidei; ed essi notari s'intendano nondimeno privati in perpetuo de' loro offizi; e similmente si proibisce che nessuna persona possa in ciò come mezzano intravenire, o altrimente presuma far cedola privata, ovvero esser testimonio in contratto o cedola, che fusse contra la proibizione predetta, alla detta pena da incorrersi ed applicarsi come di sopra. Si ordina ancora che nelle soprascritte proibizioni e pene siano compresi baroni, cortigiani o forastieri, che apparenteranno con Romani, tanto originari come fatti cittadini e incoli di Roma, ancorchè siano chierici, tanto dando e promettendo quanto ricevendo e stipulando, ovvero come mezzano, notaro, testimonio, fideiussore e promissore, o in qualunque altro modo s'intro-

mettano, purchè uno delli consorti, cioè, o sposa o marito, o sposo o moglie sia Romano originario, ovvero fatto cittadino o pure incola di Roma.

Moderazione del donare nelle nozze.

Moderatio donationum in nuptiis.

Non sia lecito à padre o madre o altra congiunta persona della sposa donare allo sposo o ad altri per lui, direttamente o indirettamente, nel tempo della subarrazione o prima o poi, alcun vaso, bacile o boccale, coppa, nappo, catena o altro dono, tanto d'oro come d'argento, denari, gioie, perle, drappi o altra cosa, eziamdio non simile, alla pena di scudi cinquecento, e perdita delle robbe, d'applicarsi come di sopra.

Item, a nessuna persona, senza eccezzione di parente alcuno, sia lecito nel giorno ed atto dell'arraglia o publicazione del contratto del matrimonio per verba *de praesenti*, nè inanzi, donare cosa alcuna di qualsivoglia sorte alla sposa; ma, passato il detto giorno, sia lecito solamente alli parenti sino al secondo grado di consanguinità ed affinità, computato secondo il ius canonico *inclusive*.

Item, non sia lecito allo sposo mandare alla sposa in Natale alcun presente in robbe che ecceda il valore di scudi venti.

Item, non sia lecito allo sposo donare alla sposa più di due vesti, le quali però non siano di drappo proibito.

Moderazione de' banchetti e conviti.

Moderatio circa convivia.

Volendo anco limitar le soverchie spese che sono introdotte nel far nozze e banchetti:

Si ordina che non sia lecito ad alcuno che farà nozze o banchetti, dove siano più di dieci persone, dare altro che l'infrascritte vivande, cioè un' antipasto di cose fredde, e una portata in tavola di cucina d'arrosto e d'allesso insieme, nella quale non si possano dar pavoni nè lavori di pasta, nè più di tre sorte di carne, e di tre sorte di ucellami, e dandosi polli d'India non si possa dar fagiani, ed essendo fagiani non si possa dar polli d'India, e si possa dare un altro servizio di credenza, una sorta di confezione con frutti, cialdoni e ciambelette, torte e cose simili, nè si possa mettere oro, argento nè muschio in altro che cotognate, o fiori.

E si proibisce ancora per occasione di battesimo, far colazione, che ecceda dieci scudi di spesa.

Moderazione de' letti nuziali.

Moderatio circa lectos nuptiales.

Non sia lecito ad alcuna persona per occasione di nozze o di donne di parto, comprare o far di nuovo letto, che ecceda il valore di scudi duecento; si permette però che chi al presente li hà in casa fatti possa adoprarli.

Proibizione nel donare, nel farsi i compari e comari.

Prohibitio donandi inter compatres et commatres.

Non sia lecito al compare o comare di fare alcuna sorte di presenti nè al compare nè alla comare nè al putto, così nel Battesimo come nella Cresima, sotto pena della perdita del dono à chi lo riceve, e della valuta di esso à chi lo dona.

Moderazione de' cocchi.

Moderatio circa carrus.

Non sia lecito ad alcuna persona alli cocchi o carrozze, che farà di nuovo, far coperte, matarazzi, cuscini, spalliere e copertine de'cavalli, se non di panno o feltro o corame semplice, con frangia sola nell'estremità, senz'alcuna sorte di drappo per fodera di dentro, e li finimenti de'

cavalli non possano coprire di cosa alcuna, ed il cocchio non possa avere indoratura manco ne'pomi.

E perchè sarebbe di molta spesa a chi si trova il cocchio o carrozza già fatti l'avere a rifarli subito di nuovo, conforme alla presente riforma, se li concede che possa servirsene, sinchè siano consumati, non ostante detta riforma, nè sia lecito di farli di nuovo dopo la publicazione della presente riforma, se non nel modo suddetto.

Moderazione de' funerali.

Moderatio circa funeralia.

Non sia lecito all'essequie di accompagnare il morto alla chiesa con più di tre servitori vestiti semplicemente di lutto.

Non sia lecito ad alcuna donna nel giorno dell'essequie di star nella medesima stanza nella quale starà il corpo del defunto, e si esorta ciascuna di portar quell'abito modesto che si conviene e richiede in tal atto di condoglienza.

Delle pene de' trasgressori della presente riforma.

Contravenientium poenae.

Si notifica à ciascuno che le pene delli trasgressori della presente riforma saranno, per ciascuna volta che si contraverrà, la perdita delle robbe, delle quali sarà contravenuto, et inoltre di cento scudi d'applicarsi, la quarta parte all'accusatore, qual sarà tenuto secreto, e li tre quarti alla Camera del Popolo.

Dichiarando che nel trasgredire, che si farà da alcuna gentil donna maritata contro la presente riforma, l'essecuzione si farà contro i lor mariti, la qual pena si esigerrà irremissibilmente, ed anderà a diminuzione della lor dote.

Ed acciochè la sopradetta riforma si osservi inviolabilmente da ognuno, e si tolga ogni occasione che potesse farli impedimento, si commanda espressamente a tutti gl'orefici, sarti, banderari, setaroli, ricamatori e ad ogn'altro artista che dalla publicazione della presente riforma nessuno ardisca far lavoro diverso della sopradetta riforma, nè manco trovare o mettere in uso alcuna maniera d'invenzione o lavoro nuovo, di seta o di bottoni o di cuscitura, quali insino adesso non siano stati usati, sotto pena di tre tratti di corda e scudi venticinque, e la perdita del loro lavoro per ciascheduna volta che contraverrà, la qual pena s'applicherà come di sopra, e si eseguirà irremissibilmente.

Dichiarando che le sopradette riforme solamente sopra li vestimenti già fatti si abbiano da osservare, passati sei mesi dopo la publicazione della presente riforma, e nel resto dopo il giorno della publicazione sopradetta.

E che le vesti, sottane e zimarre di donne ed altri abiti proibiti, che si trovano già fatti, si possano fare acconciare per li figlioli e figliole sin' all'età di dieci anni.

E per dar tempo à forastieri, che possano accommodare e pigliare recapito degl'abiti e vestimenti che si trovano già fatti, si dichiara che passati li sei mesi sopradetti, alli forastieri che verranno per divozione o per altri negozi, si concede tempo di un altro mese di poter accomodare li suoi abiti, secondo la presente riforma.

E per osservanza della presente riforma, si ordina al senatore e conservatori in solidum pro tempore esistenti, i quali abbiano cura che si metta in essecuzione quanto in essa si contiene, e se gli dà sopra di questo in ogni caso delli sopradetti, piena autorità di procedere e far eseguire le pene sopradette contra li trasgressori.

Marcellus Niger, deputatus.
Sebastianus Varus, deputatus.
Ego Hieronymus Alterius, deputatus.
Marius Matthaeus, deputatus.
Andreas Vellius, deputatus.
Stephanus Paparonius, deputatus.
Hieronymus Picus, deputatus.

Io. Dominicus Ninus, conservator.
Livius Attracinus, conservator.
Mercurius Amadeus, conservator.
Petrus Benzonus, prior.

LXXIX.

Ampliatio congregationis sub invocatione Annunciationis Beatae Mariae Virginis, alias in Urbe institutae, pro scholaribus insistentibus Studiis collegii Societatis Iesu institutae, ad quoscumque alios etiam non studentes; et facultas alias congregationes aggregandi eisque indulgentias communicandi.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Superna dispositione, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in supereminenti apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus constituti, et pia et salubria christifidelium vota, quae ad confraternitatum seu sodalitatum, praesertim in hac Urbe nostra rite institutarum, laudem et gloriam, cum animarum salute tendere dignoscuntur, libenter exaudimus, ipsasques confraternitates, seu sodalitates condignis titulis extollimus, ac alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus eisdem christifidelibus salubriter expedire.

Gregor. XIII instituit congregationem pro exteris scholaribus, in ecclesia collegii Societatis Iesu de Urbe, ut in sua constitutione.

§ 1. Alias siquidem pro parte dilecti filii Claudii Aquavivae, praepositi generalis Societatis Iesu, felicis recordationis Gregorio Papae XIII, praedecessori nostro, exposito externos scholares ad collegia eiusdem Societatis *etc.* [1]

Sed plures in eodem collegio, et non solum scholarium, sed etiam aliorum erigi oportet congregationes.

§ 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Claudii praepositi petitio continebat, ex congregationibus seu sodalitiis huiusmodi, novi in dies atque eo maiores, quo plures sunt sodales, fructus provenire noscantur, et in multis collegiis, pro sodalium frequentia ac disparitate, opus fuerit non unam tantum, sed plures in eodem collegio congregationes huiusmodi instituere, quin etiam in eisdem collegiis ac etiam domibus dictae Societatis, alia non studiosorum scholarium, sed aliorum piorum christifidelium sodalitia seu congregationes passim instituantur.

Praepositus ergo generalis dictae Societatis supplicat Pontifici pro facultate eas instituendi.

§ 3. Ut igitur tam scholares quam ceteri christifideles eo promptiores ad huiusmodi congregationes vel sodalitia ingredienda reddantur, et ad piorum operum exercitia magis excitentur, ac excitati manuteneantur, quo amplioribus coelestis gratiae donis, se ac eorum congregationes seu sodalitia decoratos ac refectos, ac decorata et refecta esse conspexerint, pro parte dicti Claudii praepositi nobis fuit humiliter supplicatum quatenus sibi ac pro tempore existenti praedictae Societatis praeposito seu vicario generali, ut in quibusvis dictae Societatis ecclesiis seu domibus ac collegiis, tam in Urbe quam extra eam, per universum orbem, nunc et pro tempore erectis seu erigendis, quasvis alias, sive scholarium tantum, sive aliorum christifidelium, sive utrorumque simul, tam sub eodem Beatae Mariae Annunciatae quam alio quovis titulo et invocatione, congregationes seu sodalitia dicta auctoritate perpetuo erigendi et instituendi facultatem et licentiam concedere, aliasque in praemissis op-

[1] Omittitur narrativa huius const. quia est in tom. IV, *Omnipotentis*.

portune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Et ideo Pontifex eam ipsi praeposito concedit;

§ 4. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod litterae super indulgentiis non expedirentur ad instar, nisi specificarentur, ac animarum salutem nostris potissimum temporibus sinceris desideramus affectibus, Claudium praepositum seu vicarium praedictum ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, posterioribus supplicationibus hac in parte nobis porrectis inclinati, eidem Claudio et pro tempore existenti dictae Societatis praeposito seu vicario generali, ut in quibusvis eiusdem Societatis ecclesiis seu domibus ac collegiis, tam in dicta Urbe quam extra eam, per universum orbem, nunc et pro tempore erectis seu erigendis et instituendis, quasvis alias, sive scholarium tantum, sive aliorum christifidelium tantum, sive utrorumque simul, tam sub eodem Beatæ Mariae Annunciatæ quam alio quovis titulo et invocatione, congregationes seu sodalitia, unum scilicet vel plura, in singulis locis vel ecclesiis, pro personarum frequentia seu qualitate, auctoritate nostra, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigere et instituere.

Facultatem eidem tribuit alias congregationes huic primariae congregationi Annunciatae de Urbe aggregandi, et eis gratias et indulgentias communicandi.

§ 5. Necnon congregationes seu sodalitia huiusmodi iam nunc et pro tempore erecta et instituta eidem primariae congregationi seu primario sodalitio, auctoritate apostolica et vigore praesentium litterarum, etiam perpetuo aggregare, eisque sic erectis, institutis et aggregatis respective, eorumque sodalibus, scholaribus et non scholaribus, omnes et singulas tam plenarias quam alias indulgentias et peccatorum remissiones ac relaxationes, necnon exemptiones, immunitates ceterasque gratias, facultates, indulta et privilegia, spiritualia et temporalia, tam dictae primariae quam singulis aliis in quibusvis dictae Societatis collegiis vel domibus, aggregatis vel aggregandis, scholarium et aliorum congregationibus seu sodalitiis hactenus, tam per dictum quam alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, nosque et Sedem Apostolicam, ac etiam regia et imperiali auctoritate, ac tam per viam extensionis quam alias quomodolibet et quandocumque concessas et concessa hactenus ac in posterum concedenda quibuscumque aliis, sive scholarium dumtaxat, sive aliorum christifidelium tantum, sive utrorumque simul, ac mixtim, congregationibus seu sodalitiis, in quibuslibet collegiis aut domibus dictae Societatis hucusque institutis ac in posterum instituendis, eorumque sodalibus, scholaribus et non scholaribus, auctoritate apostolica et vigore praesentium huiusmodi, etiam perpetuo, communicare, illasque et illa ad easdem omnes congregationes seu sodalitia eorumque sodales, etiam non scholares, indifferenter et aeque principaliter extendere, ac etiam illis concedere et elargiri, libere et licite valeat, ita quod nunc et quandocumque in futurum ipsi sodales, scholares et non scholares, quicumque sint, faciendo et observando ea quae sodales primariae et aliarum congregationum seu sodalitiorum praedictorum, pro indulgentiis, peccatorum remissionibus, relaxationibus et aliis gratiis praedictis consequendis facere et exequi tenentur, ipsas indulgentias etiam plenarias et alias huiusmodi gratias plenarie et integre consequantur, ac illis fruantur et potiantur, acsi illae eis specialiter et ab initio concessae fuissent, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo in-

dulgemus; dictique Gregorii praedecessoris litteras et immunitates, exemptiones, facultates, privilegia et indulta, necnon in eis contenta quaecumque, tam respectu dictarum congregationum seu sodalitiorum huiusmodi, quam dicti et pro tempore existentis praepositi seu vicarii generalis dictae Societatis ad praedictas congregationes seu sodalitia scholarium et non scholarium, etiam christifidelium quorumcumque, tam erectas quam in posterum, ut praefertur, erigendas, instituendas et aggregandas, pariter perpetuo extendimus, ita ut omnia in illis contenta, et praesentibus litteris huiusmodi concessa, indulta et elargita, ac si specialiter de verbo ad verbum eisdem praesentibus inserta, eorumque toti tenores expressi forent, concessa esse intelligantur.

Clausulae praeservativae.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarum vel aliarum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum de dicta Urbe seu Cruciatae Sanctae, aut etiam per nos seu alios Romanos Pontifices praedecessores nostros ac dictam Sedem, etiam motu proprio, etiam potestatis plenitudine, seu ad quorumvis imperatorum et regum instantiam, pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et censeri debere; irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac voluntate nostra praedicta, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod si dictae congregationes aut sodalitia vel eorum quaecumque aliquo modo eidem Societati vel domibus seu collegiis aliquod impedimentum seu praeiudicium pro tempore attulerint, idem praepositus seu vicarius illas vel illa aut eorum singulas vel singula dissolvere possit.

Fides danda transumptis.

§ 8. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu secretarii ipsius Societatis aut notarii publici subscriptis, et personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae, seu ipsius praepositi aut vicarii generalis pro tempore existentis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, in iudicio et extra illud, adhibeatur quae adhiberentur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, nonis ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 5 ian. 1587, pontif. anno II.

LXXX.

De incestis quibusdam casibus ultimo supplicio in Statu Ecclesiastico puniendis.

Sixtus Papa V, motu proprio, etc.

Causae huius constitutionis.

Volentes, quantum in nobis est, comprimere effraenatas et flagitiosas hominum libidines, ex quibus, praeter gravem Divinae Maiestatis offensam, multa et magna in dies scandala, cum ingenti animi nostri dolore, exoriri videmus; ac subditos potissimum nostros, quorum salutis praecipuam et peculiarem gerimus sollicitudinem, peccandi licentia remota, ad pudicitiae et castimoniae studia salubribus

edictis incitare; ac attendentes gravia quaedam incestus crimina, tum naturali lege damnari, sicuti legimus Ruben, quia violavit torum patris sui, primogenituram et illius benedictionem perdidisse, tum et ab ipso Domino in lege prohiberi inter alias incestas cum affinibus vel consanguineis coniunctiones, ne quis uxoris patris sui neve nurus suae neque uxoris fratris sui turpitudinem discooperiret, neque sororem uxoris suae in pellicatum acciperet ea adhuc vivente; poenas quoque gravissimas in eadem lege inflictas fuisse, cum dicit, eos, qui cum noverca sua vel cum nuru sua dormierint, vel supra uxorem filiam duxerint matrem eius, omnes morte mori debere. Insuper Apostolum acriter reprehendisse Corinthios ob huiusmodi causam illis verbis: *Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Legibus etiam saeculi inter affines, veluti inter socerum et nurum, socrum et generum, vitricum et privignam, novercam et privignum, levirum et uxorem fratris, atque alias huiusmodi incestas coniunctiones, variis poenis vetitas fuisse, sed et incestum cum his personis fornicarie committentes, graviori animadversione coerceri [1]. Praeterea visum esse eam mulierem non recte facere, quae in patris concubinatu fuit, deinde in filii vel nepotis esse coepit, vel contra, quod nefaria sit talis coniunctio, et ideo huiusmodi facinus prohibendum sit. Itidemque sub poena stupri interdictum esse ne liberi concubinas parentum suorum uxores ducerent: ac demum secundum sacros canones affinitatis, non modo si ex legitimo matrimonio, verum etiam si ex fornicario et illicito coitu proveniat, rationem habendam esse [2], eodem Apostolo dicente: *An nescitis quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una:* adeo ut inter personas huiusmodi affinitate coniunctas, usque ad certos gradus matrimonia constare non possint, et propterea nequaquam tolerabile videri ut homines cum quibusvis personis, sine ullo earum delectu et distinctione, nulla etiam ratione habita reverentiae, erga eas praecipue personas, quibuscum huiusmodi arcto affinitatis vinculo coniuncti sunt, nedum divino, sed et naturali quodam iure debitae, more belluarum, impune ac temere misceantur. Et ne eorum impunitatis exemplo, alii deinceps in abominandam hanc libidinem prolabantur, sed potius, ut qui, Dei benignitate eos ad poenitentiam expectante, non corriguntur, condigna punitione coerceantur.

§ 1. Motu simili et ex certa scientia *etc.* auctoritate apostolica, perpetuo statuimus et ordinamus ut in posterum in alma Urbe nostra vel in quacumque alia civitate, oppido vel loco, nostrae et Romanae Ecclesiae ditioni in temporalibus subiectis, quicumque ausu nefario, scienter matrem et filiam sive duas sorores germanas carnaliter cognoverit, etiamsi eae earumve altera publicae meretrices fuerint, sive clam sive palam, aut figura matrimonii tale crimen admiserit, sive etiam cum altera earum legitimo matrimonio coniunctus extiterit, poena ultimi supplicii plectatur. *Vir scienter matrem et filiam sive duas germanas cognoscens,*

§ 2. Qua itidem poena mulier puniatur, quae sciens matrem aut filiam vel sororem suam cum aliquo viro rem habuisse, eidem viro ipsa quoque sui corporis copiam fecerit. *Mulier peccans cum eo cum quo scit matrem aut filiam aut sororem suam rem habuisse,*

§ 3. Similiter volumus unamquamque mulierem, etiamsi, instigante humani generis hoste, eo devenerit impudentiae ut corpore publice quaestum faciat, quae cum patre et filio sive cum duobus ger- *Mulier cum patre et filio vel duobus fratribus scienter peccans,*

1 Tol. tit. cod. et Auth. *De Incest. nup.* et *Instit.* tit. *De Nup.*; et l. 14 cum seq. Dig. *De Rit. Nup.*
2 C. VI et c. pen., *De eo quod cog. consan*, et ibi DD.

manis fratribus scienter se carnaliter commiscuerit, sive a praedictis sciens se carnaliter cognosci permiserit, etiamsi eorum alteri legitimo toro copulata fuerit, poena ultimi supplicii puniri.

Eidem poenae subsit qui mulierem patri cognitam scienter ingrediatur.

§ 4. Idque etiam in eum virum volumus observari, qui sciens patrem aut filium vel fratrem suum cum muliere aliqua rem habuisse, ipse etiam eamdem mulierem carnaliter cognoscere non erubuerit.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes sic in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causa et instantia, iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Iudicum auctoritas procedendi contra praedictos delinquentes eorumque fautores, iuxta formam huius constitutionis.

§ 6. Et nihilominus mandamus universis et singulis dictae Urbis ac totius Status nostri Ecclesiastici iudicibus, ordinariis, quavis dignitate et auctoritate fungentibus, modernis et pro tempore existentibus, quibus contra reos talium criminum iurisdictio competit vel in futurum competet, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, in eos, qui iuxta praemissa criminosi et delinquentes fuerint, ut supra dispositum est, animadvertant, contumaces, rebelles et inobedientes, eisque auxilium, consilium vel favorem praestantes, per opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam vel adhibito ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; dictaeque Urbis et aliarum eiusdem status, provinciarum, civitatum, oppidorum et locorum statutis, novis reformationibus, consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illarum civibus, incolis, populis et magistratibus aut aliis personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentis motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique, tam in iudicio quam extra illud, et tam in Romana Curia quam extra eam, plenam et indubitatam fidem faciat, regula contraria non obstante.

Forma et effectus publicationis huius constitutionis.

§ 8. Utque in valvis basilicae Principis Apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae more solito affigatur, et eo detracto, illius exempla, etiam impressa, inibi affixa relinquantur; factaque huiusmodi publicatione, hic in Urbe post quindecim, extra vero eam, post triginta dies, quoscumque perinde arctet et afficiat, acsi eorum unicuique personaliter intimatus fuisset.

Officiales curent in eorum locis hanc constitutionem publicari.

§ 9. Sed et quo facilius possit ad singulorum notitiam pervenire, mandamus omnibus et singulis legatis, vicelegatis, praesidentibus et gubernatoribus provinciarum et civitatum quarumcumque dictae nostrae ditionis ecclesiasticae, ut in sua quisque residentia, et in aliis terris et oppidis eis bene visis, curent eumdem motum proprium illiusve transumpta in locis consuetis de more publicari.

Exemplis credatur.

§ 10. Ac decernimus ipsis transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, nonis aprilis, anno II.

Papae subscr.

Fiat, motu proprio. F.

Publicatio.

Anno a Nativ. D. 1587, indict. 15, die vero 8 mensis maii, Pont. SS. in Christo Patris et D.N.D. Sixti divina providentia Papae V, anno eius tertio, retroscriptae

litterae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae Principis Apost. de Urbe, et in acie Campi Florae, per nos Ioannem Baptistam Bagni, et Octavium Tagliettum, cursores.

Alex. Parabacus, Mag. Curs.

Dat. die 5 aprilis 1587, pontif. an. II.

LXXXI.

Praefinitio titulorum et diaconiarum pro sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris et diaconibus cardinalibus [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex antiquissima institutione solent quaedam cathedrales ecclesiae Urbi finitimae assignari cardinalibus episcopis, et aliae Urbis ecclesiae aliis card. presbyteris, aliaeque card. diaconis.

Religiosa Sanctorum Pontificum praedecessorum nostrorum providentia institutum olim fuit, iam inde a vetustissimis temporibus et posteris traditum, ut sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris, certae in urbe Roma Ecclesiae, tituli appellatae, quasi quaedam cuiusque propriae dioeceses; diaconibus vero, Urbis regiones, ad christianae Religionis propagationem et conservationem, assignarentur. Quae quidem sancta institutio, plurium saeculorum continuata serie, ac pro temporum varietate susceptis incrementis, ad nostram usque aetatem servata, ita viget, ut praeter sex episcopos cardinales, qui certis cathedralibus ecclesiis Urbi finitimis praesunt, singulis presbyteris et diaconis cardinalibus propriae in Urbe ecclesiae, tituli videlicet et diaconiae, cum suis clero et populo, ac quasi episcopali iurisdictione in spiritualibus et temporalibus regendae et administrandae committantur.

Pontifex iste ecclesiarum titulos et diaconias pro eis determinat;

§ 1. Proinde nos, postquam per nostram nuper editam constitutionem creandorum cardinalium numerum, computatis sex episcopis praedictis, quatuordecim diaconis, reliquis vero presbyteris cardinalibus, ad septuaginta praescripsimus, nunc quoque, ad Dei honorem, atque ad ipsius sanctae Romanae Ecclesiae decus et ornamentum, ac Romani cleri et populi bonum regimen salubremque directionem, eisdem presbyteris et diaconis cardinalibus totidem titulos et diaconias, ipsorum amplitudini et dignitati maxime congruentes, duximus assignandos. Ac licet pleraeque ex antiquis ecclesiis in titulos et diaconias concedi solitis, aut a praedecessoribus nostris successu temporum additis, adhuc integrae et illaesae permaneant, tamen quia nonnullae, tum diuturnitate et iniuria temporum, tum diversis quae olim contigerunt eiusdem Urbis direptionibus, incendiis et ruinis, collapsae sunt, nos, antiquae pietatis et religionis christianae monumenta conservare cupientes, siculi sacrosanctas basilicas et augustiora templa antiquitate ipsa veneranda, nedum sarta tecta custodiri, sed et ingenti nostro sumptu refici, instaurari et ornari in dies magis curamus, ita etiam primo quidem loco veteres et nobiles ecclesias, priscis temporibus in titulos presbyterorum cardinalium, ut praefertur, institutas, delegimus, easque omnes, quae adhuc extant, volumus omnino in titulos pro modernis et futuris presbyteris cardinalibus retinere. Deinde ex iis, quae recenti memoria in titulos erectae fuerunt, praetermissis quibusdam, propter loci incommoditatem aut alias minus idoneis, ceteras itidem retinere, ac demum, ne titulorum numerus presbyteris cardinalibus desit, exemplo nonnullorum nostrorum praedecessorum, alias partim antiquas, nondum tamen huiusmodi honore decoratas, partim vero recentiores, celebres tamen ecclesias, dignitate praesulum maiorem in modum illustrare,

[1] Cardinalium numerum, ordinem, statum, officium et qualitates edixit hic idem Pontif. sup. in constit. LXXVI, pag. 808, ubi cetera de Cardinalibus notavi.

et in similes titulos erigere et instituere, ac pro numero presbyterorum cardinalium tot titulos addere et supplere; ex diaconiis quoque antiquitus institutis, quatuordecim magis insignes pro totidem diaconis cardinalibus seligere, et congrua distinctione confusionem perpetuo tollere decrevimus, eosdem nimirum titulos et diaconias proprios cuiusque ordinis certos et distinctos assignando, ita ut numquam in posterum, quod hactenus saepe factum est, presbyteris diaconiae, neque diaconis tituli presbyterales, perturbato ordine aut promiscue concedantur. Quod quidem rationi consentaneum videtur, ut, quemadmodum Summus Pontifex, universali Ecclesiae praesidens, et omnium totius orbis ecclesiarum sollicitudinem gerens, specialiter tamen Urbis Romae episcopus existit, et in ea divina dispositione supremam sacerdotalis potestatis cathedram tenet, pari quoque ratione cardinalibus, quos, uti speciales S. R. E. filios, in apostolici muneris functione atque in universae reipublicae christianae administratione praecipuos sibique maxime coniunctos habet consiliarios et cooperatores, in eadem urbe Roma, quae olim Beati Petri sede in ea constituta, ipsius et coapostoli eius Pauli doctrina et martyrio consecrata, et caput christiani orbis et religionis effecta est, certa sedes, mansionem et locum unicuique proprium assignet; cuius quidem loci concessione, iidem cardinales et sui officii admoneantur, et residentiae, quam assistendo ipsi Romano Pontifici servare debent, et vel ex hoc magis tamquam in unum corpus compacta membra, sacro capiti connexa esse et ab illo dependere clarius dignoscatur.

Titulosque hic descriptos pro quinquaginta presbyteris cardinalibus ordinat, et eis assignat.

§ 2. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio et assensu, statuimus et ordinamus, in posterum perpetuis futuris temporibus, presbyteris cardinalibus has tantum, quae infra descriptae sunt, ecclesias, neque alias, in titulos assignari debere, videlicet, ex antiquis S. Crucis in Hierusalem, Ss. Marcellini et Petri, Ss. Quatuor Coronatorum, Ss. Ioannis et Pauli, S. Anastasiae, S. Sabinae, S. Stephani in Coelio monte, S. Clementis, Ss. Nerei et Achillei, S. Susannae, S. Pudentianae, S. Sixti, S. Petri ad Vincula, S. Martini in Montibus, S. Eusebii, S. Priscae, S. Vitalis, S. Marci, S. Marcelli, S. Laurentii in Lucina, basilicae duodecim Apostolorum, S. Laurentii in Damaso, quae S.R.E. vicecancellario pro tempore existenti perpetuo concessa et assignata est, S. Balbinae, S. Ceciliae et Chrysogoni, S. Praxedis, S. Mariae Transtyberim. Ex posterioribus vero, Ss. Quirici et Iulitae et S. Ioannis ante Portam Latinam, S. Agnetis in Agone, S. Laurentii in Panisperna, S. Thomae in Parione, S. Silvestri in Campo Martio, S. Pancratii, S. Bartholomaei in Insula, S. Mathaei in Merulana, S. Mariae de Aracoeli, S. Mariae in Via, S. Mariae supra Minervam, S. Mariae Angelorum in Thermis, S. Hieronymi Illyricorum; necnon quas supradictis antiquis et posterius institutis addimus, et ex nunc in titulos presbyterorum cardinalium, cum honoribus, insignibus, privilegiis, auctoritatibus et praeeminentiis debitis et consuetis, instar aliarum ecclesiarum, quae in similes titulos per nostros praedecessores antiquitus erectae et institutae fuerunt, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus; ac titulorum nomine et dignitate insignimus et decoramus, S. Honuphrii in Ianiculo, mutato illius statu ex diaconia, quae hactenus fuit, in titulum presbyteralem, Sancti Augustini, Sanctae Mariae de Populo, Sancti Alexii in Aventino, S. Blasii de Annulo, S. Mariae de Pace, S. Salvatoris de Lauro, San-

cti Petri in Monte Aureo, Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio, S. Mariæ Transpontinae.

Diaconias quoque hic enarratas pro xiv diacon. cardinalibus ordinat et eis assignat;

§ 3. Ex diaconiis vero antiquis statuimus retinendas esse tantummodo quatuordecim infrascriptas, videlicet Sanctae Mariae in Aquiro, S. Mariae in Cosmedin, Sanctorum Cosmae et Damiani, S. Mariae Novae, S. Hadriani, S. Mariae in Via Lata, S. Mariae in Porticu, S. Angeli in Foro Piscario, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, S. Mariae in Dominica, S. Eustachii, S. Viti in Macello, S. Agathae ac S. Georgii ad Velabrum ecclesias, quae insigniores existunt et praescriptum a nobis diaconorum cardinalium numerum exaequant.

Episcopatus pro sex episcopis cardinalibus delegat;

§ 4. Ita ut, computatis ecclesiis cathedralibus, videlicet Ostiensi et Veliterna invicem unitis, Portuensi et S. Rufinae itidem unitis, Albanensi, Sabinensi, Tusculana et Praenestina, quibus sex episcopi cardinales praesunt, et titulis presbyterorum superius designatis, numerum septuaginta ecclesiarum constituant.

Alium tit. pro vicecancell. statuit;

§ 5. Et alter praeterea titulus supra numerum additus sit, ut si quando contingat diaconum vel episcopum cardinalem vicecancellarium esse, et ideo eumdem dictae ecclesiae S. Laurentii in Damaso, quae vicecancellario pro tempore existenti per litteras felicis recordationis Clementis Papae VII praedecessoris nostri, perpetuo, ut praefertur, concessa et assignata fuit, præesse, alicui presbytero cardinali proprius titulus non desit.

Ecclesias, quae aliter et etiam aliae ac supra expressae a cardinalibus obtinentur, ex nunc vacare decernit.

§ 6. Omnes vero illas ecclesias, quae per praesentem nostram constitutionem presbyteris cardinalibus in titulos assignatae sunt, nunc vero a diaconis cardinalibus, etiam forsan ex dispensatione apostolica, pro diaconia obtinentur; itidem omnes et quascumque ex quatuordecim superius enumeratis diaconiis, quae presbyteris cardinalibus in titulos forsan, etiam ex simili dispensatione, concessae alias fuerunt, et ab iis obtinentur; demum omnes et quascumque ecclesias superius non expressas, ipsis presbyteris aut diaconis cardinalibus in titulos aut diaconias commissas et assignatas ac per ipsos obtentas, volumus et decernimus per praesentes ex nunc eo ipso vacare, et quascumque illarum assignationes, concessiones, necnon dispensationes, desuper, etiam motu proprio et consistorialiter ac de simili fratrum consilio expeditas, quae a praedecessoribus nostris, quaeque a nobismetipsis emanarunt, litterasque apostolicas desuper confectas processusque habitos per easdem et inde secuta quaecumque cassamus, irritamus et annullamus, irritaque et nulla ac nullius roboris vel momenti esse nunciamus, mox assignaturi eisdem cardinalibus, ex quorum personis ecclesiae in titulos aut diaconias per eos hactenus obtentae, vigore huius nostri decreti vacant, et eorum cuilibet alios titulos aut diaconias ex supradicto numero, proprio cuiusque ordini congruentes.

Ecclesiasque praedictas tantum et non alias in titulum et diaconiam cardinalibus, modo et forma praedictis, in futurum assignari praecipit;

§ 7. In aliis vero, praeterquam supra nominatis ecclesiis, etiamsi earum aliquae in titulos presbyterorum aut denominationes diaconorum cardinalium concedi solitae sunt, et cardinales iis praefici consueverunt (quarum singularum situationes et invocationes praesentibus haberi volumus pro expressis), nomina, insignia, denominationes et statum huiusmodi titulorum aut diaconiarum perpetuo supprimimus et extinguimus; ac districte etiam interdicimus ne de cetero umquam, perpetuis futuris temporibus, alia quam ex suprascripto numero ecclesia in titulum aut denominationem cardinalatus cuipiam presbytero aut diacono cardinali concedatur aut assignetur; neque aliis quam supranominatis titulis aut diaconiis presbyteri vel diaconi cardinales praeficiantur; neve unquam aliqua

ex supradictis diaconiis, presbytero, neque contra, ullus ex dictis titulis diacono cardinali quomodolibet concedatur vel assignetur, neque cum iis aut eorum aliquo, ex quavis causa, desuper dispensetur.

Licentias retinendi ecclesiam prioris tituli vel diaconiae cardinalibus concedi prohibet.

§ 8. Sed et decreta alias in consistorio super hoc edita innovantes et ampliantes, pari ratione, etiam perpetuo, prohibemus ne in posterum alicui presbytero aut diacono cardinali, qui alterum titulum aut diaconiam quomodolibet assecutus fuerit, quive ex ordine diaconorum ad ordinem presbyterorum vel ad episcopalem dignitatem transierit, aut ex ordine presbyteratus in episcopum pariter promotus fuerit, licentia et facultas retinendi priorem ecclesiam sui tituli vel diaconiae in administrationem aut in titulum, neve canonicatuum et praebendarum, dignitatum, officiorum aut beneficiorum dimissi tituli vel diaconiae collatio, neque palatii, domus, vineæ, hortorum aut fructuum, reddituum et proventuum aut iurium quorumcumque ad huiusmodi titulos seu diaconias pertinentium, ad tempus seu ad vitam, retentio aut ulla alia reservatio, quovis praetextu, occasione vel causa, etiam melioramentorum et sumptuum in illarum reparationem, necessitatem sive utilitatem factorum, concedantur; sed volumus ut ipsi tituli et diaconiae, cum illis annexis, iuribusque et pertinentiis suis universis, libere dimittantur.

Cardinalesque in subscribendo litteris apostolicis nomen tituli aut diaconiae aut episcopatus sui exprimere debent.

§ 9. Insuper praecipimus et perpetuo ordinamus ut de cetero in quibuscumque litteris apostolicis, in quibus cardinalium subscriptio manu propria facienda erit, iidem cardinales, etiam tituli seu diaconiae vel episcopatus sui cardinalatus nomine expresso, se subscribant.

Decretum irritans.

§ 10. Decernentes per huiusmodi erectionem et institutionem decem praedictas per nos in titulos erectas ecclesias tantummodo, novis privilegiis et dignitate auctas, decoratas et insignitas, nihil autem omnino praeiudicii cuiquam illarum, nihil alieni iuris detractum aut immutatum censeri posse aut debere; sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et cardinales praedictos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane si secus super praemissis eorumque aliquo a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum supradictarum et aliarum quarumcumque, necnon Ordinum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac quibusvis personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Cardinalium munera circa sibi creditarum ecclesiarum regimen et administrationem.

§ 12. Sic igitur ipsi cardinales, quibus huiusmodi ecclesiarum regimen, cura et administratio pro tempore commissa erunt, eas in spiritualibus et temporalibus sollicite, fideliter et prudenter regant et gubernent, ac iuxta constitutionem piae memoriae Leonis Papae decimi, praedecessoris nostri, in concilio Lateranensi novissime celebrato, editam, frequenter visitent, circa cultum divinum invigilent, mores ac vitam cleri et populi eis subiecti diligenter explorent, eosque ad recte et honeste vivendum paterno moneant affectu; bonorum ac temporalium redituum curam gerant, sic ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem, pia et

magnifica structura et fabrica suas quique ecclesias instaurare studeant et exornare; et tam in vita quam in mortis articulo, pro divini cultus augmento et salute animarum suarum, ac ad congrue sustentandum aliquem presbyterum, qui inibi in divinis deserviat, sive alias erga ipsas ecclesias, si reparatione indigeant vel alia subventione, de bonis sibi a Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exhibeant et liberales, ut earumdem ecclesiarum decora et ornamenta tantorum praesulum respondeant dignitati, ac ipsae ecclesiae tam sublimibus personis gaudeant se commissas, et eorum amplitudine illustratas; iidemque cardinales exinde ipsius S. R. E., cuius nobilissima membra sunt, maiestatem, sua pietate, sollicitudine et prudentia in dies magis extollant, et reverentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter augeant, ac denique, praeter aeternae retributionis praemia, digna quo quelaudum praeconia, a nobis et Apostolica Sede valeant promereri.

Iussio describendi hanc constitut. in quinterno Cancell. Apostolicae.

§ 13. Mandamus vero ut praesentes litterae in quinterno Cancellariae Apostolicae de more describantur.

Sanctio poenalis.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, erectionis, institutionis, insignitionis, decorationis, voluntatum, decretorum, cassationis, irritationis, annullationis, nunciationis, suppressionis, extinctionis, interdicti, innovationis, ampliationis, prohibitionis, praecepti, derogationis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, idibus aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 13 aprilis 1587, pontif. anno II.

LXXXII.

Confirmantur constitutiones collegii Borromeiorum Papiensis [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Romanum decet Pontificem ea, quae pro collegiorum quorumlibet ad publicam christifidelium amore scientiae flagrantium utilitatem institutorum provido regimine feliciter facta et ordinata esse dicuntur, quo facilius ab iis, ad quos spectat, promptiorique obedientia recipiantur et firmius observentur, ac illibata persistant, apostolici muniminis praesidio roborare.

Sanctus Carolus Borromaeus huiusmodi collegium erigit, reservata sibi facultate statuta condendi.

§ 1. Sane, sicut dilectus filius Federicus ex comitibus de' Borromeis, clericus Mediolanensis, cubicularius secretus et familiaris ac continuus commensalis noster, modernus collegii Borromei nuncupati in civitate Papiensi erecti administrator, nobis nuper exponi fecit alias bonae memoriae Carolus tituli Sanctae Praxedis presbyter cardinalis Borromeus nuncupatus, volens rem litterariam, cuius ab ineunte aetate studiosissimus fuit, multis beneficiis ornare atque augere, ac ut pauperes adolescentes litterarum studiis dediti, etiam vitae morumque exemplo in academiis publicis aliorum studentium animos, non solum ad litterarum studia, verum etiam ad recte christianeque vivendum excitare possent, in civitate Papiensi, ad quam maximus studiosorum hominum concursus esse solet, et in qua ipse Carolus cardinalis iuris civilis scientiae operam dedit, collegium Borromeium nuncupatum,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tam in antiquis Borromeiorum quam aliis aedibus, earumque situ, de licentia Sedis Apostolicae construxit, illudque de eiusdem Sedis auctoritate, iuxta ordinationem ab ipso Carolo cardinale vel de eius voluntate praescribendam, erexit atque instituit, reservata tamen sibi facultate condendi statuta et ordinationes pro ipsius collegii regimine, ac illius bonorum administratione.

Quae nisi ipse ederet, voluit ut observarentur constitutiones compilatae a personis hic designatis.

§ 2. Ac voluit quod si ipse, aliqua de causa praepeditus, dictas constitutiones edere non posset, tum constitutiones et ordinationes per quondam Ioannem Baptistam Castellium, et Thomam Odescalcum, ac dilectum filium Ludovicum Moneta, presbyterum Mediolanensem, subscriptæ, in lucem proferendi, ab ipsius collegii administratore, rectore, collegialibus, singularibus dicti collegii personis omnino servarentur, ac alias prout in huiusmodi fundatione et aliis scripturis plenius dicitur contineri.

Ceteris praemortuis, solus Ludovicus Moneta illas edidit.

§ 3. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictis constitutionibus minime extensis et subscriptis, Ioannes Baptista, et Thomas praedicti, ipso Carolo cardinale adhuc tunc in humanis agente, decesserint, ac deinde idem Carolus cardinalis etiam ab hac luce migraverit, solusque Ludovicus praedictus, ut praefertur, unus ex tribus per praedictum Carolum cardinalem nominatis, adhuc vivens remanserit, qui post dicti cardinalis obitum constitutiones et ordinationes pro eiusdem collegii recta administrandi gubernandique ratione, iuxta dicti Caroli cardinalis mentem et voluntatem, eidem Ludovico cognitam, edidit, extensasque et manu propria subscriptas publicavit.

Federicus Borromaeus easdem auctoritate apostolica firmari petit.

§ 4. Cupiatque dictus Federicus constitutiones et ordinationes per eumdem Ludovicum sic, ut praefertur, editas et subscriptas, pro illarum subsistentia firmiori, ac ut inviolabiliter ab ipsius collegii administratore, rectore, collegialibus et aliis ad quos pro tempore quomodolibet spectabit, observentur, nostro et Apostolicae Sedis munimine roborari, pro parte dicti Federici nobis fuit humiliter supplicatum quatenus dictas constitutiones et ordinationes confirmare et approbare aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Easdem confirmat Pontifex;

§ 5. Nos igitur, qui ipsius collegii ab eodem Carolo cardinale, cuius memoria, ut pie creditur, in benedictione est, praecipua sua pietate et charitate, quemadmodum insignis laudibus et imitatione digna fuit, erecti et instituti profectum felixque regimen et augmentum sinceris exoptamus affectibus, ac constitutionum et ordinationum praedictarum tenores, de quibus per dilectum filium nostrum Scipionem tituli Sancti Simeonis presbyterum cardinalem Lancellottum nuncupatum, cui illarum revisionem demandavimus, nobis facta relatione, ad plenum informati sumus, ac certam scientiam habemus, praesentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ipsorumque constitutionum et ordinationum singula capitula eisdem praesentibus inserta fuissent, pro expressis et insertis habentes, ipsumque Federicum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones et ordinationes praedictas per Ludovicum editas et subscriptas, et etiam per Scipionem cardinalem praedictum recognitas ac etiam subscriptas, omniaque et singula in eis contenta, pro optimo ipsius collegii

illiusque collegialium ac rerum et bonorum regimine et administratione, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa nostra scientia, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Singulos defectus supplet;

§ 6. Omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, omnino supplemus.

Adeorum observationem omnes teneri declarat;

§ 7. Ipsiusque collegii administratorem, rectorem et collegiales aliasque dicti collegii personas nunc et pro tempore existentes ad earumdem constitutionum et ordinationum observationem teneri et obligatos existere, ac ob illarum non observationem poenas in eisdem constitutionibus et ordinationibus contentas incurrere volumus.

Sic a iudicibus definiri mandat;

§ 8. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Executores praesentium deputat;

§ 9. Et nihilominus venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mediolanensi, ac Papiensi et Laudensi episcopis per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, constitutiones et ordinationes praedictas ab eiusdem Collegii administratore, rectore, collegialibus et aliis illius personis nunc et pro tempore existentibus, etiam sub censuris et poenis, tam ecclesiasticis quam pecuniariis, eorum et cuiuslibet ipsorum arbitrio moderandis et applicandis, reclamatione, recursu aut exceptione quibuscumque cessantibus, inviolabiliter observari faciant; contradictores quoslibet et rebelles ac eiusdem constitutionibus et ordinationibus non parentes per easdem censuras et poenas, appellatione postposita, compescendo, ipsasque censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 10. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diætas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dicti collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, iudultis, exemptionibus, conservatoriis et aliis litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis: irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si administratori, rectori, collegialibus et personis praedictis vel quibusvis aliis eorum communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes ple-

nam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDLXXXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 aprilis 1587, pontif. an. II.

LXXXIII.

Contra non restituentes aut revelantes scripturas ad Reverendam Cameram Apostolicam quomodolibet spectantes, a commissario eiusdem Camerae coercendos [1].

Sixtus Papa V, motu proprio, etc.

Causa huius constitutionis.

Non sine maxima animi molestia accepimus a quampluribus annis citra, plures libros Camerae nostrae Apostolicae et illius ministrorum, ac diversas scripturas instrumentaque publica et privata, ad eamdem Cameram spectantia, ab aliquibus personis, tam ex archivio dictae Camerae, quam ex officiis notariorum illius et aliis locis clam subrepta et occultata fuisse, ac etiam alias diversimode amissa seu deperdita, ad variarum personarum manus devenisse, et per easdem personas temere et indebite detineri, in animarum suarum periculum, dictaeque Camerae et diversarum personarum interesse habentium damnum ac iacturam non modicam.

Scripturas Cam. Apost. detinentes et intra sex dies non restituentes seu scientes et non revelantes, poenas hic descriptas incurrunt.

§ 1. Motu igitur simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas personas, tam ecclesiasticas quam saeculares, et cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, etiam quavis amplissima dignitate fungentes, quae aliquos libros vel scripturas seu instrumenta quaecumque, publica vel privata, ad praefatam Cameram quomodolibet spectantia et pertinentia, undecumque subripuerint, vel ab aliis subrepta seu deperdita vel alias quomodolibet ad manus suas habuerint, et penes se detinuerint vel detineant de praesenti, aut illorum detentores sciverint vel sciant, in Domino monemus, eisque nihilominus in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis maioris latae sententiae poena, a qua non nisi a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, privationisque omnium et singulorum officiorum et beneficiorum suorum, si quae obtinent, inhabilitatisque ad illa et alia in posterum obtinenda, iniungimus et mandamus ut, intra sex dierum proxime futurorum terminum, quorum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos dies pro tertio et peremptorio termino assignamus, libros, scripturas et instrumenta praefata, qui illos et illa habent, dilecto filio Ioffredo Lomellino notario et familiari nostro ac dictae Camerae generali commissario, cui, sui officii ratione, huiusmodi scripturarum cura, et pro illis procedendi facultas, per alias nostras litteras praecipue demandata est, restituant. Alii vero scientes penes quos illa fuerint vel sint, eidem revelent et significent cum effectu. Hos enim qui libros, qui scripturas seu istrumenta praefata retinuerint aut occultaverint, seu illa retinentes non revelaverint, dicto termino elapso, ipso facto, et absque aliqua citatione et declaratione, poenas praefatas incurrisse, et ad illarum executionem deveniri posse et deberi decernimus et declaramus, ac volumus et mandamus.

Commissarius Cam. Ap., post sex dies, contra praedictos tamquam contra fures procedat.

§ 2. Mandantes propterea eidem Ioffredo commissario ut, elapso dictorum sex dierum termino, contra habentes seu detinentes libros, scripturas et instrumenta huiusmodi, ac illa et illas in dicto ter-

[1] Similem edidit const. Sixt. V. de qua et de officio commissarii vide hic supr. in constitut. LXVII, *Ad excelsum*, pag. 776.

mino non restituentes, vel ubi seu penes quem seu quos illa sint scientes et non revelantes, tamquam contra fures, etiam iuxta eius ordinarias facultates, etiam ex officio et per inquisitionem, ad illorum carcerationem et examina, pro reperienda veritate, ac prout iuris fuerit, ad eorum condemnationem, illiusque et praefatarum poenarum executionem, etiam omnibus aliis iuris et facti viis et remediis, opportune procedat.

Forma publicandi hanc bullam et aliam Pii V hic confirmatam.

§ 3. Ut autem haec omnibus innotescant, tam praesentes quarum solam signaturam sufficere volumus, quam motum proprium facultatum, quas piae memoriae Pius Papa V, praedecessor noster, olim, pro recuperatione scripturarum Camerae et Sedis Apostolicae, bonae memoriae Carolo de Grassis episcopo Montisflasconensi, et quondam Honuphrio Camaiano, dictae Camerae praesidenti, dum in humanis agerent, sub data videlicet XIV kalendas septembris, pontificatus sui anno tertio, concesserat, de quarum publicatione non constat, quasque facultates nos nuper in personam dicti Ioffredi commissarii per easdem nostras innovavimus, in valvis basilicae S. Petri de Urbe et Camerae Apostolicae, necnon Cancellariae nostrae Apostolicae, et in acie Campi Florae, per unum ex nostris cursoribus publicari, earumque exempla, etiam impressa, de more affigi mandamus; publicationemque huiusmodi eos, quos praemissa concernunt, afficere, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent, decernimus, cum eorum, quae tam publice notificantur, nulli valeat probabilem ignorantiam allegare.

Fides transumptorum.

§ 4. Ac etiam volumus et mandamus quod praesentium exempla, etiam, ut praemittitur, impressa, manuque dicti Ioffredi commissarii subscripta, et eius sigillo sigillata, eamdem ubique locorum fidem faciant, quam praesentes facerent, si in medium exhibitae essent vel ostensae. Et nihilominus etiam mandamus litteras apostolicas, sive sub plumbo sive in forma brevis, quandocumque expediri posse.

Papae subscr.

Placet, motu proprio, F.

Registratio in Camera.

Registrata in Cam. Apost. lib. I signaturarum S. D. N., fol. 178, penes me infrascriptum dictae Camerae notarium et custodem.

Tydeus de Marchis.

Die XXVII aprilis MDLXXXVII suprascripta motus proprii cedula affixa et publicata fuit, una cum alia superius narrata alterius motus proprii cedula, in locis suprascriptis, ut moris est, per me Io. Andream Panizzam, Sanctissimi D. N. Papae cursorem.

Alex. Parabiacus, Mag. Curs.

Pub. die 27 aprilis 1587, pontif. anno II.

LXXXIV.

Erectio typographiae Vaticanae [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium ob utilitate ac necessitate erigendi huiusmodi bibliothecam ductum.

Eam semper ex omnibus immenso muneri, quod substinemus, incumbentibus curis, potissimam ob oculos habendam, ac ibi solertius invigilandum et praecipue urgendum esse duximus, ubi, vel ad haereticorum execrabiles errores detegendos et conculcandos, vel ad religionem latius propagandam locum opportunum patefieri posse agnoscerimus. Considerantes etenim ex illa parte, illos paulatim suis erroribus serpentes, sensusque et veritatem sacrarum scripturarum insanis eorum fictionibus pervertentes, et pro illorum arbitrio contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, contorquentes, librosque etiam, prout impiarum mentium furor illis suasit, imprimentes, pristinam veritatem novis eorum menda-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ciis sub verborum nubibus involvere et corrumpere, ac corruptam per universum disseminare, et gregem Domini a recto tramite in eorum perniciem seducere et ipsorum veneno inficere ausos esse, hac ratione exitiosam admodum pestem perversarum praecipue scripturarum corruptis editionibus in christianam rempublicam impia immanitate evomuisse; ex altera vero, intuentes miserandam plurimorum populorum calamitatem, ad quos, in longinquis et remotis orbis partibus vel infidelium regionibus existentes, veluti in tenebris versantes, catholicae fidei fulgentes radios (obstantibus sibi vel haereticae pravitatis vel gentilis coecitatis nubibus) penetrar illorumque mentes illustrare adhuc datum non fuit, non potuimus non assiduo salutaria pro praemissis remedia sollicite conquirere et providere. Unde nobis, Deo iuvante, ex tot quot animo diu agitavimus, praeclarum et optimum nuper oblatum est, quo mediante, utrumque, ad quem anhelamus, praemissorum finem feliciter consequi in Domino speramus.

Libri sic edendi quarumque lingua, ad puritatem catholicorum dogmatum conservandam.

§ 1. Itaque perfectam et omni ex parte pro totis viribus nostris absolutam et elaboratam (conquisitis ad hoc peritis et integris viris) officinam seu typographiam in hac alma Urbe nostra perfectius quam unquam antea instituere, certamque illi sedem et locum in Vaticano apud nostrum Palatium Apostolicum decernere et constituere proposuimus, prout ex nunc harum serie decernimus et constituimus, in qua, ut puritas Evangelii, sublatis erroribus, suo illaeso candore perpetuo conservetur, libri sacri, sanctorumque patrum traditiones, vitae, gesta et miracula, ac purae doctrinae christianae dogmata et alia sacra opera, non modo latine et italice, verum etiam, ad communem cunctorum populorum universarumque nationum commoditatem et salutem, diversarum Barbararum linguarum idiomate, incisis et fabricatis ad hoc typis, singulis, quos iuvare studuimus, externis populis, aptissime congruis (quod operoso labore praestitum est) imprimantur, et in lucem edantur; ad hoc, ut sic impressa et edita, ad haereticorum confusionem, omnibus mendis et erroribus expurgata, puraeque veritatis nitore micantia, in lucem prodeuntia, uno et eodem tempore, illorum latentes maculas et laqueos patefaciant, et per diversas regiones per manus piorum religiosorum, eo ferventi charitate peregrinantium, circumferantur, disseminentur et distribuantur; illisque sic ubique diffusis, odore coelestis doctrinae excitati, in errores et obliquas opiniones prolapsi erigantur, fide infirmi sanentur, imbecilliores confirmentur, rudes imbuantur, et in tenebris ambulantes, ad veritatis semitas arripiendas illuminentur, ac denique omnes sanctorum doctrina et exemplis sursum elati, quid vere sibi sequendum quidve vitandum sit agnoscentes, animarum suarum saluti securius consulere possint.

Ei praepositus Dominicus Basa.

§ 2. Quocirca negocium huiuscemodi, Ecclesiae Dei ingens decus et incrementum mirifice afferens, alacriter amplexi, delecto ad hoc et vocato dilecto filio Dominico Basa Veneto, valde perito et plurimum in opificio huiusmodi versato, cuius fides et integritas nobis iam pridem perspecta ac probata fuit, illique cura officinae praedictae totaque summa huiusmodi rei commissa et demandata extitit, prout illam ei etiam harum serie committimus et demandamus, et ex eo quia nos illa praemissa concessimus, prout tenore praesentium concedimus, cum omnibus honoribus, oneribus, iuribus, lucris et emolumentis inde quomodolibet proventuris, seu quae provenire posse sperantur.

§ 3. Et quia etiam eidem suppeditare

Et mutuari a Cam. Apost. viginti millia aureos praecipit, intra decennium restituenda, ita tamen ut mons non vacabilis erigatur post viginti annos omnino extinguendus ex proventiis de restitutis;

promisimus, ad ingentes sumptus idcirco necessarios facilius subeundos, scuta viginti millia monetae tradenda et consignanda ipsi Dominico Basae, et per eumdem infra decennium a data praesentium proximum in manibus thaesaurarii nostri generalis pro tempore existentis, ad effectum extinctionis infra dicendae, integre et libere restituenda; ideo idem Dominicus Basa, primum erga nos et Cameram nostram, pro restitutione huiusmodi viginti millium scutorum, se suosque haeredes et successores ac bona omnia solemniter obligare, ac idoneas cautiones propterea praestare, necnon etiam pro subventione Sedis Apostolicae, quot annis, dicto decennio durante, scuta mille et ducenta monetae pariter in manibus nostri thesaurarii generalis pro tempore existentis se soluturum, et ad id similiter ut supra obligaturum et cautionem praestiturum libere obtulit. Nos propterea, perspicientes summam dictorum viginti millium scutorum pro dicto effectu parandam, absque nostro vel alicuius detrimento vel incommodo, facillime provideri, et cum nostrae et Camerae cautela omnes, qui pecunias huic negotio contulerint, et nobiscum propterea contrahent, abunde cautos reddi posse, siquidem dicta scuta mille et ducenta quot annis per dictum Basam solvenda applicentur eidem Camerae nostrae; et e converso totidem ex emolumentis vectigalium et proventuum nostrorum et Camerae praedictae constituentia, parem superius applicatae summam scutorum scilicet mille et ducentorum congerantur et secernantur ab ipsa Camera, quae propterea, stante dicta applicatione et subrogatione, nullam emolumentorum, diminutionem nullumque detrimentum patietur. Et super illis ita congestis et separatis, pro maiori contrahentium securitate et animi eorumdem quiete et satisfactione, unus mons non vacabilis pro dicta summa scutorum viginti millium exigentium quot annis, ad rationem scutorum sex pro quolibet loco, dictam summam scutorum mille et ducentorum erigatur, extinguendus postea, prout ex nunc extingui volumus et ordinamus, infra decennium, ex dictis scutis viginti millibus per praefatum Basam eo tempore solvendis, quae ad hunc extinctionis effectum ex nunc dictae Camerae Apostolicae et, eius nomine, thesaurario nostro generali pro tempore existenti, assignamus, concedimus, applicamus et appropriamus, ac appropriata et applicata esse volumus, adeo ut dictus thesaurarius generalis pro tempore existens illa recipere, et de receptis quietare, et eadem in extinctionem huiusmodi montis absque ulteriori nostro vel Sedis Apostolicae ordine vel licentia convertere possit et omnino debeat.

Talem montem erigit Sixtus;

§ 4. Volentes itaque huiusmodi nostram universae christianae reipublicae salutarem deliberationem ad optatum exitum perducere, motu proprio et ex certa nostra scientia, deque traditae nobis apostolicae potestatis plenitudine, unum montem, vulgariter stampae Vaticanae nuncupandum, viginti millium scutorum monetae decem iulii pro scuto comparatis super emolumentis et proventibus thesaurariatus nostrae provinciae Campaniae, ad rationem huius summae, ac cuius portiones et loca non vacent, et quorum quaeque non minor centum scutis similibus sit, quae quidem loca montis huiusmodi resignabilia sint et nunquam vacent ad instar aliorum montium non vacabilium, prout Montis Fidei, Alumeriarum, Religionis, Pacis, ceteraque eiusdem Urbis montium non vacabilium portiones et loca, quae inter stabilia reputantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus,

§ 5. Illique sic erecto et instituto, pro

Pro fructibus dicti montis redditus thesaurariae provinciae Campaniae assignat;

illius dote, ac eorum, qui, nostram et Romani Pontificis fidem secuti, pecunias in huiusmodi monte contulerint et collocaverint, annua responsione et honesto fructu, cuiuscumque illi sint qualitatis et conditionis, dignitatis vel status, saeculares vel ecclesiastici, etiam regulares, cuiusvis aetatis, etiam illegitimi, incapaces et inhabiles; necnon ecclesiae et alia quaecumque loca, religiosa et profana, summam scutorum mille et ducentorum similium ex tribus millibus et quingentis vigintiquinque scutis, quae annuatim rediguntur ex praedictae thesaurariae provinciae Campaniae appaltu, ad quorum solutionem in manibus nostri depositarii generalis pro tempore existentis faciendam dilecti filii Horatius et Hieronymus Sabelli, Marcellus et alii de Filonardis, dicti appaltus conductores, tenentur et obligati existunt ex instrumento die XV septembris anni Domini MDLXXXV, in actis dilecti filii Scipionis Pevelli eiusdem Camerae notarii, ex quibus scutis tribus millibus quingentis viginti quinque, deductis scutis mille et quingentis pro diversis sumptibus et oneribus, ut in dicto instrumento assignatis, libere deveniunt in manus dicti nostri depositarii generalis scuta duo millia et paulo plus; et ex illis sic liberis remanentibus, praedictam summam scutorum mille et ducentorum huic monti assignatam, ab omnibus oneribus, ordinariis et extraordinariis, defalcationibus, diminutionibus, praesentibus et futuris, liberam, immunem et exemptam esse volumus et eximimus et liberamus, ita ut iidem omnes, qui pecuniam in dicto monte collocaverint pro rata centum scutorum, singulis annis summam scutorum sex, ac finito unoquoque bimestri, incipiendo a kalendis mensis iunii proxime futuri, ratam eiusdem portionis partem, absque ulla prorsus diminutione, percipiat, applicamus et appropriamus; eamdemque summam scutorum mille et ducentorum super emolumentis dicti thesaurariatus provinciae Campaniae, ut præfertur, constitutam et assignatam titulo venditionis et alienationis eidem monti et locorum eiusdem emptoribus, quos hic pro singulariter nominatis haberi volumus, pro se ipsis et quibuscumque ab eis quandocumque nominandis, etiam utriusque sexus, personis, illarumque haeredibus et successoribus, qui inter sese collegium constituant, uti singulis et universis, perpetuo assignamus, ac in illos omne ius, potestatem et auctoritatem, in qua nos ipsi et Camera Apostolica est, transferimus; ipsosque in nostrum et Camerae praefatae locum, ius et actionem quoad dictam summam scutorum mille et ducentorum illiusque exactionem et perceptionem ponimus et subrogamus, dictamque summam scutorum sex pro quolibet loco per quemcumque libere et licite exigi, ac in sortem minime computari posse intendimus.

Montistis dat Privilegium Secretarium sibi eligendi.

§ 6. Cum facultate etiam dictis montistis eorumque collegio, ad instar aliorum montium Urbis, secretarium eiusdem montis ab ipsis eligendum, qui litteras patentes creditoribus descriptis in dicto monte conficiat et subscribat, et sigillo eiusdem montis munitas, illis concedat et consignet, ac iura eiusdem collegii in notam recipiat et conservet, deputandi et eligendi, qui tamen pro expeditione litterarum patentium ultra iulios duos percipere et exigere minime debeat.

Depositarium praedictum ad statutam summam persolvendam se eiusque bona vult obligari;

§ 7. Necnon contrahentium nobiscum et Camera praefata securitati consulere volentes, quod dilectus filius Joannes Augustinus Pinellus, noster depositarius generalis, et eius in huiusmodi munere pro tempore futuri successores, sese ipsos ipsorumque haeredes et bona, donec et quousque officium depositariae praedictæ retinuerit, pro dicta summa huic monti,

ut supra supposita, scutorum mille et ducentorum annuatim integre, et singuli bimestris in fine, incipiendo a kalendis mensis iunii proxime, ut supra, pro rata, absque ulla prorsus retentione seu diminutione, eiusdem montis pro tempore creditoribus et illorum cuilibet pro rata locorum seu creditorum ad unumquemque ipsorum spectantium, vel eorum nomine in manibus mercatoris in depositarium dicti montis per dictum Dominicum Basam, pro prima vice, et postea per collegium et montistas prædictos nominandos et eligendos, prout ex nunc Dominico et collegio praedictis et cuilibet illorum respective facultatem concedimus, libere persolvenda, in forma dictae Camerae et aliis arctis obligationum vinculis obligare teneantur, statuimus illisque id expresse iniungimus per praesentes.

Alias cautiones montistis praedictis concedit.

§ 8. Necnon eam summam, quae nemini adhuc assignata, et ab omnibus oneribus libera ex dicto appaltu remanet et superest, ultra dicta scuta mille et ducenta huic monti assignata, ac etiam ulterius annua scuta octingenta monetae redigenda ex novo appaltu propediem faciendo vectigalis cartae extrahendae ex Statu Ecclesiastico, et insuper dicta scuta mille et ducenta, annuatim per praedictum Dominicum Basam dicto depositario generali solvenda, et dictae Camerae Apostolicae per nos ut supra applicata specialiter prae ceteris, et praeterea etiam omnia et quaecumque emolumenta dictae officinæ seu stamperiae Vaticanae, et quaecumque eiusdem augmenta inde quomodolibet pro tempore resultantia, ac denique omnia et singula eiusdem Camerae mobilia et immobilia et semoventia bona iuraque, res et actiones, praesentia et futura, ubique locorum et gentium existentia, praedicto monti illiusque collegio et personis, uti singulis et universis, pro praemissorum omnium observatione, insolidum specialiter et generaliter obligamus atque hypothecamus, ac ad conservandum eosdem indemnes semper teneri, ac eiusdem Camerae ministros et agentes ad eximendum personas praedictas ab omni molestia et detrimento obligatos quoque volumus.

Huiusmodi montistis ceterorum montistarum privilegia communicat;

§ 9. Et insuper eisdem montistis eorumque haeredibus et successoribus quibuscumque, tam respectu personarum quam ipsius montis ac annui redditus, ut supra assignati, necnon liberae perceptionis et dispositionis tam inter vivos quam in ultima voluntate et aliorum quorumcumque montistas et successores prædictos quomodolibet concernentium, ut omnibus et singulis immunitatibus, libertatibus, praerogativis, privilegiis, gratiis, favoribus, honoribus, exemptionibus, facultatibus et indultis, quibus Fidei, Alumeriarum, Religionis et Pacis montes in Urbe pridem instituti, quibuscumque illa sint concepta tenoribus, formulis aut confirmationibus et innovationibus vallata, quae, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, haberi volumus pro expressis, quibusque eorumdem montium descripti creditores utuntur, potiuntur et gaudent, ac quandocumque in futurum utentur, potientur et gaudebunt, etiamsi notam magis specialem requirerent, quam praesentibus sit expressa, uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, concedimus et indulgemus; ac montem praedictum, illiusque loca et portiones respectu summae illis assignatae omnino reductionibus, diminutionibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam prætextu enormissimae laesionis, urgentis necessitatis seu evidentis utilitatis, aut alia quacumque causa, sive in genere sive in specie faciendis, obnoxia, sed firma perpetuo et inviolata persistere, nec quemquam ex ipsius montis deinceps creditoribus, aut ab eis causam et ius habentibus super integris fructibus et emolumentis

praedictis quocumque modo turbari vel impediri, quinimmo in illorum pacifica et quieta liberae fructuum perceptionis et pretii dispositionis possessione, vel quasi, contra quoscumque defendi, conservari et perpetuo manuteneri debere, etiamsi officina seu stamperia praefata ex quocumque opinato vel inopinato eventu effectum in toto vel in parte minime sortiretur; seu, illo sortito, nunc seu quandocumque deficeret, cessaret seu penitus quomodocumque sublata esset, unde dictae Camerae de subrogatione dictorum mille et ducentorum scutorum loco totidem dicto monti suppositorum, nec inde nec aliunde consultum aut provisum remaneret, quoniam fidem nostram secutos eiusdem montis creditores praedictis vel aliis quibuscumque opinatis vel inopinatis futuris casibus nullo modo subiacere, nec minus eosdem ad probandum vel docendum, in iudicio vel extra, pecunias in dicto monte collocatas, aut illarum partem in causam superius expressam, vel in aliam dictae Sedis vel Camerae necessitatem vel utilitatem conversas fuisse nullo unquam tempore teneri seu quomodolibet obligatos esse volumus, sed illos ex nunc a praemissis penitus absolvimus, eximimus et liberamus.

Alia quoque concedit privilegia;

§ 10. Quinimo etiamsi nulla ex praemissis utilitas Sedi vel Camerae Apostolicae resultaret, sed contrarium penitus apparere ullo unquam tempore posset, nihilominus ne quisquam fide nobis credita defraudetur, sed e contra semper laetus et contentus acquiescere possit, omnes et singulos dicti montis pro tempore existentes creditores sola et simplici praesentium ostensione perpetuo securos remanere volumus, absque eo quod aliud ulterius demonstrare, quaerere vel introspicere teneantur, quia ita motu, scientia et auctoritate praedictis omnino volumus et statuimus, atque has nostras litteras vim validi et efficacis contractus inter nos successoresque nostros, iusque et causam ab illis habuerint solemniter initi et stipulati obtinere, eumdemque ab omnibus observari debere, neque ab illo sub quocumque quaesito colore vel ingenio resiliri possit, aut in iudicium vel controversiam deduci; necnon, quibuscumque oppositionibus non obstantibus, dictum thesaurarium generalem ac etiam depositarium generalem et quoscumque illorum successores ad praestandam summam praedictam, ut praefertur, monti assignatam statutis temporibus libere et expedite teneri et obligatos esse, et ad id iuris et facti remediis opportunis cogi et compelli posse; facultate tamen redimendi dictum montem pro eodem pretio nobis et successoribus nostris perpetuo reservata.

Praesentibus perpetuam addit firmitatem.

§ 11. Sicque in omnibus et singulis praedictis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere: necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus et ordinamus.

Novi montis protector thesaurarius Rev. Camerae constituitur.

§ 12. Demum, ut omnia pro executione praemissorum necessaria rectius suo ordine procedant, dilectum filium Guidum Pepulum, thesaurarium nostrum generalem, dicti montis protectorem et administratorem cum plena et ampla facultate et absoluta auctoritate omnia et singula, quae ad ipsius montis progressum, defensionem et utilitatem spectare dignoverit, gerendi, administrandi, curandi et exequendi, ac etiam in hac prima erectione litteras patentes emptoribus locorum eiusdem, donec collegium inter sese constituant, sub eius nomine et sigillo concedendi et expediendi, et interim pariter

secretarium praedictarum eligendi instituimus et deputamus.

Obstantium derogatio.

§ 13. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Pii PP. IV, praedecessoris nostri, de similibus vel dissimilibus gratiis, indultis et concessionibus in Camera Apostolica intra tres menses praesentandis et registrandis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque omnibus et singulis, quae minime obstare volumus, et quae latius expressa et specificata fuerunt in aliis litteris nostris erectionis montis pacis, quae his pro repetitis et iterum specificatis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus quoque ut praesentium transumptis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici vel defensoris pro tempore existentis collegii dicti montis subscriptis, et sigillo eiusdem montis vel cuiusvis personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio et extra, regula seu constitutione quacumque contraria edita vel edenda non obstante, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII aprilis MDLXXXVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 aprilis 1587, pontif. anno II.

LXXXV.

Institutio hospitalis pauperum mendicorum in Urbe ad eos pie alendum, eorumque animae et corpori salubriter consulendum, cum annuorum redituum et privilegiorum assignatione.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quamvis infirma et varia mortalium conditio ita divinae providentiae inscrutabili dispensatione ordinata, et quasi in quosdam gradus distincta sit, ut, secundum propriam vocationem, aliqui in hoc mundo temporalibus copiis abundent, aliqui mediocrem aut tenuem vitam degant, quidam autem pauperes et miserabiles sint, qui aliena divitum ope ad sui sustentationem indigeant, quod et ita semper fore, Moyses populum Israel præmonuit, dicens: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae: idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terra.* Et Dominus discipulis suis confirmavit illis verbis: *Semper pauperes habebitis vobiscum.* Ipse tamen rerum divinarum atque humanarum rector ac moderator Deus, qui vitae subsidia et opes sic inaequaliter hominibus distribuens ac dividens, non ideo iniustus aut iniquus, quod absit, dici potest, nec sine causa efficit ut alii affluant et abundent, aliis vero haec ipsa desint et illis egeant, sed ut hac via divites quidem suae benignitatis ac fidelis administrationis praemia accipiant, pauperes vero per virtutem patientiae coronati, digna mercede honorentur; voluit, pro sua immensa in universum genus humanum caritate ac beneficentia, potissimum erga pauperes et egenos eam specialem ac perpetuam curam diligenter adhiberi, ut neque indigerent, neque mendicare cogerentur, quemadmodum et praedicto populo Israel per eumdem Moysen expresse mandavit: *Omnino indigens et mendicus non erit inter vos, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem.* Et inter christifideles, in ipso nascentis Ecclesiae initio, sub sanctis apostolis plene servatum esse, eorumdem apostolorum acta testantur. *Neque enim,* inquiunt, *quisquam egens erat inter illos.* Quare idem Dominus noster Jesus Christus, volens mundo universo, ac praeci-

Pauperum subventio, pietas et misericordia commendatur.

pue fidelibus suis aperte demonstrare quanti faceret humilitatis eximiam virtutem, et quam sibi cara et dilecta esset paupertas, ac pariter docere ne a divitibus et opulentis hominibus pauperes despicerentur, eorumque cura negligerentur, primum quidem ipsemet, quando, iuxta praeclara vaticinia prophetarum, e coelo in terras, humana carne assumpta, descendit, non regium diadema aut sublime aliquod decus, quod mundo ostentaret, et hominum oculis obiiceret, secum detulit: *sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens,* ac pauper in stabulo nasci, locum in diversorio non habere, pauperis præsepis angustiis contineri, pauperem demum vitam, quam pro nobis suscepit, eligere ac usque in finem retinere dignatus est, ut non immerito dixerit: *Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et per os David prophetae: *Ego autem mendicus sum et pauper:* Et Apostolus scripserit: *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Deinde etiam pauperum et miserabilium personarum, dum in mundo conversatus est, singularem quandam sollicitudinem gessit, eosque divinis gratiis et beneficiis multipliciter adiuvit, quod passim evangelica testatur historia, dum pauperes sibi discipulos delegit, dumque caecis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis et paralyticis corporis et membrorum integritatem reddidit, leprosos mundavit, daemoniacos liberavit, aliosque variis languoribus et infirmitatibus laborantes et oppressos curavit, pauperum quoque sequentium turbas coelesti verbo saepius pavit et instruxit, et eas quandoque esurientes, etiam corporalibus mirabiliter satiavit alimentis. Et confirmat apostolus Jacobus, dicens: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Ac praeterea misericordiam et eleemosynas, quae pauperibus fiunt, tamquam sibi factas recipit et acceptas refert. Unde et a sanctis et piis viris pro pauperibus peregrinis et mendicis, non angelos modo, sed angelorum Dominum saepius hospitio susceptos fuisse legimus; quod et Apostolus ad Hebraeos memorat dicens: *Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis.* Ac denique fideles cunctos, ad sublevandas pauperum necessitates, monitis et praeceptis et maximis etiam propositis praemiis, in scripturis sacris vehementer inflammat; ait enim per Isaiam: *Frange esurienti panem tuum et egenos, vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum operi eum,* et quae sequuntur. Ac rursus paulo infra: *Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebrae tuae erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et erit quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae.* Atque in Evangelio per seipsam Veritas dicit: *Cum facies convivium, voca pauperes, debiles, claudos et caecos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Et iis demum testatur se in novissimo die aeternae beatitudinis præmia paravisse, qui misericordiae opera in pauperes et egenos exercuerunt, ipsis namque dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus, et operuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram,*

et venistis ad me. Et rursus, ***Amen** dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Iste Pontifex, ob causas hic expressas,

§ 1. Quae quidem nos attentius considerantes, ac recolentes in quadam aliquando sinodo pie constitutum fuisse ut unaquaeque civitas pauperes et egenos incolas suos alimentis congruentibus pasceret, secundum vires, ut tam vicini presbyteri, quam cives omnes suum pauperem pascerent, quo fieret ne pauperes ipsi per alienas civitates vagarentur; atque olim huiusmodi hospitalia, in quibus pauperes et mendici alerentur, in multis civitatibus extitisse, et in aliquibus etiam in Italia adhuc vigere, simulque egenorum calamitates, quorum ingens quotidie numerus nobis ante oculos versatur, paterna caritate miserati, tum christianae pietati, tum etiam nostro pastorali officio consentaneum esse duximus, in hac alma Urbe pietatis et caritatis altrice, ad quam ex omnibus totius orbis terrarum regionibus, quasi communem patriam et tutissimum refugium, in sinum et gremium S. R. E. plurimi pauperes fame, frigore, nuditate, rerumque omnium inopia confecti, ac variis morbis et incommodis conflictati, se recipiunt, domum hospitalem instituere, in quam omnes benigne excipiantur, alantur, vestiantur, paratos habeant lectos, cibos, potum aliaque ad imbecillia corpora confovenda et recreanda opportuna, hac demum ratione provideatur ne ulterius mendici per vias et plateas tota Urbe dispersi ac vagantes, victum quaeritando defatigentur, ne, non modo publica loca aut privatarum aedium vestibula, sed ipsa quoque templa gemitibus et eiulatibus compleant, ne suis clamoribus obstrepant fidelibus, dum divinis officiis aut missae sacrificio intenti sunt, ne in ecclesiis, in quibus debet esse quieta conversatio, quaerimoniis, lamentis ac vociferationibus tumultus excitent; ne ipsa divina officia et circumadstantium devotionem importunis ac molestis vocibus perturbent; ne, quod praecipue nobis cordi est, dum incertis sedibus Urbem peragrant, proprium parochum non agnoscentes, absque alicuius divini praecepti aut bonorum morum notitia, tanquam bruta animalia rationis expertia, cibo tantum quaerendo et ventri pascendo intenti, aberrent: ita ut nemo illis sacramenta ecclesiastica ministrandi, nemo eorum salutis spiritualis curam specialem gerat. Postremo, ut eadem opera, cunctis, quos in publicum quaestum incerta mendicitas vocaverit, inspectis, exploretur, in singulis integritas corporum et robur annorum, atque inertes quidam et sine ulla debilitate internoscantur, eorumque ignaviae et nequitiae via praecludatur, qui, simulata infirmitate seu praetextu fictae aut per socordiam, et otium affectatae paupertatis, alimoniam vere infirmis ac pauperibus praeripiant, ac simulandi morbi infamem quandam, dolosam et fraudolentam artem factitant, mox bene valentes, robusta et valida totius corporis firmitate, ludis, commessationibus aut illicitis aliis rebus vacant, cum salutis suae dispendio, multorumque scandalo et offensione.

Hospitale mendicorum in Urbe erigit, et ministros quatuor ad eius regimen singulis annis eligi mandat;

§ 2. Ut igitur eorumdem mendicorum animae et corporis saluti consulatur, hocque tam salutare et necessarium opus, alias a nonnullis praedecessoribus nostris inchoatum, semper tamen ex eo quod certos redditus pro alimentis inopum non assignarunt, inefficaci conatu relictum et dimissum, nunc demum nostra auctoritate, nostraque ingenti, pia tamen, impensa, ut prosperiores successus optatumque effectum sortiatur et perpetuo subsistat, scandalisque et incommodis praedictis occurratur, ac Sedis Apostolicae, quae omnes afflictos materno sinu semper complectitur, pietas et benignitas in dies ma-

gis elucescat: habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio et assensu, ad Dei omnipotentis gloriam, pauperum mendicorum commodum et salutem, ac piorum operum incrementum, in eadem alma Urbe, in aedibus prope Pontem Sixtum ad Tyberis ripam sitis, quas ad hoc nostris pecuniis magno pretio emimus, ut ad usum eorumdem pauperum instauratione et fabrica opportuna accommodari curavimus, unum hospitale pauperum mendicorum utriusque sexus, in quo tamen seorsum viri a mulieribus manere et commorari debeant, pro ipsorum perpetuis receptione, habitatione et substentatione, cum suis oratorio, sacristia, coemeterio, humili campanili et campanis, ac distinctis et separatis, pro eisdem utriusque sexus personis, refectoriis, dormitoriis, hortis, areis, cellis et officinis, congrua suppellectili, utensilibus aliisque rebus necessariis, non mediocri nostro sumptu comparatis, sufficienter instructum, per quatuor viros clericos aut laicos idoneos et probatos, quorum duo a populo Romano in publico consilio, et duo reliqui a dilectis filiis confratribus archiconfraternitatis Sanctissimae Trinitatis Convalescentium et Peregrinorum, cuius oratorium ibi proximi via intermedia constitutum existit, ex suo corpore annis singulis eligantur et deputentur, regendum, administrandum et gubernandum, ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Redituque et annuos proventus assignat;

§ 3. Ac ipsi hospitali pauperum mendicorum erecto et instituto, dotis nomine, et ad sustentandos pauperes reditum annuum novem millium scutorum monetae Romanae, iuliis decem pro quolibet scuto huiusmodi computatis, ita constituimus et assignamus, ut videlicet pro nunc in praesentis operis inchoatione super exactione seu gabella lignorum combustibilium ac reditibus ex ea annuatim provenientibus ad hunc potissimum usum a nobis nuper destinata, quinque millia scuta annuatim perpetuo percipiantur: reliqua vero quatuor millia scuta annua ex pensionibus per conductores alterius novae gabellae super attractione seu conductione navium et navicularum, quae per Tyberim flumen cum bubalis, iumentis vel aliis animalibus deducuntur annuatim persolvendis. Quoniam nostris sumptibus, tam dictà utensilia et suppellectilia, ut praefertur, pro usu ipsius hospitalis, quam etiam alia inpraesentiarum necessaria pro victu et vestitu eorumdem mendicorum empta iam et comparata ac satis abunde provisa sunt, nunc demum in eiusdem hospitalis usus erogari et converti volumus et mandamus, ubi et quando ad urgentes illuc confluentium necessitates maiori impensa opus esse compertum erit, ac emolumenta tam ex primodicta, quam si opus erit, ex secundo dicta gabellis proventura, mendicorum huiusmodi necessitatibus perpetuo dicamus, applicamus et appropriamus: inhibentes in virtute sanctae obedientiae, ac sub poena excommunicationis per singulos contravenientes eo ipso incurrenda, praedictis thesaurario et commissario generalibus nunc et pro tempore existentibus et aliis, ad quos spectat, ne praedictos ex huiusmodi gabellis sic per nos assignatos et applicatos annuos reditus in alios, quamvis pios et necessarios, usus erogare aut convertere audeant vel praesumant, et quod nobis licere non patimur, idipsum nostris successoribus indicamus. Eamdem assignationem et applicationem iuramento a nobis praestito de rebus Ecclesiae non alienandis nequaquam adversari arbitrantes, tum quia provenit ex gabellis de novo institutis,

quas dicta Camera hactenus nunquam habuit, et in quarum redituum percipiendorum seu exigendorum possessione vel quasi nunquam fuit: tum quia, quod pauperibus erogat, Deo ipsi, qui nobis omnia tribuit, dari censendum est.

Hospitale et eius officiales pauperesque in eo degentes et eorum bona a iurisdictione et iudicum superioritate et officialium Urbis eximit;

§ 4. Volumus autem hospitale pauperum mendicorum praedictum, ac illius pro tempore existentes administratores, officiales, ministros et alios servientes, ratione ipsius hospitalis dumtaxat, pauperesque in eo degentes necnon eiusdem hospitalis pauperum mendicorum bona mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, in dicta Urbe et extra ac alias ubique locorum consistentia, exempta esse ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentium dictae Urbis gubernatoris, senatoris, conservatorum reformatorumque, ac nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis in dicta Urbe in spiritualibus vicarii, necnon causarum curiae Camerae Apostolicae generalis auditoris, et cuiusvis ordinarii locorum, aliorumve quorumcumque iudicum et officialium in ipsa Urbe vel alias ubilibet constitutorum.

Exemptionemque a quacumque gabella et decima d. hospitali et cum eo contrahentibus concedit;

§ 5. Ipsumque hospitale pauperum mendicorum et quoscumque in propriis eorum rebus et bonis cum eo contrahentes a solutione et exactione quorumcumque, ut vocant, pedagii, gabellae, bollettini, decimarum et cuiusvis alterius, tam ordinarii quam extraordinarii, oneris, ex quacumque causa impositorum et imponendorum, eximimus et prorsus liberamus; ac sub Beati Petri et Sedis Apostolicae atque nostra protectione suscipimus et collocamus, nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus, ac liberos, immunes et exemptos declaramus. Necnon sanctae Romanae Ecclesiae camerario, vice-camerario, praesidentibusque et clericis Camerae Apostolicae, senatori, conservatoribus, reformatoribus aliisque officialibus, iudicibus et personis praedictis et quibusvis ad exactionem decimarum, et aliorum onerum praedictorum pro tempore deputatis, ne quarumcumque litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum praetextu, hospitale pauperum mendicorum administratores, officiales, ministros et servientes praedictos personasque in eo degentes super praemissis quovis modo molestent seu molestari permittant, districtius inhibemus.

Mendicos hospitalis circa ieiunia, esum carnium, habito utriusque medici consilio, dispensat;

§ 6. Praeterea pauperibus mendicis in eodem hospitali pro tempore degentibus, quorum infirmitas vel nimis imbecilla valetudo aut corporis habitudo ieiunium seu carnium et lacticiniorum abstinentiam ferre non poterit, ut de utriusque medici consilio, quibusvis quadragesimalibus et quatuor anni temporibus, ac vigiliis et aliis diebus, in quibus ieiunium ab Ecclesia indictum, aut carnium, ovorum et lacticiniorum usus de iure vel consuetudine seu alias prohibitus existit vel fuerit, carnibus, ovis, butyro, lacticiniis et aliis cibis prohibitis huiusmodi uti et vesci.

Presbyteris in dicto hospitali deputandis, circa administrationem sacramentorum, pro mendicis, ministris, et servientibus hospitalis, facultates hic expressas concedit.

§ 7. Singuli quoque presbyteri, saeculares et cuiusvis Ordinis regulares, qui ad hoc a gubernatoribus et administratoribus seu deputatis pro tempore existentibus hospitalis mendicorum huiusmodi electi, et a praedicto in Urbe vicario approbati fuerint, singulos pauperes, ministros et servientes eiusdem hospitalis mendicorum, et a quibusvis excommunicationis, etiam maioris, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, quibus innodati fuerint, necnon quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus de quibus dicta Sedes me-

rito consulenda foret, videlicet in casibus, tam ordinariis locorum quam etiam Sedi Apostolicae quomodolibet reservatis, non autem in iudicium deductis, neque contentis in litteris die Coenae Domini legi solitis, semel in ingressu hospitalis, et iterum ab omnibus supradictis, nullo prorsus excepto, in mortis articulo, confessione eorum diligenter audita, in foro tantum conscientiae, absolvere, iniuncta inde eis pro modo culpae, suo arbitrio, poenitentia salutari. Quodque pauperibus, ministris et servientibus hospitalis mendicorum huiusmodi, sacramenta ecclesiastica administrare et defunctorum corpora in proprio coemeterio sepelire libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Peregrinos in eodem hospitali benigne etiam recipi mandat.

§ 8. Ceterum volumus ut in hospitali praedicto, sic per nos erecto, pauperes et mendici advenae per Urbem transeuntes, si eo divertere voluerint, benigne recipiantur, ac eis tres refectiones subministrentur, et inde cum Dei benedictione ad iter suum prosequendum dimittantur.

Rationes computorum ab officialibus singulis mensibus exigi praecipit.

§ 9. Praecipimus vero quatuor administratoribus seu deputatis praedictis ut ipsi singulis mensibus ab oeconomis, procuratoribus, officialibus, ministris et quibusvis personis dicti hospitalis pauperum mendicorum rationes accepti et expensi eiusdem hospitalis diligenter exigant et inspiciant, eosque ad huiusmodi rationes reddendas cogant omnino et compellant, prout eorum unumquemque ad id teneri volumus et decernimus.

Thesaurarium et commissarium generales, eiusdem hospitalis gubernatores deputat.

§ 10. Ac insuper ut ipsius hospitalis pauperum mendicorum conservationi, bonoque regimini eorumdemque pauperum indigentiis opportunius consulatur, dilectos filios nostros et Camerae Apostolicae thesaurarium et commissarium generales, nunc et pro tempore existentes, eiusdem hospitalis pauperum mendicorum gubernatores et superintendentes constituimus et deputamus, quorum consilio et ope quatuor administratores seu deputati praedicti curam et gubernium eorumdem mendicorum ac dicti hospitalis, illiusque redituum, proventuum, iurium, actionum et bonorum mobilium et immobilium, oblationumque et eleemosynarum administrationem gerant. Denique cetera omnia ad pietatem et caritatem exercendam pertinentia, peragant, ordinent ac decernant. Mandantes eisdem thesaurario et commissario, modernis et pro tempore existentibus, ut una cum ipsis quatuor administratoribus seu deputatis, tam iterum praedictas quam alias quascumque rationes et computa dicti hospitalis, illiusque debitorum, saltem tertio quoque mense, et praeterea quoties opus fuerit, exigant, accurate videant, examinent et solident. Dantes illis et concedentes plenam et liberam facultatem et auctoritatem praedictos oeconomos, procuratores, officiales, ministros, servientes, debitores et alios quoscumque, quorum intererit, ad reddendas huiusmodi rationes opportunis iuris et facti remediis cogendi et compellendi, et eos qui satisfecerint, quietandi, absolvendi et liberandi, ac similiter cum interventu eorumdem quatuor administratorum seu deputatorum, pro salubri directione et conservatione dicti hospitalis pauperum mendicorum, illiusque bonorum et iurium temporalium et spiritualium, quoscumque officiales, procuratores, ministros et servientes in eo deputandi et amovendi, aliosque eorum loco sufficiendi, ordinationes et statuta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et generalis concili Tridentini decretis non contraria, faciendi et edendi, eaque, cum visum fuerit, revocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de novo condendi. Quae quidem statuta sic facta, edita, revocata, immutata et correcta, postquam per nos

aut Romanum Pontificem pro tempore existentem approbata fuerint, ab omnibus supradictis gubernatoribus, administratoribus seu deputatis, oeconomis, procuratoribus, officialibus, ministris, servientibus et aliis quibuscumque inibi pro tempore receptis, inviolabiliter observari volumus; ac iuxta eorumdem dispositionem a quibusvis iudicibus, sublata eis quavis aliter iudicandi facultate, iudicari et definiri debere; et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentare contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Urbis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Urbis gubernatori, senatori, conservatoribus, reformatoribus, vicario, auditori causarum Curiae dictae Camerae, aliisque superius nominatis, necnon praedictae Urbi et Populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Hortatio ad ministros hospitalis ut bene ministrent.

§ 12. Ut autem hoc pium et salutare opus feliciora in dies, Deo favente, suscipiat incrementa, eosdem gubernatores, administratores seu deputatos, œconomos, procuratores, officiales et ministros dicti hospitalis enixe hortamur et monemus ut curam ipsius hospitalis pauperumque mendicorum, qui in eo recipientur, ita alacriter et prompte suscipiant, pauperes ipsos mendicos sincera in Domino caritate tractent, bona temporalia eiusdem hospitalis fideliter et prudenter dispensent et administrent, ac demum piis huiusmodi operibus, ad Dei gloriam pauperumque utilitatem et salutem se ferventer exerceant, ut exinde, praeter coelestis regni praemia, etiam nostram et Sedis Apostolicae benedictionem et gratiam consequi mereantur.

Fides exemplorum.

§ 13. Et quia difficile foret praesentes litteras ad singula loca ubi eis opus fuerit, deferre, volumus ut earum transumptis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra illud, ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis originalibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, quinto idus maii, pontificatus nostri anno III.

Ego Sixtus *Episcopus catholicae Ecclesiae ff.*

Sequuntur card. subscriptiones.

Dat. die 11 maii 1587, pontif. anno III.

LXXXVI.

Declaratio quod suppellectilia ad cultum divinum destinata per obitum praelatorum in regnis Hispaniarum relicta, capitula debeant de manibus generalis collectoris spoliorum Camerae, non autem propria auctoritate recipere [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex, cui universalis Ecclesiae cura a Domino commissa est, super iis, quae in favorem ecclesiarum et divini cultus ac alias a praedecessoribus suis facta ac sancita sunt, si hominum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

malitia atque audacia aliter quam par est, et contra verum illorum sensum interpretentur, ipsique homines sinistre eisdem utantur, novis constitutionibus declarat ac statuit, et ne in Ecclesia Dei, quam decet omnis sanctitas, abusus irrepant, aut si iam irrepserunt, ut inde removeantur, studio providet diligenti, prout ipsa rerum experientia docet ac suadet esse faciendum.

Pius V sacra supellectilia apud ecclesiasticos defunctos reperibilia in Hispaniis, ecclesiarum capitulis addixit per ipsa capitula propria auctoritate capienda.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, postquam felicis recordationis Pius PP. V, praedecessor noster, quadam sua perpetua valitura constitutione de spoliis inter alia declaraverat ac statuerat quod de cetero omnia et singula ornamenta et paramenta ac vasa et alia res ac bona per quoscumque patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates et alios quoscumque ad usum et cultum divinum, etiam in eorum privatis aedibus et cappellis, destinata, tempore eorum obitus ex testamento vel ab intestato relicta, sub appellatione spoliorum minime venirent, sed ad singulas ecclesias, monasteria et beneficia, quae tales personae ecclesiasticae viventes obtinuissent, omnino spectarent, et illis postquam ipsae personae obiissent, incorporata censerentur, ipsarumque ecclesiarum capitula illa propria auctoritate retinere possent, ut in dicta constitutione plenius dicitur contineri, non defuerint nec desint de praesenti ex capitulis ecclesiarum in regnis Hispaniarum consistentium, qui diversa res et bona ex spoliis archiepiscoporum et episcoporum post illorum obitum, sub praetextu quod illa, tanquam divino cultui dicata, ad ipsorum ecclesias spectent, auctoritate propria et de facto usurparunt et sibi appropriarunt, in grave etiam Camerae nostrae Apostolicae praeiudicium, et ipsorum usurpantium animarum periculum.

Cum vero capitula praetextu talis constitutionis usurparent etiam alias res ad Cam. Apost. ratione spolii pertinentes;

§ 2. Ad horum igitur reprimendam audaciam, praesenti nostra constitutione perpetuo quoque valitura, apostolicae Sedis auctoritate, declaramus, statuimus, decernimus et ordinamus quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus per nunc et pro tempore existentem Camerae praedictae illiusque iurium et spoliorum huiusmodi in regnis et partibus Hispaniarum generalem collectorem, aut ab eo deputatum dumtaxat videri ac declarari debeat, quae ex rebus et bonis quorumcumque archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, commendatariorum et aliarum quarumcumque personarum ecclesiasticarum in eisdem partibus et regnis Hispaniarum, et in quibus dictus collector deputatus fuerit, pro tempore decedentium, servitio et cultui divino vere destinata ac dicata sint.

Sixtus iussit per collectorem spoliorum esse declaranda quae divino cultui applicanda.

Et sic tales res capitula de manu dicti collectoris percipere debent.

§ 3. Ita quod capitula ipsarum ecclesiarum illa de manu ipsius collectoris aut ab eo deputati, non autem propria auctoritate, recipere et habere possint ac debeant.

Iussit quoque ut certae solutiones ab ecclesiarum praelatis ipsis ecclesiis faciendae fiant intra biennium captae possessionis, sub poena caducitatis contra eos ipsas ecclesias et capitula quibus huiusmodi solutiones faciendae erant.

§ 4. Insuper, quia ad aures quoque nostras pervenit episcopos et alios praelatos earumdem ecclesiarum in dictis regnis et partibus Hispaniarum, qui ad ipsas ecclesias illarumque regimina promoti, certa regalia, quae solutiones capparum seu boni ingressus appellant, capitulis earumdem ac ipsismet ecclesiis solvere tenentur, solutiones huiusmodi, vel usque ad diem sui obitus vel quamdiu possunt, diferre solitos esse, non sine eiusdem Camerae nostrae damno et praeiudicio, hac eadem constitutione nostra ordinamus ac volumus quod omnes et singulae huiusmodi solutiones, sive praedicto sive alio quocumque nomine nuncupentur, per quoscumque archiepiscopos, episcopos et praelatos ac alios partium et regnorum praedictorum, ad quos quomodolibet spectat, intra unum aut ad summum duos annos a die adeptae per

ipsos regiminis, necnon bonorum vel maioris partis eorum quarumcumque ecclesiarum cathedralium, etiam metropolitanarum, ac monasteriorum et aliorum beneficiorum ac locorum, ubilibet in dictis partibus et regnis existentium, in quorum superiores et praelati ad aliquas huiusmodi solutiones tenentur, possessionis computandos, omnino et integraliter fieri; quin etiam, tempore praedicto durante, capitula et canonici ac alii, quibus illae debentur, easdem exigere et recuperare debeant, alias tempore huiusmodi elapso, omnis actio, quae desuper contra dictam Cameram praetendi posset, eo ipso cesset aut cessare intelligatur, nec iam capitulis, canonicis et alias super spoliis ac bonis praelati pro tempore defuncti quomodolibet praetendentibus ullum prorsus ius, ullaque actio super eisdem solutionibus, illarumque exactione et recuperatione competat nec remaneat.

Et sic in perpetuum iubet observari.

§ 5. Decernentes sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate atque auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; ac ecclesiarum, monasteriorum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDLXXXVII, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 15 maii 1587, pontif. anno III.

LXXXVII.

Indultum ut commissarius generalis ordinis fratrum Minorum de Observantia nunc et pro tempore existens in partibus Indiarum habeat vocem activam et passivam in capitulo generali [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum ad regendos fratres Minores de Observantia degentes in partibus Indiarum, sive totius novi orbis, carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici ditioni subiectarum, praeter duos commissarios et ministros provinciales et duos custodes, qui totidem provinciis illarum partium praesunt, etiam unus commissarius generalis depurari soleat, secundum statuta in congregatione Toletana instituta, qui supremam, in omnes personas regulares dicti Ordinis in illis regionibus potestatem habeat; ac licet in capitulis generalibus eiusdem Ordinis, quae pro tempore celebrantur, praedictum commissarium generalem pro tempore existentem interesse deceat, ac eius praesentia, ex eo quod de rebus et negotiis, deque statu et indigentiis ipsius Ordinis plene instructus et informatus esse solet, sit admodum fructuosa et quodammodo necessaria; vocem tamen activam et passivam in dicto capitulo generali, iuxta litteras felicis recordationis Leonis Papae X, nostri praedecessoris, et forsan alia ipsius Ordinis statuta, minime habeat, non mediocriter expedire, et rationi consonum esse iudicamus, ut, quoniam ex ministris provincialibus et custodibus quam plures, ob locorum intervallum ac distantiam, ad capitula generalia accedere non possunt, et plerumque eorum aliquis deest, saltem commis-

Causae dandi privilegii.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

sario generali praedicto vox activa et passiva concedatur, praesertim cum hoc ipsum valde gratum et acceptum praedicto Philippo regi fore existimemus, et tam ultramontani quam cismontani fratres communiter in hoc concurrant.

Declaratio, de qua in rubrica.

§ 2. Quare nos, bono regimini eiusdem Ordinis consulere volentes, ac de religionis zelo, aliisque probitatis et virtutum meritis dilecti filii Hieronymi de Guzman, moderni commissarii, plurimum in Domino confisi, motu proprio, tam eidem Hieronymo quam cuivis alteri pro tempore futuro commissario generali dicti Ordinis in partibus praedictis, ut in generali in domo B. Mariae de Aracaeli de Urbe iam congregato capitulo et quibuslibet aliis capitulis generalibus congregandis, et in omnibus eorum capitularibus, quae in futurum ubilibet in locis celebrabuntur, in electione generalis ministri et alias in omnibus et per omnia vocem activam et passivam ac locum congruentem, prout aliis commissariis generalibus dicti Ordinis dari solet, omnino habeat, et sua voce uti et locum retinere libere et licite valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae

§ 3. Decernentes praedictum Hieronymum ac pro tempore existentem commissarium generalem ad vocem activam et passivam et locum huiusmodi per eos, ad quos spectat, omnino, et quacumque contradictione, appellatione aut recursu remotis, recipi et admitti debere; necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus dictis Leonis praedecessoris litteris; ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam tales voces cuipiam alteri quam certis personis tunc expressis concedi prohibentibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini aut illius superioribus ac personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, tenores huiusmodi pro expressis ac ad verbum insertis habentes, ad effectum praesentium dumtaxat, latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 maii 1587, pontif. anno III.

LXXXVIII.

Statuitur quod capitulum generale Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Paula de cetero de sexennio in sexennium celebrari debeat. [1]

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

De sacrarum religionum quarumlibet salubri directione solliciti, ea pro pastoralis officii nostri debito constituimus, per quae illarum profectibus occurritur, et dispendiis obviatur.

Capitula generalia singulis trienniis celebrari solebant, sed propagato huiusmodi Ordine, tam frequentia capitula noxia esse coeperunt

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, capitulum generale Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Paula singulis trienniis in festivitate Pentecostes, iuxta ipsius Ordinis statuta seu privilegia et indulta illi a Sede Apostolica concessa, celebrari, et in eo corrector generalis eiusque collegae ac zelosus dicti Ordinis nonnisi ad triennium eligi consueverint; ordo autem praedictus, benedicente Domino, ita ex-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

creverit, ut frequentes illius domus in variis mundi provinciis institutae, et propagatae reperiantur, et propter locorum distantiam domus ipsae in suis provincialibus et aliis religiosis ad dictum capitulum generale unoquoque triennio transmittendis maxima rerum et impensarum dispendia subire cogantur, nec infra triennium huiusmodi ab eodem correctore generali commode visitari possint. Singuli vero correctores dictarum domorum, qui annales dumtaxat existunt, antequam de statu earumdem domorum ac rebus ad illarum curam et administrationem pertinentibus instrui possint, officiis suis destituti remaneant; et huiusmodi annalis eorum mutatio, domibus praedictis plurimum damni et incommodi adferat.

Statuit itaque Pontifex ut in posterum singulis sexenniis cogantur.

§ 2. Nos, ex his et aliis causis animum nostrum moventibus, opere praetium fore arbitrati ut provisionis nostrae ministerio incommodis et dispendiis praedictis aliqua commoda ratione occurratur, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, statuimus et ordinamus quod ex nunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, dictum capitulum generale in festivitate Pentecostes huiusmodi de sexennio in sexennium, non autem quolibet triennio, ut hactenus observatum fuit, congregari et fieri, et tam dilecti filii Gregorius Carbonellus a Paula, corrector generalis, eiusque collegae ac zelosus in capitulo generali novissime celebrato electi, quam qui deinceps ad correctoris generalis, eiusque collegarum ac zelosi eiusdem Ordinis officia pro tempore eligentur, in suorum huiusmodi officiorum functione per integrum sexennium a die electionis de sua cuiusque persona factae computandum, et usque ad eiusdem Ordinis capitulum generale post electionem huiusmodi proxime futurum insistere et perseverare. Singulae autem domus praedictae, lapso anno administrationis modernorum earum correctorum annalium, non amplius per annales, sed biennales correctores, de biennio in biennium eligendos et deputandos, regi et gubernari debeant; servata tamen alias forma, in electionibus tam generalis quam aliorum correctorum, necnon zelosi et collegarum huiusmodi hactenus observari solita, quam salvam et illaesam esse volumus.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore, etiam praetextu quod ad id ipsius Ordinis capitulum generale specialiter indictum et interesse habentes vocati non fuerint, seu ex quavis alia quantumvis legitima causa, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari seu invalidari, aut ad ius vel controversiam revocari posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et deffiniri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis et apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinis et domorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus et quantocumque tempore observatis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque generali et aliis correctoribus, necnon zeloso,

collegis, fratribus, religiosis et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos, dictamque Sedem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter vel alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro eorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes; illis alias in suo robore permansuris, ad hoc ut praesentes litterae suum omnino consequantur et consequi debeant effectum, specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum fore et esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die IV iunii MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 iunii 1587, pontif. anno III.

LXXXIX.

Erectio cappellae ad praesepe Iesu Christi in basilica S. Mariae Maioris de Urbe, cum praepositi, sacristae, cappellanorum et beneficiatorum institutione, atque cardinalis protectoris et iudicis causarum ad eos spectantium iurisdictione.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Gloriosae et semper Virginis Dei genitricis Mariae salutiferam faecunditatem humiliter venerantes, intra cuius castissima viscera, virtute Altissimi mirabiliter obumbrante, divina Sapientia sibi domum aedificavit, summas illius laudes et praeclara in universum genus humanum, sed in nos potissimum, merita, et verbis et factis, quantum pro humana imbecillitate possumus, libentissime praedicamus. Hanc enim beatissimam Virginem gratiae et misericordiae parentem ab ipsa pene infantia nobis advocatam delegimus, cuius patrocinio et intercessione multis periculis erepti fuimus, et multa beneficia a bonorum omnium largitore Deo accepimus.

Pontifex ab infantia, Beatam Virginem sibi advocatam delegit, eiusque patrocinio multa pericula evasit.

§ 1. Itaque, cum alias eiusdem sanctissimae Virginis nomine et miraculorum splendore illustres ecclesias semper in honore habuimus, tum in primis erga celeberrimam eius in alma Urbe basilicam ad Praesepe Domini, quae S. Mariae Maioris appellatur, praecipua quadam et pia devotione affecti sumus.

Eius ideo ecclesias et maxime basilicam S. Mariae Maioris devote admodum coluit.

§ 2. Cumque consideraremus S. Dominici Praesepis sacellum in eadem basilica situm, ob sacras illius praesepis reliquias, in quo Rex Gloriae nasci non abhorruit, et infans iacuit, magna in veneratione merito habitum, minus decenter pro loci dignitate et sanctitate ornatum et extructum esse; nos, cupientes tam eximium et religiosum monumentum debito cultu decentique ornatu augere, ac nobili aedificio circumseptum communire, opus sane viribus nostris et facultatum nostrarum illo quidem tempore tenuitate maius, freti ope eiusdem Deiparae semper Virginis, et animo suscepimus et re

Praesepis itaque sacellum in d. basilica minus decenter extructum videns, dum card. erat, B. Virginis ope fretus, insignem ibi capellam aedificavit.

ipsa aggressi sumus. Nam iampridem, cum S. R. E. cardinalatus honore fungeremur, loco a dilectis filiis capitulo eiusdem basilicae, interveniente etiam auctoritate felicis recordationis Gregorii Papae XIII, praedecessoris nostri, nobis concesso, insignem cappellam, et spatii amplitudine et substructionis magnificentia, templi instar, coepimus a fundamentis aedificare.

Interim eiusdem B. Virginis precibus fuit Pontifex creatus, dictamque cappellam egregie exornavit et perfecit 1.

§ 3. Cumque aedificatio feliciter procederet, ecce divina sic disponente clementia, nullis nostris meritis, sed ipsius beatissimae Virginis precibus, in Apostolicae Sedis fastigio locati sumus. Quare inchoatum opus tanto impensius urgentes, nullisque quamvis maximis sumptibus parcentes, cappellam ipsam testudine sublimi plumbi laminis extrinsecus tectam, et pretiosis crustis et tegmentis marmorum, atque opere tectorio marmorato, egregiisque picturis et sacris imaginibus et loco ipso congruentibus exornatam, ita demum, benedicente Domino, perfecimus atque omni ex parte absolvimus, ut ipsa antiqua venerandi Praesepis aedicula, multis catenationibus, colligationibus et fulcturis circum adhibitis, ne parietes dissolvi, neve opus ulla ex parte labefactari posset, magna ergatarum et tractoriarum machinarum vi, ingenti labore atque artificio, tota simul solida ac prorsus integra, quod factu difficillimum videbatur, veteri sede convulsa et in altum sublata, in medium ipsius novae capellae gremium, sub eius pavimento, in locum subterraneum translata atque asportata fuerit, ubi et specus circumcirca humili fornice concameratus, per quem circuiri possit, extructus est gradibus ad commodum descensum in eamdem Sacri Praesepis aediculam, et dictum specum hinc inde ante positis, ut christifideles viri tantum laudes et preces Deo offerre, et presbyteri in altari ibidem sito missas devote celebrare valeant.

Et altare maius ad missas Pontificis celebrandas constituit.

§ 4. Altare item supra ipsius aediculae fornicem constituto, et ad missas pontificias celebrandas.

Alia duo altaria ad limina d. capellae adiunxit.

§ 5. Duo praeterea minora, sed tamen insignia, altaria sive sacella, nostra itidem impensa aedificata, eodem modo picturis et ornamentis magnifice exculta ad ipsius cappellae limina ab utraque parte adiunximus.

Unum S. Luciae, ubi duo SS. Innocentium corpuscula recondi voluit.

§ 6. Unum videlicet sub S. Luciae Virginis et martyris invocatione dicatum, cuius festus dies idem natalis noster est, et quam ab ineunte aetate omni studio venerati, ut pro nobis apud Deum intercederet, magna cum fiducia assidue precati sumus; sub cuius etiam altari in arca marmorea duo sacra beatorum Innocentium corpuscula, a basilica S. Pauli extra Portam Ostiensem nostro iussu translata, rite recondi curavimus, ut ad Christi infantis cunabula, iidem sancti Innocentes (flores ac primitiae Martyrum, Deoque gratissimae victimae) quodammodo excubare videantur.

Alterum vero S. Hieronymi.

§ 7. Alterum vero in honorem et memoriam S. Hieronymi praestantissimi Ecclesiae doctoris, cuius titulus in Ecclesia Illyricorum fuit nobis in nostra assumptione ad cardinalatus honorem assignatus et perpetuo retentus, quique Praesepe Domini ita vivens coluit, ut ex hoc mundo decedens per illud tamquam vitae ianuam ad coelestem patriam commigrarit.

Post perfectum opus huius cappellae, compertum est eam esse similem veteri cappellae ad Praesepe Domini in Ecclesia Bethlehemitana, quod ex inspiratione

§ 8. Cum igitur, Deo favente, pium huiusmodi opus iam absolutum et ad tectum perductum foret, compertum est tandem, relatione ac testimonio fide dignorum virorum, qui ex peregrinatione Terrae Sanctae nuper in Urbem advenerunt, nobis nihil tale umquam cogitantibus, non humano consilio, sed plane divino

1 Ad quam praesepis aediculam mortuus, fuit transportatus.

divina in Pontificem fecisse videtur.

instinctu, ita contigisse ut haec nostra cappella, veteri cappellae ad Praesepe Domini positae in ecclesia Bethleemitana, quae est in Palestina, aedificio, substructione ac praecipuis suis partibus admodum similis evaserit. Nam et a sinistra parte ecclesiae, uti haec nostra sita est, et habet aediculam Praesepis Dominici subterraneam, nostrae consimilem, tectam testudine, opere vermiculato ornatam, sicuti et haec est, ad quam et per gradus descensus patet; habet quoque illa cappella marmoreum, uti et haec nostra, pavimentum. Altaria etiam proxima in memoriam sanctorum Innocentium, S. Catherinae virginis et martyris, et Sancti Hieronymi extructa, quemadmodum et nostra unum in S. Luciae, cum reliquiis sanctorum Innocentium, et alterum in eiusdem S. Hieronymi memoriam pariter erecta, ita ut ipsa gloriosa virgo, quae olim primis sanctae huius basilicae fundatoribus certos fines et locum nivibus, quarum memoria in hodiernum usque diem religiose colitur, mirabiliter praescripsit ac designavit, nunc etiam in nostra cappella, quasi dictae basilicae appendice extruenda, divinitus mentem nostram inspiraverit, simulque suae ac divinae voluntatis et providentiae admirabilem minimeque obscuram dederit significationem.

In eadem cappella idem Pontifex sepulchra magnifice extruxit, alterum Pio Papae V, a dextris cappellae; alterum sibi a sinistris, aliud etiam in vestibulo pro suis consanguineis sepelien. posuit

§ 9. Demum vero nos, ad Dei omnipotentis et intemeratae Virginis partus gloriam fidelisque populi erga coelorum Reginam devotionem augendam, eamdem cappellam solemni ritu consecrari et dedicari curavimus, atque in ea duo sepulchra conquisitissimis columnis et lapidum varietate, opere sumptuoso ac magnifico extruximus, quorum alterum sanctae memoriae Pio Papae V, nostro etiam praedecessori, de christiana republica deque nobis optime merito, a dextris eiusdem cappellae posuimus, ut perpetuum nostri erga eum grati et pii animi apud posteros monumentum extet; alterum a sinistris ad nostram sepulturam reservavimus; tertium vero separatim in vestibulo dictae cappellae, et in ipsa navi basilicae illi contigua, pro nostris dumtaxat consanguineis sepeliendis assignavimus.

Et modo ad laudem eiusdem B. Virginis, et d. Praesepis venerationem, unam sacristiam, quatuor cappellanias, et quatuor clericatus in dicta cappella erigit et instituit.

§ 10. Ut autem in eadem cappella nostra ad ipsum Sanctum praesepe, ubi angelorum chori Deo gloriam et hominibus pacem annunciarunt, et ubi nos anno praeterito, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus ac aliis episcopis et praelatis in natalis Domini nocte, missarum solemnia celebravimus, assidue incruentum salutaris hostiae sacrificium, pro nostra et totius populi christiani salute, offeratur, et divinae laudes atque officia persolvantur; ob eam causam certos presbyteros et clericos, qui in cappella duobusque ei coniunctis sacellis seu altaribus praedictis Deo inserviant, constituere decrevimus. Cum itaque, sicut accepimus, S. Ioannis de Pyro Policastren., et S. Leonardi Salernitan. civitatum vel dioecesum monasteria, Ordinum S. Basilii et S. Benedicti, quae bonae memoriae Petrus episcopus Caietanus, et quondam Ludovicus Blanchettus clericus, ex dispensatione et concessione apostolica, in commendam, dum viverent, respective obtinebant, utraque commenda huiusmodi, per obitum Petri episcopi et Ludovici praedictorum, qui apud Sedem praedictam diem clauserunt extremum, cessante, adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabant, modo vacaverint et vacent ad praesens; et dilectus filius noster Philippus tituli S. Sabinae presbyter cardinalis Spinola nuncupatus, qui monasterium Sancti Nicolai de Butramo dicti Ordinis S. Basilii, Hieracensis dioecesis, ex simili concessione et dispensatione in commendam ad eius

vitam nuper obtinebat, posteriori commendae huiusmodi ac omni, et cuicumque iuri sibi in dicto monasterio S. Nicolai illiusque regimine et administratione vel ad illa quomodolibet competenti, hodie in manibus nostris sponte et libere cesserit. Nos, cessionem huiusmodi admittentes, ac cappellam nostram praedictam, ad eiusdem Redemptoris nostri laudem et honorem, et gloriosissimae Illius Genitricis dictique Sancti Praesepis memoriam et venerationem, ac divini cultus incrementum, competenti beneficiorum et ministrorum ecclesiasticorum numero stabilire, annuisque reditibus, pro congrua eorum substentatione et manutentione, onerumque illis ac dictae nostrae cappellae, necnon illius fabricae et sacristiae pro tempore incumbentium supportatione necessariis, dotare volentes, verumque et ultimum dictorum monasteriorum vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, resultet, praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in cappella nostra praedicta unam praepositaram, quae in ipsa basilica secunda dignitas existat, hoc est prima post archipresbyteralem, pro uno praeposito, utriusque vel alterius iurium doctore, seu in theologia magistro, et in presbyteratus ordine constituto; ac unam sacristiam, pro uno sacrista; et quatuor perpetuas sine cura cappellanias pro quatuor perpetuis cappellanis presbyteris; et quatuor alia clericatus nuncupanda perpetua simplicia beneficia ecclesiastica pro totidem aliis clericis nuncupandis perpetuis beneficiatis; quorum siquidem sacristiae, cappellanorum et beneficiatorum, qui clerici nuncupantur, dictus praepositus caput existat, ac in rebus, negotiis et actibus per eos tractandis et faciendis primum et digniorem locum habeat, ibidemque praesit; ac tam ipse quam praedicti sacrista, cappellani et beneficiati dictae cappellae, prout inferius descriptum erit, deserviant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Pro illorumque substentatione, reditus beneficiorum hic descriptorum eis assignat.

§ 11. Ac eidem cappellae nostrae illiusque fabricae et sacristiae, necnon communi massae ipsorum praepositi, sacristae, cappellanorum et beneficiatorum, pro eorum manutentione et substentatione ac onerum illis incumbentium supportatione, singula monasteria praedicta, quae conventu carent, ac quorum fructus, reditus et proventus, S. Ioannis videlicet ad quadraginta, S. Leonardi vero ad quinquaginta florenos auri, in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur; Sancti Nicolai autem, ac illi perpetuo annexorum, S. Mariae de Pigliano, et eiusdem S. Mariae de Canisis quingentorum et quinquaginta ducatorum auri de Camera secundum communem existimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, quibusvis modis et ex quorumcumque personis, seu per liberas quorumvis cessiones de illorum regiminibus et administrationibus, in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factas, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum provisio, iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones, ad Sedem praedictam legitime devoluta existat, et illa ex quavis causa ad Sedem eamdem specialiter vel generaliter pertineat, et de illis consistorialiter disponi consueverit seu debeat; ac super regiminibus et administrationibus monasteriorum huiusmodi inter aliquos lis vel eorum possessorio molestia, cuius litis statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum prae-

dictis et forsan aliis illis annexis, eorumque membris, grangiis, praediis, possessionibus, decimis, primitiis, vineis, terris, agris, censibus, fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis, pertinentiis, rebus et actionibus universis, ceterisque bonis, mobilibus et immobilibus ac se moventibus, cuiuscumque qualitatis, pretii et valoris annui existentibus, ac ubique locorum consistentibus eorumque proprietate et dominio. Ita quod liceat collegio, praepositi, sacristae cappellanorum et beneficiatorum huiusmodi, per se vel alium seu alios, eorum et dictae nostrae cappellae, illiusque fabricae et sacristiae suaeque mensae seu massae communis nominibus, corporalem, realem et actualem possessionem monasteriorum, annexorum, membrorum, grangiarum, praediorum, possessionum, decimarum, primitiarum, vinearum, terrarum, agrorum, censuum, iurium, pertinentiarium, rerum, actionum et bonorum huiusmodi, propria auctoritate, absque spolii et attentatorum vitio, ac cuiuscumque iudicis decreto vel ministerio, libere apprehendere et perpetuo retinere, illaque regere et administrare; necnon fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta eorumdem percipere, exigere et levare, illaque in suos, secundum ordinationem inferius per nos descriptam, et dictae cappellae nostrae illiusque fabricae et sacristiae usus, utilitatem et necessitates omnino convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ac in eisdem monasteriis sic unitis, eorumque ecclesiis, annexis, membris et grangiis, dignitates abbatiales, illarumque titulos, nomina et denominationes, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo supprimimus et extinguimus.

Praeposito et cappellanis praedictis quasdam missas, et anniversaria celebrandi curam iniungit.

§ 12. Statuentes et ordinantes ut praepositus et cappellani praedicti singulis diebus dominicis et festivis missas quatuor, aliis vero diebus, tres missas, alternis vicibus seu hebdomadatim, iuxta providam dispositionem et ordinationem desuper ab eis faciendam, celebrare; et quotannis tria anniversaria officia mortuorum, unum videlicet pro dicti Pii praedecessoris, et aliud pro nostra, postquam viam universae carnis ingressi fuerimus, reliquum autem pro parentum et propinquorum nostrorum ac infrascriptorum patronorum animabus; quae tamen non intra dictam cappellam nostram, sed extra eam, in illius vestibulo, quod est in eiusdem basilicae navi eidem cappellae contigua, peragantur, ne, ubi vitae auctor et mortis victor ac triumphator est ortus, ibi castra doloris, cenotaphia pallea, feretralia et alia mortuorum ac funeralium officiorum insignia conspiciantur.

Sacristae, celebrationis officiorum et cappellae suppellectilis et ornamentorum curam assignat.

§ 13. Sacrista vero curam celebrationis anniversariorum, officiorum et missarum huiusmodi, necnon custodiam sacrae supellectilis ac ornamentorum et paramentorum ad dictae cappellae nostrae usum pro tempore pertinentium, habeat.

Beneficiatisque onus in praemissis assistendi et divinis inserviendi imponit.

§ 14. Alii autem beneficiati praedicti eisdem praeposito, sacristae et cappellanis in praemissis assistere, eisque in divinis inservire, ac alia obsequia et onera sibi pro tempore imposita praestare debeant et teneantur. Ac omnes simul unum collegium inter se, cum arca, massa et sigillo communibus aliisque collegialibus insignibus, ad instar aliorum similium collegiorum, tam in praedicta quam aliis quibusvis dictae Urbis basilicis et ecclesiis institutorum, constituant.

§ 15. Necnon annis singulis ex dictis

Eisque annuatim certos redditus et proventus concedit;

fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, ipsius nostrae cappellae praepositus quadringenta, sacrista centum et quinquaginta, singuli cappellani, etiam centum et quinquaginta, singuli vero alii beneficiati clerici inibi pro tempore existentes, quinquaginta scuta monetae Romanae percipere; ipsique insimul similiter annis singulis unum thesaurarium seu camerarium, qui de eorum gremio existat, et ad quem peculiaris cura recuperationis, exactionis, distributionis et repartitionis omnium et singulorum fructuum, redituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum ad dictam cappellam nostram, illiusque fabricam et sacristiam, atque ad communem massam collegii huiusmodi nunc et pro tempore spectantium pertineat, eligere et deputare; necnon ut, soluta praeposito, sacristae ac singulis cappellanis ac beneficiatis praedictis rata parte seu portione eos, ut praefertur, tangente, et deductis omnibus impensis ad usum cappellae nostrae illiusque fabricae et sacristiae huiusmodi necessariis, totum id quod supererit, in emptionem tot locorum montium non vacabilium aut aliorum bonorum stabilium erogare; illorumque necnon inde provenientes fructus postquam ad summam centum scutorum similium ascenderint, pro una inter se proportionabiliter dividere et repartiri; pro altera vero medietatibus, eorumdem super excrescentium fructus, in usum, necessitates et ornamenta cappellae nostrae, illiusque fabricae et sacristiae huiusmodi convertere debeant; ita tamen ut thesaurarius aut camerarius pro tempore existens, de receptis et administratis per eum, rationem et computa eidem collegio in fine cuiuslibet anni reddere omnino teneatur.

§ 16. Ac insuper, ubi, quoties et quandocumque eis placuerit, libere eorum arbitrio, sine ullo tamen onere aut obligatione, et sine ullo impedimento, stallum et locum in dicta basilica et illius choro habere, omnibusque et singulis horis canonicis ac aliis divinis officiis, necnon processionibus ceterisque publicis actibus, non tamen capitularib., dictae basilicae interesse, ita ut neque ad interessendum praemissis umquam cogi vel compelli, nec, si sponte accedere voluerint, impediri quovis praetextu possint. Et ibidem praepositus, videlicet, cappam aut cottam cum rochetto, prout temporis qualitas exegerit, ad instar canonicorum eiusdem basilicae, sacrista autem et cappellani, ac alii beneficiati clerici nuncupati praedicti, habitum per alios beneficiatos et clericos ipsius basilicae gestari solitum respective deferre; necnon attenta antiquitate, nobilitate et praestantia eiusdem sancti Praesepis Dominici, a quo, tamquam praecipua et primaria parte, tota basilica etiam ad praesepe Domini olim dicta fuit, et cum haec ipsa per nos erecta dignitas sacristia, cappellaniae et beneficia pro divino cultu et servitio eiusdem Praesepis fuerint instituta, praepositus immediate post vicarium archipresbyteri dictae basilicae, et ante omnes illius canonicos supradictos, sacrista vero et deinde cappellani post ipsos canonicos et ante omnes beneficiatos basilicae, alii autem eiusdem cappellae nostrae beneficiati clerici appellati, post beneficiatos et ante clericos basilicae huiusmodi immediate sedere et incedere libere et licite possint.

Et in choro locum eisdem quandocumque ii adesse voluerint, assignat.

§ 17. Per hoc tamen eiusdem basilicae capitulo, canonicis, beneficiatis et clericis quoad distributiones et alia emolumenta per eos dum horis canonicis divinisque officiis ac processionibus et aliis actibus huiusmodi intersunt, percipi et lucrari solita, aliqua ex parte praeiudicare nequaquam intendimus; quinimmo

Interdicit ne propterea aliquod emolumentum percipiant.

dictis nostrae cappellae praeposito, collegio, sacristae, cappellanis et beneficiatis, clericis nuncupatis, et eorum cuilibet, auctoritate et tenore praedictis, inhibemus ne ipsi eorumve aliquis, sive propter eorum praesentiam, interessentiam et assistentiam in choro horis canonicis, diurnis et nocturnis, missis, etiam solemnibus, et aliis divinis officiis, etiam in festivitatibus maioribus, et quocumque anni tempore, aut processionibus vel anniversariis mortuorum, sive propter aliam quamcumque causam vel occasionem, quippiam, parvum aut magnum, etiam pro eorum rata, aut pro virili de ipsius basilicae capituli beneficiatorum et clericorum praedictorum mensa, massa, distributionibus aut emolumentis, ordinariis, vel extraordinariis, etiam incertis, et ut praefertur, personaliter interessentibus tantum dari solitis, ullo modo aut quæsito colore vel ingenio, percipere aut quomodolibet praetendere audeant, vel praesumant.

In cappella aliud sepulchrum seu tumulum pro quavis persona fieri prohibet.

§ 18. Deinde ne in ipsa cappella nostra illiusque situ seu ambitu, solo aut pavimento, muris, structuris et aedificiis, præter supradicta monumenta, aliud sepulchrum aut sepulturae locus seu tumulus, alteri personae, cuiuscumque status, gradus, qualitatis et conditionis fuerit, sive per viam depositi, sive alias quomodolibet concedi vel assignari possit aut debeat, districte interdicimus, et omnino in perpetuum prohibemus.

Cappellam ipsam, et eius sacristiam, praepositum, sacristam, cappellanos et clericos, eorumque bona, ab aliorum iurisdictione eximit.

§ 19. Praeterea eamdem cappellam nostram, illiusque fabricam et sacristiam, necnon praepositum, sacristam, cappellanos et beneficiatos, clericos nuncupatos, pro tempore existentes, ipsumque collegium, ac praedicta ceteraque omnia et quaecumque illius et eorum bona, mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis, in dicta Urbe et locis et extra ac alias ubique locorum consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate nunc et pro tempore existentis Urbis vicariis ac archipresbyteri dictae basilicae, eiusque vicarii et capituli, et cuiusvis ordinarii loci aliorumve quorumcumque iudicum et officialium, in ipsa Urbe vel alias ubilibet constitutorum, perpetuo eximimus et liberamus, ac sub Beati Petri et Sedis Apostolicae atque nostra protectione suscipimus, nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus.

Privilegiaque aliis in ecclesiis Urbis dignitates huiusmodi habentibus concessa praedictis etiam concedit.

§ 20. Ad haec, praeposito, sacristae, cappellanis et beneficiatis, clericis nuncupatis, praedictis, illorumque collegio, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, favoribus, facultatibus, indultis et aliis gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alii dignitates, cappellanias et alia beneficia in dictae Sanctae Mariae Maioris et aliis eiusdem Urbis basilicis et ecclesiis, pro tempore obtinentes eorumque collegia, de iure vel consuetudine aut ex privilegio vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter, in omnibus et per omnia, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, indulgemus.

Officialibus omnibus ne eos molestent praecipit.

§ 21. Necnon tam praedictis in Urbe vicario, archipresbytero eiusque vicario et capitulo, locorum ordinariis, quam aliis quibuscumque personis, quavis auctoritate et dignitate fulgentibus, ne quarumcumque facultatum, privilegiorum aut litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessorum praetextu, praepositum, sacristam, cappellanos aut beneficiatos, qui clerici appellantur, prædictos, sive eorum aliquem in praemissis

quomodo molestent aut molestari permittant, districtius inhibemus.

Protectorem que et eorumdem defensorem Alexandrum Perottum cardinalem de Monte Alto eius pronepotem, et eo defuncto, alios hic designatos deputat.

§ 22. Ut vero cappellae nostrae, illiusque fabricae et sacristiae ac collegii huiusmodi felici et prospero regimini, gubernio et conservationi opportune consulatur, utque promptum et paratum sit eis auxilium, dilectum filium Alexandrum Sanctae Mariae in Cosmedin diaconum cardinalem de Montealto nuncupatum, ex sorore germana, secundum carnem, pronepotem nostrum, et eo vita functo, antiquiorem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem, ex nostra familia et parentela, vel in eius defectum, ex provincia Marchae Anconitanae oriundum, seu si nullus eorum fuerit, primum presbyterum cardinalem pro tempore existentem, eiusdem cappellae nostrae illiusque personarum, rerum, bonorum at iurium protectorem et defensorem, cuius consilio et ope omnia supradicta et quaecumque alia in his et circa ea quomodolibet necessaria agantur, statuantur et ordinentur, constituimus et deputamus. Ac volumus et declaramus quod, licet, nullo existente nostri sanguinis cardinale, alius ad id, ut praefertur, vocatus cardinalis munus protectoris huiusmodi subire et exercere incoeperit; nihilominus, si postmodum contingat aliquem nostrae familiae et parentelae ad cardinalatus honorem assumi, is in eiusdem muneris functione praeferri debeat, et constitutio ac deputatio de cuiusvis alterius persona in protectorem huiusmodi factae eo ipso cessare et expirare censeantur.

Iurisdictionem circa praepositum, sacristam, cappellanos et clericos et eorum lites eidem tribuit,

§ 23. Dantes et concedentes eidem Alexandro cardinali moderno, et pro tempore existenti eiusdem nostrae cappellae protectori, plenam et liberam facultatem et auctoritatem, differentias, lites, controversias, inter quascumque personas, tam praepositi quam sacristae, cappellanorum et beneficiatorum, clericorum nuncupatorum, dictae cappellae, eorumdemque litium consortes, seu ab eis causam habentes pro tempore exortas, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, appellatione remota, decidendi, definiendi, terminandi et exequendi; ac denique eamdem prorsus iurisdictionem, superioritatem et potestatem in cappella nostra, illiusque altaribus, atque universis et singulis personis praedictis libere exercendi, in omnibus et per omnia, quam pro tempore existens archipresbyter dictae basilicae eiusque vicarius in ipsa basilica illiusque altaribus, capitulo, canonicis, beneficiatis et clericis vel ministris, de iure, consuetudine aut ex privilegio aut alias quomodolibet exercere potest et debet, sive in futurum poterit et debebit, etiam quoad ea universa et singula, quae expressionem et concessionem requirunt magis specialem, quaeque sub generali huiusmodi concessione non comprehenduntur.

Ius patronatus et praesentandi personas praedictas Michaeli Peretto eius pronepoti illiusque descendent. concedit.

§ 24. Insuper iuspatronatus et praesentandi personas idoneas, etiam alienigenas, ad praeposituram videlicet, protectori; ad sacristiam vero ac quatuor cappellanias et alia beneficia clericatus nuncupata huiusmodi, praeposito, pro tempore existentibus praedictis, tam hac prima vice ab eorum primaeva erectione et institutione huiusmodi apud Sedem praedictam vacantia, quam quoties ex nunc de cetero illa quibusvis modis et ex quarumcumque personis, etiam nostri aut Romani Pontificis pro tempore existentis seu cuiusvis cardinalis, etiam tunc viventis, familiaribus continuis commensalibus, seu Romanae Curiae officialibus, aut alias quomodolibet reservationem inducentibus, semper liberas, vel ex causa permutationis resignationes de illis in dicta Curia etiam in manibus nostris vel Romani Pontificis pro tempore existentis, vel extra eam quomodolibet factas et

admissas, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, seu illa pro tempore obtinentium decessum vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationem, religionis ingressum, matrimonii contractum aut alias quomodocumque et qualitercumque, etiam apud Sedem praedictam, simul vel successive vacare contigerit, per protectorem et praepositum praedictos ad praesentationem huiusmodi in forma solita instituendas, dilecto filio Michaeli Peretto Burgi S. Petri et militum custodiae nostrae moderno praefecto similiter nostro, secundum carnem, ex sorore dicta, pronepoti, eiusdem masculis et ex masculis descendentibus legitimis et naturalibus, ac ex legitimo matrimonio natis et procreatis, ita tamen quod praesentatio fieri debeat solum a primogenito et ipsius primogeniti primogenito usque in infinitum, hoc modo videlicet: si dictus Michael plures filios masculos habuerit, praesentatio pertineat ad natu maiorem tantum; qui si etiam plures susceperit filios masculos, natu maior eorum tantum praesentet; et sic ius praesentandi huiusmodi semper transeat de primogenito in primogenitum usque in infinitum; et deficiente linea masculorum totaliter, linea masculorum ex masculis descendentium a dicto primogenito praesentatio modo et forma praemissis ad secundo genitum, si superstes fuerit, sin minus ad maiorem natu masculum ex masculis descendentibus ab eodem; et sic de primogenito masculo ad primum genitum masculum similiter usque in infinitum; et deficiente linea masculorum ex masculis descendentibus a secundogenito, ius praesentandi huiusmodi transeat ad tertiogenitum, praedicto ordine servato, et sic successive de una linea ad aliam, ad omnes descendentes a dicto Michaele.

§ 25. Et deficientibus omnibus masculis descendentibus a dicto Michaele, succedat filia primogenita dicti Michaelis, si fuerit superstes, vel si ea non extabit, ab ea descendentes masculi, donec extabunt, transeundo de primogenito in primogenitum, modo et forma praemissis; et, deficientibus omnibus masculis, et masculis descendentibus ab omnibus filiabus dicti Michaelis, succedant masculi descendentes ex nepotibus eiusdem Michaelis. Deficientibus autem omnibus masculis et foeminis a dicto Michaele descendentibus, iuspatronatus et praesentandi huiusmodi transeat ad dilectam in Christo filiam Flaviam etiam Perettam dicti Michaelis sororem germanam, si extabit; et post eam, vel si ipsa non extabit, ad filios masculos ipsius, et ab eis masculos descendentes usque in infinitum, et cessantibus masculis, ad foeminas a dictis masculis descendentes. Et cessantibus omnibus, tam masculis quam foeminis descendentibus a dicta Flavia, succedat dilecta in Christo filia Ursina similiter Peretta, eiusdem Michaelis etiam soror germana, et post eam, vel si ipsa tunc non extabit, eius filii masculi, et masculi ex masculis descendentes usque in infinitum: et deficientibus masculis ex masculis descendentibus, succedant foeminae ab eis descendentes. Deficientibus autem omnibus et singulis masculis et foeminis descendentibus a dictis Michaele, Flavia et Ursina, tunc succedat in dicto iure patronatus qui nobis fuerit sanguine proximior, servato semper in omnibus casibus supradictis ordine primogeniturae, transeundo scilicet de primogenito in primogenitum, et praeferendo lineam primogeniti lineæ secundogeniti, et masculos ex masculis descendentes natis ex foeminis, ac masculos ex foeminis ipsis foeminis, ac alias in omnibus ac per omnia, prout in linea filiorum et descendentium a dicto Michaele ordinatum est, ita quod

Eis autem deficientibus, iuspatronatus ad Flaviam Perettam d. Michaelis sororem germanam, illiusque descendentes, et ultimo eis omnibus deficientibus ad ipsius Pontificis sanguine proximiorem, devenire decernit.

ius praesentandi huiusmodi ad unum solum successorem insolidum, et post illum ad alium semper deveniat, absque eo quod inter plures successores dividi possit, motu et scientia similibus, auctoritate et tenore praedictis, pariter perpetuo reservamus, concedimus et assignamus.

Ius istud patronatus, laicorum nobilium et illustrium esse, et dictis patronis non ex privilegio, sed vera fundatione et dotatione declarat competere.

§ 26. Decernentes iuspatronatus et praesentandi huiusmodi, laicorum nobilium et illustrium existere, ac Michaeli et aliis futuris patronis praedictis, non ex privilegio, sed ex vera, primaeva, reali, actuali, plena, integra ac omnimoda fundatione et perpetua dotatione competere, et ad illos pertinere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem et roboris firmitatem obtinere, ac Michaeli et aliis futuris patronis praedictis et eorum cuilibet, perpetuo suffragari debere in omnibus et per omnia, absque ulla prorsus differentia, perinde ac si illis et eorum cuilibet, ratione verae, realis, actualis, plenae et integrae fundationis ac perpetuae dotationis per eos de eorum propriis et mere patrimonialibus et laicalibus bonis dumtaxat competeret et concessum esset.

Clausulas apponit praeservativas.

§ 27. Ac ut tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis praegnantissimis et efficacissimis verbis, clausulis ac decretis, etiam cum clausula *Quorum tenores*, in quacumque dispositione, etiam per viam constitutionis, legis, regulae Cancellariae Apostolicae aut alias quomodocumque facta nullatenus comprehendi, nec illi ullo umquam tempore, etiam ratione cuiusvis litis pendentiae vel vacationis praepositurae, cappellaniarum, sacristiae et aliorum beneficiorum huiusmodi apud Sedem praedictam, etiam ex causa permutationis vel devolutionis seu alio quocumque praetextu, et ex quacumqué causa, quantumvis urgenti et legitima, per nos seu quoscumque alios Romanos Pontifices pro tempore existentes vel Sedem praedictam aut illius legatos, etiam de latere, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, seu cuiusvis intuitu et contemplatione, per quascumque litteras apostolicas, etiam in forma brevis, et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores et insolitas clausulas, necnon irritantia et alia contraria decreta quaecumque derogari aut derogatum censeri posse neque debere, nisi in illis de toto tenore ac data praesentium, necnon patroni pro tempore existentis nomine, cognomine et qualitate, specialis, specifica et individua mentio facta fuerit, ac eiusdem patroni pro tempore existentis ad hoc expressus accesserit assensus; et aliter factas derogationes, necnon quascumque collationes, provisiones, commendas, praesentationes, institutiones vel alias dispositiones de praepositura, sacristia, cappellaniis et aliis beneficiis praedictis, ut praefertur, vel alias quovis modo, etiam apud Sedem eamdem pro tempore vacantibus, quibusvis personis alias, quam ad praesentationem Michaelis et aliorum patronorum praedictorum, seu de eorum expresso consensu, etiam cum speciali et expressa derogatione iurispatronatus huiusmodi pro tempore factas, processusque desuper habitos, ac inde pro tempore secuta quaecumque, nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberi et censeri, nec ius aut coloratum titulum possidendi cuique tribuere vel per illa acquiri posse, sed praesentationes per Michaelem et alios futuros patronos praedictos pro tempore factas, et subsecutas institutiones, validas et efficaces fore, suosque effectus sortiri, ipsisque praesentatis et institutis tale ius in re et ad rem acquiri debere, quale acquiritur praesentatis et institutis ad beneficia de vero et reali iurepatronatus laicorum nobilium et illustrium, ratione

primaevae et integrae fundationis ac perpetuae dotationis ex bonis mere laicalibus et patrimonialibus dumtaxat existentia; necnon praeposituram, sacristiam, cappellanias, aliaque beneficia, clericatus nuncupata huiusmodi, sub quibusvis specialibus vel generalibus reservationibus, unionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressionibus, extinctionibus, etiam perpetuis, vel temporalibus expectativis, et aliis etiam praeventivis gratiis, ac uniendi, annectendi et incorporandi, necnon conferendi, providendi et aliis facultatibus, concessionibus, litteris, mandatis, etiam de providendo, et indultis quibuscumque, illorumque et illarum revalidationibus, quibusvis personis, etiam praedictae Romanae Ecclesiae cardinalibus, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis suspensivis, restitutivis ac etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, irritantibusque et aliis etiam vim contractus inducentibus decretis, atque alias quomodolibet nunc et pro tempore concessis, necnon quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Cancellariae regulis quomodolibet et cum quibusvis clausulis et decretis, quantumvis amplissimis ac praegnantissimis, etiam cum clausula *Quorum tenores*, editis et edendis, nullatenus comprehensa esse aut fore, minimeque comprehendi posse aut debere, sed semper ab illis excepta et exclusa esse et censeri debere; ac omnia et singula praemissa, necnon praesentes litteras, nullo umquam tempore, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod causae propter quas eadem praemissa facta sunt, coram locorum ordinariis, etiam tamquam Sedis praedictae delegatis, examinatae, verificatae et ab eis approbatae, ac interesse forsan habentes ad id vocati non fuerint, nec desuper suum consensum praestiterint, seu ex quavis alia causa vel quocumque praetextu, quaesito colore vel ingenio notari, impugnari, invalidari, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam vocari; aut adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse; nec sub ullis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo antea erant statum, restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo, etiam sub data per Michaelem et futuros patronos praedictos quandocumque eligenda, concessa, valida et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac perpetuo suffragari.

§ 28. Sicque in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi ac interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans addit.

§ 29. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi, Sabinensi et Tusculano episcopis, motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore existentium protectoris et patroni, necnon praepositi, sacristae, cappellanorum et aliorum beneficiatorum praedictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assi- Executores deputat.

stentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, necnon protectorem, patronum, praepositum, sacristam, cappellanos et beneficiatos pro tempore existentes praedictos eorumque singulos illis pacifice frui et gaudere. Non permittentes ipsos vel quempiam ex eis per quoscumque desuper quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae contrariorum derogatoriae appositae.

§ 30. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae octavi, similiter praedecessoris nostri, etiam qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur; seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere audeant seu praesumant; et in concilio generali edita de duabus diaetis; necnon, quatenus opus sit, nostris de non tollendo iure quaesito et unionem committendo ad partes, vocatis quorum interest, ac exprimendo vero annuo valore, tam beneficii uniti, quam illius, cui fit unio; Lateranensisque ultimo celebrati et quorumcumque aliorum generalium conciliorum uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri, ac etiam beneficia unius dioecesis uniri prohibentium aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus. Necnon basilicae Sanctae Mariae Maioris, ac monasteriorum et Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac archipresbytero et capitulo praedictis, necnon abbatibus, superioribus, conventibus et religiosis Ordinum huiusmodi, illorumque ac quibusvis aliis personis, etiam praedictis cardinalibus, ac etiam dilectis filiis populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, reservativis, exceptivis, declarativis mentis attestativis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, seu etiam ad imperatoris, regum, ducum et quorumvis principum instantiam, seu eorum intuitu et contemplatione, et per modum statuti perpetui seu contractus initi, ac etiam iuramento vallati, et alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis; etiamsi in eis caveatur expresse quod dignitates, cappellaniae et alia beneficia ecclesiastica dictae Urbis, nonnisi civibus Romanis ac civium Romanorum filiis originariis et alias certo tunc expresso modo qualificatis conferri possint; et alias de illis etiam per Sedem praedictam pro tempore factae collationes et provisiones ac quaevis aliae dispositiones nullius sint roboris vel momenti; quodque eisdem statutis, privilegiis, indultis et litteris nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et forma in eis expressis, derogari possit; et si illis aliter derogari contingat, derogationes huius-

modi nemini suffragentur. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus praedictorum vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem praedictas, monasteria huiusmodi in spiritualibus non laedantur, et in temporalibus detrimenta non substineant, sed eorum congrue supportentur onera consueta.

Clausulae.

Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, quinto idus iunii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 iunii 1587, pontif. anno III.

XC.

Damnatio coniugiorum per eunuchos et spadones contractorum et contrahendorum.

Sixtus Papa V, venerabili fratri episcopo Navariensi nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio.

Cum frequenter in istis regionibus eunuchi quidam et spadones, qui utroque teste carent, et ideo certum ac manifestum est eos verum semen emittere non posse; quia impura carnis tentigine atque immundis complexibus cum mulieribus se commiscent, et humorem forsan quemdam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum, effundunt, matrimonia cum mulieribus, praesertim hunc ipsum eorum defectum scientibus, contrahere praesumant, idque sibi licere pertinaciter contendant, et super hoc diversae lites et controversiae ad tuum et ecclesiasticum forum deducantur: requisivit a nobis fraternitas tua quid de huiusmodi connubiis sit statuendum.

Dubium exortum super validitate coniugiorum quae contrahunt eunuchi.

§ 1. Nos igitur, attendentes quod secundum canonicas sanctiones et naturae rationem, qui frigidae naturae sunt et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque praedicti eunuchi aut spadones, quas tamquam uxores habere non possunt, easdem habere ut sorores nolunt, quia experientia docet, tam ipsos dum se potentes ad coeundum iactitant, quam mulieres, quae eis nubunt, non ut caste vivant, sed ut carnaliter invicem coniugantur, prava et libidinosa intentione, sub praetextu et in figura matrimonii, turpes huiusmodi commixtiones affectare, quae cum peccati et scandali occasionem praebeant, et in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsus exterminandae. Et insuper considerantes quod ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebrae et incentiva libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut coniugia per dictos et alios quoscumque eunuchos et spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus, defectum praedictum sive ignorantibus sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eos-

Declaratio quod ea nulla sint in futurum.

que ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares; et tam locorum ordinariis ne huiusmodi coniunctiones de cetero fieri quoquomodo permittant interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita et invalida esse decernas.

Declaratio quoad coniuncta iam contracta.

§ 2. Eos etiam qui sic iam contraxerunt, si appareat illos non ut caste simul vivant, contraxisse, sed actibus carnalibus et libidinosis operam dare, simulve in uno et eodem lecto cum praedictis mulieribus dormire convincantur, omnino similiter separari cures.

Clausula sublata.

§ 3. Nos enim ita in praemissis et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quacumque auctoritate et dignitate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quacumque causa et instantia, iudicari et definiri debere; et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel attentari in posterum contigerit, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus cuiusvis civitatis, provinciae aut regni statutis, legibus municipalibus aut consuetudinibus, quae abusus potius et corruptelae censendæ sunt, etiamsi ab immemorabili tempore observatae dicantur, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, die vigesima secunda[1] iunii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 iunii 1587, pontif. anno III.

1 Cherub. legit *vigesima septima*.

XCI.

Provincia Hispaniae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum erigitur in congregationem, datis ei nonnullis statutis concessisque privilegiis [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Cum de statu ac bono regimine omnium religiosorum paternam gerimus sollicitudinem, tum eorum salubris directio nobis praecipue curae est, qui sanctiora et priscis sanctorum patrum regulis prorsus similia vitae instituta sectantes, arctiorem regularis disciplinae observantiam profitentur, eosque libenter in suo laudabili proposito confirmemus, ut sine ullo impedimento perseverent, atque in dies magis proficiant.

Gregor. XIII separatis a quacumque Provincia iis fratribus, qui regulam secundum antiquam disciplinam observabant, eos in distinctam coalescere provinciam concessit.

§ 1. Alias siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, intelligens complures domos seu monasteria Ordinis fratrum et monialium Beatæ Mariae de Monte Carmelo in Hispaniarum regnis existere, in quibus vigebat observantia primitiva eiusdem Ordinis Regulae, cum omni rigore iuxta primaeva instituta, de mandato piae memoriae Innocentii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, confirmatae, non autem secundum mitigationem, quae a recolendae memoriae Eugenio Papa IV, nostro pariter praedecessore, dicitur impetrata; carissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Philippi Hispaniarum regis catholici precibus inclinatus, institutum huiusmodi super observantia primitivae Regulae approbando, ipsos fratres et moniales eamdem primitivam Regulam sic observantes, Discalceatos nuncupatos, eorumque domos, conventus, monasteria et loca tunc et pro tempore existentia a privilegiis fratrum et monialium eiusdem Ordinis secundum Regulam per dictum Eugenium

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

praedecessorem, ut praefertur, mitigatam pro tempore degentium, penitus et omnino in perpetuum, auctoritate apostolica, seiunxit et separavit, ipsos Discalceatos ab omni et quacumque visitatione, correctione et superioritate priorum provincialium ceterorumque superiorum secundum mitigatam Regulam degentium exemit et liberavit, et eorum fratrum et monialium Discalceatorum domos, monasteria et loca quaecumque, eatenus erecta et instituta, ac ex tunc in futurum erigenda et instituenda, in unam provinciam de per se Discalceatorum nuncupandam, per unum priorem provincialem, qui in capitulo ipsius provinciae ex eisdem Discalceatis, ut praefertur, eligi deberet, regendam et gubernandam, in perpetuum erexit et instituit.

Eam vero priori generali Ordinis subiecit.

§ 2. Ac ipsam provinciam fratrum et monialium Discalceatorum sub obedientia et superioritate prioris generalis totius Ordinis, ad instar aliarum provinciarum eiusdem Ordinis, perpetuo subiectam remanere, subesse et subiacere voluit: cui prior generalis per se ipsum tantum vel per alium virum idoneum ex ipsis Discalceatis, et iuxta eorum primitivam Regulam ac regularia instituta ab ipsis Discalceatis observari solita, eos visitare, reformare, corrigere et punire posset.

Extra vero monasteria et domos talis provinciae extrahi vel mutari quemquam ipsimet priori generali prohibuit, nisi talis mutatio fiat in capitulo provinciali,

§ 3. In monasteriis tamen, domibus et locis eorum fratrum Discalceatorum, extra quae nullatenus ipsi Discalceati vel aliquis eorum ab eodem priore generali, quovis praetextu vel occasione, amoveri, assignari, mutari, extrahi seu transferri aut ad alias provincias mitti aut retineri possent, nisi aliter in eodem capitulo provinciali fuisset ordinatum, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris, quae iampridem debitae executioni demandatae, usu receptae et per nos nuper approbatae fuerunt, plenius continetur.

Dilatata vero tali provincia auctisque domibus, ita ut eorum regimen unus provincialis impar sit.

§ 4. Cum autem, sicut nuper audivimus, numerus fratrum huiusmodi et monialium Discalceatorum non mediocriter auctus fuerit, et in dies maiora, benedicente Domino, suscipiat incrementa, cum divini cultus augmento, bonae famae odore, ac spirituali fructu et consolatione animarum tum ipsorum religiosorum, tum etiam aliorum christifidelium, qui piis eorum exemplis in viam salutis diriguntur, iamque non modo per universam fere Hispaniam, sed etiam in Indiis complura monasteria et domos aliaque regularia loca Discalceatorum instituta et erecta fuerint, quae omnia per unum priorem provincialem non ita commode regi et gubernari queunt; propterea, eiusdem Philippi regis nomine, ac pro parte etiam eorumdem fratrum Discalceatorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Sixtus capitulum generale congruo tempore cogi mandat;

§ 5. Nos igitur, volentes pro debito pastoralis officii, eorumdem religiosorum pio desiderio, bono regimini ac propagationi, ut par est, consulere, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus super negotiis regularium deputatis matura deliberatione, huiusmodi precibus in hac parte annuentes, necnon universos et singulos fratres et moniales dictae provinciae Discalceatorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, dilecto filio moderno priori provinciali dictae provinciae fratrum Discalceatorum Ordinis praefati per praesentes committimus et mandamus ut capitulum provinciale, iuxta facultatem per ipsas Gregorii

praedecessoris litteras sibi attributam, et secundum morem eiusdem provinciae, suis loco et tempore indicet, convocet et congregari faciat.

In eoque vicarium generalem erigendae congregationis fratrum discalceatorum eligi;

§ 6. In eoque capitulo, postquam erit legitime congregatum, volumus ut primum quidem per suffragia seu vota eorum, qui in electione prioris provincialis in huiusmodi capitulo provinciali vocem habere hactenus consueverunt, post diffinitorum electionem, ut fieri solet, statim unus vicarius generalis de novo erigendae congregationis fratrum Discalceatorum eligatur.

Qui idem provinciam in plures provincias dividat, novasque erigat iuxta monasteriorum et locorum exigentiam,

§ 7. Si electus vicarius praesens in capitulo erit, statim ipsi capitulo praesideat; si absens, idem, qui nunc est, prior provincialis illius vices gerat, et in capitulo praesideat, ac de voto eorumdem provinciam ipsam, quae hactenus fuit Discalceatorum, prout domorum et monasteriorum numerus ac locorum opportunitas suadebit, et alias videbitur expedire, in plures partes et regiones distingui curet; quas quidem singulas partes sic distinctas et divisas, necnon eas, quas similiter in futurum iuxta augmentum et numerum domorum ac monasteriorum idem vicarius in capitulo eiusdem congregationis duxerit distinguendas ac dividendas in singulas provincias.

Tales autem provincias in congregationem erigit Pontifex.

§ 8. Universas vero provincias in unam congregationem omnium huiusmodi provinciarum Discalceatorum nuncupandam, auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus.

Vicario generali eam super illas concedit iurisdictionem, qua fruitur prior generalis supra totum Ordinem.

§ 9. Praeterea statuimus et ordinamus ut singulis huiusmodi provinciis singuli priores provinciales praesint. Dictus vero vicarius generalis, et ipsis prioribus provincialibus et toti congregationi praeficiatur, eamque regat et gubernet, illamque eamdem prorsus auctoritatem et potestatem in monasteria, domos, loca et personas dictae congregationis iam recepta et recipienda, dummodo primitivae Regulae ac eiusdem congregationis regulari observantiae contravenire non possit, habeat, quam prior generalis totius Ordinis tam de iure et consuetudine, quam per privilegia, super domibus, monasteriis, locis et personis sibi subiectis habere dignoscitur.

In futuro capitulo eligendi priores provinciales, necnon priores domorum, ac demum consiliarii, quorum consilio et suffragio uti debet dictus vicarius generalis.

§ 10. Et in hoc primo capitulo, hac prima vice, post factam electionem vicarii generalis et distinctionem novarum provinciarum, per suffragia seu vota eorumdem, qui in electionibus prioris provincialis hactenus vocem habuerunt, singuli priores provinciales novarum huiusmodi provinciarum; deinde singuli priores cuiusque domus seu monasterii dictae congregationis, demum sex consiliarii ipsius vicarii generalis ex omnibus provinciis eligantur. Ipse autem vicarius generalis consilio et interventu huiusmodi consiliariorum utatur, tum in controversiis et negotiis congregationis universae et singulorum fratrum expediendis, tum in provinciarum et singulorum monasteriorum ac domorum reformatione ac regulari observantia dirigenda: ita tamen ut, etiam absque illis, quae ad reformationem strictioremque observantiam pertinere videbuntur, executioni demandare, delinquentes, praesertim publicos et scandalosos, punire per se vel alium libere possit.

Officium vicarii sexennale, priorum vero provincialium caeterorumque triennale: nemo vero iterum eligi potest nisi post aliud sexennium vel triennium.

§ 11. Officium et potestas vicarii generalis huiusmodi per sex annos duret, quibus finitis, eo ipso illius potestas et auctoritas expiret, et novus vicarius generalis eligatur. Eadem vero persona, nisi intermisso altero sexennio, iterum in vicarium generalem eligi, et ultra sexennium ipsum officium continuare non possit; quod si secus factum sit, electio nulla et irrita censeatur. Priores vero provinciales et consiliarii et singularum domorum ac monasteriorum priores ac collegiorum rectores triennales sint, eorum-

que auctoritas finito triennio similiter expiret.

Capitula generalia quando et a quibus sint celebranda.

§ 12. Capitulum generale congregationis Discalceatorum nuncupandum tertio quoque anno celebretur, illudque in singula triennia indicendi et convocandi vicarius generalis curam habeat, qui etiam in illo praesideat. Ad ipsum capitulum generale dictae congregationis, praeter vicarium generalem, cuncti et singuli priores provinciales cum singulis sociis, diffinitoribus etiam capituli electis, et sex itidem consiliarii accedere teneantur.

Quid in iis sit faciendum.

§ 13. Atque in eodem capitulo generali singulis trienniis novi priores, tam provinciales quam singularum domorum et monasteriorum, novi etiam consiliarii ac etiam diffinitores eligantur alternis trienniis et sic sexto quoque anno in capitulo generali per vota eorumdem vicarii generalis, necnon priorum provincialium, sociorum, diffinitorumque et consiliariorum primum quidem novi vicarii generalis; deinde vero ceterorum huiusmodi superiorum electiones celebrentur.

Vicarius generalis officii sui ordinaria statim exercet, graviora vero post acceptam a priore generali confirmationem.

§ 14. Idemque vicarius generalis ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus cum primum a plurimis qui vocem in capitulo generali congregationis habere debent, seu eorum maiori parte, in vicarium generalem, ut praefertur, electus extiterit, eo ipso ordinaria sui officii exercere tantummodo possit; graviora vero vel altiora non nisi postquam a priore generali approbatus et confirmatus fuerit gerere aut exequi valeat.

Quando celebranda capitula provincialia?

§ 15. Dimisso generali capitulo, infra decimumoctavum mensem, quisque prior provincialis suae provinciae capitulum convocari curet, atque inibi socius prioris provincialis ad generale capitulum congregationis cum eo iturus, et diffinitores eius provinciae eligantur.

Decedente aliquo priore provinciali vel domus alicuius ante capitulum generale, vicarius generalis alium debet subrogare de consilio diffinitorum etc.

§ 16. Si ante finitum gerendi officii tempus priorem aliquem provincialem, aut cuiusvis domus vel monasterii ab humanis decedere, aut alias quomodolibet officium ipsum dimittere vel amittere contingat, vicarius generalis, cum primum eius rei notitiam habuerit, de voto dictorum consiliariorum et capituli generalis praefati diffinitorum, alium in eius locum sufficiat et subroget, cuius potestas et auctoritas usque ad capitulum generale proxime celebrandum duret.

Decedenti vero vicario generali ante sexennium succedit primus diffinitor.

§ 17. Si vero ipse vicarius generalis ante finitum sexennium, et antequam generale capitulum sit congregatum, e vita migraverit, tunc primus diffinitor capituli praecedentis, aut secundus, et sic successive de reliquis diffinitoribus in defectum praecedentium, toti congregationi praesideat, qui interim, quousque capitulum generale celebretur, et in eo novus vicarius generalis eligatur, generalis vicarii locum et potestatem habeat; et si tempus celebrando capitulo generali, ut dictum est, praefixum, ultra biennium expectandum esset, curet etiam ante tempus praefixum, cum primum id commode fieri poterit, capitulum generale indici et convocari, et in eo novum vicarium pro sexennio sequenti eligi.

Vicarii generales possunt condere statuta pro bono congregationis regimine, novos conventus erigere etc.

§ 18. Insuper eidem vicario generali pro tempore futuro, tam in hoc primo quam quocumque alio dictae congregationis pro tempore celebrando capitulo generali, statuta quaecumque et ordinationes, ad Dei honorem, salubrem reformationem et bonum regimen dictae congregationis pertinentia, condendi, mutandi, alterandi, in totum, si videbitur, abrogandi, de novo condendi, dummodo sacris canonibus, concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, necnon primitivae Regulae ac eorum institutis non adversentur; abusus quoscumque tollendi, eaque ab omnibus et quibuscumque etiam prioribus, provincialibus aut aliis officialibus, praelatis et

superioribus ceterisque personis dictae congregationis perpetuo et inviolabiliter observari praecipiendi; monasteria, domos et conventus tam virorum quam mulierum eiusdem congregationis in quibusvis locis, cuiuslibet licentia desuper minime requisita, et sine consensu generalis capituli totius Ordinis, erigendi, seu construi et aedificari faciendi, aut iam constructa ad inhabitandum recipiendi, suasque vices pro quibuscumque rebus sibi benevisis et ad suum officium pertinentibus alii nec aliis fratribus Discalceatis praefatis demandandi.

Priores provinciales nova monasteria, inconsulto vicario generali, recipere non possunt.

§ 19. Ita tamen ut priores provinciales et alii fratres, sine expressa licentia vicarii generalis, novas domos aut monasteria recipere, erigere aut construere minime audeant.

Possunt tamen statuta facere pro sua provincia et domibus.

§ 20. Dictis quoque prioribus provincialibus similiter statuta, tam in suo capitulo provinciali pro tota provincia, quam in visitatione singulorum monasteriorum et domorum pro fratribus seu monialibus eius domus vel monasterii, durante ipso prioris provincialis officio observanda, dummodo generalis capituli totius congregationis statutis non repugnent, condendi, ac denique de cetero, ipsis prioribus provincialibus, postquam electi fuerint et a vicario generali confirmati, statim officia sua, quaeque ad illa quomodolibet pertinent, gerendi, exercendi, exequendi, etiam quoad ea universa et singula, quae provinciales priores totius Ordinis praedicti mitigatam Regulam profitentes respective in suos subditos de iure, consuetudine vel privilegio facere possunt seu debent, dummodo primitivae Regulae et dictae congregationis statutis non repugnent, ac nisi eorumdem provincialium priorum ab ipso vicario generali fuerit limitata potestas et iuxta tenorem praesentium litterarum dumtaxat, plenam, liberam et absolutam facultatem, auctoritate et tenore praemissis, concedimus et impartimur.

Quae sit auctoritas prioris generalis Ordinis supra hanc congregation.

§ 21. Ceterum volumus ut tam praedicta congregatio quam praedictus vicarius generalis ipsi priori generali, tanquam universali et superiori capiti totius Ordinis, iuxta tamen formam in his litteris descriptam, subiaceant. Qui prior generalis totius Ordinis praefati domos et monasteria dictae congregationis Discalceatorum, eorumque conventus et singulares personas, solus per seipsum personaliter, et associatus duobus sociis et uno scriba seu secretario, ab ipsa congregatione Discalceatorum eligendis, et iuxta eiusdem congregationis primitiva et novissima statuta, nec alias visitare, corrigere, reformare, et delinquentes punire possit, idque de consilio praedictorum sociorum et intra monasteria, domus et loca ipsorum Discalceatorum dumtaxat, extra quae nullatenus ipsi Discalceati eorumve aliquis ab eodem priore generali totius Ordinis amoveri vel alio transferri, neque quisque illorum loco mutari aut poni, neque priores aut alii officiales eorumdem domorum, monasteriorum et locorum congregationis Discalceatorum pro tempore eis praesidentes a suis officiis amoveri, neque alii eorum loco substitui, nisi ob enormem excessum, qui iuste tolerari nequiret, et tunc in defectum vicarii generalis ipsius congregationis, et de consensu dictorum sociorum, nec alias ullo modo valeat.

Quae vero eidem interdicantur.

§ 22. Prohibemus quoque ne idem prior generalis aliquas gratias particulares fratribus Discalceatis concedat, neve per impositionem aut taxas eorum domos et monasteria aggravet, quae quidem impositiones et concessiones nulla sint eo ipso, neve quidquam penitus ex ipsa visitatione, praeter necessarium viaticum, habita ratione tenuitatis domorum et monasteriorum Discalceatorum moderandum, et in itinere ipso visitationis dictae congrega-

tionis Discalceatorum consumendum recipiat aut exigat.

Vicarius generalis intersit capitulo generali Ordinis cum duobus sociis.

§ 23. Vicarius autem praedictus, cum duobus sociis eligendis in capitulo congregationis, capitulo generali totius congregationis interesse, ibique vocem tam activam quam passivam et locum sibi congruentem tam vicarius quam socii vocati habere teneantur.

Visitatio monasteriorum per priorem generalem facienda praevia denunciatione etc.

§ 24. Prior autem generalis praedictus quoad visitanda monasteria, domos et loca Discalceatorum statutis et privilegiis eiusdem congregationis in omnibus et per omnia se conformet, nihilque contra illa innovare aut alterare praesumat, praedictaeque congregationis Discalceatorum, ut praefertur, monasteria, domos, loca et personas visitare valeat, et antequam visitationem incipiat, hoc ipsum in capitulo generali dictae congregationis Discalceatorum intimare et denunciare teneatur, ad effectum ut inibi praefati socii visitationis, uti superius dispositum est, deputentur.

Vicario generali et congregationi uerectae communicantur privilegia alias provinciae et provinciali concessa.

§ 25. Et tandem praedicto vicario generali ac congregationi huiusmodi respective quaecumque privilegia, indulta et facultates quæ provinciae ac priori provinciali dictae provinciae Discalceatorum a nobis vel aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa fuerunt, competere statuimus et declaramus.

Clausulae pro huiusce constitutionis firmitate.

§ 26. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore sub ullis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus a nobis et quibusvis aliis Romanis Pontificibus vel dicta Sede nunc et pro tempore emanatis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo ante praemissa erant, statum restitutas, et de novo, etiam sub posteriori data per pro tempore existentem vicarium generalem congregationis huiusmodi eligenda, concessas esse et fore; ac ita et non aliter per quoscumque iudices, tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales dictaeque Sedis legatos, etiam de latere, et nuncios, ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique et in quavis instantia interpretari, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio commissariorum pro executione.

§ 27. Quocirca venerabilibus fratribus universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus, aut officialibus generalibus et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, necnon abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, canonicis, capitulis ac aliis, ad quos quomodolibet spectat et spectabit per presentes, auctoritate apostolica, mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum fratrum Discalceatorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, dictosque fratres Discalceatos illis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his ha-

bendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 28. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur; necnon etiam eiusdem Bonifacii VIII, praedecessoris praefati, prohibitione, qua prohibetur ne fratres dicti Ordinis in aliqua civitate, castro, villa aut alio quocumque loco, domos sive loca de novo accipere, aut capta, mutare praesumant, absque dictae Sedis speciali licentia faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de prohibitione huiusmodi mentionem, aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon praedicti Beatae Mariae de Monte Carmelo et quorumvis Ordinum ac Religionum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias quomodolibet, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, ac pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica et expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§ 29. Volumus autem quod praesentium transumptis, *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die X iulii MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 iulii 1587, pontif. anno III.

XCII.

Institutio collegii honestarum viduarum et puellarum, sub regimine confratrum congregationis Sancti Bernardi religiose educandarum, cum indultorum concessione, praesertim quoad pia eis relicta. Et iurisdictio sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis protectoris et iudicis causarum ad eas spectantium.

Sixtus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Sacrosanctae militantis Ecclesiae gubernacula ex summi sacerdotii cathedra nobis, licet meritis imparibus, demandata, tenentes, ad ea libenter intendimus, per quae coenobia et alia religiosa loca, in quibus prudentes virgines, accensis lampadibus, se praeparent obviam iturae sponso Iesu, in quarum societate aliae quoque mulieres, spretis mundi vanita-

tibus, gratum et debitum Deo exhibeant famulatum, ubique gentium, sed praesertim in hac alma Urbe nostra, in qua, sicut in universi orbis magistra, verae fidei et religionis documenta relucent, ita universa divinae Maiestati accepta opera exerceri summopere desideramus, construantur et erigantur; idque, ut facilius succedat, ac personae ad id opportuna auxilia exhibentes a nobis gratias et favores reportasse laetentur, opem et operam impendimus efficaces, ac in his officii nostri partes libenter impartimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Sane cum, sicut accepimus, alias postquam nos ecclesiam Sanctorum Viti, Modesti et Crescientiae martyrum regionis Montium de Urbe, confraternitati sacerdotum et aliorum utriusque sexus christifidelium Sancti Bernardi de dicta Urbe canonice institutae, cum facultate et licentia pro eisdem confratribus ibidem erigendi monasterium monialium sub Regula Sancti Benedicti, congregationis S. Bernardi Cisterciensis Ordinis, pro pauperibus puellis, quae, spretis mundi illecebris, Christo earum sponso perpetuum famulatum exhibere optarent, concesserimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur; dilecti filii prior et custodes ac confratres eiusdem confraternitatis ibidem monasterium, cum choro, dormitorio, hortis, hortalitiis et aliis necessariis, construi et aedificari procuraverint, illudque adeo commodum reddiderint, ut infra octavam Conceptionis Beatae Mariae Virginis proxime praeteritae, nonnullae puellae Deo dicatae, per deputatos eiusdem confraternitatis approbatae, in moniales ipsius monasterii, iuxta laudabilem illius normam, receptae, admissae et introclusae extiterint. Tamen quia, sicut etiam accepimus, ultra trecentas per ipsos deputatos iam visitatas in eadem Urbe, alius ingens ac fere infinitus numerus pauperum puellarum minorum sexdecim annis, quae ob earum minorem aetatem infra annum probationis, iuxta concilii Tridentini decreta, expressam professionem emittere, ac in moniales recipi nequeunt, reperitur; et pleraeque adsunt, quae si aetatem decem annorum excedant, vel utroque parente orbatae, seu neophytae aut illegitimae genitae non sint, aut si habeant parentes et consanguineos honestae conditionis et famae, ab archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia, Sanctorum Quatuor Coronatorum, S. Catharinae de Rosa, alias Miserabilium, et S. Basilii Neophytarum respective nuncupatarum praedictae Urbis monasteriis, iuxta eorumdem monasteriorum statuta, privilegia et indulta eis desuper concessa penitus excluduntur; puellaeque huiusmodi ac etiam nonnullae honestae viduæ, quae a maritali vinculo solutae, in coelibatu sub claustro pudoris et continentiae vitam coelibem sibi libenter statuerent, si in aliquo monasterio, collegio aut loco recipi possent; quo fit ut locum receptionis non invenientes, non sine maximo earum virginitatis, honoris et pudoris periculo, in saeculo remanere cogantur. Quibus, sicut pariter accepimus, dicti confratres permoti, habita inter eos pluries matura deliberatione, cogitarunt quod si collegium unum, in quo pauperes puellae et viduae honestae huiusmodi, quae in aliis praedictis monasteriis recipi non possunt, reciperentur et admitterentur, ac cum timore Dei una cum aliis puellis dicto collegio minime onerosis, quae ibidem sicut in pluribus aliis monasteriis et locis piis consuevit, recipi et admitti possent, educarentur, erigeretur et institueretur ac construeretur, et una duorum millium ex testamento quondam Marci Antonii Mureti Iunioris, clerici Lemovicensis dioecesis, sub die vigesimanona

septembris proxime praeteriti condito, pauperibus puellis vitam regularem profiteri cupientibus legata, et arbitrio dilectorum filiorum Ludovici Rivaldi presbyteri dictae dioecesis, et Marci Antonii Lanfranci veronensis, dicti Marci Antonii hæredum et executorum, ac altera mille pauperibus puellis orphanis nuptui tradendis, arbitrio eorumdem Ludovici et Marci Antonii Lanfranci, iuxta tractatum seu conventionem inter priorem, custodes et confratres, necnon Ludovicum et Marcum Antonium Lanfrancum huiusmodi desuper initum seu initam, et factum seu factam; necnon reliqua summae trium millium respective scutorum de iuliis decem pro quolibet scuto, collegio sic erigendo huiusmodi per dilectam in Christo filiam Magdalenam Strozziam Anguillariam, sub certis modo et forma in instrumento donationis desuper confecto donatae; necnon quaecumque res et bona per quoscumque christifideles, etiam causa testamenti, codicillorum, donationis aut alias ipsis viventibus donata et concessa, seu donanda et concedenda, eidem collegio erigendo applicarentur et appropriarentur, profecto, non solum publicae utilitati consuleretur, sed exinde plures ex dictis puellis Domino famulatum perpetuum exhiberent, reliquae vero facilius nuptui traderentur, eleemosynaeque et alia pietatis opera, tam ab ipsis confratribus quam aliis utriusque sexus christifidelibus verisimiliter in dies ibidem erogarentur et augerentur.

Erectio collegii pauperum virginum et honestarum viduarum apud monasterium monialium S. Bernardi.

§ 2. Nos igitur, qui nostris potissimum temporibus, quantum cum Deo possumus, quascumque virgines et honestas viduas in numero prudentum adscribi, ac dictae confraternitatis incremento consulere sinceris desideramus affectibus, priorem, custodes et confratres praedictos ac eorum a singulos quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon testamentorum, codicillorum ac inter priorem, custodes et confratres, ac Ludovicum, et Marcum Antonium Lanfrancum ac etiam per Magdalenam praedictos, ut praefertur, initorum et transactorum, aliorumque quorumcumque instrumentorum et donationum factorum tenores etiam veriores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad prioris, custodum et confratrum praedictorum vel alicuius eorum pro eis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, in dicto monasterio Sancti Bernardi, ut præfertur, constructo, seu prope illud, aut alibi, ubi pro tempore forsan transferri contigerit, unum collegium pauperum puellarum virginum et honestarum viduarum bonae et honestae conditionis et famae, in quo puellae et viduae ipsae, ne paupertate oppressae, daemonis arte in vitiorum sordes prolabantur, recipi, ac separatim a commercio monialium pie et caritative regi et educari, ac sub Domini timore, virtutumque exercitiis ac christianis moribus et institutis instrui, necnon inibi, quousque iuxta cuiuslibet earum inclinationem, voluntatem ac devotionem, sive alia honesta ratione, per dictae confraternitatis confratres provisum fuerit, habitum per moniales dicti monasterii gestari solitum susceperint, et professionem per easdem emitti solitam expresse emittere proposuerint, aut alias nupserint, permanere possint. Ita tamen quod, quoties aliquam ex dictis puellis et virginibus ac viduis e dicto collegio, vel voti religionis vel matrimonii contrahendi causa egredi contigerit, liceat priori et

visitatoribus ac confratribus eiusdem confraternitatis, nunc et pro tempore existentibus, aliam puellam et virginem seu viduam modo praemisso qualificatam loco egressae, aut alias iuxta facultates dictae confraternitatis, ipsorumque prioris, visitatorum et deputatorum arbitrio ibidem collocare, subrogare et substituere pro earumdem puellarum ac viduarum, perpetuis usu et habitatione, una cum ecclesia praefata Sanctorum Viti, Modesti et Crescentiae martyrum, vel alia ubi pro tempore, ut praefertur, dictum collegium et monasterium transferri contigerit, ad eorumdem monasterii et collegii usum, in qua missa celebrari ac sacramenta ecclesiastica ministrari, cadavera tam ipsarum quam etiam eiusdem monasterii monialium ecclesiasticae sepulturae tradi, et verbum Dei praedicare valeant, cum campanili et campanis, necnon refectorio, dormitorio, hortis et hortalitiis aliisque necessariis ad eiusdem collegii usum iam constructis et construendis. Ita quod in dicto collegio sic erigendo nonnullae aliae puellae virgines et honestae viduae eidem collegio minime onerosae, sed potius utiles, atque etiam per pro tempore visitatores eiusdem collegii approbandae, pro salubri earumdem educatione, ad instar aliorum monasteriorum similes puellas recipientium et admittentium, recipi et admitti valeant, sine alicuius praeiudicio, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Applicatio bonorum elargitorum et elargiendorum a christifidelibus.

§ 3. Ac eidem collegio sic erecto, omnes et singulas pecuniarum summas per Marcum Antonium Muretum Iuniorem, iuxta sui testamenti dispositionem, ac etiam instrumentorum et conventionum inter dictos priorem et confratres ac Ludovicum et Marcum Antonium Lanfrancum praefatos, quam etiam legati et donationis dictæ Magdalenae, ut praefertur factorum, necnon quæcumque res et bona per quoscumque christifideles eidem collegio relinquenda et eroganda. Ita quod dictae confraternitatis prior, visitatores et confratres nunc et pro tempore existentes, seu ab eis deputati vel deputandi, illorum omnium corporalem, realem et actualem possessionem libere apprehendere et perpetuo retinere, illaque omnia ad monasterii et collegii usus, necnon personarum inibi pro tempore existentium et degentium manutentionem convertere valeant, cuiusvis licentia minime requisita, auctoritate et tenore praefatis, etiam perpetuo, applicamus, appropriamus, concedimus et assignamus.

Concessio confraternitatis officialibus dicti monasterii et collegii pro eius totali regimine.

§ 4. Eisdemque priori, officialibus, visitatoribus et confratribus, ut sacerdotes ex approbatis ab examinatoribus pro tempore existentis dictae Urbis vicarii provectae aetatis, doctrina, vitae munditia et morum honestate religionisque zelo praeditos, et a protectore dictorum collegii et monasterii pro tempore existente approbandos, qui personarum omnium in dictis monasterio et collegio erecto huiusmodi, ut praefertur, degentium confessiones audiant, ecclesiastica sacramenta administrent, quique, et de idoneis verbi Dei concionatoribus, qui illas in spiritualibus praeceptis et documentis ac sanctis consiliis ad viam Domini instruere possint, omnino providere. Quique, una cum eiusdem confraternitatis priore, custodibus, visitatoribus et aliis officialibus pro tempore existentibus, et ad id forsan deputatis et deputandis, de qualitatibus puellarum et viduarum inibi etiam pro educatione recipiendarum et admittendarum, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis vel nationis fuerint, accurate et diligenter, quoties id a praefata confraternitate sive illius officialibus, visitatoribus et confratribus praefatis requisiti fuerint, inquirere. Ac denique, circa exa-

men et approbationem earum, quae nedum educationis huiusmodi, causa, verum quoque pauperum puellarum et honestarum viduarum huiusmodi, quas ibidem pro tempore educari, ac ad susceptionem habitus regularis et professionem admitti necnon matrimonio collocari contigerit, consulere debeant. Ac pro feliciori dictorum monasterii et collegii gubernio et statu, ac ut puellae pauperes et honestae viduae huiusmodi facilius instruantur et educentur, de consensu et consilio tamen dilecti filii nostri Michaelis tituli Sanctae Mariae supra Minervam cardinalis Alexandrini nuncupati, moderni ac pro tempore existentis dictae confraternitatis protectoris, et visitatorum huiusmodi, unam ex eis in abbatissam, quae caput omnium existat, post tamen dilectæ in Christo filiæ Maurae Perfectae Machabeæ, alias de mandato nostro ex monasterio monialium S. Caeciliae, regionis Transtyberim de eadem Urbe, Ordinis Sancti Benedicti, in quo triginta octo annos laudabiliter vixerat, pro eisdem puellis et mulieribus in sic noviter erecto et instituto monasterio receptis et pro tempore recipiendis, in vita et institutis regularibus dicti Ordinis instruendis, necnon ipsius monasterii cura et administratione gerendis et suscipiendis, translatae et nuper in illius abbatissam benedictae et consecratae, obitum. Quam ex nunc, ob eius virtutum merita bonosque mores et exemplarem vitam, ac attento quod, elapso primo et subsequenti triennio, nulla monialis in praefato noviter constructo monasterio, iuxta dispositionem concilii Tridentini, pro illo, ut convenit, regendo forsan qualificata reperiatur, nec aliqua alia regularem disciplinam, in eo cum bono odore et spirituali consolatione personarum in illo existentium introductam, manutenere melius quam eadem Maura poterit, eidem noviter erecto monasterio in abbatissam ad eius vitam dicta auctoritate praeficimus, sibique illius curam, regimen et administrationem in spiritualibus et temporalibus plenarie committimus, una cum congruo aliarum officialium et ministrarum numero ad certum tempus eis benevisum eligendi, ac etiam quoties opus et expediens erit, concurrente maiori vel saniori parte monialium pro tempore existentium eiusdem monasterii, iuxta formam dicti concilii, confirmandi, et etiam confirmationem reiterandi, vel tempore huiusmodi finito, illas omnino amovendi, et postmodum alias amotarum huiusmodi loco subrogandi et deputandi; ita tamen quod electio huiusmodi, tam iuxta formam et tenorem Regulae Ordinis Sancti Benedicti, quam constitutiones et ordinationes ac decreta iam forsan per confratres dictae confraternitatis et seu visitatores deputatos eiusdem desuper edita et edenda. Et quoad gubernium, constitutionem et educationem monialium et puellarum ac viduarum huiusmodi, ac exercitia tam spiritualia quam temporalia inibi iam forsan praescripta et a dicto Michaele cardinale protectore approbata, seu praescribenda et approbanda, necnon pro felici regimine, gubernio et administratione confratrum confraternitatis, monasterii et collegii praefatorum, aliarumque personarum omnium, rerum et bonorum confraternitatis, monasterii et collegii huiusmodi priori, officialibus et aliis ad id ab eadem confraternitate deputatis et pro tempore deputandis, quaecumque statuta, licita tamen et honesta ac sacris canonibus, praesertim decretis ipsius concilii, non contraria, toties quoties et quando expediens videbitur, edendi, condendi et faciendi, illaque edita, condita et facta, prout ratio vel utilitas exegerit, aut suaserit necessitas, pro tempore mutandi, alterandi et in melius reformandi, aliaque etiam de novo faciendi licentiam et facultatem, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo concedimus et elargi-

mur. Quae postquam condita, alterata et mutata ac edita et reformata, ac a praefato nunc et pro tempore existente protectore approbata et confirmata fuerint, eo ipso, dicta apostolica auctoritate confirmata sint et esse censeantur.

Exemptio a iurisdictione et superioritate etc. vicarii Urbis et aliorum omnium.

§ 5. Ac spem iam conceptam habentes quantum Urbi nostrae praefatae et universae christianae reipublicae utilitatis afferent monasterium et collegium sic per nos erecta et instituta, illa ac eorum personas, res et bona, ipsamque confraternitatem et confratres Sancti Bernardi sub nostra et pro tempore existentis Romani Pontificis et Sedis Apostolicae praefatae in spiritualibus et temporalibus protectione pariter perpetuo recipimus et admittimus, ac ab omni iurisdictione, superioritate, visitatione, correctione, dominio et potestate venerabilis fratris nostri Iacobi Portuensis cardinalis de Sabellis nuncupati, moderni ac etiam pro tempore existentis in eadem Urbe vicarii generalis, et illius vicegerentis ac locatenentium et officialium quorumcumque, necnon abbatum, visitatorum et superiorum totius Ordinis S. Benedicti, et praesertim congregationis S. Bernardi dicti Ordinis, ac pro tempore existentis rectoris parochialis ecclesiae in qua monasterium et collegium huiusmodi nunc sita sunt et pro tempore erunt, etiam circa sacramentorum administrationem, penitus et omnino ac perpetuo eximimus et liberamus; ac monasterium et collegium huiusmodi prorsus exempta et libera a vicarii nostri ac abbatum, visitatorum et superiorum praefatorum ac parochiali iurisdictione et superioritate esse et fore statuimus et decernimus.

Elargitio indulgentiarum pro visitantibus ecclesiam, vel ibi celebrantibus aut celebrari facientibus.

§ 6. Et insuper ut monasterium et collegium huiusmodi non solum manuteneantur, verum etiam in dies incrementum suscipiant, tam ecclesias S. Bernardi prope Columnam Traianam, et Sanctorum Viti, Modesti et Crescentiae praefatas, ac alias ecclesias pro tempore dictorum confraternitatis, monasterii et collegii existentes, necnon tam confraternitatem, monasterium et noviter erectum collegium, quam illorum protectorem, priorem, custodes, visitatores aliosque officiales et confratres, necnon abbatissam, moniales aliasque ipsius collegii noviter erecti personas, et nunc et pro tempore existentes, universosque alios utriusque sexus christifideles, S. Bernardi et Sanctorum Viti, Modesti et Crescentiae ecclesias praedictas ut supra devote visitantes, necnon missas in eis vel earum aliquibus celebrantes seu celebrari facientes, quovis modo et quocumque totius anni die, in perpetuum, ad communicationem et participationem, etiam per extensionem omnium et singulorum privilegiorum, facultatum, immunitatum, exemptionum, praeeminentiarum, antelationum, indultorum, indulgentiarum, etiam plenariarum, et peccatorum remissionum, ac quorumcumque aliorum favorum et gratiarum, tam spiritualium quam temporalium, tam dictae confraternitati Cathecumenorum, quam quibusvis Cisterciensi et Sancti Benedicti respective Ordinibus, eorumque monasteriis et conventibus, domibus, abbatibus, monacis, fratribus, protectoribus, pueris, puellis, confessoribus et monialibus, ac eorum et earum ecclesiis, cappellis aliisque ministris et officialibus, necnon etiam christifidelibus dictas ecclesias seu cappellas visitantibus et visitaturis, per nos et quoscumque Romanos Pontifices, et praecipue felicis recordationis Paulum tertium, sub datum Romae XIII idus februarii, pontificatus sui anno septimo, quomodolibet obtentorum et concessorum, quoad ea quae hactenus revocata non fuerunt, nec sub ullis revocationibus sunt comprehensa, ac quibus dictae ecclesiae confraternitas et loca pa-

cifice hucusque usi sunt ac utuntur et gaudent, et quae eidem concilio non sunt contraria, similiter perpetuo recipimus et admittimus, ac illa eis communicamus, et ad eos, ea et eas extendimus, ac etiam de novo, quatenus opus sit, eis concedimus, in omnibus et per omnia, perinde ac si dictis ecclesiis et cappellis Sancti Bernardi ac Sanctorum Viti, Modesti et Crescentiae martyrum, necnon confraternitati, monasterio noviter erecto et collegio praedictis, ac eorum protectori, priori, custodibus, officialibus, confratribus, abbatissae, monialibus, confessoribus et aliis pueris et puellis ac personis, necnon christifidelibus supradictas ecclesias S. Bernardi ac Sanctorum Viti, Modesti et Crescentiae ac alias ecclesias ut supra visitantibus, ac missas in eis vel earum aliqua celebrantibus vel celebrari facientibus, concessae forent.

Iurisdictio cardinalis protectoris et iudicis omnium causarum dicti monasterii et collegii, eorumque personarum etc.

§ 7. Praeterea, ne confraternitas, monasterium et collegium huiusmodi diversis Urbis tribunalibus vexentur, dictum Michaelem cardinalem et pro tempore existentem dictorum confraternitatis, monasterii et collegii protectorem, ac prioris, custodum ac aliorum officialium, confratrum ac ministrorum necnon abbatissae, monialium, puellarum aliarumque personarum eorumdem, pro tempore, quo in dictis monasterio et collegio steterint, quoad omnes et singulas lites, causas, quaestiones, controversias, differentias et molestias, civiles et criminales ac mixtas, tam active quam passive hactenus forsan motas et in futurum quomodocumque movendas, super bonis, rebus, iuribus et actionibus quibuscumque ad confraternitatem, monasterium, collegium et ecclesias Sanctorum Bernardi, Viti, Modesti et Crescentiae, ac alias ecclesias praedictas, ac ad moniales, puellas et alias personas supradictas nunc et pro tempore quomodolibet spectantia, in iudicem ordinarium, cum eisdem facultatibus, indultis, privilegiis, antelationibus et potestatibus, quibus protectores confraternitatum Orphanorum, Cathecumenorum, S. Catherinae *de la Rosa*, ac Sanctissimi Crucifixi, ac deputati fabricae basilicae Principis Apostolorum de dicta Urbe utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum. Ita etiam quod in causis discussionum et alias, quando de restituendo res et bona quaecumque de cetero eisdem monasterio et collegio relicta et donata, seu vigore praesentium aut alias quomodolibet acquisita, prioribus et potioribus creditoribus agi censebitur, confratres ipsi, nisi coram dicto Michaele cardinale et pro tempore dictae confraternitatis protectore, ad iudicium trahi non debeant, sed facta obligatione per priorem, custodes et camerarium dictae confraternitatis, in eventum quod alia bona ubilibet sita et quovis modo possessa non reperiantur, Michael cardinalis et pro tempore existens protector huiusmodi illa eisdem confratribus et respective creditoribus, etiam de facto et sine strepitu vel figura iudicii, neque expectata sententia aut fine litis, tradi et consignari mandet et procuret, etiam perpetuo constituimus et deputamus.

Facultas visitatorum monasterii et collegii praedictorum.

§ 8. Et ne etiam monasterium et collegium huiusmodi, dum cura in temporalibus dictae confraternitati eiusque confratribus et officialibus commissa est, in spiritualibus aliquod detrimentum sentiant, eisdem confratribus, pro triennio seu alio eis beneviso tempore, tres sacerdotes, auctoritate et rerum gerendarum experientia pietateque graves, qui visitatores nuncupentur, et nostras ac dicti vicarii, vicegerentis, locatenentium et illius officialium huiusmodi vices gerant, dictisque monasterio et collegio, illius abbatissae, monialibus, puellis, personis,

rebus et bonis praefatis in spiritualibus praesint (salva tamen in omnibus supradictis iurisdictione Urbis vicarii in casibus, in quibus episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, auctoritate dicti concilii, in monasteria, quantumvis exempta, et praecipue circa eorum clausuram, iurisdictionem exercent, et ad eos specialis et particularis approbatio sacerdotum et confessorum electorum spectet et pertineat), eligendi et deputandi, ac postquam electi fuerint, electionis et deputationis huiusmodi confirmatio ad nos et successores nostros vel dictum Michaelem cardinalem et pro tempore existentem dictae confraternitatis protectorem pertineat, quotiesque sibi videbitur, finito triennio seu alio tempore deputationis huiusmodi, illos, prout tempus et necessitas expostulaverit, confirmandi ac etiam amovendi, et illorum loco alios collocandi et deputandi facultatem impartimur. Nosque, hac prima vice, pro proximo triennio ab hodie incipiendo, et ut sequitur finiendo, de Michaelis cardinalis protectoris praefati assensu, idem munus dilectis filiis Petro Fulvio presbytero Romano, utriusque iuris doctori, moderno priori, Ioanni Daddeo canonico basilicae S. Mariae Maioris, et Annibali Summario, sacrae theologiae professori, dictae confraternitatis confratribus committimus, ipsosque in eorumdem collegii et monasterii visitatores, correctores et moderatores creamus, constituimus et deputamus. Dantes eis auctoritatem omnia et singula faciendi, mandandi, corrigendi, puniendi, reformandi et exequendi, quae ad spirituale regimen personarum in dictis monasterio et collegio degentium, illorumque felix incrementum et gubernium expedire atque opportunum esse censuerint. Ita ut personae in dictis monasterio et collegio vitam degentes, in piae et religiosae vitae sinceritate et puritate per sollicitam eorum operam foveantur et conserventur, temporalia vero bona ex circumscripta dictae confraternitatis cura bene atque utiliter administrentur.

Privilegium pauperum puellarum, quod admittantur ad subsidia dotium quae per diversas confraternitates et loca pia dari solent.

§ 9. Porro ipsas puellas, quas paupertate oppressas in huiusmodi collegio collocari contigerit, speciali privilegio insignire intendentes, quod ubi pauperes puellae huiusmodi aliena expetere auxilia coactae fuerint, quibus, adveniente aetate legitima, qua vel monasteria ingredi vel matrimonio collocari consueverint, quascumque dotes et auxilia pia, tam ab Annunciationis Beatae Mariae supra Minervam, Conceptionis, Confalonis et aliis archiconfraternitatibus et confraternitatibus, necnon ecclesiis, oratoriis et locis piis, quam quibuscumque utriusque sexus personis, usque ad summam honestam et eisdem priori et visitatoribus bene visam, petere, impetrare, obtinere, seque ad hunc effectum in rotulis et listis archiconfraternitatum, confraternitatum, ecclesiarum, oratoriorum, locorum piorum, necnon personarum huiusmodi adscribi facere et procurare, et deinde postquam dictae puellae seu earum aliquae dotes et auxilia huiusmodi obtinuerint, seu ad id adscriptae fuerint, quod tam illae, quae dictum monasterium ingredi et iam ingressae sunt, quam etiam quae matrimonio collocari voluerint, dotes et auxilia huiusmodi eis quomodolibet procurata, promissa et acquisita omnino lucrari, percipere et exigere debeant. Illaque omnia una cum praemissis dotibus et legatis, factis et faciendis, eisdem monasterio et collegio perpetuo concedimus; pauperesque huiusmodi puellas, dotium, auxiliorum piorum ac legatorum et donationum praefatorum factorum et faciendorum, quibuscumque, etiam motu pari emanatis, prohibitionibus vel statutis, etiam iuramento, con-

firmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, non obstantibus, capaces omnino facimus, reddimus et declaramus. Mandantes omnibus et singulis custodibus, camerariis et quibuscumque officialibus dictarum archiconfraternitatum, quae dotes et auxilia pia huiusmodi pauperibus puellis dare et assignare consueverunt, quod ex nunc dotes promissas puellis iam dictum monasterium ingressis et profiteri cupientibus, et statim postquam professae fuerint, priori, custodi et camerario pro tempore existentibus dictae confraternitatis Sancti Bernardi, ac si ipsae dictum monasterium ingressae seu in matrimonio collocatae, de consensu et licentia archiconfraternitatum et locorum piorum huiusmodi extitissent, dare et cum effectu persolvere; ac deinceps pauperes ipsas puellas in dicto collegio pro tempore degentes, ad subventionem dotium et auxiliorum huiusmodi admittant et admitti procurent, et deinde tam puellis profiteri cupientibus quam in matrimonio collocandis, dotes eis promissas et deinceps promittendas priori et officialibus huiusmodi dare et cum effectu solvere debeant; nec ad id, et sub praetextu decretorum, privilegiorum aut aliorum quorumcumque statutorum, archiconfraternitatum, confraternitatum, ecclesiarum, oratoriorum et piorum locorum huiusmodi quomodolibet concessorum, contradicere audeant seu praesumant, etiam licentia earumdem confraternitatum et locorum piorum huiusmodi minime obtenta neque petita. Ne autem super praemissis vel illorum aliquo in futurum quomodocumque vel quavis de causa pro validitate dubitari contingat:

Indultum circa relicta monasterio et collegio praedictis, et eorum validitatem.

§ 10. Volumus ac etiam mandamus quod quaecumque ordinationes, instrumenta, donationes, tam inter vivos quam causa mortis, testamenta, codicilli et quaecumque alia documenta, scripturae et folia, facta et facienda, per et inter quascumque utriusque sexus personas, etiamsi mulieres nuptae, ac minores viginti annis fuerint, ac testatae vel intestatae decesserint, etiam de bonis suis disponere prohibitae, nisi adhibita certa forma et solemnitate requisita, a iure vel ab homine, seu statutis novisque reformationibus Urbis, seu obtenta a Romano Pontifice desuper licentia, de quibusvis eorum bonis quomodocumque acquisitis et acquirendis, de quibus in favorem confraternitatis, monasterii et collegii huiusmodi testari, legari, codicillari, vel inter vivos aut causa mortis aut alias quomodolibet disponi contigerit. Quodque tam Marci Antonii Iunioris scutorum trium millium, ac Magdalenae Strozziae de Anguillaria, aliaque, ut praefertur, facta legata, quam quaecumque alia donationes, testamenta, codicilli, voluntates, instrumenta, scripturae et documenta ad favorem monasterii, collegii et confraternitatis huiusmodi iam facta et facienda, perinde valeant ac suum sortiantur effectum, ac si coram notario publico et legitimo testium numero, adhibitisque omnibus de iure requisitis qualitatibus et solemnitatibus, facta fuerint; nec monasterium, collegium et confraternitas huiusmodi de eisdem bonis in testamentis, legatis, codicillis, donationibus et aliis voluntatibus ac dispositionibus, instrumentis, documentis et scripturis eisdem monasterio, collegio et confraternitati pro tempore relictis, donatis, datis, cessis et applicatis, aliquam partem Camerae Apostolicae vel monasterio Convertitarum in eadem Urbe, etiam iuxta dispositionem indultorum felicis recordationis Leonis decimi, Clementis septimi et Pauli tertii aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, seu fabricae dictae basilicae Principis Apostolorum aut quibusvis aliis personis et ecclesiis

dare minime teneantur, sed bona ipsa, ut supra pro tempore relicta vel donata, confratres ipsi libere et integre recipere, ac eorum possessionem apprehendere et perpetuo retinere, ac in eorumdem monasterii, collegii et confraternitatis usus et utilitatem convertere libere et licite valeant, etiam cuiusvis licentia minime requisita.

Approbatio ordinationum factarum et faciendarum a confraternitate, etiamsi Regulae S. Bernardi sint contrariae.

§ 11. Decernentes ordinationes, constitutiones et statuta hucusque a praefata confraternitate facta, necnon instrumenta, donationes, testamenta, codicillos, scripturas, ac etiam, prout illa concernunt, omnia et singula in dictis ordinationibus, constitutionibus, statutis, capitulis, instrumentis, donationibus, testamentis, codicillis, tam factis quam faciendis, et aliis scripturis contenta, et inde secuta quaecumque, licita tamen et honesta, maxime ea circa licentiam edendi carnes et alios cibos in refectorio quolibet die dominico, tertia et quinta feriis et aliis diebus arbitrio supradictorum visitatorum, et circa usum omnium pannorum lini, et etiam cubilis, videlicet cum subucula tantum et linteaminibus [1], ac etiam breviarii Romani cum Proprio congregationis Sancti Bernardi dicti Cisterciensis Ordinis, ita quod ad recitationem Officii Beatae Virginis Mariae non teneantur. Quo vero ad praescriptionem horarum ad divina officia, tam diurna quam nocturna, recitanda, et quaecumque alia exercitia, spiritualia et temporalia, anno singulo facienda iuxta visitatorum et abbatissae huiusmodi dispositionem et ordinationem, ac ea quae iam forsan decreta et descripta in libro constitutionum et statutorum ipsius confraternitatis in pergameno, etiam quod sint contraria Regulae Sancti Benedicti huiusmodi, quæ praesentium tenore approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae firmitatis robur adiicimus, fieri et observari debere.

Validatio dispositionum favorabilium eidem monasterio et collegio.

§ 12. Ac supplentes omnes et singulos iuris, etiam communis et municipalis, et facti, etiam quarumcumque solemnitatum in eis forsan ex dispositione iuris vel statutorum sive novarum reformationum Urbis circa validitatem donationum in genere, etiam respectu consensus propinquorum, parentum insinuationis et testium, ac donationum in subscriptionibus, et in specie contractuum mulierum, et omnia alia forsan requisita, omissa et omittenda, praesertim quoad dicti Marci Antonii Iunioris, et desuper inter confratres et officiales confraternitatis S. Bernardi ac Ludovicum et Marcum Antonium Lanfrancum praefatos; necnon donationis per dictam Magdalenam aliaque omnia et singula legata, donationes, instrumenta, testamenta, codicillos, scripturas, documenta et alia quaecumque quomodolibet facta et facienda, aliosque defectus, siqui in praemissis omnibus et singulis seu eorum aliquo intervenerint aut intervenire possint quomodolibet in futurum. Inhibentes nunc et pro tempore existentibus praesidenti et deputatis fabricae dictae basilicae Principis Apostolorum, ac quibusvis aliis officialibus, ministris et personis, cuiusvis status, gradus et conditionis existant, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, ne priorem, officiales et confratres nunc et pro tempore existentes, in omnibus et singulis praemissis, et praesertim super dictis pecuniis per dictum Marcum Antonium Muretum legatis, et per Magdalenam Strozziam donatis, omnibusque et singulis aliis legatis, donationibus, testamentis et codicillis pro tempore per quascumque personas quomodolibet et ex quacumque causa factis et faciendis, in rebus vel bonis dictae confraternitatis,

[1] Cherub. addit *sine scapulari.*

quovis quaesito colore vel ingenio, directe vel indirecte, molestare, perturbare aut inquietare audeant vel praesumant. Et etiam decernentes omnia et singula praemissa, ac inde secuta et inde sequenda quaecumque, valida et efficacia fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter ab omnibus observari debere.

Clausula sublata.

§ 13. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere. Necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum huius bullae deputatio, et auctoritas.

§ 14. Quocirca venerabilibus fratribus nostris patriarchae Alexandrino, ac Marturanensi et Venusino episcopis per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte prioris, custodum ac confratrum praefatorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra priorem, custodes et confratres praefatos ac eorum singulos eisdem praesentibus et in eis contentis quibuscumque pacifice frui et gaudere; ac praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, quos illa concernunt et quomodolibet concernent in futurum, inviolabiliter observari. Non permittentes eos vel eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias et censuras ecclesiasticas ac etiam pecuniarias poenas, eorum arbitrio imponendas et moderandas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Non obstantibus de non tollendo iure quaesito ac de non concedendo indulgentias et privilegia *ad instar;* necnon quibusvis aliis, etiam Pauli secundi et Pauli quarti ac Pii quinti de rebus ecclesiasticis non alienandis, et male alienatis recuperandis; ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, Cancellariaeque Apostolicae regulis, ac monasterii, collegii Cisterciensis et Sancti Benedicti Ordinum huiusmodi statutis, et iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam monasterio Cisterciensi et Sancti Benedicti, quam quibusvis aliis etiam praefatis dictae Urbis monasteriis et illorum Ordinum, superioribus, conventibus et personis, necnon praesidenti et deputatis dictae fabricae, aliisque omnibus et singulis collegiis, fabricis, monasteriis et locis piis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque decretis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, etiamsi in eis expresse caveatur quod illis derogari nequeat, nisi derogationes huiusmodi et causae in eis forsan expresse et specialiter insererentur; ac de consensu superiorum, monasteriorum, Ordinum, collegiorum, fabricarum et aliorum piorum locorum huiusmodi fierent, et alias factae derogationes huiusmodi nemini suffragentur. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro

illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie, pari motu, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 16. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, ac manu prioris seu visitatorum aut custodum ac secretarii dictae confraternitatis subscriptis, ac praefati Michaelis cardinalis, nunc et pro tempore existentis dictae confraternitatis protectoris, vel ipsius confraternitatis sigillo munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra illud, adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo idibus iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 13 iulii 1587, pontif. an. III.

XCIII.

Statutum quod officia generalis, visitatorum, priorum, vicariorum et procuratorum congregationis sancti Georgii in Alga sint triennalia, et capitulum generale celebretur de triennio in triennium, et in electionibus nulla habeatur ratio absentium [1].

Sixtus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Ad exequendum nostri pastoralis officii debitum vigilantibus studiis intendentes, ad ea, per quae congregationum quarumlibet, praesertim personarum sub suavi Religionis iugo Altissimo famulantium, felici successui ac directioni, ac ipsarum personarum opportunis gubernio et regimini cum divini cultus incremento valeat salubriter provideri, nostrae diligentiae studium libenter convertimus, ac in his eiusdem officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causa huiusce edendae constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, ex veteri consuetudine et etiam statutis congregationis S. Georgii in Alga statutum et practice servatum fuerit ut in omnibus electionibus, etiam generalis prioris, ad eas omnes conventus mittant vota litteris inclusa cuiuscumque canonici obsignata, ita ut unumquodque collegium suam litteram cum votis mittat, qui ritus servatur in electionibus socii capitularis et officialium particularium conventuum, et tamen vota absentium tantummodo in primo scrutinio olim valebant, in ceteris vero reiiciebantur in totum; et quot annis celebrabatur capitulum generale, et quando placet unicuique collegio, eligitur socius capitularis, dummodo eligatur post completas secundas visitationes; et dignitates in ipso capitulo decretae non se extendunt amplius quam per annum, neque generalis prior, neque visitatores et priores anno sequenti confirmari, praeterquam prior S. Salvatoris in Lauro de Urbe nuncupatus, et S. Mariae ab Horto Venetiarum quem sequentem annum confirmari solebant; reliqui in totum vacabant, et erant contumaces ad praedictas dignitates, nisi saltem vacarent ad prioratum et visitatoratum duobus mensibus, et ad generalatum tribus annis; et si aliquam ecclesiam per cessum vel decessum infra annum contingebat vacare, canonici ecclesiae va-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

cantis eligebant unum e collegio, quem dicunt socium capitularem, cuius munus est deferre vota inclusa et obsignata ad S. Georgium in Alga, ubi una cum collegio illius conventus et patribus novem, computatis votis delatis a socio capitulari praedicto, perficitur electio ecclesiae vacantis; et subrogatio visitatorum ad collegium S. Georgii in Alga cum patribus novem pertinet. Et postquam felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, apostolica auctoritate mandaverat et ordinaverat ut in eorum capitulis, tam generalibus quam particularibus, celebrandis super electione prioris generalis aliorumque officialium vota absentium secreto reciperentur, et quod ipsa vota licet in primo scrutinio capitulari electio, de qua ageretur, non perficeretur, nihilominus in omnibus aliis sequentibus scrutiniis, prout in primo, et usque ad perfectam electionem firma et valida permanerent, ac eamdem vim et robur haberent prout in primo. Idem Pius praedecessor mandato et ordinationi huiusmodi, certis de causis tunc expressis, derogando, ut dictorum absentium vota in totum reciperentur, iuxta formam antiquam congregationis, ultra primam vicem et primum scrutinium, nullam vim et robur in aliis sequentibus scrutiniis haberent, sed invalida remanerent, etiam mandaverit et ordinaverit; et postmodum piae memoriae Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, simili auctoritate mandaverit et ordinaverit quod cum canonicis praedictis in dictis eorum capitulis, tam generalibus quam particularibus, celebrandis super dicta electione prioris generalis aliorumque officialium vota absentium reciperentur, et ipsa vota non solum in primo, verum in omnibus aliis sequentibus scrutiniis, et usque ad perfectionem capituli et electionis prioris generalis fiendae eamdam vim et robur haberent, firmaque et valida, prout in primo scrutinio, permanerent, et dicta vota absentium non reiicerentur vel comburerentur, antequam dicta prioris generalis electio absoluta non fuisset, prohibuerit. Ita, quod si, durante eodemmet capitulo generali, electio prioris generalis per obitum vel cessionem nuper electi aut alias iteranda vel pluries habenda fuisset, absentium vota semper attenderentur, validaque et efficacia cum praesentium in capitulo suffragiis connumerarentur, et ex illis omnibus simul iunctis et computatis, si quis medietatem excederet, is in primo statim scrutinio prior generalis creatus, publicaretur; si nullus vero medietatem praedictam excederet, tunc secundo et tertio scrutinio a capitularibus iterato, connumeratis et votis absentium semper in omni scrutinio computandis, qui plures haberet voces, is prior generalis electus esse censeretur; et si contingeret, ut omnium vota in partes dividerentur aequales, tunc eo casu, qui in congregatione antiquior canonicus esset, omnium consensu prior generalis designatus esse intelligeretur; necnon, ut vota praedicta secreto porrigerentur, etiam praeceperit et mandaverit ut quicumque votum electivum habentium capitulo generali vel particulari personaliter interessent, ibi per suffragia et fabas, palloctas, ut vocant, in pixide tecta, sua cuiusque manu non autem aliena, immitterent, alioquin nulla immittenda sua vota declararent. Qui vero absentes forent, singuli in singulis schedulis vel chartulis nomen eligendorum in summa chartula, suum vero nomen in ima chartula, describerent, quae chartulae ab una parte complicatae, ita obsignarentur et occluderentur ut eligentium nomina a nemine prorsus sciri possent; eligendorum vero nomina a scrutatoribus, iuxta antiquorum statutorum

eiusdem congregationis formam deputandis, legi, notari et numerari possent, dictaque forma et in capitulis conventualibus, in quibus aliae electiones essent fiendae, omnino observaretur, prout in ipsorum praedecessorum diversis litteris desuper confectis plenius continetur.

Statuta de quibus in rubrica.

§ 2. Nos, cupientes salubri dictae congregationis directioni et regimini iuxta temporum varietates, ac prout his praesertim temporibus ratio postulat et exigit, providere, et ne in huiusmodi capitulis et electionibus, tam generalibus quam particularibus, per canonicos praedictos celebrandis, aliqua fraus aut vis adhibeatur, sed illa libere et canonice celebrentur, necnon pro eorumdem canonicorum commoditatibus, totiusque congregationis et illius monasteriorum minori dispendio, ac sacri concilii Tridentini decretis inhærere volentes, dictarumque litterarum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, ipsosque congregationes et canonicos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu propio, non ad canonicorum aut congregationis huiusmodi aut alterius pro eis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex mera voluntate certaque scientia nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, volumus ac praedicta auctoritate perpetuo statuimus et ordinamus quod deinceps, perpetuis futuris temporibus, prioris generalis, visitatorum, priorum, vicariorum et procuratorum officia, dignitates usque ad triennium se extendant, et capitulum generale protrahatur ac celebretur de triennio in triennium, et electio sociorum capitularium in anno, quo celebrandum erit capitulum generale, fiat ab omnibus in omnibus conventibus, aliquo ex diebus hebdomadae incipiendo a sabbato dominicae Passionis usque ad sabbatum dominicae Palmarum; et in posterum nulla habeatur ratio votorum absentium canonicorum, quos tali praerogativa privamus; et tam in electione generali quam in aliis, ut solummodo habeant ius eligendi illi qui personaliter intererunt electioni; quodque in posterum praedictum capitulum generale omnimodam habeat electionem prioris generalis et aliorum officialium, et si per cessum vel decessum contigerit vacare aliquam ecclesiam, tunc, temporibus a iure statutis, prior generalis accedat ad conventum ecclesiae vacantis; et si ipse ad illum accedere nequiverit, possit mittere alium nomine suo, qui fungatur vicibus suis, ad conventum ecclesiae vacantis, ac congreget omnes vocem habentes, et eligant priorem, in qua electione vocem etiam habeat ipse prior generalis vel eius vicegerens, si dictae ecclesiae praesens fuerit: in subrogando autem visitatore servetur ordo consuetus, ut capitulum Sancti Georgii in Alga cum patribus novem eligant.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Necnon voluntatem, statutum, ordinationem et declarationem nostra huiusmodi ac praesentes litteras nullo umquam tempore revocari posse, sed semper valida et efficacia existere, illaque suos plenarios effectus sortiri ac ab omnibus inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, necnon etiam locorum ordinarios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Delegatio executorum.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus et officialibus generalibus, necnon dictae congregationis et aliis abbatibus et

prioribus et aliis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, per easdem praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, ubi et quando expedierit, et quoties pro parte congregationis aut canonicorum huiusmodi seu alicuius eorum fuerint requisiti, per se vel alium seu alios, faciant auctoritate nostra praesentes nostras litteras ab omnibus inviolabiliter observari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem congregationi illiusque superioribus et personis et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac servata eorum forma, insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 iulii 1587, pontif. anno III.

XCIV.

Confirmatio gestorum in diaeta in monasterio de Pace de Urbe habita pro congregatione Lateranensi 1.

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Cum generale capitulum cogi nequiverit, de licentia papae celebrata est diaeta.

§ 1. Licet capitulum generale dictorum filiorum canonicorum regularium Ordinis S. Augustini, congregationis Lateranensis singulo quoque triennio per illius rectorem generalem et diffinitores, abbates, praelatos et socios capitulares, iuxta ordinationes et litteras felicis recordationis Gregorii Papae XIII, praedecessoris nostri, post tertiam dominicam a festo Paschalis Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi sequentem, celebrari debeat; nihilominus id hoc anno adveniente fine triennii, et instante tempore dicti generalis capituli de more solito congregandi, commissariis dicti Ordinis ad monasteria et loca eidem congregationi subiecta visitandum, et causas propter quas ipsa monasteria seu abbates et priores illorum onera eis incumbentia solvere cessarunt cognoscendum, transmissis, rationalibus causis celebrari non valuit, et loco eiusdem capituli generalis, de consensu venerabilis fratris Marci Antonii episcopi Praenestinensis, cardinalis Columnae nuncupati, ac dictae congregationis protectoris, qui nobis dicta impedimenta significaverit;

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et praecipue de nostra licentia, verbo concessa, per dilectos filios Petrum Franciscum Rivam Veronensem, rectorem generalem, et diffinitores quarta dominica post dicta festa Paschalia in monasterio Beatae Mariae Pacis de Urbe dictorum Ordinis et congregationis diaeta habita fuit.

In ea electus visitator generalis, nonnulli abbates et priores.

§ 2. In qua, ut nobis relatum est, idem rector et diffinitores dilectum filium Andream Cremonensem in visitatorem, et plures alios in abbates monasteriorum S. Petri de Pado Cremonensi, S. Modesti de Benevento, ac S. Viti prope et extra muros Mantuanos, et priorem S. Mariae de Creta, crearunt et deputarunt, et alia tractarunt et gesserunt, quae dictae congregationi duxerunt expedire.

Sed mortuo procuratore generali antequam successor ei dari posset;

§ 3. Et post hanc diaetam quondam Cherubinus Reparius, dicti monasterii Beatæ Mariae abbas, et ipsius congregationis procurator generalis in ultimo capitulo in civitate nostra Ravennatensi celebrato, insolidum cum dicto rectore generali, et cum amplis facultatibus in actis Hieronymi a Porta notarii publici Ravennatensi, die trigesima aprilis anni Domini millesimi quingentesimi octuagesimi quarti, nuper diem clausit extremum, et dictum mandatum ad triennium dumtaxat factum expiravit; unde negocia, lites et causae dictae congregationis vix tractari, expediri et legitime defendi posse videntur, ut magnum inde potest damnum et incommodum resultare.

Pontifex acta in dicta diaeta confirmat, electionesque omnes in ea factas approbat.

§ 4. Cupientes itaque eiusdem congregationis indemnitati consulere, ipsamque specialibus favoribus et gratiis prosequi, ac dicti Marci Antonii episcopi et cardinalis supplicationibus hac in parte inclinati, ex certa nostra scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, creationem et denominationem visitatoris, abbatum et prioris praedictorum et quaecumque in ipsa diaeta gesta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus, illaque de voluntate et consensu nostro facta fuisse, et plenissimum firmitatis robur habere decernimus, perinde ac si in ipso capitulo generali legitime celebrato praemissa omnia gesta fuissent. Alios quoque visitatores, abbates, priores, praepositos ceterosque praelatos et officiales monasteriorum et locorum dicti Ordinis nunc existentes, cum omnibus facultatibus et iurisdictionibus solitis et consuetis confirmamus, et, quatenus opus sit, de novo deputamus, ita ut eorum officium, gubernium, administrationem et regimen, donec in primo capitulo generali de aliis officialibus, ut moris est, per congregationem ipsam provisum fuerit, exercere ac continuare valeant.

Novum deputat procuratorem generalem.

§ 5. Et insuper, ne, defectu dicti mandati generalis vel propter dubium illius validitatis, ipsa congregatio aut eius monasteria in suis negociis, rebus, litibus et causis damnum vel praeiudicium aut impedimentum aliquod patiantur vel incurrant, immo ut possint omnia incumbentia utiliter expedire, et praesertim ut contractus, qui nomine dictae congregationis cum dilecto filio Ioanni Baptista Lurago, et quondam Pompilio fratribus germanis, super extinctione censuum valoris quadringentorum millium scutorum auri celebrati, et per nos in forma brevis die XIII mensis iulii MDLXXXVII, confirmati fuerunt, adimpleri, eidem Petro Francisco, quem in rectorem generalem atque procuratorem et administratorem dictae congregationis, suorumque monasteriorum, bonorum et iurium confirmamus et de novo deputamus, ad easdem omnes facultates et auctoritates, quae in dicto instrumento mandati, ex actis ipsius Hieronymi confecto, cuius tenorem, ac si de verbo ad verbum insereretur praesentibus, haberi volumus pro expresso, plenius continetur, ac ad omnia et singula negocia,

res, lites et causas active et passive, necnon ad omnia et singula congregationem ipsam suaque monasteria et loca ac eorum quodlibet concernentia, et demum omnia in dicto mandato contenta tractandum et expediendum, ac quoscumque veteres census redimendum, et novos utiliori conditione creandum et vendendum super quibuscumque dictorum monasteriorum bonis, et alia faciendum pro dicti contractus cum Ioanne Baptista et Pompilio praedictis adimplemento necessaria et opportuna; ipsumque Petrum Franciscum quoad praemissa omnia et singula in locum dicti Cherubini ponimus et subrogamus, et insuper eidem Petro Francisco et duobus visitatoribus quemcumque procuratorem totius Ordinis praedicti generalem, cum eademmet auctoritate et mandato, quae ei solet conferri per capitulum generale, prout in actis ipsius capituli generalis, per dictum Hieronymum authenticatis constat.

Nonnullas et concedit facultates.

§ 5. Et abbates, priores, praepositos, praelatos et officiales in locum defunctorum et vacantium, prout necessitas vel occasio postulabit, usque ad capituli generalis celebrationem iuxta eorum constitutiones, necnon facto prius verbo cum dicto Marco Antonio episcopo cardinale, protectore dictae congregationis, et de eius consensu, quoscumque praelatos, abbates, priores, praepositos sive quoscumque alios, quovis nomine nuncupatos, superiores ad regimen quorumlibet monasteriorum quomodocumque vacantium, etiam non expectata illorum renunciatione, si actu praelati fuerint, aut abbates seu priores eligendi et deputandi, seu electos confirmandi; et si ita expedire visum fuerit pro quiete subditorum aut utilitate monasteriorum praedictorum, de consensu protectoris et duorum visitatorum prædictorum, quemcumque abbatem, priorem, praepositum aut alium superiorem a regimine unius monasterii amovendi, et ad alterius regimen et gubernium transmittendi, plenam et amplam auctoritatem concedimus et impartimur.

Validitatem addit iis quae ab eo fieri continget.

§ 6. Decernentes omnia et singula gesta et gerenda per ipsum Petrum Franciscum, et ab eo desuper substituendos in quibuscumque contractibus, distractibus, rebus, negociis et litibus perpetuo valida et efficacia ac legitima fore, suosque effectus sortiri debere.

Constitutionem suam de solvendis oneribus monasteriorum suspendit.

§ 7. Praeterea litteras eidem congregationi a nobis in forma Brevis contra eos, qui onera suorum monasteriorum a praedicta congregatione imposita non solvissent, anno proxime praeterito concessas et emanatas, executioni demandari nolumus, earumque effectum pro hac vice tantum omnino suspendimus, donec et quousque per Marcum Antonium episcopum et cardinalem, ac Petrum Franciscum, necnon visitatores et commissarios praedictos, de mandato nostro eamdem congregationem visitantes, causae propter quas onera huiusmodi per eos soluta non fuerint, cognitae sint, et pro veris, legitimis et necessariis repertae fuerint. Et quod nullo umquam tempore abbates, priores, praepositi seu quocumque alio titulo nuncupati praelati, ministri et officiales, qui propter legitimas et rationabiles causas per protectorem, generalem et commissarios sua onera solvere non potuisse reperti fuerint, molestari seu perturbari occasione dictarum nostrarum litterarum a quocumque iudice et a Sede Apostolica delegato possint, omni penitus contradictione et oppositione remotis.

Clausulae praeservativae.

§ 8. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum

quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, usibus et naturis dictae congregationis, ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ipsi congregationi, illiusque ac dictorum monasteriorum superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus, etiam motu proprio ac consistorialiter ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die I augusti MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 augusti 1587, pontif. anno III.

XCV.

Statutum quod libri linguae Arabicae, Turcicae, Persicae et Chaldaicae etiam sacrae theologiae et quarumcumque facultatum imprimendi, ante quam imprimantur debeant per cardinales super congregatione indicis deputatos examinari et corrigi, etc [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Greg. XIII grammatices linguarum Arabicae, Turcicae, Persicae et Chaldaicae imprimi iussit pro collegiis a se erectis.

§ 1. Alias felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, dilectum filium nostrum Ferdinandum Sanctae Mariae in Via Lata diaconum cardinalem de Medicis nuncupatum protectorem linguae Arabicae constituit et deputavit, eique, ut praedictae ac Turcicae, Persicae et Chaldaicae linguarum usus et exercitium in collegiis ab eodem praedecessore in Urbe institutis quanto citius introducerentur, grammaticales institutiones et dictionaria ipsarum linguarum fideliter conscribi et exarari, conscriptaque et exarata et alios libros linguis praedictis compilatos et compilandos ac interpretandos imprimi et typis excudi faciendi curam demandavit, prout in litteris ipsius praedecessoris in forma brevis desuper confectis plenius continetur.

Hinc alii etiam libri Sacri compacti sunt a cardinale de Medicis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, hoc negotium, spatio quatuor annorum et ultra, non sine dicti Ferdinandi cardinalis maxima impensa, ac laboribus et vigiliis personarum ab eodem Ferdinando cardinale ad hoc deputatarum, eo redactum sit, quod non solum praedicti, sed etiam omnes alii libri praedictarum et aliarum partium orientalium linguarum, etiam sacri, et quarumcumque aliarum facultatem de facili imprimi poterunt.

Cavet itaque Sixtus ne tales libri imprimantur inconsulta sac. congregatione indicis.

§ 3. Nos, sperantes quod ex huiusmodi impressione librorum et dictarum linguarum apud christifideles cognitione, in partibus infidelium fides catholica, quae antiquis temporibus inibi floruit, verbi Dei praedicatione, dictorumque librorum lectione, dante Domino, restitui poterit: ac propterea tam laudabile et reipublicae christianae salutiferum opus, quantum in nobis est, confovere, utque praemissa omnia quanto citius, et sub ea, qua decet, correctione, sublatis impedimentis quibuslibet, publicari et in lucem poni possint, providere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae nobis petitionis instantiam, sed

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

ex certa scientia nostra, volumus et apostolica auctoritate statuimus et ordinamus quod libri praedictarum linguarum etiam sacrae theologiae et utriusque iuris scientiae, nec non aliarum quarumcumque facultatum de cetero imprimendi, antequam imprimantur, a dilectis filiis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et aliis personis super congregatione indicis a nobis et successoribus nostris deputatis et deputandis examinentur et corrigantur; qui sic examinati et correcti possint a deputatis ab eodem Ferdinando cardinale libere, et absque alicuius impedimento, imprimi, ac impressi ubique locorum teneri, legi et vendi.

Clausulae.

§ 4. Decernentes deputatos ab eodem Ferdinando cardinale super praemissis per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari seu inquietari non posse; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac privilegiis, indultis et litteris apostolicis quibusvis personis, etiam eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, etiam motu et scientia similibus, etiam consistorialiter ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die V augusti MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 aug. 1587, pontif. anno III.

XCVI.

De constitutionibus Pii IV et Pii V circa confidentias beneficiales editis, in regno Galliae exequendis, cum moderatione poenarum [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis officii sollicitudo nos admonet ut quae ad Dei laudem, animarumque salutem a praedecessoribus nostris provide statuta fuisse noscuntur, debitae executioni demandari curemus, et si quando opus sit, illa etiam moderemur, prout, personarum et locorum qualitate pensata, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pii IV bulla citata in rubrica.

§ 1. Sane felicis recordationis Pius Papa quartus, praedecessor noster, ad tollendam fiduciariae mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam, statuit et decrevit, *etc* [2].

Pii V bulla ibi etiam citata

§ 2. Et deinde recolendae memoriae Pius Papa quintus, etiam praedecessor noster, ad tam nefarium crimen facilius detegendum et profligandum, similiter statuit et decrevit, *etc.* [3].

Hic modo Pontifex mandat in regno Franciae dictas bullas executioni demandari ab ordinariis etc.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, litterae praedictae in regno Galliae, ob temporum iniuriam aliasque varias subortas difficultates diversaque impedimenta, adhuc debitae executioni non fuerint demandatae, ac propterea tam perniciosum confidentiae vitium, quod celeriter extirpari et eradicari oportuerat, in dies magis serpere ac propagari noscatur, in maximum animarum periculum ac scandalum plurimorum; nos, ad hanc corruptelam

1 Hanc bullam Pii IV, habes in tom. IV, const *Romanum*, pag. 305; illam Pii V, habes in eodem const. IV, *Intolerabilis*, pag. 754. De materia vero confidentiarum et simoniarum beneficium, vide superius in const. LXXI, *Divina*, pag. 794.

2 et 3 Omittitur residuum huius narrativae, quia illam reperies in locis in praecedenti nota signatis.

e regno illo, quod non ita dudum omni christianarum virtutum genere florebat, et, adiuvante Domino, etiam in posterum florebit, tollendam ac prorsus eliminandam, animarumque saluti in primis consulere volentes, omnibus et singulis dicti regni archiepiscopis et episcopis, eorumque officialibus, et ad quos de iure et consuetudine pertinet, per praesentes mandamus, ac sub interminatione divini iudicii districtius iniungimus ut in suis quisque ecclesiis, civitatibus, dioecesibus et locis, etiam exemptis, ad praedicta studiose attendant, et in eos, quos in confidentiae crimine, praesertim vero in aliquo ex casibus superius expressis, etiam per praesumptiones et coniecturas praedictas, deliquisse constiterit, severe animadvertant. Qui, si in praemissis exequendis negligentiores fuerint, eorum negligentiam suppleri volumus a capitulis ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium, ac etiam collegiatarum, ubi de beneficiis ipsarum collegiatarum ecclesiarum agatur, ac etiam ab abbatibus seu prioribus claustralibus et conventibus monasteriorum, aliorumque regularium locorum, ubi de eorumdem monasteriorum seu locorum officiis et beneficiis quaestio extiterit.

Appellationem non suspensivam concedit.

§ 4. Et nihilominus appellationes a sententiis, quas contra delinquentes huiusmodi fieri contigerit, ad proximos superiores iuxta canonicas sanctiones devolvi, executionem tamen sententiarum praedictarum minime impedire aut retardare.

Beneficia ex hoc crimine vacantia per ordinarios dicti regni conferri indulget.

§ 5. Beneficia vero occasione confidentiae huiusmodi ad praesens vacantia et in posterum vacatura ab ipsorum beneficiorum ordinariis collatoribus, perinde ac si dispositioni dictae Sedis Apostolicae minime reservata fuissent, libere conferri, et de illis provideri posse et debere decernimus, dum tamen talium criminum participes aut consentientes non fuerint. Quo casu, ac etiam ubi iidem ordinarii collatores per sex menses a die detectae et comprobatae seu convictae confidentiae beneficia ipsa, ut praefertur, vacantia, canonice conferre et de illis providere neglexerint, beneficiorum eorumdem collatio et provisio ad proximos superiores devolvatur. Quae vero beneficia de iure patronatus laicorum fuerint, ad eorumdem patronorum praesentationem, dummodo in crimine huiusmodi non fuerint partecipes, conferri. De ecclesiis vero ac monasteriis aliisque beneficiis ecclesiasticis, ad carissimi in Christo filii nostri Henrici tertii Francorum regis christianissimi nominationem spectantibus, novam ipsius regis nominationem, iuxta concordata seu indulta a Sede Apostolica ei concessa, volumus expectari.

Fructus eorum, usui ecclesiarum applicari iubet.

§ 6. Fructus vero ex ecclesiis, monasteriis et aliis beneficiis praedictis male et indebite perceptos, in usum ac reparationem ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum praedictorum, super quibus confidentia huiusmodi contracta et commissa fuerit, per archiepiscopos, episcopos seu officiales aliosque praedictos converti et applicari posse volumus ac decernimus.

Hortatur regem ad exequenda praedicta.

§ 7. Magnopere hortantes et enixe in Domino requirentes eumdem regem christianissimum, ut omne studium, operam et auctoritatem ad praedicta peragenda et exequenda praestare et impertiri velit.

Absolutionem a censuris Nuncio reservat.

§ 8. Absolutionem autem a censuris et poenis ac irregularitatibus propter crimen confidentiae huiusmodi quomodolibet incursis pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae apud regem praedictum Nuncio, et quoad provincias sub legatione Avinionensi comprehensas eidem Avinionensi Legato, cum facultate etiam alios subdelegandi, de quorum pietate et prudentia magis confidant, per praesentes committimus et demandamus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus Pii quarti et Pii quinti praedecessorum praedictorum litteris, quas quoad dictum regnum in superius expressis duximus relaxandas et moderandas, illis nihilominus quoad alia regna et loca in suo robore duraturis, aliisque apostolicis constitutionibus; privilegiis quoque et indultis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa aut in totum non inserta, praesentium effectus et executio impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 10. Volumus autem ut praesentium exempla, etiam impressa, edantur, eaque notarii publici manu et cuiusque curiae ecclesiasticae eiusve praelati sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem in iudicio et extra, ubique locorum faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum mandati, iniunctionis, decretorum, hortationis, requisitionis, commissionis, demandationis et voluntatum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, idibus augusti, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 aug. 1587, pont. anno III.

XCVII.

Studii generalis almae Urbis regimen collegio advocatorum consistorialium confertur, cum antiquorum privilegiorum confirmatione et praecedentiae concessione [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacri apostolatus ministerio, meritis licet insufficientibus, superna dispositione praesidentes, inter ceteras curas quae animum nostrum delectant, illam libenter suscipimus, per quam nostrae provisionis auspiciis, officia singula, praesertim in hac Urbe nostra consistentia, illorumque regimina, viris committantur idoneis, quorum opere et auxilio adolescentes, studii bonarum artium causa, e diversis mundi partibus ad ipsam Urbem confluentes, eorum animos virtutibus et bonis moribus felicius excolere valeant, ac desuper officii nostri partes interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Revocatio concessionum regiminis Studii cuicumque concessi.

§ 1. Sane, licet alias officium rectoratus gymnasii almae Urbis uni ex praelatis Romanae Curiae ad eius vitam concedi et assignari solitum fuerit, *etc.*; nihilominus, attendentes quod si dictum officium collegio dilectorum filiorum sacrae aulae nostrae consistorialis advocatorum perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, idem officium felicius gubernaretur, ac utilitati publicae et ipsius gymnasii plenius consuleretur, cum in dicto collegio semper adsint viri litterarum scientia, rerum experientia, ac usu et prudentia praestantes. Idcirco quaslibet concessiones, assignationes ac alias dispositiones de dicto officio per nos ac prae-

1 De huius studii erectione, et indultis, vide in Bonif. VIII. const. XVI. *In supremae.* tom. IV pag. 157. De advocatis autem consistorialibus, vide in Bull. IV Martini V. *In apostolicae*, tom IV pag. 679.

dictum ac quosvis alios praedecessores nostros dictis et aliis quibusvis personis hactenus factas, praemissis et certis aliis rationabilibus causis adducti, harum serie, specialiter et expresse revocantes, cassantes, irritantes et annullantes, illasque prorsus et omnino revocatas, cassas, irritas et annullatas esse et censeri debere declarantes, easdemque personas a praedicto officio penitus amoventes, ac utilitati publicae prospicere, ipsumque collegium ac illius singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac dictarum litterarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes:

Concessio dicti regiminis cum suis oneribus, honoribus et emolumentis, collegio advocatorum consistorialium.

§ 2. Motu proprio, non ad collegii praedictorum vel aliorum pro ipsis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, officium rectoratus gymnasii Urbis huiusmodi, per ipsos collegium regendum et gubernandum, iuxta providam dispositionem et ordinationem per eos vel eorum maiorem partem faciendam, et toties, quoties eis vel eorum maiori parti expedire videbitur, mutandam, cum omnibus et singulis illius fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis et quibuscumque, tam ordinariis quam extraordinariis, et quae alii, qui pro tempore fuerunt rectores dicti gymnasii quovis modo habuerunt seu habere potuerunt, ac quibusvis causis et rationibus, necnon cum quibusvis honoribus, oneribus, praeeminentiis, antelationibus, praerogativis, iurisdictionibus, auctoritatibus, facultatibus, libertatibus, immunitatibus et exemptionibus, privilegiis et indultis, solitis ac consuetis, et quibusvis aliis concessionibus et gratiis, quibus tam ultimus quam alii rectores dicti gymnasii, quavis ratione vel causa, usi, gavisi et potiti fuerunt, ac uti, gaudere et potiri potuerunt, collegio advocatorum huiusmodi, ita quod liceat ipsis collegio, per se vel alium seu alios eorum et collegii huiusmodi nominibus, corporalem, realem et actualem possessionem dicti officii apprehendere ac perpetuo retinere, illiusque fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta percipere, exigere et levare, et in suos ac collegii et officii huiusmodi usus et utilitatem convertere. Ipsumque officium per se et quemlibet eorum exercere, regere et gubernare, ac omnia et singula quae ad huiusmodi officium eiusque liberum exercitium spectant et pertinent, gerere et facere, cuiusvis licentia desuper minime requisita, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, *etc.*

Praecedentia ante alios advocatos et doctores, etiam antiquiores, eisdem datur.

§ 3. Ac ut collegium et advocati huiusmodi, qui maioribus occupationibus detinentur, maioris etiam dignitatis titulo decorentur, omnibus et singulis praedictae aulae consistorialis advocatis, ut ipsi universos et quoscumque advocatos, procuratores, doctores, etiam antiquiores, et quoscumque alios, tam in Romana Curia quam extra eam, praecedant.

Doctorandi facultas et alia quaecumque privilegia confirmantur.

§ 4. Omniaque et quaecumque privilegia eisdem collegio et advocatis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, et praecipue per piae memoriae Iulium Papam tertium, etiam praedecessorem nostrum, super facultate doctores creandi, etiam privative quoad alios: quae privilegia et litteras apostolicas desuper confectas, eorum tenorum praesentibus etiam pro expressis habentes, auctoritate et tenore praedictis, confirma-

mus et innovamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus, motu, scientia ac potestatis plenitudine praedictis. Ac universis et singulis, cuiuscumque conditionis, status, gradus, dignitatis et honoris, ne sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, eosdem collegium advocatorum in praemissis vel circa ea aut in eorum aliquo quomodolibet impedire, molestare, perturbare seu inquietare contra praesentium continentiam et tenorem ullatenus audeant vel praesumant, districtius inhibemus, necnon omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, ut haec omnia plene observent et observari faciant praecipimus.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes unionem, annexionem, incorporationem, applicationes, indultum, inhibitionem ac praeceptum praedicta, praesentesque litteras, nullo umquam tempore, etiam ad praedictorum et aliorum quorumvis instantiam, etiam ex quacumque et inexcogitata causa, etiam sub praetextu quod in forma iuris facta non fuerint, revocari, alterari, limitari, modificari aut ad terminos iuris communis reduci, vel quempiam adversus illa in integrum restitui, seu de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu notari vel impugnari posse; dictosque collegium ad causam seu causas, propter quas illa emanarint, coram quocumque ad verificandum non teneri, nec propterea, aut ex eo quod interesse praetendentes vocati non fuerint, per subreptionem vel obreptionem obtenta praesumi, aut alias viribus carere; ac illorum quasvis revocationes, suspensiones, derogationes vel limitationes pro tempore factas et emanatas, pro nova illorum concessione haberi, ac quoties illae emanabunt, toties renovata et de novo concessa, etiam sub datum per eosdem collegium eligendum, censeri; ac collegium huiusmodi, eorumdem locorum emptores et quoscumque alios in praemissis interesse quomodolibet praetendentes, ad probandum seu verificandum praemissa et in quos usus praedicta summa conversa fuerit, nullo umquam tempore teneri, nec locorum huiusmodi proventus in sortem principalem computari.

Decretum irritans.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores huiusmodi, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac alios quoscumque, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis istantia iudicari et definiri debere; et irritum, *etc.*

Deputatio executoris.

§ 7. Quocirca dilecto filio magistro Evangelistae Pallotto, datario et praelato domestico nostro, motu simili, per apostolica scripta mandamus quatenus ipse, per se vel alium seu alios, faciat auctoritate nostra collegium ac illius advocatos praedictos unione, annexione, incorporatione, permissione, concessione, impartitione, confirmatione, innovatione, inhibitione et decreto aliisque praemissis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos et eorum quemlibet desuper contra praesentium tenorem quomodolibet per quoscumque indebite molestari. Contradictores per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis ac nostra de non tollendo iure quaesito et aliis Cancellariae Apostolicae regulis, ac quatenus opus sit, Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon Urbis et advocatorum ac gymnasii, etiam iura-

mento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Urbi, collegiisque et tribunalibus, ac gymnasii illius ipsorumque superioribus et personis, ac dilectis filiis populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, per quoscumque praedecessores nostros, etiam iteratis vicibus aut alias quomodolibet in contrarium concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicæ MDLXXXVII, decimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 23 aug. 1587, pontif. anno III.

XCVIII.

Declaratio circa proprietatem olim congregationi canonicorum saecularium Sancti Georgii in Alga Venetiarum absolute interdictam.

Sixtus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Proemium. Circumspecta Romani Pontificis benignitas, fidelium quorumlibet sub regulari observantia piae vitae studio vacantium necessitatibus et commoditatibus intendens, nonnunquam ab eo provide statuta moderatur, ac quae sacrarum Religionum et sanctionum decreta generaliter interdicunt, fidelibus ipsis ex apostolicae potestatis plenitudine sibi tradita relaxat et specialiter permittit, prout illorum statui et conscientiae purificationi conspicit salubriter expedire.

Ille Pontifex canonicis et fratribus congregationis proprietatem stricte interdixerat, solumque victum et vestitum eis subministrari iusserat.

§ 1. Sane, licet alias nos, ut abusus habendi proprium et retinendae proprietatis pecuniarum ac bonorum, etiam plerumque male acquisitorum, qui inter plures canonicos seu fratres congregationis Sancti [1] Augustini, contra expressum paupertatis votum ab eis emissum, irrepserat, extirparetur, et simul dissolutioni aeris alieni, quo universa congregatio huiusmodi gravata erat, ac aliis illius necessitatibus provideretur, universos et singulos eiusdem congregationis fratres, seu canonicos ac priores, etiam generales, privato et proprio rerum bonorumque omnium, mobilium et se moventium, dominio, usu, usufructu, possessione, proprietate et etiam pecuniis, a quocumque peculio quomodolibet acquisitis vel obtentis, per alias nostras litteras perpetuo privaverimus; ac omnia et quaecumque privilegia, dispensationes, licentias, permissiones et indulta unicuique eorum tam apostolica quam suorum superiorum, etiam generalis, prioris vel capituli dictae congregationis auctoritate desuper concessa, confirmata et innovata, revocaverimus et annullaverimus; ac omnino prohibuerimus ne quis frater vel canonicus eiusdem congregationis, quocumque officio vel dignitate, etiam prioris generalis, fungens, proprium quicquam aut peculiare haberet, et a ceteris separatum sibi vindicaret aut possideret, nec similes licentiae seu permissiones per quoscumque dictae congregationis superiores aut

1 Alia de institutione et statu huius congregationis videnda sunt in constitut. II Gregorii XII, *Illis*, tom. IV, pag. 645.

1 Cher. addit *Georgii in Alga Venetiarum, Ordinis Sancti, etc.* (R. T.).

etiam capitulum generale alicui unquam desuper concederentur. Insuper praeceperimus et mandaverimus ut res, pecuniae, debitorum nomina, reditus, taxae ac alia omnia, ut quaecumque bona supradicta, per singulos fratres seu canonicos, qui aliquid tale privatim possiderent, in uno loco communiter, a priore et fratribus cuiuscumque domus designando, actu et re ipsa, intra certum tunc expressum tempus, deponerentur, et quoad dominium, possessionem et usum in commune conferrentur; hisque perfectis, statim unusquisque prior cuiuslibet domus generalem priorem de his omnibus diligenter certiorem faceret, transmisso ad eum inventario, in quo praemissa omnia antea privatim retenta, deinde vero in commune collata, descripta essent. Demum ipse prior generalis victum et vestitum ac quantum rei convenientis praesens necessitas videretur postulare, cuique canonico seu fratri congrue suppeditari curaret; id autem omne quod reliquum esset, in extinctione aeris alieni, quo singulae domus vel tota congregatio communiter obstricta erat, converteretur, aut ipsis domibus vel universae congregationi, ad communes usus et necessitates sublevandas, perpetuo applicaretur.

Contravenientibusque poenas imposuerat, ut in eius bulla quam uti hic sufficienter enunciatam ponere nolui.

§ 2. Quicumque autem litteris nostris praedictis continuo non obtemperarent, vel ante illarum publicationem, pecunias et alia praedicta occultarent, sive intra vel extra domus praedictas deponerent, aut etiam in pias causas converterent, aut alicui pio loco assignarent, quique alios canonicos seu fratres inobedientes non statim superioribus, ut praefertur, denunciarent, in poenam privationis dignitatum et officiorum suorum inciderent, et ad ea in posterum obtinenda inhabiles censerentur, ac pro crimine etiam tanquam fures severe punirentur, et excommunicationis sententiam incurrerent eo ipso, a qua, nonnisi in mortis articulo constituti, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium valerent obtinere, prout in litteris praedictis plenius continetur.

Nunc idem Pontifex, ex causis hic expressis, prohibitionem moderatur, et reducit ad terminos concilii Tridentini, et constitutionum ipsius congregationis.

§ 3. Nihilominus, cum sicut accepimus, litterae ipsae fuerint debitae executioni, quantum commode fieri potuit, demandatae, etiam aere alieno huiusmodi propemodum dissoluto, operae pretium fore censemus circa prohibitionem nostram praedictam, in omnes paulo severius interpositam, moderationis remedium adhibere, ac in futurum prospicere, ne, stante prohibitione huiusmodi, multorum animae censuris praedictis in salutis suae perniciem illaqueatae remaneant, et non solum fratres seu canonici praedicti a rebus, pecuniis et bonis ad vitae remedium, suis industria et labore, acquirendis, sed etiam eorum parentes et consanguinei ab eleemosynis, donationibus, legatis, relictis et aliis subventionibus eis privatim faciendis retrahantur, et exinde congregatio ipsa rerum, bonorum, donationum, legatorum, relictorum et subsidiorum huiusmodi successione destituatur, ac graviora dispendia et expensarum onera subire cogatur in sublevandis necessitatibus eorumdem fratrum seu canonicorum, qui alias sine suae cuiusque domus incommodo et dispendio se possent commode substentare. Quocirca, de nobis attributae potestatis plenitudine, omnes et singulas censuras et poenas in proprietarios et alios praedictos, dictarum litterarum serie promulgatas, ad eas dumtaxat, quae decretis sacrorum canonum concilii Tridentini, ac Ordinis et congregationis praedictorum regulis et constitutionibus contra tales statutae sunt, apostolica auctoritate, tenore praesentium, reducimus et moderamur; ac prohibitionem et alia praedicta, necnon omnia et singula in eisdem nostris litteris contenta,

ad hoc ut deinceps prior generalis pro tempore existens, necnon ii ex dictis fratribus seu canonicis, quibus id ab ipso priori generali aut aliis eorum superioribus specialiter permissum aut indultum fuerit, ex pecuniis rebusque et bonis unicuique eorum sigillatim intuitu personae suae donatis vel relictis, ac in posterum donandis vel relinquendis, aut suis labore et industria vel alias undecumque, licite tamen et legitime, acquisitis ac acquirendis, exceptis pecuniis per eosdem fratres et canonicos vigore dictarum litterarum ubicumque depositatis, quas in monasteriorum et congregationis huiusmodi utilitatem omnino cedere volumus, eam partem et portionem, quae pro eorum moderato victu et vestitu ac occurrentibus necessitatibus, secundum cuiusque gradum et qualitatem, necessaria videbitur, privatim percipere, habere, retinere, ac in suos usus et necessitates huiusmodi convertere libere et licite, sine alicuius poenae vel censurae incursu, possint et valeant, apostolica auctoritate et tenore praedictis, relaxamus, eisque desuper indulgemus.

Superioribusque Ordinis facultatem concedit remittendi poenas incursas.

§ 4. Necnon priori generali et aliis superioribus congregationis huiusmodi, ut quoscumque illius fratres seu canonicos, qui hactenus praemissorum occasione excommunicationis vinculis et aliis censuris praedictis irretiti, ad ipsos humiliter recurrerint et absolutionem petierint, praevia debita restitutione seu satisfactione, si quae fuerit facienda, ab excommunicationis et aliis censuris propterea incursis absolvendi et totaliter liberandi, dictasque poenas eis remittendi et condonandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam contra eos praemissorum occasione quomodolibet insurgentem ab eis abdendi, ipsosque et eorum singulos in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, plenam et liberam, eisdem auctoritate et tenore, concedimus facultatem.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus prohibitione aliisque praemissis et apostolicis, ac in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus necnon congregationis, Ordinis et domorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 6. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die V septembris MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 sept. 1587, pont. anno III.

XCIX.

Prohibitio admittendi ab beneficia regni Valentiae alienigenas regnorum Hispaniae, in quibus ipsi Valentini ad similia non admittuntur.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

In sacrosancto Beati Petri principis apostolorum solio, nullis nostris meritis, sed sola Redemptoris nostri benignitate, constituti, in universi orbis regiones et provincias, praesertim infidelibus et barbaris nationibus adiacentes, aciem nostrae meditationis, more vigilis pastoris dominici gregis, passim reflectimus, et ut ibidem divini nominis ac catholicae religionis cultus feliciter conservetur et effloreat, illarumque indigenae in fidei et devotionis erga Sanctam Sedem sinceritate apostolicis favoribus ac spiritualibus et temporalibus adiumentis iugiter confoveantur, opem et operam libenter intendi-

mus, ac in his pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout regionum et provinciarum huiusmodi publicae utilitati et felici statui, ipsorumque indigenarum ad ecclesiastica ministeria et litterarum studia directioni et commoditati cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, regnum Valentiae, in citeriori Hispania consistens, angustissimos fines habeat, et nihilominus populi multitudine refertum, et in illius metropoli Universitas Studii generalis celeberrima a felicis recordationis Alexandro Papa VI, praedecessore nostro, inde oriundo, ad ipsius regni indigenarum et quorumcumque aliorum ibi confluentium, necnon theologiae ac utriusque iuris et aliis optimis scientiis vacare affectantium instructionem atque profectum instituta; et ab eo, ac etiam nuper a nobis, variis amplissimisque privilegiis et gratiis ornata existat, et alienigenae, praesertim ex aliis Hispaniarum regnis, provinciis et dominiis et illis adiacentibus insulis oriundi, dignitates, canonicatus, praebendas et alia beneficia ecclesiastica in dicto regno Valentiae constituta ambientes, si qui [1] de illis provideri, ac fructus eorumdem, et seu pensiones desuper reservari procurent, et passim, absque ullo obstaculo, ad beneficia, fructus et pensiones huiusmodi recipiantur et admittantur; ipsius vero regni Valentiae indigenae in aliis regnis, provinciis, dominiis et insulis praedictis, praetextu quorumdam privilegiorum et indultorum apostolicorum seu constitutionum, aut sanctionum pragmaticarum nuncupatarum vel consuetudinum ibidem vigentium, ab assecutione quorumcumque beneficiorum et perceptione fructuum et pensionum omnino excludantur ac repellantur; et exinde plerique eorum, qui assiduis laboribus et vigiliis maximisque impensis in dicta Universitate, tamquam ingenuarum artium ac sacrarum et aliarum scientiarum uberrimo seminario, virtutis et doctrinae semina susceperunt, et in agro Dominico, si ad illius culturam vocarentur, salutaria germina, quae Altissimo lectissimos fructus suo tempore redderent, producere, sibique ipsis et aliis ad salutem ac catholicae religionis fideique propagationem et conservationem prodesse possent; nequeuntes beneficia ecclesiastica aut fructus vel pensiones pro eorum decenti sustentatione, neque in patriae solo, propter exterorum illa occupantium frequentiam, minusque extra illud assequi, exacta iam aetate, et facultatibus suis consumptis, veluti inertes, aerumnosam et miserabilem vitam ducere, ac paupertatem in senectute (quod durissimum est) tolerare cogantur; alii vero, illorum conditione perterriti, et spe assecutionis beneficiorum huiusmodi destituti, se clericali militiae adscribi, ac in disciplinis et ministeriis ecclesiasticis sacrarumque litterarum studiis se exercere non curent; et denique proceres, nobiles et alii incolae eiusdem regni Valentiae a beneficiorum fundatione, ac iurium eorumdem libertatisque ecclesiasticae defensione et tuitione quodammodo retrahantur:

Ad beneficia regni Valentiae quovismodo vacatura indigenae eiusdem regni in eo vere nati et non alienigenae aliorum regnorum Hispaniae admittantur.

§ 2. Nos, statui indigenarum regni Valentiae huiusmodi paterna caritate compatientes, ac aequum et rationi consonum esse censentes ut ipsi in beneficiorum eiusdem regni assecutione exteris praeferantur, aut saltem ad beneficia aliorum regnorum, provinciarum, dominiorum et insularum huiusmodi, ad instar incolarum eorumdem, aequo iure admittantur, ac eamdem conditionem experiantur, ac propterea pro pastoralis officii nostri munere, praemissis incommodis occurrere et desuper opportune providere volentes, ipsosque indigenas ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis,

1 Cher. legit *sibi* loco *si qui*. (R. T.).

suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon beneficiorum in dicto regno Valentiae consistentium qualitates, quantitates, innovationes, nuncupationes, denominationes, situationes et illorum fructuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad indigenarum praedictorum vel alicuius ipsorum aut alterius seu aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus et ordinamus, quod ex nunc deinceps, perpetuis futuris temporibus, omnia et singula beneficia ecclesiastica in universo regno Valentiae huiusmodi nunc et pro tempore consistentia, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates etiam maiores post pontificales, et principales personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva, in metropolitana et aliis cathedralibus ac collegiatis ecclesiis, necnon parochiales ecclesiae seu earum perpetuae vicariae, ac in Romana Curia vel extra eam litigiosa, et de iure patronatus etiam regum, ducum vel aliorum laicorum, etiam nobilium et illustrium, seu eorum et clericorum mixtim, etiam ex fundatione vel donatione aut indulto apostolico seu alias quomodolibet qualificata sint vel fuerint, quoties illa per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem aut privationem ea pro tempore obtinentium seu ius in illis vel ad illa habentium, aut alias quovis modo, etiam apud Sedem praedictam, ac etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio nobis et Sedi Apostolicae etiam per constitutiones apostolicas seu Cancellariae Apostolicae regulas est vel pro tempore fuerit reservata, vel etiam ordinariis collatoribus per easdem constitutiones seu regulas vel litteras alternativarum, aut alia privilegia et indulta concessis hactenus et in posterum concedendis, simul vel successive vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut praefertur, vel alias quibusvis modis et ex quorumcumque personis vacent; ac ex eo quod beneficia ipsa obtinentes, seu in illis vel ad illa ius habentes, nostri et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum seu successorum nostrorum, aut S. R. E. cardinalium, etiam viventium et in dicta Curia praesentium, familiares, continui commensales, seu dictae Sedis notarii, subdiaconi, acolythi, cappellani, litterarum apostolicarum abbreviatores, scriptores, cubicularii, scutiferi, proventuum et iurium Camerae Apostolicae debitorum collectores et subcollectores, seu quicumque alii Curiae et Sedis praedictarum officiales, etiam sub diversis constitutionibus felicis recordationis Pauli Papae IV, praedecessoris nostri, suorum et pro tempore existentium Romanorum Pontificum familiarium, continuorum commensalium declaratoriis, comprehensi, praesentes et futuri, quocumque nomine nuncupati, seu ex quavis alia causa dispositioni apostolicae specialiter vel alias generaliter reservata, aut ex generali reservatione apostolica affecta, seu ad Sedem eamdem devoluta existant vel fuerint, solis indigenis dicti regni, vere, realiter et non ficte in eo natis et nascituris, affecta et debita; praedictique alienigenae ad huiusmodi beneficia in titulum, commendam, administrationem vel alias quomodolibet obtinendum, aut il-

lorum fructus, reditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta quaecumque seu super eis pensiones annuas percipiendum, omnino inhabiles ac incapaces, et si ullo umquam tempore eadem beneficia etiam ad illorum patronorum praesentationem sibi conferre, aut de illis provideri, seu fructus, reditus, proventus et pensiones huiusmodi reservari obtinuerint, aut collationibus, provisionibus, praesentationibus, institutionibus, reservationibus et aliis dispositionibus ipsis desuper factis seu etiam motu simili concessis, uti, seu eas ratas et gratas habere praesumpserint, omni et quocumque beneficio et officio ecclesiastico per eos, etiam extra dictum regnum, ubicumque obtento, eo ipso, absque aliqua declaratione desuper facienda, privati existant.

Collatores in praemissis contravenientes afficiuntur poenis hic expressis.

§ 3. Necnon quicumque ordinarii et alii inferiores collatores, ac etiam patroni, qui contra praemissa quicquam attentare praesumpserint, a quorumcumque beneficiorum collatione, provisione, electione, praesentatione, institutione et quacumque alia dispositione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem a Romano Pontifice pro tempore existente meruerint obtinere. Et nihilominus si sic suspensi conferre, providere, eligere, praesentare, instituere aut alias quomodolibet disponere ausi fuerint, excommunicationis latae sententiae poenam eo ipso incurrant, nec ullus alius quam Romanus Pontifex pro tempore existens sive absolutionis sive relaxationis beneficium, excepto mortis articulo, valeat eis impartiri.

Notarii quoque super adipiscenda possessione beneficiorum dicti regni Valentiae per alios quam nativis dicto regni scripturam aliquam conficientes poenis hic descriptis plectentur.

§ 4. Notarii vero et tabelliones, etiam apostolica vel imperiali aut regia seu alia quacumque auctoritate creati, qui super adipiscenda possessione cuiuscumque beneficii in dicto regno Valentiae pro tempore rogabuntur, nisi prius eis fide dignorum testimoniis aut alias legitime constiterit eum, cui possessio ipsa fuerit tradenda, vere, realiter et non ficte in eodem regno Valentiae natum fuisse, ullum omnino super actu possessionis huiusmodi instrumentum publicum aut quamcumque aliam etiam privatam scripturam conficere, seu in protocollum redigere minime valeant; et si secus fecerint, crimen falsi eo ipso etiam incurrant, necnon ad huiusmodi ac quaecumque alia munera et officia publicasque functiones similiter inhabiles existant.

Alienigenae autem praedicti admittentur ad beneficia iurispatronatus et in fundationibus caveatur per oriundos de genere fundatorum dumtaxat illa obtineri posse.

§ 5. Et quicumque iudices ordinarii vel delegati, coram quibus litem contra quemcumque alienigenam in quovis beneficio contra praesentium tenorem intrusum, tam in dicta curia quam extra eam, moveri contigerit, cum primum sibi legitime constiterit beneficium ipsum ab alienigena detineri, possessionem ac fructus, reditus et proventus eiusdem beneficii, donec iis, ad quos de iure spectabunt, adiudicentur, sequestrare, ac sub arcto et firmo sequestro ponere debeant et teneantur. Ita tamen ut, si in fundationibus beneficiorum de iure patronatus laicorum seu illorum et clericorum mixtim, ut praefertur, existentium, caveatur expresse quod nonnisi per clericos seu presbyteros de ipsorum fundatorum genere et familia oriundos obtineri possint, eo casu etiam alienigenae, de genere seu familia fundatorum huiusmodi ad illa praesentari, ac in eis institui libere possint, nec sub praesenti statuto quoad assecutionem talium beneficiorum comprehendantur.

Et etiam alienigenae alicuius regni Hispaniae in quo ipsi Valentini ad beneficia admittentur.

§ 6. Et quatenus ullo umquam tempore licuerit et permissum fuerit praedictis indigenis beneficia, fructus et pensiones in aliquo ex aliis regnis, provinciis, dominiis et insulis praedictis libere et indifferenter, absque aliquo obstaculo, perinde ac si ibidem nati essent, obtinere et percipere, ipsi quoque alienigenae, ex tali

regno seu provincia vel dominio aut insula orti, ad similia beneficia ac fructus et pensiones in dicto regno Valentiae vicissim admitti debeant, et ad illa habiles et capaces censeantur.

Collationes et provisiones quaecumque ad favorem alienigenarum contra dictam formam fiendae nullae sint.

§ 7. Decernentes omnes et singulas collationes, provisiones, commendas, electiones, acceptationes, præsentationes, institutiones et quasvis alias dispositiones de quibuscumque beneficiis dicti regni Valentiae, ut praefertur, vel alias quomodolibet qualificatis, ac reservationes illorum fructuum, redituum, proventuum et pensionum super eisdem in favorem dictorum alienigenarum, contra praesentis statuti formam et tenorem, etiam per nos et quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros, dictamque Sedem, ac illius legatos, etiam de latere et nuncios, omnesque et singulos alios ius et facultatem conferendi, providendi, commendandi, eligendi, praesentandi, instituendi et alias quomodolibet de huiusmodi beneficiis disponendi, illorumque fructus, reditus, proventus et super eis pensiones reservandi ab ipsa Sede habentes, necnon ordinarios et alios inferiores collatores, etiam ad patronorum praesentationem seu de illorum consensu pro tempore factas, ipso iure nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberi, nec per eas cuiquam ius vel etiam coloratum possidendi titulum tribui posse, ipsosque alienigenas illarum prorsus usu et commodo carere; nec Cancellariae Apostolicæ regulas seu constitutiones de annali et triennali possessoribus, etiam propter quantumvis diuturnam continuatae possessionis tolerantiam, aut quodcumque aliud ius vel beneficium, ullo tempore illis suffragari; sed beneficia huiusmodi ut prius vacare, et quae ex illis tempore dispositionis apostolicae dictis alienigenis factae eidem dispositioni reservata seu affecta fuerint, sub eadem reservatione seu affectione remanere, et tam illa quam etiam omnia alia non reservata neque affecta, de quibus a dicta Sede vel illius legatis seu nunciis aut aliis, ius et facultatem conferendi a dicta Sede, ut praefertur, habentibus, in huiusmodi alienigenas quandocumque dispositum fuerit, ad novam Romani Pontificis pro tempore existentis dispositionem dumtaxat pertinere; ab ordinariis vero et aliis inferioribus collatoribus, cessantibus reservationibus seu affectionibus apostolicis, eisdem alienigenis pro tempore collata, ac etiam ea quae de iure patronatus huiusmodi fuerint, si contingat ad illa quemquam contra praesentis statuti formam praesentari, devolutioni ad Sedem praedictam immediate eo ipso subiacere, illaque omnia ab alienigenis dicti regni et Sede praedicta dumtaxat impetrari posse, nec ius ullum ad resignantes seu cedentes, etiamsi in possessione, etiam diutina, remanserint, et resignationes seu cessiones huiusmodi publicatae non fuerint, redire vel penes eos remanere.

Etiam si clausulae derogatoriae etc. in eorum impetrationibus adessent etc.

§ 8. Impetrationes vero ac motu proprio concessiones, quae de eisdem beneficiis pro tempore fient, quibuscumque derogationibus fuerint suffultae, numquam sub clausulis generalibus aut vacationum modis conditionalibus vel implicitis comprehendi, sed specialiter et expresse, ob non servatam praesentis statuti formam, cum declaratione nominum et cognominum ipsorum alienigenarum, dispositive, et non conditionaliter nec per aequipollens, omnino fieri debere; eisdemque praesentibus litteris per quascumque alias litteras apostolicas, etiam quasvis generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque efficaciores et insolitas clausulas et irritantia et alia decreta sub quibuscumque verborum formis concepta, in se continen-

tes, nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi earumdem praesentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, ac urgens et sufficiens causa expressa, ac per trinas distinctas in forma brevis litteras, earumdem praesentium tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, cum unius mensis intervallo, ordinibus trium statuum eiusdem regni Valentiae prius legitime intimata et insinuata, ac derogationes ipsae, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, consistorialiter et de S. R. E. cardinalium pro tempore existentium consilio factae fuerint, et Ordinum trium statuum regni Valentiae huiusmodi ad hoc expressus accesserit assensus, appareatque Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse; et aliter factas derogationes nemini suffragari, et clausulam implicitae derogationis, videlicet, quod eorum vel earum seu praesentium tenores latissime extendi, et eædem præsentes ac desuper conficiendae litterae earumque tenores habeantur pro expressis, seu in toto vel parte exprimi possint in quibusvis supplicationibus, concessionibus, gratiis et litteris, a nobis et successoribus nostris pro tempore emanatis, appositam, nihil penitus operari, nec in litteris apostolicis desuper conficiendis quicquam, ultra quod in supplicationibus, concessionibus et gratiis huiusmodi specifice fuerit expressum, narrari posse, nec quemquam ad parendum litteris derogatoriis huiusmodi et decretis super illis processibus ac eorum executoribus et subexecutoribus, illorumque mandatis et monitionibus minime teneri, sed illis firmiter resistere, et litterarum earumdem executionem omnino impedire, nec ratione resistentiae huiusmodi aliquibus censuris vel poenis ecclesiasticis seu pecuniariis per eosdem executores et subexecutores innodari. Necnon easdem praesentes litteras, etiam eo quod causae, propter quas emanarunt, coram locorum ordinariis, etiam tamquam a Sede praedicta delegatis, vel alias quomodolibet examinatae, iustificatae, verificatae, purificatae et approbatae, ipsique ordinarii et alii inferiores collatores ac patroni et alienigenae, necnon quicumque interesse habentes, ad id legitime vocati non fuerint, neque praemissis consenserint, seu etiam enormis et enormissimae laesionis vel alio quocumque praetextu, aut ex quavis alia causa, quantumvis legitima, urgenti et iuridica, de subreptionis et obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus a nobis vel quibuscumque aliis Romanis Pontificibus ac dicta Sede, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, pro tempore emanatis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub data posteriori per ordines trium statuum regni Valentiae huiusmodi eligenda, concessas, validasque et efficaces fore et esse, ac vim validi et efficacis contractus inter nos et dictam Sedem ex una, ac ordines trium statuum regni Valentiae huiusmodi ex altera partibus rite et recte initi, stipulati ac etiam utrimque iurati habere et perpetuo obtinere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac ab omnibus inviolabiliter observari.

§ 9. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum *Decretum irritans.*

Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia, iudicari ac definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori et archidiacono ecclesiae Valentinae, ac abbati monasterii Beatae Mariae Valisdignae, Cisterciensis Ordinis, Valentinae dioecesis, per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte indigenarum praedictorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ob omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ipsosque indigenas illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel quempiam ex illis desuper quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et illis ultra unam diaetam, a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur; seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant seu praesumant; et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; necnon, quatenus opus sit, nostra de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis ac in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi fuerint, ac regnorum, provinciarum, dominiorum et insularum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam quantumvis longissimo tempore observatis, ac legibus, etiam municipalibus, et pragmaticis aliisque sanctionibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam super facultate beneficia praedicta ipsis alienigenis conferendi, seu de illis providendi et alias quomodolibet disponendi, ipsosque alienigenas ad beneficia, fructus et pensiones huiusmodi recipiendi et admittendi, eisdem ecclesiis, illarumque praesulibus et capitulis, necnon regnis, provinciis, dominiis et insulis prædictis, eorumque communitatibus, universitatibus, hominibus, incolis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam vim validi et efficacis contractus seu statuti perpetui vel legis habentibus et inducentibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et dictam Sedem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine

similibus, etiam consistorialiter, seu etiam ad imperatoris, regum, reginarum seu aliorum principum instantiam, vel eorum contemplatione et intuitu, in genere vel in specie, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus et pluries concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma et effectus publicationis huius constitutionis.

§ 11. Ceterum, ut statutum, ordinatio et alia praemissa ac eaedem praesentes litterae ad eorum quorum interest notitiam deducantur, nullusque possit aliquam illorum ignorantiam praetendere vel excusationem allegare, sed illa perpetuo firma et illibata permaneant, volumus ut eaedem praesentes litterae in basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac Cancellariae Apostolicae valvis et acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris affixae, copia illarum ibidem dimissa, ab eadem die omnes et singulos perinde afficiant et arctent, ac si illis ipsis fuissent personaliter intimatae.

Fides exemplorum.

§ 12. Quodque earum exemplis, etiam impressis *etc.*

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, nonis septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 sept. 1587, pontif. anno III.

C.

Ampliatio collegii clericorum Camerae ad numerum duodenarium [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sic humani plerumque fallit incertitudo iudicii, dum futuris eventibus certam normam praefigere nititur, ut quae utilia ab initio videbantur, temporis successu, inefficacia dignoscantur; unde Romanus Pontifex, singula quaeque mature perpendens, saepius a praedecessoribus suis constituta, rationalibus suadentibus causis, in melius reformat moderamine certo, prout, rerum et temporum qualitate pensata, in Domino conspicit salubriter expedire.

Pius V numerum clericorum Camerae auxit ad duodenarium.

§ 1. Sane, cum felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, attendens collegium clericorum Camerae Apostolicae negotiis pertractandis litibusque dirimendis praesidentium, quod antea a piae memoriae Eugenio Papa IV, etiam praedecessore nostro, ad septenarium numerum redactum fuerat, adeo arctatum et angustatum fuerat, ut, si qui clericorum praedictorum vel adversa valetudine laborarent, aut aliis dictae Sedis ingruentibus occupationibus distracti, seu quopiam simili impedimento detenti forent, reliqui clerici imminentia pertractare negotia et muneri suo competenter satisfacere minime valerent; idem Pius praedecessor, his et aliis rationabilibus causis adductus, uno clericatus officio, quod tunc per obitum Iulii Sauli, olim dictae Camerae clerici, vacabat, suppresso et extincto, eius loco, de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio, sex alia similia officia perpetuo erexit et constituit, qui, cum aliis sex tunc superstitibus clericis coniuncti, numerum duodenarium adimplerent, assignato di-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ctis novis clericis reditu annuo novem millium scutorum auri in auro ex pecuniis thesaurariae provinciae Romandiolae, eiusque Cancellariae, necnon proventuum maleficiorum, tractarum frumenti, augmenti salis et aliorum subsidiorum et redituum dictae provinciae exigendo.

Postea reduxit ad denarium

§ 2. Et deinde idem Pius praedecessor, novis emergentibus causis, alia ineundo consilia, collegium praedictum de duodenario, duobus officiis clericorum tunc vacantibus suppressis, ad denarium numerum reduxit, fructusque et emolumenta duorum clericatuum sic suppressorum, pro rata eis obveniente, dictae Camerae perpetuo applicavit.

Gregor. XIII, cum prius ad octo reduxisset, denario numero postmodum restituit.

§ 3. Successive vero recolendae memoriae Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, nonnullis de causis adductus, de numero clericorum huiusmodi reducendo consilium suscepit; quare uno, per bonae memoriae Hieronymi episcopi Gadicensi, et altero ex officiis praedictis per quondam Francisci Bandovini obitus tunc vacantibus, illa sic vacantia perpetuo extinxit et suppressit, fructusque et emolumenta eisdem suppressis officiis assignata, ad summam trium millium et octingentorum scutorum auri in auro taxata, ab eodem collegio separavit, et Camerae ipsi applicavit. Denique aliud officium huiusmodi per obitum bonae memoriae Hieronymi episcopi Maceratensis postmodum vacans, iterum occasionem dedit eidem Gregorio praedecessori de collegii praedicti statu et numero alia cogitandi; ideoque officium sic vacans praedictum pariter extinxit et abolevit, illius autem loco tria clericorum huiusmodi officia pariter erexit et instituit, ceterisque tunc existentibus clericis addens, dictum collegium denario numero de cetero constare decrevit, summamque trium millium et octingentorum scutorum praedictam, ab eodem collegio, ut praefertur, separatam et Camerae huiusmodi applicatam, de novo a dicta Camera separavit et segregavit, una cum fructuum et emolumentorum ultimo extincti officii supradicti, integra portione eidem collegio pro dictis tribus officiis de novo auctis restituit et applicavit, prout in diversis Pii et Gregorii praedecessorum litteris et cedulis motu proprio subsignatis, quarum solam signaturam iidem Pius et Gregorius praedecessores sufficere voluerunt, latius continetur.

Quae causa Sixto fuerit cogitandi de augendo huiusmodi numero ad duodenarium.

§ 4. Sed ea est humanarum rerum conditio, ut nihil adeo constans sit atque perpetuum, quod non tempori subiaceat, et nascentibus casibus immutetur. Hinc nos, postquam, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, ex urgentibus rationabilibus causis animum nostrum moventibus, ipsius Pii praedecessoris exemplo innitentes, in eam venimus sententiam ut collegium praedictum ad duodenarium numerum restitui quam maxime expediret; ob idque primis pontificatus nostri temporibus, collegium praedictum ad numerum undecim clericorum ampliantes, undecimum officium huiusmodi venerabili fratri Annibali episcopo Faventinensi per alias litteras nostras concessimus et assignavimus. Porro camerariatus S. R. E. per obitum bonae memoriae Philippi Sancti Eustachii diaconi cardinalis, olim eiusdem S. R. E. camerarii, apud Sedem Apostolicam defuncti, vacans, ansam nobis praebuit cogitationem praedictam ad effectum perducendi, tot ex reditibus dicti camerariatus separando, quot pro congrua duodecim clerici sustentatione, absque Sedis Apostolicae iactura, sufficerent competenter.

Quod cogitaverat exequitur.

§ 5. Quamobrem, habita super his deliberatione matura, collegium supradictum ad duodenarium numerum ab eodem Pio praedecessore praefinitum resti-

tuendum duximus. Porro litterarum et cedularum praedictarum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, pro expressis habentes, ac reductionem et suppressionem necnon ampliationem praedictas per Pium et Gregorium praedecessores, ut praefertur, factas, et alia quaevis effectum praesentium impedientia penitus tollentes et abrogantes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, collegium praedictum ad duodenarium numerum praedictum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo restituimus et ampliamus pro duodecim clericis, ita quod novus, ut praefertur, deputandus et prope diem adscribendus clericus una cum nunc existentibus decem clericis antiquis unum corpus et collegium integrum ex omni parte aequali et inseparabili efficiant et constituant; ex reditibus vero et emolumentis camerariatus praedicti summam duorum millium et ducentorum scutorum monetae, iuliis decem pro quolibet scuto computatis, perpetuo separantes et segregantes, eamdem summam sic separatam et segregatam eidem clerico nominando praedicto concedimus et assignamus: ita quod liceat eidem collegio reditus et emolumenta prædicta e manibus depositarii camerariatus huiusmodi per nos deputati vel deputandi percipere, exigere et levare, ac in communi massa ipsius collegii ponere, una cum aliis eorum emolumentis inter ipsos undecim clericos participandis dividere, ac in suos usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

Clausulae ad hanc partem. § 6. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, et eiusdem S. R. E. cardinales, ac causarum Palatii Apostolici auditores, in quacumque causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac diffiniri debere; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§ 7. Non obstantibus eorumdem Eugenii et Pii ac Gregorii aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum decretis, statutis, constitutionibus et ordinationibus, ac regulis Cancellariae, et de non tollendo iure quaesito, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, collegio et clericis supradictis, etiam ex causa onerosa, et interveniente quacumque pecuniarum quantitate, etiam rationabili, ac per modum statuti perpetui, etiam solemniter initi et stipulati contractus, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis et expressa mentio habenda esset, illorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 sept. 1587, pontif. anno III.

CI.

Quod Franciscus Medices, magnus dux Hetruriae et magnus magister militiae Ordinis S. Stephani, erigere valeat in commendas dictae militiae hospitalia per laicos regi solita, ad hospitalitatem instituta, in Hetruria existentia,

de quibus Sedes Apostolica disponere non consuevit [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Francisco Medices, magno Hetruriae duci. Dilecte fili nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium laudem magni ducis Etruriae

Praeclara devotionis sinceritas et eximia fidei constantia, quae tibi divinitus concessae, ex tuorum progenitorum quasi haereditate videntur acceptae, quibusque in nostro et Apostolicae Sedis conspectu, de qua continuo, ut obedientiae filius, benemereri non cessas, fulgere dignosceris, nos supra modum invitant suaviterque alliciunt, ut votis tuis, quae, ut christianum principem decet, religionis propagationi ac fidei catholicae defensioni aspirare conspicimus, gaudenter annuamus, eaque favoribus opportunis libentissime prosequamur.

Qui apud hunc Pontificem instat pro licentia erigendi in commendas Ordinis Sancti Stephani hospitalia de quibus in rubrica.

§ 1. Sane pro parte tua nobis nuper expositum fuit quod, cum in diversis tuae ditioni subiectis civitatibus, terris, oppidis et locis quamplurima hospitalia per laicos regi, gubernari et administrari solita, quae de iure patronatus tuo et seu magistratuum, communitatum, universitatum et hominum, civitatum, terrarum, oppidorum et locorum praedictorum seu etiam laicorum, ex fundatione vel dotatione aut alias, existunt, in quibus, tum ob locorum distantiam seu incommoditatem, tum etiam ob illorum fructuum tenuitatem, parum aut nihil hospitalitatis servatur, illorumque fructus in profanos et illicitos usus converti solent, diversaque interdum in illis patrantur scelera; unde si in dictis hospitalibus et eorum ecclesiis, de dictorum laicorum patronorum consensu, unum vel duo aut plura ex eis insimul perpetuo uniendo et incorporando seu etiam supprimendo, tot quot volueris, praeceptoriae militiae sancti Stephani, cuius tu magnus magister existis, ad instar aliarum dictae militiae praeceptoriarum, erigerentur et instituerentur, eorumdemque hospitalium fructus, reditus et proventus, servata hospitalitate et aliis supportatis oneribus, remanentes dictis praeceptoriis sic erigendis et instituendis, etiam perpetuo applicarentur, ex hoc profecto eisdem militibus de congrua subventione provideretur, ipsaque hospitalia melius ac decentius gubernarentur. Quare nobis humiliter supplicare fecisti quatenus tibi hospitalia praedicta insimul, ut praefertur, uniendi et incorporandi seu etiam supprimendi, et in illis vel eorum ecclesiis tot, quot volueris, praeceptorias dictae militiae, ut praefertur, erigendi et instituendi, eorumdemque hospitalium fructus eisdem praeceptoriis applicandi, licentiam et facultatem concedere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Ipse igitur Pontifex ob causas hic expressas dictam licentiam concedit

§ 2. Nos, ipsius militiae, quae a clarae memoriae Cosmo Medices, dum vixit, magno Hetruriae duce, progenitore tuo, ad maris Mediterranei incursibus infidelium infestati custodiam et defensionem instituta fuit, incrementum paternis exoptantes affectibus, ac attendentes quod illius milites, tamquam indefessi Iesu Christi athletae, pro fide catholica, etiam vitae ac salutis incolumitati non parcentes, dictae militiae triremibus per maria undique discurrunt, ac publicae quieti invigilantes, piratarum sive maritimorum latrunculorum insidiis et fraudibus occurrere, ac christifidelium tum bona tum corpora et animas ab illis tutari atque defendere non cessant: huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut omnia et singula praedicta hospitalia et eorum ecclesias, ad hospitalitatem servandam, non autem pro infirmis recipiendis, instituta,

[1] Instituta fuit haec militia a Cosmo Francisci patre, ut videre est in Pii IV constit. LV, *His quae*, tom. VII, pag. 158.

et de quibus per Sedem Apostolicam disponi non consuevit, quae de iure patronatus tuo et seu dictorum magistratuum, communitatum, universitatum et hominum seu etiam aliorum laicorum praefatorum, ut praefertur, sunt, de illorum patronorum laicorum consensu; si vero de iure patronatus dictorum magistratuum, communitatum vel universitatum et hominum praedictorum fuerint, etiam absque illorum consensu, ac etiam ordinarii loci vel cuiusvis alterius licentia minime requisita, perpetuo unire, annectere et incorporare, seu aliqua ex eis supprimere, ac in eisdem hospitalibus et eorum ecclesiis, ut praefertur, unitis, annexis et incorporatis tot, quot volueris, et prout tibi melius videbitur et placuerit, praeceptorias militiae huiusmodi, ad instar aliarum dictae militiae praeceptoriarum per illius milites obtineri solitarum, quae per te et pro tempore existentem dictae militiae magnum magistrum, ad praesentationem illorum patronorum vel de illorum consensu concedi et assignari debeant, etiam perpetuo erigere et instituere, eorumdemque hospitalium fructus, reditus et proventus (servata hospitalitate et, aliis illorum oneribus supportatis) remanentes, dictis praeceptoriis sic erigendis et instituendis etiam perpetuo applicare et appropriare libere et licite possis et valeas, plenam et liberam ac omnimodam apostolica auctoritate, tenore praesentium, facultatem, potestatem et auctoritatem concedimus et impartimur, tibique desuper de speciali gratia indulgemus.

Clausulae dictae concessionis praeservativae.

§ 3. Decernentes in eisdem praemissis et circa ea per te facienda et terminanda semper et perpetuo valere, ac ab illis ullo umquam tempore, quovis praetextu, resiliri non posse, et quascumque concessiones in contrarium faciendas, nullius roboris vel momenti existere. Declarantes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari nullatenus posse, sed incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae fuisse et esse. Sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae contrariorum derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac dictorum hospitalium, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, conservatoriis et aliis litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, eisdem hospitalibus vel illorum rectoribus, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, harum serie, specialiter et expresse derogamus et ad plenum derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XI septembris MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 11 sept. 1587, pontif. anno III.

CII.

Privilegia et immunitates pro aedificantibus vel habitantibus in Via Felici et in Via Pia almae Urbis.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pontifex pro commodiori aditu ad venerandas Urbis basilicas, plures vias latas aperuit et stravit, et antiquum ritum de capellis in eisdem basilicis celebrandis renovavit,

Decet Romanum Pontificem, post multas et graves pastoralis sui officii curas, hanc quoque non negligere, ut alma urbs Roma, in qua, non sine Dei voluntate, a vicario suo Beato Petro apostolorum principe, sancta Sedes Apostolica, ad omnium christifidelium commoditatem religionisque incrementum constituta extitit, et ad quam, olim orbis, nunc etiam christianæ religionis caput, magnus fit concursus, non modo salutaribus legibus, bonisque moribus in meliorem statum reformetur, sed novis etiam viarum, vicorum, regionum atque aedificiorum incrementis, ad populi in dies, benedicente Domino, excrescentis et confluentium advenarum commodum assidue dilatetur. Quod, dum ab initio nostri pontificatus sedulo meditaremur, simul etiam, ut ad venerandas eiusdem Urbis basilicas, toto orbe terrarum celebres, commodius et decentius adiri posset, atque in eis frequentius visitandis populi devotio augeretur, praesertim veteri more sanctorum Pontificum nostrorum praedecessorum, in stationibus et pontificalibus capellis nostra praesentia celebrandis per nos renovato, vias complures latas et directas ad easdem basilicas patefecimus.

Fontemque aquae Felicis ad superiores colles Urbis perduci fiat.

§ 1. Necnon uberrimum et copiosissimum nitidae et saluberrimae aquae fontem, quae Felix nuncupatur, nostra sollicitudine et ingenti impensa, difficili et laborioso opere magnaque industria ad superiores partes collium ipsius Urbis, cum maximo totius populi gaudio et applausu, ad publicam utilitatem, Deo favente, perduci curavimus, ut cives et incolae eiusdem Urbis, viarum et fontium commoditate, simul etiam aeris salubritate, atque ipsius loci eminentioris et patentioris amoenitate perfrui possint, construendisque aedibus ad commodiorem habitationem spatia habeant latiora, ac nobilissima pars Urbis non modo sumptuosis veterum substructionum vestigiis, sed religiosis etiam christianae antiquitatis monumentis insignis, novis aedificiis et incolarum frequentia, in pristinum decus et celebritatem, nostris potissimum temporibus, restituatur.

Et modo aedificantibus in Via Felici et Via Pia concedit quod aedificia construenda, et quocumque praeterquam laesae maiestatis delicto, confiscari nequeant.

§ 2. Cupientes igitur eorumdem incolarum et civium, necnon curialium et quorumcumque peregrinorum eo concurrentium commodis plenius consulere, eosque ad huiusmodi partem Urbis cum omni quiete et tranquillitate inhabitandam, novisque domibus replendam, apostolicae benignitatis favoribus et gratiis invitare: motu proprio et ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus quod quæcumque domus et aedificia, quae per quasvis personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existentes, in via nova, Felici nuncupata, ab ecclesia Sanctae Mariae Maioris usque ac ecclesiam Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio, per nos strata ac directa, necnon in via Pia per nos etiam aequata, a palatio nostro in Monte Quirinali usque ad ecclesiam S. Susannae, et in vicis prope dictas vias dirigendis pro tempore construentur, ex quocumque delicto, quantumvis gravi (criminibus tamen divinae et humanae Maiestatis laesae tantum exceptis), confiscari non possint, sed eorum dominis vel in eis ius habentibus et successoribus suis, perinde ac si delicta non commisissent, firma et illaesa remanere debeant.

Inhabitantibusque per biennium aedifi-

§ 3. Ac propterea, quod ii qui per biennium continuum dictas domos seu

aedificia in viis praedictis consistentia inhabitaverint, iisdem immunitatibus et exemptionibus, quibus veri et originarii cives Romani, de iure vel consuetudine vel ex privilegio aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, vel uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, ac absque ulla prorsus differentia, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant.

cis praedicta quorumque Romanorum civium privilegia concedit.

§ 4. Quodque ii, qui domos seu aedificia in dictis viis constituta pro tempore habitabunt, ratione aeris alieni aut cuiusvis contractus, obligationis, instrumenti, etiam iurati, etiam sub Camerae Apostolicae vel alia quavis forma et conceptione verborum, extra tamen loca ditioni nostrae ecclesiasticae in temporalibus subiecta, initi et celebrati, seu contracti, quamdiu aedificia vel domos huiusmodi inhabitabunt, vigore mandati cuiuscumque iudicis curiae vel tribunalis, in personam vel in rem, molestari minime possint nec debeant.

Habitantes ibidem pro debitis contractis extra statum non molestentur.

§ 5. Ac insuper privilegio fori Capitolini civibus Romanis competenti, perinde ac si veri originarii et indubitati cives Romani forent, in omnibus et per omnia gaudeant, atque, instar civium Romanorum, causas suas coram quocumque iudice, tribunali aut curia pro tempore motas, iuxta formam statutorum eiusdem Urbis novissime editorum ac litterarum apostolicarum desuper confectarum, ad Curiam Capitolinam trahere ac reassumi facere valeant, motu, scientia, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo concedimus et indulgemus.

Privilegio fori Capitolini gaudeant.

§ 6. Demum universos et singulos artifices seu opifices, cuiuscumque artis, domos seu aedificia huiusmodi in viis praedictis pro tempore incolentes, ab omni et quocumque onere seu collecta aut gravamine per consules eiusdem artis, ratione ipsius consulatus, pro tempore impositis, similiter perpetuo eximimus et liberamus, eisque pariter indulgemus quod nec praemissis contribuere, nec quicquam vel minimum tali de causa persolvere teneantur. Ac tempore pestis aut belli (quod Deus avertat) aut cuiuscumque alterius sinistri et inexcogitati casus fortuiti, ad custodias seu excubias faciendas nequaquam sint obligati, neque ad praemissorum quippiam cogi vel compelli possint aut debeant, liberique, immunes et exempti ab omnibus supradictis sint et esse censeantur.

Artifices eadem aedificia incolentes, a collectis per consulatus imponendis, ac ab onere excubias tempore pestis etc. faciendi, exempti sint.

§ 7. Decernentes omnia et singula praemissa valida perpetuo et efficacia fore, suosque plenarios effectus sortiri debere, ac in singulis, quos illa concernunt, suffragari. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 8. Quocirca dilecto filio nostro Henrico tituli Sanctae Pudentianae presbytero cardinali Caietano nuncupato, moderno ac pro tempore existenti praedictae Romanae ecclesiae camerario, et Camerae Apostolicae praesidentibus clericis per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte alicuius praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac domorum seu aedificiorum huiusmodi conductoribus, habitatoribus, incolis, dominis eorumque haeredibus et successoribus, artificibus et quibusvis aliis supradictis, in praemissis efficacis defensionis

Executorum et defensorum deputatio et facultates.

praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, per eos, ad quos spectat et spectabit in futurum, perpetuo, firmiter et inviolabiliter observari, illasque debitae executioni demandari procurent. Contradictores per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae Urbis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam novissime reformatis; privilegiis, indultis et litteris apostolicis eidem populo Romano eiusque magistratibus ac consulatibus artium aut illarum consulibus pro tempore existentibus vel quibuslibet aliis personis, civibus, provinciis, terris et locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio, seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, idibus septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 13 sept. 1587, pont. anno III.

CIII.

Confirmatio declarationis, correctionis et reformationis constitutionis Magalottæ in provincia Romandiolae observandæ[1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In omnibus rebus humanis nihil tam perfecte institui, nihil ullis legibus sanctionibusque tam diligenter muniri potest, quin id prava quorumdam intelligentia pervertere, seu in alium sensum, atque sancitum est, contorquere moliatur. Unde nos ad huius praecelsae dignitatis fastigium evecti, decet et expedit providere ut, pravo sensu huiusmodi eliminato, illa, prout facta sunt, intelligantur et observentur, et quae ad publicam utilitatem ordinata et reformata fuerunt, approbare et confirmare.

Causa huiusmodi edendarum declarationum, quas fecit cardinalis Cananius.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli abusus, pravi intellectus et corruptelae adversus germanam intelligentiam cuiusdam constitutionis, ac praeter et extra eam, quam alias Gregorius Magalottus, praeses provinciae nostrae Romandiolae, edidit et promulgavit, et postmodum per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros forsan confirmata fuit, et quae in viridi observantia fuit et est, versentur; et pluries coram diversis dictae provinciae legatis, praesidentibus et seu aliis Apostolicae Sedis ministris fuerit tractatum et mature discussum pro extirpandis et penitus abolendis huiusmodi abusibus et corruptelis; et tandem dilecti filii communitates et homines civitatum, terrarum, castrorum et locorum dictae provinciae coram dilecto filio nostro Iulio tituli Sancti Eusebii presbytero cardinali Cananio nuncupato, ac nostro et dictae Sedis tunc temporis de latere legato, ad hunc et eumdem effectum convenerunt, ac negotio huiusmodi diu et

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

mature inter ipsos discusso, quasdam ordinationes et declarationes ac reformationes ediderint, illaeque per dictum Iulium cardinalem approbatae, et ad nos, pro maiori illarum robore et subsistentia, muniendae transmissae fuerint.

Earumdem examen commisit Sixtus card. de S. Cruce, et commissario gener. Cam. Apostol.

§ 2. Nosque, attendentes multa in communitates et homines praedictos commoda ex nova huiusmodi ordinationum, declarationum et reformationum approbatione esse profectura, dilecto filio nostro Prospero, tituli S. Clementis presbytero cardinali de S. Cruce nuncupato, mandavimus ut, convocato dilecto filio magistro Iofredo Lomellino, Camerae Apostolicae generali commissario, dictas ordinationes, declarationes et reformationes diligenter excuterent et examinarent, et quae viderentur, corrigerent, delerent atque emendarent; ipsique saepius congregati, illis diligenter visis et singulatim examinatis matureque discussis, parum aut nihil immutaverint; denique ipsi Prosper cardinalis et Iofredus, omni studio et diligentia ab ipsis de mandato nostro adhibita, postremam illis manum imposuerint.

Abrogatisque omnibus consuetudinibus, interpretationibus constitutioni Magalottae, et hisce declarationibus contrariis;

§ 3. Nos, quibus Prosper cardinalis praedictus praemissa saepius retulit, volentes quae tanto labore, impensis ac maturitate ad publicam utilitatem digesta sunt, inviolabiliter observari, ac tenorem constitutionis Magalottae praesentibus pro sufficienter expresso habentes, motu proprio, non ad dictorum communitatum et hominum aut aliorum pro eis nobis desuper oblatae petitionis instantiam; sed ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque intelligentias, consuetudines et longissimos usus, stylos ac declarationes, etiam iuramentis, litteris, confirmationibus et approbationibus apostolicis vel quibusvis aliis firmitatibus roboratas, et dictis constitutionibus, Magalotti ac huiusmodi declarationibus, ordinationibus et reformationibus in aliquo adversantes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo abrogamus, tollimus et penitus abolemus, neminemque ad illas deinceps obligari volumus.

Quidquam contra easdem fieri vel iudicari prohibet.

§ 4. Praecipientes, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis sententia per contrafacientes eo ipso incurrenda, ne in posterum aliquis provinciae praedictae rector, iudex seu notarius aut procurator vel advocatus audeat quoquomodo introducere, vel se subscribere et testari de aliquo stylo, consuetudine, usu et intelligentia, quae sit vel esse videatur contra dictae constitutionis Magalottae, ac huiusmodi declarationum, ordinationum et reformationum continentiam et tenorem.

Et quae secus fient, irrita declarat.

§ 5. Et si quid in contrarium factum aut in iudicium tractum fuerit, id omne nullum et invalidum nulliusque roboris vel momenti existat et esse censeatur perpetuo.

Novissimas vero declarationes apostolica firmat auctoritate.

§ 6. Novissimas vero ordinationes, declarationes ac reformationes praedictas, quas praesentibus de verbo ad verbum annotari fecimus, dicta auctoritate, earumdem tenore praesentium, etiam perpetuo approbamus et confirmamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui intervenerint in eisdem.

Ad earum tramites quascumque causas post quatuor dies a praesentis constitutionis publicatione decidi mandat.

§ 7. Et ut approbatio huiusmodi amplius innotescat, decrevimus ut de cetero, post quatuor dies a publicatione praesentium in dicta provincia facienda, nulli alii intellectus, styli, consuetudines et usus, etiam inveterati per longissimum temporis spatium, qui dictis constitutionibus Magalotti ac huiusmodi ordinationibus, declarationibus et reformationibus adversentur, ad pendentium, indecisarum et futurarum causarum decisionem ac negotiorum expeditionem allegari possent, nec quisquam illas allegans audiri debeat,

sed tantum secundum praedictas Magalotti constitutiones et huiusmodi ordinationes, declarationes et reformationes, a nobis, ut praefertur, approbatas et confirmatas, in dicta provincia et singulis illius civitatibus, castris, terris, villis et locis, quavis alia, tamquam sinistra, odiosa vel captiosa, interpretatione sublata, inviolabiliter et perpetuo, prout iacent, observentur, ac iuxta illas causae et negotia omnia in futurum per quoscumque iudices, tam saeculares quam ecclesiasticos, delegatos et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debeant; sitque irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat.

§ 8. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Ravennatensi, ac dilectis filiis rectori dictae nostrae provinciae pro tempore existenti, ac collegio rectorum civitatum et locorum eiusdem provinciae per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, ubi et quando expedierit, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque publicent et publicari seu etiam imprimi faciant, ac inviolabiliter et perpetuo observari; contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Pii Papae quarti, praedecessoris nostri, de gratiis interesse Camerae praedictae concernentibus infra certum tunc expressum tempus registrandis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon statutis, stylis, usibus et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestate similibus, ac alias in contrarium quomodolibet, etiam officialibus, ministris et aliis personis in dictis constitutionibus et reformationibus expressis et nominatis, et in erectione officiorum per nos seu alios Romanos Pontifices concessis, ac forsan pluries et iteratis vicibus approbatis et confirmatis; necnon quaecumque litis pendentia coram quibuscumque iudicibus, etiam dictis auditoribus, super praesentationibus, quae dictis constitutionibus et reformationibus adversantur, tam in possessorio quam in petitorio, forsan existentis, et ad cuiusvis instantiam introducta, necnon litis, status et dictorum statutorum et aliorum praemissorum tenores praesentibus haberi volumus pro sufficienter et plene expressis, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Tenor declarationum super editarum.

§ 10. Tenor vero ordinationum, declarationum et reformationum praedictarum sequitur et est talis;

Correctio et sublatio abusuum et errorum in provincia Romandiolae.

Quoniam experientia rerum magistra edocuit, vel procuratorum vel notariorum vel cancellariorum vel advocatorum aut iudicum avaritia, nonnullos in hac Romandiolae provincia introductos fuisse errores in taxandis praedictorum et aliorum curiae generalis commodis deservientium mercedibus: ideo nos,

Gregorii Magalotti ordinationes et mentem penitus a quibuscumque et singulis praedictorum dictae provinciae observari desiderantes, propterea, adhibito etiam consilio eorum, qui quotidie in foro et subselliis versantur, amputantes et tollentes supradictos errores, abusus et corruptelas, infrascripta ordinanda, pro utilitate et commodo subditorum et provincialium, sic provincia exigente, omni studio et diligentia esse censuimus.

De officio praesidis.

Sancte admodum Gregorius Magalottus ordinavit praesidem provinciae, pro suorum provincialium tranquillitate et iustitia, omnem curam et sollicitudinem gratis et paterno affectu cuncta ab eo expedienda impendere debere; abusus tamen et corruptela inolevit cubicularios, sub colore sigilli, aliquando extorsisse sportulas, cum in publica visitatione carcerum mandasset praeses aliquem relaxari. Nunc tamen errorem penitus tollentes, volumus nihil tali casu pro mandatis executivis cubicularios posse accipere, sicuti et gratis impartitur praeses auctoritatem suam, et illum mandatum gratis pariter tradere debere decernimus.

De officio auditoris.

Quia compertum iam esse reperitur in generali curia ab auditore quandoque in executivis, ubi nec rei contradictio nec causae cognitio intervenit, pro mercede receptos fuisse denarios sex pro libra valoris et extimationis rei petitae, usque ad quamcumque summam, dummodo sportulae non excederent scuta tria; si vero mandatum traditum non esset, licet decretum, usque ad quamcumque summam aliquando sportulas extorsisse; propterea, amputantes et removentes praedictum errorem, volumus et mandamus non excedi quatuor denarios pro libra, ubi nec rei contradictio nec causae cognitio intervenit, valoris et aestimationis rei petitae, usque ad quamcumque summam, dummodo sportulae non excedant scuta tria; si vero mandatum non fuerit traditum, licet decretum, nihil percipiat auditor, sicut Magalottus expresse decrevit.

Pariter, et quia intelleximus aliquando in contumaciam reorum ab auditore receptas fuisse sportulas; et si, refectis expensis, petierit reus aliquis reaudiri, voluisse eumdem denuo et iterum alias sportulas, mandamus, si contigerit huiusmodi casus, nisi semel praefatum auditorem posse sportulas accipere, nisi diversum fuerit negocium; sed si fuerit eadem causa, nisi semel, illas percipere posse mandamus.

Ab aliquibus fuisse, etiam contra mentem Magalotti, accepimus, in executivis, ubi intervenit rei contradictio, et aliqua causae cognitio, et mandatum traditum fuerit, duplicatas, casu quo quis voluerit ad se defendendum admitti, fuisse receptas sportulas; et si mandatum non fuerit traditum, vel quia reus petiit terminum ad solvendum, vel aliter fuerit cum adversario concordatum, salarium ab eo fuisse exactum; decernimus primo casu nisi semel tantum sportulas ab eo recipi posse, altero vero casu nihil auditorem habere posse mandamus, nisi per senten-

tiam provinciarum fuerit, et semel tantum in utroque casu, servetur in hoc dispositio Magalotti loquentis circa exactionem sportularum in executivis, ubi rei contradictio et aliqua causae cognitio intervenerit.

Quia compertum est in interlocutoriis vim definitivae habentibus, et quae post se aliam non expectant sententiam, et per quam totum negotium, de quo agitur, terminatur, aliquando voluisse auditorem sportulas commensurari, sicuti in ordinariis, propterea attendentes et insequentes Magalotti intentionem, mandamus et volumus tantummodo medietatem illum posse consequi, quod in ordinariis accepisset, si diffinitivam tulisset sententiam; si vero aliquam post se expectaret sententiam, volumus a quinquaginta scutis supra scutum unum illum posse dumtaxat percipere, si causa sit cuiuscumque quantitatis, infra vero, nisi dimidium scuti; in interlocutoriis vero quae vim diffinitivae non habent, volumus illum quidquam accipere posse, sicuti expresse decrevit Magalottus.

Et quoniam aliquando scimus per auditorem curiae generalis fuisse, si partes ad concordiam pervenerint, salaria, et quidem indebite, exacta, ideo volentes eiusdem cupiditati occurrere, subditis opportune providere, eorumque indemnitati consulere, ac penitus hunc extirpare errorem, mandamus ac sancimus, si inter partes fuerit concordatum, nihil auditorem percipere posse, nisi quando causa esset instructa usque ad sententiam exclusive; tunc enim permittimus, ex quo saepe ac saepius fuerit aditus et forsan interlocutus, pro sportulis, medietatem illum capere posse eius quod habuisset; sed si depositatae fuerint sportulae, et sententia in cedula habita fuerit, aut terminus pro servato habitus fuerit, tunc totum recipiat salarium; si vero tantum fuerint depositatae, et tunc habeat prout in interlocutoriis, sicut et ex Magalotto decretum fuit.

Errorem pariter fuisse introductum advertimus auditorem voluisse et exegisse sportulas ad rationem sex denariorum pro libra, si sententiae petebatur respectu expensarum taxae producta executio, cum tamen expresse Magalottus nihil pro sententia eum recipere posse, nisi novus fieret processus; propterea abiicientes et penitus removentes hunc abusum et corruptelam, mandamus, sicuti et Magalottus praecepit, auditorem nisi pro sententia tantummodo sportulas habere posse; pro executione vero illius sententiae nihil eum consequi audere, nisi fieret novus processus; et ut hominum malitiis obvietur, declaramus illum novum intelligi processum, quando coram iudice competenti contingit litem vel causam aut controversiam cognosci, licet etiam coram alio incompetenti fuisset cepta, vel quando nova instantia incipit currere, aut in forma iudicii fit novus processus super consecutione petita rei iudicatae; hoc enim casu permittimus, ob laborem, quem sustinet auditor in cognoscendo illum, sportulas habere posse, prout de interlocutoriis dictum est.

Graviter etiam accepimus non semel auditorem voluisse, si agebatur super nullitate alicuius sententiae, et contigisset pronunciare, licet sententia, de cuius nullitate agebatur, esset super negotio executivo, voluisse, inquam, sportulas, prout in ordinariis solvitur; et tamen nemo est qui non videat gravissimum esse hunc abusum; unde, omnino subditorum querelis prospicere cupientes, mandamus et ordinamus tantummodo prout in executivis illum posse sportulas accipere. Absurdum enim arbitramur plus debere solvi ob cognitionem nullitatis oppositae, quam

fiat super principali negocio, aut pro prima sententia.

Non minus resecandum est quod fiebat in materia appellationum; nam invenimus observatum fuisse dicentem appellationem esse desertam, vel illam non devolvere, si super praedictis pronunciaretur solutas fuisse sportulas, ac si sententia diffinitiva fuisset lata; et tamen omnibus compertum est Magalottum voluisse quod interlocutoriis vim diffinitivae habentibus, in his quae post se aliam non expectant sententiam, solveretur pro medietate illius salarii, quod in ordinariis solvi debere ordinatum est; et quoniam cavillationibus aliquando usque ad nauseam altercatum est, an supradicta et siquae praedictis similia reperiantur, dicantur interlocutoriae habentes vim diffinitivae; pro bono communi, volumus et mandamus praedictas haberi pro interlocutoriis vim diffinitivae habentibus, omnibus cavillationibus et hominum malitiis penitus resecatis.

Abusu quoque receptum fuisse accepimus, auditorem pro tempore voluisse pro primo vel secundo decreto in contumaciam, veluti pro decreto de immittendo in possessionem absque causae cognitione, licet nihil laboris egerit, salarium, ac si diffinitivam tulisset sententiam. Propterea Magalotti mentem et intentionem insequentes, mandamus pro primo et secundo decreto auditorem aliquod non posse salarium percipere, nisi tantum ubi causae cognitio intervenit. Quo etiam in casu, cum modicus ei labor est futurus, illum, prout in executivis, volumus, sportulas accipere posse.

Pariter accepimus, si in uno eodemque negocio plures extiterint personae vel quantitates petitae, auditorem voluisse multiplicare usque ad triplicationem sportulas; ideo resecantes et penitus amputantes abusum hunc pravum, et toti provinciae damnosum errorem, et illum omnino tollentes, mandamus et decernimus, sive causae fuerint universitatum, communitatum, corporum, collegiorum, societatum aut aliorum, et tandem in nullo casu ex quo una tantum praedictorum est causae cognitio, et maior non est iudicis labor, non nisi unicam simplicem mercedem, omni et qualibet multiplicatione reiecta, deberi antedicto auditori, dispartiendam et solvendam secundum proportionem et ratam personarum, rerum et quantitatum petitarum.

Et quia posset dubitari an omnia supradicta vendicent sibi locum respectu notariorum vel cancellariorum, declaramus et mandamus respective illa omnia, etiam intuitu ipsorum, accommodari debere, et in illis locum habere, ac si de verbo ad verbum specifice et expresse fuissent repetita et nominatim in illis enunciata, singula singulis tamen congrue referentes, cum secundum praedictorum salaria regulentur et illa notariorum et cancellariorum.

Et quia omnium habere memoriam potius divinitus est, quam humanitus, propterea, nolentes aliquos ob enumerationem praedictorum extimasse ceteros alios, siqui erant et sunt pravi abusus, nos vel dissimulasse vel inobservantia reliquisse, ideo declaramus, si quod ultra praedictos errores, abusus et pravas corruptelas supra expositos seu expositas reperietur, quod directe vel indirecte, contra expressam vel tacitam mentem Magalotti, fuerit etiam consuetudine vel usu et tacito hominum consensu introductum vel confirmatum in officio supradicto auditoris civilis et eius notarii, cancellarii, intelligatur et sit per hanc nostram declarationem et determinationem penitus et omnino sublatum et extinctum; et ne contingat amplius super hoc dubitari, et de cetero minime huiusmodi aut alii in-

troducantur errores vel abusus, arbitrio praesidis volumus esse tributum, ut determinet et declaret quis sit aut fuerit abusus, error, corruptela vel aliquid contra mentem Magalotti, cuius determinationi omnes teneantur acquiescere sub poena arbitrio praesidis imponenda.

De causis criminalibus.

Ex mente Magalotti etiam alias fuisse observatum accepimus, si in una eademque sententia plures personae ultra numerum trium absolverentur, auditorem criminalem curiae generalis, eiusque notarium seu cancellarium aliquando consuevisse sportulas accipere ad rationem reorum et numerum absolutorum qui erant inquisiti. Verum, quia contra Magalotti mentem contingebat, et nimium esse cognoscitur, cum eveniebat plures ac plures etiam de uno eodemque delicto esse accusatos vel inquisitos, etiam ad rationem praedictam excessivas fuisse aliquando exactas sportulas, et in tali et simili casu volumus et mandamus auditorem criminalem nonnisi pro tribus absolutis tantum, et non ultra sint, quotquot fuerint rei deliquentes accusati, inquisiti, de uno aut pluribus delictis simul a praedictis factis aut commissis sportulas accipere.

Contingebat aliquando reum unum de pluribus delictis esse inquisitum et processatum, et cognita illius innocentia liberari, ideo quia intelleximus non semel aliquando auditorem pro sportulis voluisse, multitudine delictorum inspecta, salaria duplicata et quandocumque triplicata; propterea, licet haec expresse non determinet Magalottus, mandamus hoc casu unicam tantum mercedem non duplicatam nec triplicatam, sed simplicem, illum exigere posse.

Similiter et relatum est auditorem criminalem curiae generalis in absolutoriis a poenis pecuniariis voluisse excessivas sportulas ad rationem poenarum a bannimentis provinciae impositarum, non habito respectu constitutionum Marchiae vel statutorum civitatum vel locorum provinciae, quae vigebant tempore Magalotti, quorum poenae non erant ita graves, sicuti ex bannimentis imposita esse dignoscuntur; propterea, ad honestam mercedem huiusmodi salaria reducentes, in praedictis absolutoriis mandamus supradictum non posse pro mercede sua excedere scuta decem, ne contingat maiorem fieri solutionem pro poena pecuniaria quam pro poena capitali et confiscatione bonorum.

Quia experientia ostendit ex mulctis auctoritatem et iurisdictiones iudicum conservari, et ex timore mulctarum fieri quod delinquentes puniantur et castigentur, ideo in usu sunt frequentes, et videntur fieri, ut earumdem taedio affecti mulctati compareant; propterea, ne ad alium trahantur finem, volumus quod, pro praedictis mulctis impositis, auditor nihil recipere possit, quod hactenus male observatum est, cum pro praedictis fuerint multoties sportulae etiam indebite exactae: idem etiam volumus observari, si vel comparuerit vel captus fuerit reus; nam declaramus ipso iure esse mulctam nullam et facto cassam et irritam.

De sententiis condemnatoriis.

In pecuniariis condemnatoriis statuit Magalottus praedictum auditorem criminalem curiae secundum consuetudinem decimas habere posse non condemnationis, sed eius summae in quam reus se cum Camera composuerit, moderandas arbitrio dicti praesidis, secundum contingentiam casuum et quantitatem poenarum et personarum qualitatem, quam

summam statuit excedere non posse scuta quinquaginta, quantumcumque quantitas magna sit, in quam reus condemnatur vel componitur; et tamen, hominum subtilitate acceptum est, ut particula illa *vel*, stet disiunctive, non autem copulative, et ob id magna difficultas exorta est, cum vere sensus esse videatur ut coniunctive et copulative accipi debeat, ne absurdum sequatur, plus illum posse consequi, quam sit eius, quod ingrediatur Cameram: ideo arbitramur, tollentes altercationes et iurgia quae super huiusmodi casu audiebantur, maxime cum aliquando perverse fuerit a quibusdam id hactenus acceptum, declarandum esse coniunctive et copulative dictionem illam *vel* assumendam esse, vel loco dictionis *et* accipiendam esse, sicuti ex praecedentibus ostenditur etiam Magalottum eam dictionem *vel* assumpsisse.

Male a quibusdam fuisse acceptum non negamus, quod clarissime statuit Magalottus circa praesentationem et visionem cuiuslibet gratiae et absolutionis alias praesentatae et visae; nam mandavit pro prima nihil accipere debere auditorem, et pro illa, quae non fuit amplius praesentata et visa, scutum unum pro eius labore posse recipere; et tamen intellectum est pro primo capite illum voluisse extorquere aureum unum, cum expresse nihil accipere posse tali casu decreverit; altero vero casu tot scuta voluisse, quot essent nominati in dicta praesentatione et visione gratiae et absolutionis, cum unum tantum ex mente Magalotti scutum eum posse recipere compertum est: unde mandamus, supradictos abusus tollentes, primo casu, nihil illum habere posse, sicuti Magalottus decrevit; altero vero casu, nonnisi scutum unum, licet plures in illa fuerint praesentatione et visione gratiae et absolutionis nominati, prout expresse disponit Magalottus.

Pariter et alterum circa praefatos casus extare errorem intelleximus, scilicet praefatum auditorem non solum pro praesentatione et visione supplicationis cuiuslibet, scutum unum, sed et pro praesentatione litterarum, et etiam praedictis casibus praedictum scutum unum accepisse quando habet decimas, ideo cum manifeste constet esse contra Magalotti mentem, mandamus praedictum scutum illum pro praesentatione et visa supplicationis tantum recipere posse, non autem pro praesentatione litterarum; nec quando decimas percipit quidquam pro praedictis consequi valeat.

Compertum est aliquando, ubi auditor curiae criminalis mandavit bona describi, pluries voluisse mercedem non simplicem, sed multiplicasse illam tam pro se quam pro baricello; ideo, tollendo hunc expressum errorem, mandamus auditorem praedictum, pro confectione descriptionis bonorum uniuscuiusque casus, in quo de iure venirent bona confiscanda, non nisi unicam et simplicem mercedem, tam pro se quam pro notario et baricello, accipere posse; mandantes etiam in inventario non nisi necessaria describi debere, et pro non necessariis in nihilo pro mercede teneatur illis.

Notarium criminalis curiae seu eiusdem pro tempore cancellarium coegisse, a multis annis citra, et hodie pariter cogere, singulos reos accusatos et inquisitos, pro uno eodemque delicto, et pro copiis simplicibus, et pro authenticis actibus seu scripturis, veluti inditiorum, constitutorum, inquisitionum, tertium, et aliorum etiam productorum actuum multiplicasse usque ad triplicationem mercedem suam, et singulos praedictorum reorum et unumquemque triplicare supradictarum mercedem, quod nedum irrationale et iniquum est, sed et inhumanum, unum pro tribus solvere debere, cum nisi unicum

substineat cancellarius laborem; ideo, tollentes hunc pravum et toti provinciae damnosum et eiiciendum errorem, abusum, stylum aut irrationabilem consuetudinem, mandamus, omni multiplicatione reiecta, huiusmodi et similibus casibus, praedictos cancellarios seu notarios non posse nec cogere nec recipere, etiam a sponte offerente, sub poena arbitrio dicti praesidis imponenda, mercedem triplicatam pro supradictis, vel copiis vel authenticis, sive unus sit sive plures fuerint de eodem delicto accusatus vel accusati, inquisitus vel inquisiti, sive sit communitas sive universitas, corpus, collegium vel societas aliqua; nam volumus, si pro uno eodemque delicto fuerint accusati, inquisiti aut aliter denunciati, praedictos notarios aut cancellarios non posse eorum mercedem in aliquo casu praedictorum multiplicare, sed permittimus tantum ut percipiant dumtaxat simplicem, puram et unicam mercedem.

Non minori ratione tollendum est quod auditores et notarii seu cancellarii eiusdem curiae criminalis agere consueverunt, siquidem supradictos pro capiendis informationibus contra reos inquisitos contingebat aequitare, pravo quodam abusu, si contra duos vel tres aut plures, solitos fuisse duplicare et triplicare mercedem viatici, etiamsi esset pro uno eodemque delicto. Ideo, amputantes hunc pravum errorem et abusum, et mentem Magalotti attendentes, qui nunquam de duplicatione aut triplicatione in similibus casibus locutus est, volumus simplicem et non multiplicatam praedictum auditorem et cancellarios posse accipere mercedem.

Quae de auditore curiae criminalis hactenus, ut supra, et de tollendo abusus et huius provinciae pravos errores, disposita sunt, mandamus quod de notariis et cancellariis eiusdem curiae criminalis, quatenus adaptari possint, intelligantur et sint, etiam respectu praedictorum, decreta et diffinita; sicuti etiam volumus omnes alios, siqui erant aut sunt vel errores vel abusus contra expressam mentem aut tacitam, ac curiae, per hanc nostram intelligantur et sint sublati, et in hoc servetur quod supradiximus in officio auditoris civilis pro extirpandis et tollendis erroribus et corruptelis, et ad iudicandum circa praedictos et praedicta; hoc enim praecipuum muneris volumus esse praesidis pro tempore aut rectoris futuri huius provinciae.

De officio cancellarii sive secretarii curiae generalis et eius mercede.

Simpliciter determinavit Magalottus cancellarium curiae generalis, pro qualibet littera cum sigillo, pro eius mercede posse iulium unum habere; usus tamen introduxit quod si littera plura capita contineat, habeat tot iulios dictus cancellarius, quod certe removendum est; unde volumus illum tantum recipere posse pro qualibet littera iulium unum, etiam si plura contineat capita vel personas.

Fuit quoque receptum usu et consuetudine pro littera commissionem continente cancellarium percipere ultra iulium et perinde ac si esset simplex causae commissio; ideo mandamus pro tali littera nisi unum iulium posse illum habere.

Quod dictum est de decima in auditore criminali, hic referatur et determinatum esse intelligatur.

Et quia pariter intelleximus cancellarium voluisse, ubi contingit, ante sententiam, per supplicationem aliquam expediri compositionem pecuniariam, et non appareret de aliqua gratia de qua fuit facta compositio, quinque pro centenario, non eius, quod Cameram ingreditur, sed eius, de quo facta fuit gratia; et si fiat compositio post sententiam, voluisse praedi-

ctum cancellarium quinque pro centenario, non eius quod Cameram ingreditur, sed eius de quo facta fuit gratia: ideo, quia absurdum est illum plus habere posse quam par sit, propterea mandamus primo illum tantum modo tria scuta pro quolibet centenario habere et consequi posse eius quod Cameram ingreditur, nulla habita ratione eius de quo facta est gratia, et hoc ne contingat illum plus recipere quam Cameram; altero vero casu, pariter volumus illum dumtaxat posse accipere quinque pro centenario eius quod Cameram ingreditur, non autem eius ad quod fuit condemnatus.

Quia solebat etiam praedictus cancellarius pro littera continente gratiam tot iulios accipere quot essent nominati, mandamus, si gratia fuerit pro uno eodemque delicto, non posse illum nisi duos iulios habere, nisi diversa delicta fuerint, et diversae personae aut causae; hoc tamen casu tot permittimus accipere iulios quot sunt aut erant personae.

In causis vero mixtis, quia varie solutio fiebat cancellario, ideo rem ipsam ad honestum reducentes, mandamus praedictum cancellarium unam tantum solutionem debere consequi, et illam arbitrio dicti cancellarii, sive ille corporalem sive civilem attendere voluerit poenam reo inflictam.

De officio notarii ad criminalia curiae generalis.

Quia solent notarii ad criminalia, in conficiendis copiis et authenticis praestandis partibus, admodum paucis lineis et distinctionibus folia exhibere, propterea mandamus pro quolibet folio non minus quam viginti lineas esse in eo debere, decem dictiones continentes, prout Magalottus et Marchiae constitutio decrevit, et merces sit, prout a Magalotto fuit taxata; nec in illis edendis et partibus tradendis, alicuius multiplicationis ratio haberi possit, sive sit communitas, universitas, collegium, corpus, societas aut aliud, si quod ex praedictis simile plures referens personas.

Resecandum pariter est in officio notarii curiae generalis ad causas civiles quod aliquando observatum pro citatione in forma nostra copulative mandavit Magalottus pro citatione in forma cum insertione commissionis et inhibitionis cum sigillo, cancellarium pro mercede posse vigintiquinque solidos percipere, et hunc cancellarium voluisse eamdem mercedem, etiamsi non adfuerit commissio causae, licet adfuerit citatio cum inhibitione tantum: propterea, tollentes hunc abusum, volumus illum tantum posse consequi pro mercede sua quod est a Magalotto determinatum pro simplici citatione cum sigillo.

Pro copiis cuiuslibet scripturae notarios curiae civilis solitos fuisse paucissimas lineas, et dictionibus duabus aut tribus denotatas, partibus tribuisse, propterea in hoc mandamus observari quod in cancellario aut notario curiae criminalis emendatum et diffinitum est, inhibentes quamcumque multiplicationem, ut supra dictum est.

Quia consueverunt notarii ad causas civiles, si contigisset in partibus examinari testes, vigore litterarum remissorialium decretarum a iudicibus curiae generalis, velle mercedem, inserendo illas in processu authentico; ideo, cognoscentes hoc esse irrationabile, et non esse conveniens, si semel pro illis habendis fuerit competens merces soluta, mandamus pro praedictis nihil supradictos notarios posse habere, sed gratis illas accommodare debere partibus: necnon etiam volumus praedictas in processu, nisi de consensu partis, notarium reponere aut inserere posse, quo casu permittimus et concedi-

mus, etiam sicuti si contigerit fieri earum attestationum vel aliarum scripturarum in partibus factarum et productarum copias, posse competentem recipere mercedem, sicut supra diffinitum est.

Pariter excessivam voluisse notarium mercedem, si pro executione litterarum citatorialium et inhibitorialium ab Urbe emanatarum vel ab alio loco, una cum relatione authentica, auditum est; ideo ad condignam mercedem id reducentes, volumus illum praeter unum iulium nihil consequi audere.

Et quia contingit multos velle processus suos authenticari, et pro mercede etiam excessivam notarium voluisse mercedem, ideo determinamus notarium nisi quatuor bolon., computata mercede quam habuit pro copiis, illum posse consequi. Quod nedum in curia civili volumus et mandamus observari, sed etiam in curia criminali a cancellario seu notario illius curiae criminalis.

De officio baricelli curiae generalis.

Quoniam reprimenda est audacia baricelli curiae generalis, ideo, quia contingit illum facere duplicem executionum speciem, altera est quae pro executionibus fiendis eorum quae occurrunt in provincia, altera est eorum quae fieri debet vigore litterarum executorialium ab Urbe vel ab alio loco emanatarum, unde immodicas in hac ultima volebat mercedes:

Nos autem, attendentes id quod iuri et aequitati convenit, volumus ambas commensurari aequaliter, et quod in primo capite ex taxatione Magalotti solvitur, illud idem praedictum habere debere, nec aliquem in plus cogere posse sub poena arbitrio dicti praesidis vel rectoris provinciae imponenda.

De officio gubernatorum civitatum.

Gubernatores civitatum provinciae voluisse accepimus, si contingebat eos personaliter, partibus instantibus, ad aliquem locum differentiae in civitate vel surburbiis vel extra multiplicare viaticum, prout in auditore generalis curiae civilis diximus et criminalis, ideo mandamus praedictos gubernatores tantummodo percipere posse viaticum, prout supra in auditoribus supradictis dictum est et diffinitum.

Et quoniam intelleximus gubernatores voluisse, pro decreto de habilitando aliquem a carceribus in palatio vel domi, vel pro cassanda fideiussione, et in aliis similibus, mercedem exegisse, cum tamen Magalottus pro praedictis nihil eis tribuat: ideo, sequentes Magalotti mentem, mandamus etiam praedicta a dictis gubernatoribus gratis fieri debere, nec aliquid, praetextu alicuius abusus aut pravae consuetudinis, posse eos accipere, sicuti nec volumus quidquam eis pro subscriptione etiam mandati de relaxando solvi debere.

Quia contingit quandoque, vel propter mutationem gubernatorum aut iudicum, vel partium negligentia, non fieri executionem mandati executivi obtenti, ideo pro subscriptione, si requiratur et fuerit necessaria, mandamus praedictos gubernatores successores, vel si fiant in subsidium iuris, nihil eos percipere posse, nisi iulium unum, quod intelligatur etiam de mandato relaxato per praedecessorem; et idem servare debeat auditor curiae generalis.

Abolendum omnino arbitramur quod, cum maximo damno provincialium, usu pravo introductum est, siquidem contingebat pro quocumque delicto aliquem per viam decreti relaxari, voluisse gubernatores ex huiusmodi decreto mercedem; ideo illud tollentes, mandamus praefatum nihil pro decreto huiusmodi habere posse, quod in auditore criminalis curiae dispositum esse iubemus.

In causis communitatum, licet Maga-

lottus determinasset sportulas gubernatores accipere non posse, iniqua consuetudine fuit introductum gubernatores sportulas exigere posse; propterea, cum sit contra expressam Magalotti ordinationem, mandamus in hoc eos nihil posse accipere, si causae fuerint communitatum, sive de earum interesse fuerint, sicuti verbis claris Magalottus decrevit.

Et ut tollatur dubium an istae debeant intelligi etiam de cancellariis suis, declaramus respective ad eosdem referri debere, perinde ac si specifice et expresse et nominatim fuissent statuta, ordinata et diffinita. Pariter volumus omnia et quaecumque ordinata et definita sunt, ut in cancellariis curiae generalis civilis et in cancellariis seu notariis curiae generalis criminalis vendicent sibi locum, prout adoptari poterunt, omni prava consuetudine, stylo aut abusu non obstante, in praedictorum gubernatorum notariis seu cancellariis, et ad criminalia in quarta parte eius, quod accipere potest gubernator.

De officio advocati, procuratoris, et eorum mercede.

Inolevit abusus, quod nec habetur advocatorum ratio, nec procuratorum labor attenditur, sed promiscue utrumque, et quidem indigne, exercetur officium; ideo corruptelam hanc tollentes, mandamus advocatos non posse officium procuratoris exercere, nec procuratores posse se intromittere in advocati officio, sub poena a Magalotto determinata et diffinita, quam, si opus est, renovamus et imponimus, omni corruptela et consuetudine reiecta, exceptis tamen casibus a Magalotto permissis, in quibus, servatis quae ille disposuit pro bono communi et partium minori impensa, permittimus.

Licet advocatis et procuratoribus merces omni ratione debeatur, cum bona, honores et famam in vitam suo ingenio et voce gloriosa conservent, est etiam indignum eos amplius velle quam par sit: ideo, quia accepimus, contra mentem Magalotti, eos salaria maiora inter Ravennates et quoque duplicasse et triplicasse, scientes se ultra scuta sexdecim excedere non posse, licet causa sit cuiusvis magnae summae et valoris, volentes secundum statuta civitatis taxari eorum salaria usque etiam ad triginta duo scuta, quod a procuratoribus fieri pariter solet, cum tamen ex Magalotto solummodo duodecim scuta percipere valeant procuratores, e contra vero si ab eorum statuto modica taxata salaria habent, Magalotti determinatione illa subtaxare procurant; propterea mandamus et advocatorum et procuratorum huiusmodi salaria debere taxari secundum ordinationem Magalotti; et causarum quae coram iudice civitatum, qui non sit delegatus a praeside vel ab Urbe, et qui non dependet a curia generali, salaria possint et debeant taxari secundum statuta locorum; et, ut tollatur disputandi circa hoc facultas, declaramus istud procedere etiam si causae fuerint inter unum forensem et alterum Ravennatensem, necnon etiam habere locum in aliis locis, terris, castris et civitatibus provinciae Romandiolae subiectis.

Eosdem etiam provinciae advocatos voluisse sibi taxari salaria et solvi, etiam si in aliqua causa non fuerunt nisi a procuratore nominati et nihil egerint intelleximus: ideo, tollentes hanc corruptelam et pravum abusum, decernimus praedictos advocatos non posse aliqua salaria percipere, nisi cum effectu constiterit eorum scripturis, manu propria subscriptis, fuisse advocatos non solum in initio causae, sed etiam usque in finem, nisi ad ratam, quando contigerit fieri advocati mutationem a partibus ipsis, eo vel ignorante vel etiam de eius consensu, secun-

dum tamen ratam temporis, quo inservierunt.

Quia contingit aliquando curiam generalem esse modo in una civitate, modo in alia, et nunc uno in loco, modo in alio: ideo relatum est advocatos quandoque adire curiam, et a clientulis suis, etiamsi vel pro suo proprio interesse proficiscantur vel aliorum, voluisse viatica, quod certe iniquum est; propterea decernimus praedictos advocatos non posse a praedictis suis clientulis, sub ullo praetextu, aliquid ratione viatici consequi, nisi expresse constiterit de voluntate eorum realiter et cum effectu illos curiam adiisse, sub poena arbitrio dicti praesidis taxanda et imponenda illis; secus vero, si de voluntate praedictorum adierint curiam, et pro illis aut uno eorum tractaverint, locuti fuerint vel causas disputaverint, tunc enim permittimus illos tali casu congrua et honesta viatica secundum ordinationem Magalotti habere posse.

Advocatos et procuratores consuevisse salaria recipere, si debitor citabatur, et ante petitionem solvebat creditori suo, accepimus. Cum tamen nihil laboris egerint, iniquum est velle salaria hoc casu; ideo, resecantes hunc abusum, mandamus praedicto casu nihil eos pro salario habere posse, cum non constet in aliquo laborasse. Quod volumus etiam observari, porrecta petitione, si mandatum non fuisset relaxatum, quia tunc permittimus patrocinia illis debere; alias minime volumus illos quicquam habere posse, quia nec iudicibus Magalottus concedit aliqua salaria in executivis, si mandatum traditum non fuerit. Ita pariter prohibemus praedictis advocatis et procuratoribus posse in executivis, ubi mandatum traditum non fuit, aliquid praetensum salarii vel patrocinii habere, reiecta consuetudine prava, quae diu observata fuit contra mentem Magalotti, qui nec iudicibus nec notariis tali casu aliquid tribuit.

Prohibendum pariter est advocatis necnon procuratoribus, sub poena infamiae, posse retinere sportulas a clientulis, causa deponendi pro sententia ferenda; nam relatum est eos quandoque ab illis recipere sub praedicto colore et sententia posita, prout in cedula, vel habito termino pro servato, non curare ultra causam expediri cum gravi iactura principalium: ideo determinamus illos statim atque habuerint sportulas illas deponere sub poena praedicta.

Quia etiam intelleximus, si partes ad concordiam venerint antequam sententia proferatur, eosdem advocatos et procuratores voluisse patrocinia, ac si lata fuisset sententia: ideo, huic pravo abusui occurrentes, determinamus in hoc servandum esse quod diximus supra in auditore et notario seu cancellario curiae civilis.

Pariter tollendum est quod a multis auditum est, scilicet eosdem advocatos et procuratores voluisse salaria, si summarie et sine processu et absque tela iudiciaria aliqua causa expediebatur per maiorem superiorem: ideo, quia modicus eis sit labor, mandamus illos nisi prout in executivis dictum est supra de auditore et notario civili consequi posse.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XIX septembris MDLXXXVII, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 19 sept. 1587, pontif. anno III.

CIV.

Prohibitio extrahendi aut quoquo modo amovendi libros et alia existentia in bibliothecis fratrum Minorum de Observantia Ordinis S. Francisci; et ordinationes quibus eadem conservari debeant [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, nonnulli, parum

[1] Alia de hoc Ordine inspice in constit. XXVII Leonis X, *Ite*, tom. V, pag. 692.

Causa huius constitutionis.

attendentes procedere via quae ducit ad salutem, sub variis respectibus ausi fuerunt et in dies audent, contra formam litterarum felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, in forma brevis, sub datum Romae, quarta novembris, millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus sui anno quarto, asportare libros, quinterna, folia et res existentes in bibliothecis monasteriorum seu domorum fratrum S. Francisci de Observantia.

Prohibetur omnibus amotio librorum ex bibliothecis Ordinis.

§ 1. Idcirco, volentes plenius providere praedictis, tenore praesentium, motu proprio ac ex certa scientia nostra et de apostolicae potestatis plenitudine, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poena, ipso facto, sine alia declaratione, per contravenientem in singulis casibus infrascriptis incurrenda, a qua nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, possit absolvi, et nisi in primis satisfacto omni damno dictarum bibliothecarum, mandamus omnibus ministro ac commissario generalibus, ministris, provincialibus, commissariis, guardianis ceterisque fratribus, quocumque nomine nuncupatis, dicti Ordinis, aliisque omnibus et singulis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, cuiusvis status, ordinis, conditionis, etiamsi pontificali dignitate praefulgeant, vel alias hic specifice nominandi fuissent, praesentibus et futuris, ne, sub quovis praetextu, causa et ratione (etiam quibus dici posset, si nobis expressa fuissent vel de his cogitavissemus, non sic ordinavissemus), audeant seu præsumant, neque aliquis eorum audeat seu praesumat, per se vel alium seu alios, nec pro minimo quidem temporis spatio, dictos libros, quinterna, folia nec res de dictis bibliothecis nunc et quandocumque existentes de dictis bibliothecis amovere, asportare, tollere, seu amoveri, asportari aut tolli facere vel consulere, neque verbo vel facto, in aliquo ex praedictis, alicui auxilium aut opem praestare. Quinimmo quilibet ex praedictis teneatur quicquid in praedictis audiverit aut sciverit factum vel fieri tentatum in praeiudicium dictorum fratrum eorumque bibliothecarum, notificare guardiano, et, in eius absentia, vicario domus seu monasterii, in cuius bibliotheca aliquid ex praedictis contigerit. Qui guardianus et vicarius teneatur, iuxta omne eorum suorumque superiorum et aliorum quorumcumque posse, quorum auxilio indiguerint, quod per quoscumque praestari eis mandamus, curare cum effectu omnia restitui in pristinum, et satisfieri omni damno successo in dicta bibliotheca per culpabiles in praedictis.

Traditur forma libros conservandi.

§ 2. Et nihilominus, pro potiori cautela et securitate praedictorum, mandamus sub eisdem poenis, necnon privationis vocis activae et passivae, inhabilitatisque perpetuae ad quaelibet officia dictae Religionis umquam obtinenda et exercenda, omnibus et singulis dictorum monasteriorum guardianis quandocumque electis, ne, sub quovis praetextu, causa et ratione hic alias necessario exprimendis, audeant assumere officia guardianatus, neque in eo verbo seu facto se ingerere, nisi prius in praesentia discretorum loci seu monasterii, in quo fuerit aliqua bibliotheca, cum fuerit plenum et perfectum inventarium omnium et singulorum librorum, quinternorum et foliorum, anni et loci impressionis, coperturaeque praedictorum ac alterius cuiusvis certioris et magis specialis specificationis dictorum librorum, quinternorum, foliorum et rerum; quod inventarium completum debeat subscribi a dicto guardiano et discretis, dictique inventarii exemplar ad verbum cum similibus subscriptionibus transcribi in uno libro ad hunc solum effectum tantum et perpetuo conservato in capsula vel loco, in quo solent deponi sub clavibus eleemo-

synae pro tempore dictis domui, monasterio ac fratribus factae. Qui libri, quinterna, folia resque quaelibet praedictae debeant per simile inventarium et inventaria, ut supra scribenda et subscribenda a dictis guardiano et discretis, et in dicto actu consignationis cum veteribus proxime praecedentibus et aliis, quibus opus erit, ratiocinata et collata, per guardianum iam officium complentem, seu a dicto officio guardianatus seu commissariatus discedentem, consignari eius in officio successori, et ab eodem successore in praesentia supradictorum subscribi; sicque perpetuo ab omni guardiano seu eius vicesgerente, antequam assumat munus dicti guardianatus, vel in eo verbo seu facto se intromittat, quae inventaria pariter fiant formis et modis supradictis, renoventur a guardianis existentibus in officio tempore datae praesentium. Quod inventarium quilibet minister provincialis et dictae provinciae commissarius teneatur singulis annis sui officii in praesentia dicti guardiani et discretorum eius domus et monasterii, revidere, et quod aut additum fuerit aut ex dictis bibliothecis asportatum fuerit, facere addere dictis inventariis ac in dictas bibliothecas reportare, dictisque additionibus et inventariis una cum praedictis guardiano et discretis se subscribere.

Puniuntur contravenientes et complices.

§ 3. Quod si singula praedicta, ut supra ordinata, facta non fuerint, volumus et decernimus ultra praedictas poenas dictum guardianum, ministrum et commissarium statim, sine aliqua declaratione, intelligi privatos, prout privamus [1] ex tunc semper, officio guardianatus, ministratus aut commissariatus, quod tunc gerit, neminemque de cetero ei obedire volumus; et eumdem sic ut supra in omnibus non obedientem declaramus inhabilem ad quaevis officia dicti Ordinis per ipsum umquam gerenda. Et nihilominus quilibet ex praedictis ministris, commissariis, guardianis et fratribus nunc et pro tempore existentibus dicti Ordinis Minorum, asportans aliquid aut asportari faciens vel asportari consulens, aut opem aut auxilium, ante vel post vel in ipso actu asportandi, verbo seu facto praestans extra dictas bibliothecas contra formam praesentium, debeat ab eius immediate superiori incursuro, sine alia declaratione, statim dictas omnes poenas, si haec omnia debitae executioni non mandaverit, incarcerari, et in carceribus detineri per sex menses continuos; neque elapsis dictis sex mensibus possit de dictis carceribus liberari, nisi refectis omnibus damnis dictae bibliothecae, et omnibus restitutis in pristinum. Decernimusque praesentes quemlibet eorum concernentes arctare ad earum observationem in Italia post quatuor menses, extra vero Italiam post octo menses, in partibus vero Indiarum ac locorum de novo repertorum post biennium a data praesentium.

Subreptio allegari prohibetur.

§ 4. Nec de subreptionis aut obreptionis, nec etiam intentionis nostrae vel quolibet alio defectu aut vitio, cogitato vel incogitato, redargui posse, nec contra has aliquid dici, nec ignorantiam aut illorum inobservantiam posse allegare, sed plenissime ad litteram observare, sublata aliter declarandi, interpretandi et iudicandi cuilibet, etiam S. R. E. cardinali et causarum Palatii Apostolici auditori, facultate et auctoritate; irritum et inane decernentes quidquid in contrarium factum fuerit.

Derogatur contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac monasteriorum, domorum, ecclesiarum et Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, privilegiis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque, etiam

1 Waddingus addit: *ex nunc prout* (R. T.).

de quibus hic specialis mentio facienda esset.

Transumptorum fides.

§ 6. Et quia difficile foret praesentes originales ubique, ubi opus esset, ostendi, volumus etiam transumptis *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die III octobris millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 oct. 1587, pontif. anno III.

CV.

Confirmatio privilegiorum Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia [1].

Sixtus papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab ipsa materia desumptum.

Etsi Mendicantium Ordines et praesertim sacer Ordo fratrum Minorum de Observantia, qui sedulo ad vineam Domini Sabaoth Dei gratia Ordo ipse magnos probitatis et doctrinae ac animarum salutis fructus semper olim attulerit et quotidie afferre summa diligentia conatur, in eaque immensum exhibere non cessat famulatum, summo semper studio (etiam cum in minoribus essemus) amplexi fuimus; ad summum tamen apostolatus apicem (meritis licet imparibus), divina favente clementia, assumpti, dum id mente recolimus, facere non possumus quin eumdem Ordinem de Observantia propensiori charitate et paterno affectu amplectamur, ac exinde pro suis sanctis studiis honestisque laboribus; ac pro animarum salute ab Apostolica Sede (cuius continue pacem et dignitatem Ordo ipse de Observantia fortiter tutatus est) tam spiritualia quam temporalia subsidia ornamentaque acceperint et accipiant, quibus et sancta sua officia ac vitam suam regularem facilius atque expeditius exequi et transigere possint, et ceterae religiosae personae Ordinesque alii exemplo ipsorum promptiores alacrioresque ad sua officia persolvenda reddantur.

Romani Pontifices saepius huic Ordini concessa privilegia confirmarunt.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Francisci a Tholosa, ministri generalis, et Thomae de Massa, commissarii generalis Cismontanae familiae praedicti Ordinis de Observantia nobis nuper expositum fuit quod cum ex ipsius Sedis provisione ac benigna dignatione provenire dignoscatur ut Romanus Pontifex quandoque praedecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innovet, ac apostolica auctoritate innovata et restaurata muniat et fulciat et in pristinum statum reponat ac reducat, necnon propterea nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones, etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates multaque alia privilegia et indulta tam praedictis fratrum Minorum, quam S. Clarae ac tertio de Poenitentia nuncupato Ordinibus, illorumque superioribus, fratribus, monialibus et sororibus ac utriusque sexus personis et monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque dictorum Ordinum nunc et pro tempore existentibus in genere vel in specie, etiam per modum communicationis sive extensionis privilegiorum aliis Ordinibus, eorumque domibus et ecclesiis et utriusque sexus personis Ordinum Mendicantium et non Mendicantium existentibus concessorum concesserunt, aut iam concessa confirmarunt et approbarunt, prout in singulis concessionibus, declarationibus et litteris eorumdem praedecessorum expeditis plenius dicitur contineri.

Minister generalis et com-

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, illa quae saepius aposto-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

missarius generalis hoc idem a Sixto concedi postulant.

lica auctoritate praedicta munita existunt, maiorem obtineant roboris firmitatem, pro parte eorumdem Francisci et Thomae nobis fuit humiliter supplicatum ut praedictis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis et indultis pro illorum observantia, nostrae approbationis robur adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Praestat Pontifex.

§ 3. Nos igitur, qui omnium votis, praesertim illis, qui sub suavi Religionis iugo divinis laudibus et christianae religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati et commoditati consulitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, huiusmodi supplicationibus inclinati, quaecumque praemissa ac omnia et singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum communicationis et extensionis inter se et cum aliis Ordinibus Mendicantibus et non Mendicantibus eiusdem fratrum Minorum regularis Observantiae et S. Clarae et de Poenitentia tertio Ordinibus, etiam in congregatione, sub trium votorum substantialium professione, et eorumdem superiorum Ordinis Minorum regularis Observantiae huiusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum fratribus, monialibus, sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, necnon monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque in genere et in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, sub quacumque forma et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon omnibus et singulis in eis forsan contentis clausulis, decretis et declarationibus quibuscumque, ac singulas desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, et in eis contenta et inde secuta quaecumque, illorum omnium tenores et formas, datas, effectus et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, et in his essent inserta, pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia, in his omnibus, in quibus decretis concilii Tridentini non adversentur, approbamus et confirmamus ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere et firmiter observari.

Et alia privilegia Tertio Ordini de Poenitentia communicat.

§ 4. Necnon Ordinibus fratrum Minorum regularis Observantiae et S. Clarae, ac tertio de Poenitentia nuncupato, etiam in congregatione sub obedientia fratrum Minorum de Observantia huiusmodi degentibus superioribus, fratribus, monialibus et tertiariis nuncupatis sororibus, personis, monasteriis, domibus, ecclesiis et locis praedictis, etiam per modum communicationis et extensionis huiusmodi, suffragari, illisque frui, uti et gaudere, quando et quoties opus fuerit, posse et debere, in iudicio et extra, ac etiam in foro coscientiae, in omnibus et per omnia, ac si specialiter et expresse eisdem fratrum Minorum ac S. Clarae, et tertio de Poenitentia Ordinibus per nos concessa fuissent, decernimus, supplentes omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum, etiam de iuris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum forsan omissarum, et alios quoscumque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus Calaguritanensi et Leodiensi episcopis, et

Executores huiusce constitutionis deputat.

dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per easdem praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta quaecumque plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere, non permittentes quemquam desuper contra praesentium tenorem, sub quovis praetextu et causa, etiam defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet indebite molestari; quinimo quidquid in contrarium attentari vel fieri continget, omnia semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet et rebelles etiam per quoscumque, de quibus eis videbitur, censuras et poenas ecclesiasticas et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione quacumque postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Sicque iudicari praecipit.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, ac S. R. E. cardinales, necnon Sacri Palatii Apostolici causarum auditores, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii PP. VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis praesentium vigore ad iudicium non trahatur; aliisque apostolicis constitutionibus, ac provincialibus et capitularibus statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam in forma brevis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio ac scientia et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, etiam privilegiorum eorum revocativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quod in eis caveatur expresse quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et forma, derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, motu, scientia et auctoritate similibus derogamus. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis danda.

§ 8. Verum, quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die III octob. MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 oct. 1587, pontif. anno III.

CVI.

Approbatio congregationis fratrum Minorum Conventualium reformatorum S. Francisci, cum habitus designatione et privilegiorum communicatione [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Apostolici muneris sollicitudo, divina dispensatione, nobis licet immerentibus, delegata, indesinenter requirit ut circa statum religiosarum personarum quarumlibet, illarum praesertim quae ex singulari devotionis fervore sub strictiori Religionis iugo gratum Deo famulatum praestare affectant et continuo insistunt, assidua mentis cogitatione invigilantes, ad ea, per quae regularis vitae institutum in melius dirigatur, ipsaeque personae religiosae in huiusmodi earum laudabili instituto, remoto quocumque perturbationis et molestiae obstaculo, quiete ac tranquillitatis amoenitate perseverare valeant, propensius intendamus, ac in his officii nostri partes libenter interponamus, prout undique, debite pensatis circumstantiis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius concessionis. § 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum Minorum conventualium Reformatorum S. Francisci petitio continebat quod, annis iam pluribus retroactis, nonnulli Ordinem fratrum Minorum S. Francisci, iam tunc expresse professi, strictioris Religionis iugum subire, ac eiusdem S. Francisci Regulam institutumque pium ac sanctum exactius sequi atque imitari, et sub illis magis gratum Deo famulatum exhibere peroptantes, coeperunt seipsos iuxta eamdem Regulam paulatim reformare, nonnullasque domos, conventus et loca in provincia Marchiae Anconitanae, in Hetruria, ac in Neapolitano et Siciliae regnis, in quibus ipsam Regulam servare, et secundum illam vivere possent, acquisiverunt et acceptarunt. Licet autem in domibus et locis huiusmodi, sub obedientia protectoris et superiorum Ordinis fratrum Minorum Conventualium huiusmodi vivant, nec ideo ab aliquo potuissent nec possint vel debuissent aut debeant super sic reformato vivendi modo per quemquam molestari vel impediri; nihilominus in quibusdam locis, et potissimum in praedicto Siciliae regno, aliqui locorum ordinarii, sub praetextu quod haec fratrum Reformatorum congregatio nova ac nequaquam ab Apostolica Sede approbata existeret, permiserunt quidem ipsos fratres Reformatos ecclesias et loca fabricari facere et acquirere, sed postea eos illis de facto spoliarunt; alii vero in aliis locis eosdem super habitu ipsorum et seu aliis ac super aliis molestarunt et inquietarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dicti fratres Reformati provide, et ne ipsos eorumque congregationem super praemissis contingat ulterius inquietari, utque praesens reformatio magis stabilita, non solum manuteneatur, sed incrementum accipiat, speciali nostro et Sedis praedictae privilegio, ut infra, dilectis filiis protectore et magistro generali dicti Ordinis in hoc etiam consentientibus, praefulciri desiderent, ac pro parte eorumdem fratrum Reformatorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in praemissis opportune providere, ac eos in huiusmodi pio et laudabili proposito confovere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos igitur, qui personas devotas, praesertim vero eas quae, relicto mundo, Christum secutae sunt, specialibus libenter prosequimur favoribus, eosdem fratres Reformatos ac illorum singulos a Confirmatio Ordinis fratrum Conventualium Reformatorum eorumque reformationis.

[1] De toto autem Ordine Franciscano plene notavi in constit. LXVII Honorii III, *Solet*, tom. III, pag. 394.

quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, reformationem praedictam ubicumque locorum coeptam et introductam ac in dies introducendam, ac pro ea et illius felici et prospera directione facta, statuta et ordinationes, cum inde secutis quibuscumque, sicuti pie ac sancte sancita et ordinata sunt, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illaque omnia per quoscumque locorum ordinarios et alios, ad quos quomodolibet spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari debere decernimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum, etiam substantialium, defectus, siqui forsan quomodolibet intervenerint in eisdem aut eorum aliquo, de plenitudine apostolicae potestatis, supplemus.

Reformati sub obedientia protectoris generalis procuratorisque et provincialium existant.

§ 3. Et nihilominus eisdem fratribus Reformatis, quod nunc ac deinceps in perpetuum ipsi ac eorum congregatio, tam in praedictis quam quibusvis aliis regnis et mundi partibus, fratres Minores Conventuales Reformati nuncupari et pro talibus haberi et reputari, necnon seipsos ita ubilibet et in quibusvis actibus publicis et privatis vocare et inscribere, et secundum veram beati Francisci Regulam, apostolico more in communi, sub dilectorum filiorum nunc et pro tempore existentium dicti Ordinis fratrum Minorum Conventualium protectorum et magistrorum ac procuratorum generalium et ministrorum provincialium vivere, exceptis dumtaxat domibus et conventibus urbis et civitatis Neapolitanae, quae sub obedientia ministri, et in eius absentia, procuratoris generalis Ordinis, ut par est, degere et subesse tantum intelligantur.

Custodis provinciae residentia

§ 4. Custodesque provinciae in eis residere debeant, etiamsi aliqui eremiticam, aliqui sub obedientia fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, alii vero tamquam Tertiarii aut alias aliam vitam duxerint, seque voto vitae quadragesimalis obligaverint, ac etiamsi postea aboliti fuerint; a quibus omnibus votis et professionibus, quatenus opus sit, eos et illorum singulos plenarie absolvimus et liberamus ac habilitamus, plenarieque absolutos et habilitatos esse decernimus.

Reformati in capitulis conventualium intersint, faciantque congregationis vocalium etc.

§ 5. Ac quod quicumque ipsorum fratrum Reformatorum vocati, in quacumque provincia, capitulo seu congregatione provinciali dicti Ordinis fratrum Conventualium intersint, in quo particularis fiat congregatio diversorum vocalium Reformatorum, et in ea praesidens ipsius capituli existat ac praesideat, ibidemque custodem Reformatum inter ipsos eligat.

Custodis officium et auctoritas.

§ 6. Cuius officium per annum tantum duret, quique visitandi, corrigendi, incarcerandi, puniendi, privandi, collocandi et deponendi sive dislocandi, necnon reformandi ac primas causas cognoscendi, sicut cognoscit provincialis, dummodo ab ipso provinciali non praeveniatur, et ab ipso eiusque decretis ac sententiis ad ipsum provincialem Conventualium relinquatur recursus et appellatio, qui vel quae numquam impediri queat, quoties opportunum fuerit, sed tantum in eos possit provincialis praedictus, quantum in Conventuales, de iure, more laudabilique consuetudine potest et debet.

Privilegiis, etc. Conventualium, ipsi reformati potiantur.

§ 7. Et insuper eorumdem fratrum Reformatorum quilibet, necnon quaecumque domus, ecclesiae et loca ipsorum omnibus et singulis privilegiis, immuni-

tatibus, exemptionibus, praerogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, stationibus ceterisque gratiis, tam temporalibus quam spiritualibus, quibus domus et ecclesiae dictorum fratrum conventualium, eorumque guardiani et fratres de iure, usu et consuetudine vel privilegio aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter et sine differentia, dummodo contra puritatem Regulae eiusdem beati Francisci non sint, nec ei in aliquo derogent, sed conservationem et augmentum dictae reformationis concernant, uti, frui, potiri et gaudere possint in quolibet actu.

Syndicum pro saecularibus negociis agendis Reformati deputare possent, et habitum hic designatum deferant.

§ 8. Concedimus itidem ut in quolibet eorum conventu seu domo syndicum, iuxta ordinationem felicis recordationis Nicolai Papae III, praedecessoris nostri, super hoc factam, cui per provincialem, custodem ac guardianum loci, cum aliis fratribus, negocia saecularia domus seu conventus, ac computa rationum revidenda, expensae faciendae, provisiones necessariae pro alimentis et vestimentis, et constructiones, reparationes conventuum, ne commutent habitum, etiam quantumvis rudem vilium pannorum, sive novum sive veterem, ac de saccis, etiam repetiatum et resarcitum, non enim habitus exquisitus in qualitate vel quantitate decet fratrem Reformatum, coloris terrei seu cineritii, ac caputium seu scapularium in capite rotundum et a tunica divisum gestare ac ubilibet deferre, nudisque pedibus aut suppositis solis, sive, ut vocant, sandaliis, incedere libere et licite valeant, ac etiam debeant.

Super conventibus receptis et recipiendis dictique habitus delatione aliisque praemissis molestari nequeant.

§ 9. Necnon quod ab ordinariis locorum quorumcumque regnorum et mundi partium, in quibus pro tempore domus seu conventus et loca habuerint, ac introducti fuerint, aut etiam quibuscumque aliis personis, superioribus et praelatis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, in hac super tam iam fabricatis ac receptis, quam deinceps quandocumque et ubicumque, de ordinariorum locorum licentia, fabricandis, recipiendis et acceptandis, per eos ac eis oblatis et donatis domibus, conventibus, ecclesiis ac locis, illorumque usu, habitatione ac retentione liberis, quietis et pacificis (dummodo tamen de licentia expressa ministri generalis pro tempore existentis dictorum fratrum Conventualium, ac capitulo provinciali sic determinante) domos et loca huiusmodi receperint et acceptaverint, habitusque delatione et aliis praemissis quovis modo aut quaesito colore, publice vel occulte, directe vel indirecte, ullatenus umquam molestari, perturbari vel inquietari.

Fratres conventuales de eorum generalis licentia, alios vero nequaquam recipiant iuxta const. Pii V.

§ 10. Neque item ipsi fratres Reformati aliquos alios fratres alterius cuiuscumque Ordinis Sancti Francisci de Observantia, ac Cappucinorum, aut aliorum Ordinum, iuxta litteras felicis recordationis Pii Papae V, etiam praedecessoris nostri, in forma brevis, sub die prima decembris millesimi quingentesimi sexagesimi noni, pontificatus sui anno quarto, emanatas, sed tantum Conventuales, et cum expressa ad hoc habita ministri generalis ipsorum Conventualium licentia, recipere, minusque sic inter Reformatos ex Conventualibus recepti, professionem alio tempore, vel anticipato vel non completo anno, vel ante annum sextumdecimum, vel datis vel intimatis terminis professionis faciendae, et hoc etiam in publica ecclesia, capitulo vel refectorio, prout ipsi Conventuales emittunt, ac nonnisi iuxta veram et puram Regulam beati Francisci praedictam emittere, neque postquam ad Reformatos ex Conventualibus sic transiverint, ad dictos Conventuales inde reverti; quin etiam praedicti fratres

Reformati ex saecularibus nullos, nisi qui bonae vitae et famae, priusquam in ipsa congregatione Reformatorum recipiantur, probati fuerint, ac habita prius a provinciali dictorum fratrum Conventualium licentia, quam nec guardiani, custodes vel commissarii quicumque dare possint, in fratres Reformatos recipere queant.

Cum Conventualibus ad processiones incedant, ab illisque se numquam separare, nec alios protectores, vel provinc. quam conventual. habere possint.

§ 11. Demum quod ipsi fratres Reformati et eorum congregatio, dictis fratribus Conventualibus ac cum illis ita uniti sint et esse censeantur, ut nullo umquam tempore liceat illis alios protectores generales vel provinciales quam dictorum Conventualium habere, nec in processionibus et aliis actibus aliam quam Conventualium crucem sequi vel deferre, nisi forte ipsi fratres Reformati in aliquo loco fuerint, in quo non adsunt Conventuales, quo casu iidem Reformati per seipsos ire ac incedere, sub excommunicationis poena, sese a conventualibus umquam separare aut segregare ullo modo ullove tempore valeant.

Haec constitutio Reformatis sub Conventualium o'edientia viventibus solummodo suffragatur.

§ 12. Praesentes quoque et desuper conficiendae litterae toti et soli congregationi Reformatorum, sub obedientia Conventualium in omnibus provinciis viventium, suffragentur ac concessae intelligantur, illaeque per quoscumque uniformiter, etiamsi aliqui hactenus in quacumque provincia privilegium aliquod aut facultatem particularem a nobis et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet impetrarint, observari debeant, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, concedimus et indulgemus.

Clausulae praeservativae.

§ 13. Ac etiam statuimus et ordinamus easdem praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis vel quovis alio defectu notari vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi vel retractari nullatenus umquam posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque effectus sortiri debere. Neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque litteras vel constitutiones apostolicas seu Cancellariae Apostolicae regulas, etiam per nos et successores nostros praedictos, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de praedictae potestatis plenitudine ac consistorialiter, necnon sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis pro tempore factis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, necnon quoties illas revocari vel limitari aut suspendi seu eis derogari contigerit, toties in pristinum statum, etiam sub data priori, restitutas et plenarie reintegratas et de novo concessas esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 14. Sicque etiam per quoscumque iudices, commissarios et delegatos, ac causarum Palatii Apostolici auditores et S.R.E. cardinales, necnon quosvis alios ecclesiarum praelatos ac iudices, tam ecclesiasticos quam saeculares, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu simili ac alias quomodolibet concessis,

approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in eis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium copiis sive transumptis, etiam impressis, et manu alicuius superioris dictorum fratrum Reformatorum subscriptis, plenaria ubique fides adhibeantur, in iudicio et extra, ac si originaliter exhiberentur.

Sanctio poenalis. § 16. Nulli ergo omnino hominum, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, idibus octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 15 octob. 1587, pontif. an. III.

CVII.

Quod tam professores Ordinis S. Hieronymi oppidi de Escurial *nullius dioecesis, provinciae Toletanae quam etiam saeculares, clerici ac laici, qui in collegio eorumdem fratrum theologiae et philosophiae operam dederint, postquam cursus studiorum perfecerint, et de hoc fidem obtinuerint, possint recipi et admitti ad quoscumque gradus magisterii et doctoratus in quacumque Universitate Studiorum generalium in regnis Hispaniae.*

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. Dum suaves atque uberes fructus quos in agro Domini viri litterarum maxime sacrarum et philosophiae scientia praediti assidue producunt, animo contemplamur, in eam curam libenter incumbimus, ut in quibuscumque christiani orbis partibus, praesertim vero sub religiosorum disciplina ii, qui in huiusmodi studiis progressus faciunt, congruis honoribus et privilegiis decorentur.

Causae concedendi privilegii. § 1. Exponi siquidem nobis curavit carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod in collegio fratrum Ordinis S. Hieronymi iuxta monasterium S. Laurentii *el Real* nuncupati eiusdem Ordinis, prope et extra muros oppidi *de Escurial* nullius dioecesis provinciae Toletanae ab ipso rege fundato et dotato, ita, iuvante Domino, vigent et florent in dies magis bonarum artium et praesertim philosophiae et theologiae studio, atque ea diligentia et assiduitate multi eximia doctrina et singulari eruditione praestantissimi viri, non secus atque Universitatum Studiorum generalium publici lectores easdem facultates profitentur, ut iam non solum fratres dicti Ordinis, sed aliarum etiam quarumcumque personarum frequens concursus ad capessendas praedictas disciplinas eo libenter accedant. Quare idem rex, monasterii et collegii praedictorum fundator et patronus, nobis humiliter supplicavit ut studiosis, qui illuc confluunt, ne post absolutos inibi studiorum cursus et labores debitis et consuetis honoribus et praerogativis defraudati remaneant, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio privilegii, de qua in rubrica. § 2. Nos itaque, eiusdem regis precibus inclinati, universis et singulis, tam dicti Ordinis professoribus quam etiam saecularibus, clericis vel laicis, qui in praedicto collegio huiusmodi facultatibus operam dederint, earumque professores audierint, si et postquam more solito cursus studiorum perfecerint, et de hoc fidem

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

obtinuerint, quod in quacumque Universitate Studiorum generalium in regnis Hispaniarum consistentium gradibus baccalaureatus, licentiaturae, magisterii seu doctoratus, tam artium quam theologiae, prout eorum quisque, perfecto cursu, ac praevio consueto examine, idoneus repertus fuerit, perinde ac si eosdem studiorum cursus actu in ipsa Universitate absolvissent, et in matricula scholasticorum eius Universitatis descripti fuissent, insigniri, et ad huiusmodi gradus recipi et admitti; et postquam graduati fuerint, omnibus et quibuscumque privilegiis, indultis, immunitatibus, praeeminentiis, praerogativis, antelationibus, honoribus, insignibus, facultatibus et gratiis, quibus alii graduati, qui in ea Universitate studuerunt, de iure, consuetudine vel alias utuntur, potiuntur et gaudent, sive uti, potiri et gaudere quomodolibet poterunt in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, ac sine ulla prorsus distinctione aut differentia, in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Locorum Ordinarii data commissio pro executione.

§ 3. Mandamus vero cunctis et singulis locorum ordinariis, necnon quibusvis dictarum Universitatum rectoribus, superioribus et personis, ceterisque, ad quos spectat, ut dictas personas saeculares vel Regulares, quae sub disciplina professorum collegii praedicti debito tempore, et ut moris est, in praedictis facultatibus respective operam dederint, quique, ut praefertur, idonei reperti fuerint, ad gradus praedictos, sine ulla controversia, recipiant et admittant, recipique et admitti et illis insigniri, ac praesentibus litteris et in eis contentis omnibus superius expressis pacifice frui et gaudere faciant.

Clausulae irritantes.

§ 4. Decernentes sic per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Apostolici causarum auditores, seu S.R.E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogationes.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quarumcumque Universitatum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis eisdem Universitatibus, earumque scholasticis graduatis, doctoribus et professoribus quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice et ad effectum praesentium dumtaxat derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI octobris MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 31 octobr. 1587, pontif. anno III.

CVIII.

De decies alteris centenis millibus nummum aureorum in Arce Sancti Angeli sepositis, nullo umquam tempore, nisi in praescriptis casibus, certaque desuper servata forma, depromendis [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Anno superiore decies centena millia

[1] Alia centena millia hic idem Pontifex pro S. R. E. praesidio in primo anno sui pontificatus collegit, et in eadem arce reposuit, indeque promi vetuit, ut supra in eius const. XLIII, *Ad clarum*, pag. 693.

Hic Pontifex anno primo reposuit in arce S. Angeli centena millia, ut in constitutione hic indicata,

nummum aureorum in Pontificia Sancti Angeli arce et certo sanctiori aerario reposuimus et collocavimus, ac de illis asservandis, ac numquam, nisi certis praescriptis casibus, promendis et erogandis, constitutionem perpetuo valituram edidimus, cuius tenor infra descriptus est [1].

Et deinde alia centena millia collegit, et modo in eadem arce similiter reponit, cum eisdem prohibitionibus legibus et conditionibus in dic. constitutione contentis,

§ 1. Verum, cum ob culpas peccataque nostra multiplicia, quibus divinam Maiestatem in dies magis ad iracundiam provocamus, usque eo necessitates superius enarratae multiplicentur, periculaque gregi Dominico impendentia adaugeantur, ut illis nec dum prioris pecuniae collectione satis provisum esse videatur; nos, quamvis in omnibus difficultatibus curisque nostris in Dei omnipotentis auxilio spem nostram fixam habeamus, ad illiusque opem (qui nisi custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam) ex intimo cordis affectu confugiamus, tamen ab eo ipso pastorum principe Christo frequenter admoniti, ut pro ovibus nostrae fidei creditis, earumque salute et utilitate, modis omnibus vigilemus, facere non possumus, pro nostro pastorali munere in hac quoque parte obeundo, quin humanis etiam consiliis ac viribus (ut pro eo ac nobis ab eodem clementissimo Domino elargitum est) ad tot mala periculaque propulsanda, nova quotidie præsidia comparemus. Quamobrem alia decies centena millia aureorum nummum, non ad nostra aut cuiusque nostrorum privata commoda, sed ad publicum bonum, ad S.R.E., cui Deo auctore praesidemus, defensionem, ad fidei catholicae conservationem ac propagationem, nostra sedulitate ac frugalitate collegimus, quae eadem in arce, ut priora altera decies centena millia, reponi, asservari, nec inde amoveri erogarive, nisi in supradictis expressis necessitatibus, eodem plane modo volumus. Motu proprio igitur et ex certa nostra scientia, ac habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus in consistorio nostro secreto matura deliberatione, de eorum consilio et unanimi consensu, hac praesenti nostra perpetuo valitura constitutione, dicta alia decies centena millia aureorum nummum in eadem arce nostra Pontificia Sancti Angeli et sanctiori aerario nunc recondimus, reponimus et collocamus, ac Christo Domino nostro, Beatae Mariae semper Virgini, et sanctis apostolis Petro et Paulo offerimus et dicamus, iisdem omnino legibus et conditionibus, quae in nostra superius descripta constitutione praescriptae et praefinitae sunt.

In casibus exceptis declarat comprehendi causam recuperationis regnorum occupatorum, et expeditio. contra S. R. E. hostes.

§ 2. Declarantes nostrae voluntatis mentisque esse ut quod in ipsa constitutione de recuperatione Terrae Sanctae et generali expeditione contra Turcas dictum fuit, idem etiam locum obtineat, quoad utramque Deo dicatam pecuniae summam, in recuperatione regnorum a quibuscumque catholicae Romanæ Ecclesiae hostibus occupatorum, et in expeditione, quam contra eosdem decerni ac fieri contigerit.

Formamque pecuniae in dictis casibus depromendi describit, et servari praecipit.

§ 3. Ubi vero in praescriptis casibus pecuniarum aliquid sumi necessitas postulaverit, volumus ut de tota summa, tam superiori anno quam etiam nunc reposita, hoc prorsus et non alio modo pecuniae sumantur et erogentur; nimirum, ut in consistorio secreto praescriptarum necessitatum qualitate ac rerum et temporum ratione diligenter perpensa, atque ita cogente, non duarum ex tribus partibus cardinalium, sicuti in priori constitutione nostra sancitum erat, sed trium saltem ex quatuor partibus cardinalium, qui consistorio interfuerint, consensu, decreto et subscriptione adhibitis, ex binis decies centenis millibus aureorum nummum a nobis repositis, non ultra

1 Omittitur tenor quia habetur supra pag. 693.

quartam partem, idest, non ultra quingenta millia nummum promi liceat, et ea quidem quingentorum millium summa, non tota simul, sed paulatim moderate et successive depromatur, per certas portiones, quae in eodem consistorio, in quo de tota re deliberabitur, a tribus partibus cardinalium, ut dictum est, omnibus diligenter examinatis, decretae et praefinitae fuerint. Quod si ipsis quingentis millibus erogatis et consumptis, praescripti casus et necessitates novam impensam requisierint, tunc iterum proposita et adhibita in consistorio consultatione, si consensus, decretum et subscriptio trium ex quatuor partibus cardinalium, ut supra dictum est, accesserint, aliam summam, non tamen quingenta millia aureorum excedentem, illamque pariter non statim totam, sed moderatione ea servata, eoque, quem diximus, modo limitatam et praefinitam sumi posse permittimus.

Et quamprimum reponi iubet.

§ 4. Ceterum statuimus, prout alia nostra constitutione ordinatum est, ut partes et portiones pecuniae supradictae, quae in aliquo ex praemissis casibus sumptae fuerint, cum eius impensae faciendae ratio cessaverit, omnino in aerarium, unde depromptae fuerunt, integre restitui ac reponi primo quoque tempore debeant.

Praedictaque se servaturum vovet, et sicut infrascripti cardinales praesentes idem promiserunt, ita ab aliis cardinalibus pro tempore promitti decernit.

§ 5. Has autem Deo dicatas pecunias, nullo umquam tempore, nisi aliqua ex iis quas diximus, necessitas urgeat et requirat, neque in totum neque ex aliqua parte amoveri, erogarive quovis modo a nobis posse volumus, eamque amovendi et erogandi potestatem et facultatem a nobis ipsis abdicamus. Idque successores nostros Romanos Pontifices, proposito sibi tremendo iudicio, in quo summo patrifamilias de administrata villicatione exquisita reddetur ratio, eodem plane modo facturos esse confidimus et speramus. Tandemque Deo per praesentes oblatam pecuniam, una cum illa priori, nos integram, ut dictum est, conservaturos esse; ac perinde omnino, ac res et bona Ecclesiae immobilia nos habituros promittimus, iuramus et vovemus, et sicuti omnes cardinales praesentes et infrascripti voverunt, promiserunt ac iurarunt, ita per alios cardinales nunc et pro tempore existentes, ac per successores nostros, quando et quoties superius ordinatum fuit, et iuxta formam nunc traditam, iurari, promitti ac voveri debere decernimus.

Cetera omnia in dicta constitutione contenta de novo praecipit.

§ 6. Denique cetera omnia et singula in eadem constitutione suprascripta quomodolibet expressa, constituta et decreta, etiam in hac pecunia a nobis, ut praefertur, nunc collata et recondita, et quo ad praesentes nostras litteras, in omnibus et per omnia, penitus, omnino et inviolabiliter observari et locum habere volumus, praecipimus et mandamus.

Successoribus in aliquo contravenientib. indicat post eorum obitum licere successoribus agere contra Pontificis contravenientis posteros et cardinales consentientes et eorum haeredes, ut hic, et in d. const. XLIII in fin. 1.

§ 7. Si quis autem fortasse nostrorum successorum, id quod minime credimus, huic nostrae constitutioni omnino aut aliqua ex parte derogare aut contra statuere voluerit, aut depromptam pecuniam, ut supra sancitum est, in idem aerarium non restituerit, admonemus, post derogantis aut contra statuentis contraque facientis obitum, liberum esse successoribus, ea derogatione et quibusvis aliis, quae contra statuta sunt, non obstantibus, pro pecunia contra huius constitutionis praescriptum sumpta ac deprompta, recuperanda, tam adversus Pontificis derogantis et contrafacientis posteros seu coniunctos omnes, quam adversus cardinales idem consentientes aut quoscumque eorum haeredes, quibus ab ipso Pontifice aut cardinalibus bona quovis titulo vel quavis ratione obvenerint, agere, et possessionem bonorum, quae ad ipsos

1 Adverte quod hic est aliquid immutatum a prima const.

posteros pervenerint, adipisci retinerique, donec quicquid pecuniae depromptum est, id omne in aerarium referatur et restituatur, eaque ipsa bona, si quo modo, ut supra dictum est, a forma per nos constituta recedi contigerit, huiusmodi obligationi atque oneri obnoxia et addicta esse volumus; singulis, quae in nostris litteris adversari possent vel quoquo modo obesse, penitus remotis ac non obstantibus.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reconditionis, repositionis, collocationis, oblationis, dicationis, declarationis, permissionis, statuti, voluntatum, abdicationis, promissionis, iuramenti, voti, decreti, praecepti, mandati et admonitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimoseptimo, octavo idus novembris, pontificatus nostri anno III.

Papae subscr.

† Ego SIXTUS catholicae Ecclesiae episcopus.

Cardinalium subscript.

† Ego Ant. card. Farnesius, vicecancellarius, Episcopus Ostiensis.

† Ego Iac. card. Sabellus, episcopus Portuensis.

† Ego Io. Antonius episcopus Tuscul. cardin. S. Georgii.

† Ego Alphons. card. Gesualdus, episcopus Albanen.

† Ego Inn. Avalus card. de Aragona, episcopus. Sabinensis.

† Ego Marcus Ant. card. Columna, episcopus Praenestin.

† Ego Marcus Siticus card. ab Altaemps tit. S. Mariae Transtyberim.

† Ego Ptolomaeus card. Comensis, tituli S. Mariae de Populo.

† Ego Prosper card. Santacrucius, tituli S. Clementis.

† Ego Gabriel card. Paleottus, tit. S. Laurentii in Lucina.

† Ego frater Michael Bonellus card. Alexandrinus, tituli S. Mariae super Minervam.

† Ego Ludovicus Mandrutius. card., tit. S. Anastasiae

† Ego Nicolaus de Sens, tituli Sanctæ Praxaedis.

† Ego Iulius Antonius cardinalis Sanctae Severinae tituli Sancti Bartholomaei in Insula.

† Ego Hieronymus card. Rusticucius, tituli S. Susannae.

† Ego Ioannes Hieronymus cardinalis Alban., tituli Sancti Ioannis ante Portam Latinam.

† Ego P. card. Deza, tit. S. Hieronymi Illyricorum.

† Ego Ant. tit. Ss. Ioannis et Pauli cardin. Carafa.

† Ego Ioannes Antonius cardinalis Ss. Quatuor.

† Ego Ioannes Baptista card., tit. S. Marcelli.

† Ego Franciscus card. de Joyeuse, tituli S. Sylvestri.

† Ego Ant. Maria card. Salviatus, tit. S. Mariae de Pace.

† Ego Augustinus card. de Verona, tituli S. Marci.

† Ego Vincentius, tit. S. Mariae in Via card. Montis Regalis.

† Ego Philippus card. Spinola, tit. S. Sabinae.

† Ego Scipio card. Lancellottus, tit. S. Salvatoris in Lauro.

† Ego Vincentius card. Gonzaga, tit. sancti Alexii.

† Ego Henricus, tit. S. Pudentianae, card. Caietanus camerarius.

† Ego Ioannes Baptista cardinalis Castruccius, tituli Sanctae Mariae in Aracoeli.

† Ego Federicus cardinalis Cornelius, tituli Sancti Stephani in Monte Coelio.

† Ego Dominicus, tit. S. Laurentii, card. Pinellus.

† Ego Hippolytus card. Aldobrandinus, tituli Sancti Pancratii, maior poenitentiarius.

† Ego Hieronymus, tit. S. Petri ad Vincula, card. de Ruvere.

† Ego Franciscus Hieronymus cardinalis Ascul., tituli Sancti Thomae in Parione.

† Ego Franciscus Constantius cardinalis Sarnanus, tituli Sancti Petri in Monte Aureo.

† Ego Guillielmus Alanus, tituli Sancti Martini in Montibus, cardinalis Augustus.

† Ego Alexander card. Montaltus, diaconus S. Eustachii.

† Ego Hieronymus Matthaeius, Card. diaconus S. Mariae in Cosmedin.

† Ego Benedictus S. Agathae diac. cardinalis Iustinianus.

† Ego Ascanius Ss. Viti et Modesti et Crescentiae diaconus, cardinalis Columna.

Dat. die 6 novemb. 1587, pontif. anno III.

CIX.

Indulgetur fratribus et monialibus Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, recitandi officium iuxta breviarum pro dicto Ordine a cardinalibus deputatis approbatum [1].

Sixtus Papa V, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Piis regularium personarum votis, praesertim quae ad Divini cultus et devotionis augmentum pertinere dignoscuntur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Fratres huius Ordinis breviario Romano nonnulla particularia officia sibi petunt accommodari;

§ 1. Nuper siquidem cum pro parte dilecti filii magistri generalis Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum nobis expositum fuisset ipsum ac reliquos omnes eiusdem Ordinis fratres, qui secundum usum et morem Sanctae R. E. breviario Romano ex decreto concilii Tridentini restituto, ac felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, iussu edito, in recitandis horis canonicis uti solent, pro eorum devotione valde cupere proprios quosdam festos dies sui Ordinis et nonnullos alios ex vetusta et laudabili consuetudine propriis officiis celebrare, eaque ipsa officia, quae antiquitus instituta habent, ad ritum et normam breviarii praedicti accommodari:

Ea nonnullis cardinalibus examinanda subdidit Pontifex.

§ 2. Nos, dilectis filiis nostris Iulio Antonio Sancti Bartholomaei in Insula Sanctae Severinae, et Vincentio, Sanctae Mariæ in Via, titulorum Montis Regalis nuncupatis presbyteris cardinalibus, vivae vocis oraculo dedimus in mandatis ut officia praedicta diligenter reviderent et examinarent.

Revisores ea ad dict. breviarium accommodarunt.

§ 3. Qui, postmodum convocatis nonnullis aliis piis et eruditis viris, omnibus illorum partibus sigillatim perspectis et accurate recognitis, quaedam detraxerunt, alia emendarunt, nonnulla addiderunt, ac ritui Romani breviarii maxime consentanea redegerunt.

Fratres itaque petunt confirmari;

§ 4. Quare pro parte praedicti magistri generalis nobis fuit humiliter supplicatum ut illa, sic correcta et emendata, auctoritate nostra comprobare, illorumque usum eis concedere de benignitate apostolica dignaremur:

Approbat Sixtus.

§ 5. Nos, huiusmodi precibus inclinati, tam eidem magistro quam universis et singulis aliis fratribus et monialibus dicti

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Ordinis pro tempore existentibus, ut in quibusvis domibus et monasteriis, collegiis et locis eiusdem Ordinis, tam publice quam privatim, in choro et extra chorum, coniunctim vel divisim, diebus huiusmodi sic, ut praefertur, designatis, propriis officiis praedictis sic correctis et emendatis uti, illaque imprimi facere et divulgare; necnon secundum eorum tenorem horas canonicas diurnas et nocturnas recitare, et officia ipsa sic recitando obligationi plene satisfacere libere et licite valeant, ita ut eisdem diebus ad recitandum aliud officium iuxta Romani breviarii regulas vel antiquum praedicti Ordinis usum et morem minime teneantur, dummodo tamen modum et formam praescriptos in libello per dictos cardinales de mandato nostro reviso, correcto et emendato, cuius kalendarium inferius describi mandavimus, ad unguem observent, ac nihil penitus addant vel diminuant, plenam et liberam licentiam et facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus dicti Pii praedecessoris super reformatione et approbatione breviarii Romani, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in generalibus, provincialibus vel synodalibus conciliis editis, praedictique Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, quodque huiusmodi dies festi in novissimo kalendario Romano descripti non sint, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Kalendarium festorum dierum et officiorum Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum.

DECEMBER.

Die 18. Expectatio Beatae Mariae Virginis, duplex.

IANUARIUS.

Die 14. Sanctissimi Nominis Iesu, duplex.

Die 17. S. Antonii Abbatis, duplex cum octava.

Die 23. S. Ildefonsi episcopi et confessoris, duplex.

FEBRUARIUS.

Die 12. S. Eulaliae virg. et mart., duplex cum octava.

MARTIUS.

Die 20. S. Ioachim Patris B. M. Virginis, duplex.

Die 24. Sanctæ Gabrielis arcangeli, duplex.

APRILIS.

Die 25. Boni Latronis, duplex.

IULIUS.

Die 16. Triumphus Sanctae Crucis, duplex.

Die 18. Sanctae Margaritae V. et martyris duplex.

Die 25. Sancti Iacobi Apostoli praecipui Hispaniarum patroni, duplex cum octava.

AUGUSTUS.

Die 28. Sancti Augustini episcopi, confessoris et Ecclesiae doctoris, duplex cum octava.

SEPTEMBER.

Die 18. Sanctis Raphaelis arcangeli, duplex.

NOVEMBER.

Die 10. Passio Imaginis Domini nostri Iesu Christi, duplex.

Die 21. Praesentatio Beatae Mariae Virginis, duplex.

Dat. die 10 novemb. 1587, pontif. anno III.

CX.

Indulta et gratiae Congregationis monachorum Beatae Mariae Fulliensis, Ordinis Cisterciensis Sancti Benedicti strictioris observantiae [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Super specula militantis Ecclesiae, Domino disponente, qui cunctis imperat cuique omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis, constituti, salutis operibus intenti, de his continua sollicitudine excogitamus, per quae nostrae propitiationis auxilio iis, qui monasticam vitam susceperunt, eamque reformant, salus proveniat. Et ut ad diversa loca eorum institutio et regularis disciplinae observantia propagetur, alia loca erigi et institui concedimus, prout regum et principum christianorum vota exposcunt, et nos conspicimus in Domino salubriter expedire.

Hic Pontifex confirmavit strictiorem monasticae vitae normam in monasterio S. Mariae Fullien. institutam, ut in Con. XLIV cit. in nota ad rubricam.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii Beatae Mariae de Fulliens, Cisterciensis Ordinis, Riven. dioecesis, nobis nuper exhibita petitio continebat quod alias, postquam accepimus, in dicto monasterio institutionem et disciplinam monasticam in longe meliorem formam restituerant, ipsique in laboribus, ieiuniis, orationibus, carnis maceratione et mortificatione aliisque poenitentialibus operibus strictiorem aliis monachis dicti Ordinis Regulam Sancti Benedicti observabant; necnon ritus, mores, vitae normam et reformationem ad arctiorem regularis disciplinae observantiam in dicto monasterio introductam, reduxerant, nos ritus, mores, vitae normam et reformationem huiusmodi, dummodo sacris canonibus et concilii Tridentini decretis, et Sancti Benedicti Regulae, auctoritate apostolica approbatae, contraria non essent, dicta auctoritate confirmavimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur.

Hanc vero strictiorem observantiam ad universum Galliae regnum extendi postulatur.

§ 2. Cum autem, divino inspirante Numine, iam centum et quadraginta monachi ipsam reformatam Regulam professi, multi vero in eodem monasterio novitii existant; carissimusque in Christo filius noster Henricus Francorum rex christianissimus, ac dilectus filius nobilis vir Henricus dux de Retz, aliique pii ac probi viri, gratum huius vitae odorem sentientes, hoc vetustum vivendi genus et laudabilem regularis disciplinae observantiam per universum Galliae regnum, illiusque loca et terras, spargi atque effundi summopere peroptent. Quia tamen (sicut eadem petitio subiungebat) istius arctioris Regulae approbatio citra praefatum monasterium nequaquam extenditur, praedicti abbas et conventus, piis praedictorum regis et ducis ac proborum virorum votis hac in parte satisfacere non possunt, nisi nostra et Sedis Apostolicae licentia eis desuper suffragetur. Quare pro parte abbatis et conventus praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus praedictae Religionis reformatae propagationi, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Quam idem Pontifex nunc concedit, cum facultate nova aedificandi monasteria etiam absque licentia ordinariorum ubique locorum.

§ 3. Nos igitur, eumdem abbatem et conventum huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huius-

[1] Hic idem Pontifex istam congregationem primo approbavit ut sup. in const. XLIV, *Religiosos*, pag. 700.

modi supplicationibus inclinati, abbati et conventui praedictis, ut quoscumque ex monachis ipsam strictiorem Regulam professis, quos duxerint eligendos et deputandos, tam ad hoc per totum Galliae praedictum, quam alia regna et respublicas mundique partes universas, prout eis visum fuerit, mittere. Ipsique sic missi in regnis, rebuspublicis et dominiis prædictis, ac quibuscumque eorum civitatibus, terris atque locis, aliisque mundi partibus, quaecumque, tam virorum quam mulierum monasteria, prioratus, praeposituras et decanatus ac alia nuncupanda loca congregationis Fulliensis etiam nuncupandae, eiusdem Cisterciensis Ordinis, pro totidem abbatibus, abbatissis, prioribus, praepositis, decanis, conventibus et aliis superioribus et personis eiusdem congregationis, qui inibi divinis laudibus et obsequiis insistere, ac iuxta regularia congregationis sic reformatae instituta vivere debeant, fundare, erigere et instituere, ac etiam per alios eiusdem vel alterius cuiuscumque Ordinis fundata et erecta, ex eorum, ad quos spectat et spectabit, concessione, dioecesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita nec expectata.

Novitiosque recipiendi.

§ 4. Novitiosque in eis recipere et receptos ac ipsa monasteria ingressos, probationis tempore completo, ad professionem solitam, per dictos monachos emitti solitam, admittere regularem, ac illud vitae genus regulariaque instituta, quae in primo dicto monasterio vigent et in futurum vigebunt, inibi introducere libere et licite possint et valeant, licentiam et omnimodam facultatem atque auctoritatem, dicta auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Privilegia, exemptiones et gratias Cisterciensis Ordinis huic congregationi communicat atque concedit.

§ 5. Necnon praedicto de Fulliens et quibusvis aliis dictae congregationis pro tempore erigendis et seu iam erectis monasteriis, prioratibus, praeposituris, decanatibus et aliis nuncupandis locis, tam virorum quam mulierum, illorumque superioribus, abbatibus, abbatissis, prioribus, praepositis, decanis, monacis, monialibus, novitiis et conversis aliisque quibuscumque personis utriusque sexus, in eis pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praerogativis, concessionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis, etiam plenariis, et peccatorum remissionibus, relaxationibus, ceterisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus praedicto Ordini ac congregationibus sub illo institutis, eorumque monasteriis et locis pariter utriusque sexus per universum mundum constitutis et erectis, ac constituendis et erigendis, in genere vel in specie, etiam per solam signaturam et vivae vocis oraculo, ac per modum communicationis et extensionis, etiam motu proprio et ex certa scientia, et apostolicae potestatis plenitudine, vel alias quomodolibet, tam per nos quam quoscumque alios Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac Sedem Apostolicam, sub quacumque forma et expressione verborum concessis ac concedendis quomodolibet in futurum, etiamsi talia sint et forent quae specialem ipsorum requirerent mentionem, uti, potiri et gaudere libere et licite, tam coniunctim quam divisim, valeant, non solum ad instar, sed aeque principaliter et pariformiter in omnibus et per omnia, perinde ac si illis et eorum cuilibet ab initio specialiter et expresse concessa extitissent, auctoritate et tenore praemissis, perpetuo indulgemus; ipsaque privilegia, indulgentias et gratias quibusvis aliis superioribus, abbatibus, prioribus, monasteriis, ecclesiis et locis piis, ac celebrandis capitulis et festivitatibus eiusdem Ordinis et singularum illius congregationum, ad monasterium et congregationem de Fulliens hu-

iusmodi, illorumque abbates, priores, monachos, abbatissas, moniales et alios superiores et personas, necnon ecclesias, monasteria, capitula celebranda, sanctorum festivitates et loca quaecumque et qualiacumque, ac ex superioribus et personis ad superiores et personas perpetuo extendimus, illisque communicamus, ac de novo concedimus, et eis desuper indulgemus.

Et desuper quoquo modo molestari prohibet.

§ 6. Decernentes abbatem et conventus huiusmodi singulares personas super praemissis a quoquam, quavis auctoritate fungente et dignitate praefulgente, molestari, impediri vel inquietari nullatenus posse, irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, de indulgentiis ad instar non concedendis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus; necnon monasteriorum et Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem monasteriis et Ordini, illorumque superioribus et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter et alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum *etc.* Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, idibus novembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 nov. 1587, pontif. anno III.

CXI.

Confirmatio statutorum monasterii seu collegii Sancti Laurentii el Real *provinciae Toletanae Ordinis Sancti Hieronymi* [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex debito pastoralis officii nobis a Domino iniuncti, auctoritatem nostram libenter interponimus ut religiosa loca insignia dignis et idoneis superioribus gubernanda committantur, eorumque electiones, omni fraude et ambitione cessante, canonice et rite celebrentur, praesertim cum id a nobis catholicorum regum, a quibus huiusmodi loca pietatis causa fundata sunt, honestis votis enixe postuletur.

Philippus rex in hoc collegio a se fundato sequentia statuta praecipit observari.

§ 1. Quare, ut celebre monasterium S. Laurentii *el Real* nuncupatum, Ordinis S. Hieronymi, prope et extra muros oppidi *de Escurial*, nullius dioecesis, a carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico pia et magnifica impensa fundatum, constructum et dotatum, et illi annexum collegium idonearum personarum regimini creditum, maiora quotidie in spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementa, quique inibi Altissimo famulantur, religiose divinis obsequiis pacifice et quiete insistant, neque ullae factiones et contensiones aut ambitiones inter eos excitentur; idem Philippus rex fundator et patronus, habita

[1] Ex Regest in Secret. Brevium.

super hoc matura consultatione, decrevit circa electionem prioris et ceterorum officialium praedicti monasterii haec, quae inferius descripta sunt, capitula et ordinationes observanda esse.

Prioris electio in capitulo generali Ordinis facienda.

§ 2. Primum quidem quod electio prioris dicti monasterii in capitulo generali eiusdem Ordinis, tertio quoque anno, celebrari solita, per generalem, priorem et octo diffinitores fieri debeat, eadem illa forma servata quae in eligendis prioribus novarum domorum dicti Ordinis servatur: intra ipsum vero monasterium S. Laurentii electionem prioris eius monasterii celebrari nequaquam liceat, ita ut monasterium praedictum quoad hoc de numero domorum novarum esse censeatur; et haec forma eligendi, neque etiam statutum totius Ordinis immutari, neque alterari quoquomodo valeat.

A quibus sit facienda.

§ 3. Porro in electione prioris saltem consensus maioris partis novem suffragiorum seu vocum praedictarum necessario requiratur; quod si diffinitorum numerus in posterum augebitur, eorum unusquisque in huiusmodi electione votum habeat, et semper maioris partis consensus attendatur. Si is, qui prioris munere in dicto monasterio functus fuerit, sub fine sui officii in diffinitorum numerum relatus erit, possit nihilominus vocem in electione futuri prioris habere, non tamen se ipsum eligere.

Quo casu praecedens prior ad alterum triennium tantum confirmari possit.

§ 4. Quinimmo, nisi post intermissum alterum triennium a die finiti officii numerandum, iterum eligi in priorem non possit, praeterquam si duarum saltem ex tribus partibus eligentium vota iterum eumdem eligerent; tunc enim ad alterum triennium, et sic ad sexennium in totum, ulterius vero nequaquam, prioris officium continuare possit.

Quae cautelae servandae sint in tali electione;

§ 5. Ubi autem aliquis non tamen prior, sed procurator aut frater dicti monasterii Sancti Laurentii ex numero eorum, qui professionem inibi emiserunt, seu prior vel procurator alterius domus inter diffinitores deputatus erit, tunc in eius arbitrio et libera voluntate positum sit, utrum malit, uti suffragio et cum ceteris votum suum dare in electione prioris praedicti monasterii, vel non dare, sed tamen non possit se ipsum eligere, et quamvis huiusmodi persona in electione suo suffragio non utatur, nihilominus futurus prior saltem quinque vota ex octo reliquis habere debeat, eademque ratio votorum habeatur, si eligentium numerum, ut praefertur, augeri contigerit.

Prior nonnisi de gremio monasterii assumendus.

§ 6. Quoniam vero fratres in dicto monasterio professi pleniorem notitiam habent omnium rerum ipsius monasterii et eorum quae pro bono illius regimine necessaria sunt, maiorem etiam gerunt ad ipsum monasterium devotionis et filialis benevolentiae affectum, et magis quodammodo obligati et devincti sunt ad referendam aliqua ex parte gratiam et ad ostendendum aliquod grati animi indicium erga idem monasterium, a quo tantum beneficium receperunt, quam alii qui in aliis domibus professionem emiserunt. His et aliis iustis de causis pro tempore futuris, prior dicti monasterii nonnisi ex numero fratrum, qui in eodem Sancti Laurentii monasterio professi erunt, eligi possit aut debeat, qui etiam de religionis zelo, litterarum scientia, vita exemplari et morum honestate sit maxime commendatus, cum et monasterium ipsum adeo insigne et primarium existat; ac praeter res ipsius monasterii, etiam collegium iuxta illud institutum ab eodem priore gubernetur.

Prior alicuius domus si fuerit electus, regimen alterius dimittat.

§ 7. Si quis ex prioribus alicuius alterius domus in priorem praedicti monasterii eligetur, eius domus, cui praeerit, regimen sine ulla mora aut exceptione dimittere, et statim dicti monasterii Sancti Laurentii curam et officium prioris acceptare et exercere teneatur, nisi forsan totius Ordinis generalis prior existeret.

Quae huiusmodi electioni sint praemittenda ad digniorem dignoscendum.

§ 8. Ceterum, ut huiusmodi electio rectius celebretur, prior generalis et diffinitores, antequam ipsum priorem dicti monasterii eligant, a visitatoribus generalibus, recepto iureiurando, diligenter inquirant, saepe informent, quinam sint inter fratres ipsius monasterii, qui, ut praefertur, qualificati prioris officio digni et ad illud idonei videantur, et num ex ipsa visitatione constet quempiam ipsorum ad huiusmodi officium inhabilem sive illius incapacem esse; facta electione iuxta formam supradictam, si electus in priorem capitulo generali praesens aderit, statim electio illi intimetur, ut electioni de persona sua facta consentiat, qui etiam invitus consensum praestare cogatur.

De confirmatoribus.

§ 9. Dimisso autem capitulo generali, ex numero eorum priorum seu procuratorum aliarum domorum, qui capitulo interfuerint, duo ab ipsis generali priore et diffinitoribus in confirmatores eligantur, qui debeant ad ipsum monasterium Sancti Laurentii personaliter accedere, atque inibi iuxta morem dicti Ordinis novum priorem confirmare et in possessionem inducere. Quod si electus prior in capitulo non aderit, nihilominus accedant confirmatores ad monasterium S. Laurentii praedictum, eumque citent ad comparendum personaliter et ad acceptandum munus prioris sibi iniunctum. Deinde vero ipsi confirmatores ad suas domos revertantur.

Quid agendum sit mortuo priore ante celebrationem capituli generalis.

§ 10. Praeterea, si contingat priorem monasterii praedicti ante finitum triennium sui officii ab humanis decedere, ne interim monasterium cum magno detrimento prioris regimine destitutum remaneat, liceat in hunc eventum generali priori totius Ordinis in privato capitulo iuxta formam praedictam novum priorem dicti monasterii eligere, atque in demortui prioris locum et tempus substituere, cuius suffecti prioris officium usque ad proximum generale capitulum duret, et tunc statim eius potestas et auctoritas expiret, et officium vacet, novaque electio secundum modum praedictum celebretur. Sed si prior subrogatus praedictus non ultra annum hoc munere functus erit, in eoque officio bene et laudabiliter se gesserit, pro sequenti triennio denuo eligi possit, neque electio in privato capitulo facta ei noceat vel aliquod impedimentum praestet.

Philippo regi data facultas priorem sibi benevisum deputandi.

§ 11. Liceat eidem Philippo regi, ipsius monasterii fundatori et patrono, quamdiu vixerit, nominare, tam in generali quam in privato capitulo praedictis, etiam aliquem alium fratrem eiusdem Ordinis non in dicto monasterio, sed alibi professum, vel aliquem, qui continuato sexennio officium prioris exercuerit, ipsi Philippo regi ob eius merita gratum et acceptum, qui, servata in reliquis forma superius descripta, etiam post continuatum sexennium nihilominus in priorem eligi valeat; post obitum autem dicti Philippi regis, conditiones supradictae perpetuo et inviolabiliter serventur.

De electione vicarii aliorumque officialium.

§ 12. Postremo electio vicarii et procuratorum principalium dicti monasterii S. Laurentii, ac pro abbatia *de Parazes* illi annexa, et pro administratione librorum novi officii, ita fieri debeat ut prior eiusdem monasterii nominet duos antiquiores fratres, professos ipsius monasterii, et dicti duo antiquiores nominati, intra decem dies singulas personas, magis idoneas magisque sufficientes, ad ea ministeria eligant, et tamen postea sit in potestate prioris, pro suo arbitratu, personas electas acceptare vel reiicere, prout est in potestate cuiuscumque prioris aliarum domorum, vicarios sibi assignatos admittere vel repellere.

Rex statuta Apost. auctoritate confirmari petit;

§ 13. Quae quidem capitula et ordinationes, ut perpetuis futuris temporibus inconcussa et inviolata permaneant, idem

Philippus rex, monasterii praedicti fundator et patronus, nobis humiliter supplicavit ut, illis confirmationis apostolicae robur adiicere, aliasque opportune providere de benignitate apostolica dignaremur:

Ea itaque confirmat Sixtus.

§ 14. Nos itaque, ipsius Philippi regis precibus inclinati, capitula et ordinationes, praedicta auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illaque praesentis scripti patrocinio communimus, necnon eis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; ac praemissa omnia et singula prout supra expressa sunt, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari debere volumus et mandamus, omnesque et quoscumque iuris et facti et solemnitatum, etiam substantialium, et in eis necessario requisitarum, defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Prioris electionem iuxta ea fieri mandat.

§ 15. Decernentes hanc formam electionis immutare aut alterare nemini licere, et quascumque electiones contra diffinitionem litterarum nostrarum praesentium pro tempore factas ac inde secuta quaecumque nullius roboris vel momenti esse.

Clausulae pro praesentium litterarum perpetua firmitate.

§ 16. Necnon praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio notari vel impugnari, aut ex eo quod de consensu dictorum superiorum et fratrum alias quam per simplicem praesentium narrativam illarumque exhibitionem non constet, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci non posse, neque illas sub quibusvis similium vel dissimilium statutorum et ordinationum generalibus vel specialibus revocationibus, suspensionibus, annullationibus aut derogationibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties praesentes litteras in pristinum et validum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse, et de novo sub possessorio et data per eos, quorum intererit, eligenda, concessas censeri; et solas praesentes ad probandum et verificandum, in iudicio et extra illud, omnia et singula supradicta sufficere, plenamque fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, ac valere et tenere, perinde ac si in capitulo generali totius Ordinis communi omnium consensu statuta et ordinata fuissent.

Et sic semper et ubique iudicandum.

§ 17. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam Palatii Apostolici causarum auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere decernimus; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputati.

§ 18. Quocirca venerabili fratri episcopo Segobien., et dilectis filiis causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori et archidiacono Ecclesiæ Toletanæ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte alicuius religiosi dicti Ordinis fuerint requisiti, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, faciant capitula et ordinationes praedicta; necnon confirmationem, approbationem, voluntatem et decreta nostra ceteraque omnia et singula praedicta debitae executioni demandari, eosque, quos concernunt, illis pacifice frui et gaudere, nec permittant quicquam contra prohibitiones supradictas per quoscumque attentari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione posposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 19. Non obstantibus fundationibus,

Derogatio contrariorum.

institutionibus, statutis et consuetudinibus praedicti Sancti Laurentii et quorumvis aliorum monasteriorum, prioratuum, domorum et locorum dicti Ordinis; atque adeo ipsius Ordinis et eius provinciarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut alia forma servenda foret, tenores huiusmodi pro ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium litterarum facienda publicatio.

§ 20. Volumus autem, quando et quoties electiones praedictae faciendae erunt, has nostras litteras in praesentia eorum, qui vocem activam aut passivam habebunt, legi et publicari, ut earum forma omnibus intimata ad unguem observetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI novembris MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 nov. 1587, pontif. anno III.

CXII.

Prohibitio recipiendi ad habitum vel professionem cuiuscumque Ordinis regularis homines illegitimos, criminosos aut aeri alieno reddendisve rationibus obnoxios; et praescriptio formae novitios recipiendi.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Cum de omnibus ecclesiasticis Ordinibus, in ea, qua convenit, puritate et dignitate conservandis, praecipuam geramus sollicitudinem, tum vero illud præter cetera nobis cordi est ut a regularium personarum congregationibus, quas, tamquam Deo dicatas, maxime candor sanctitasque decet, cuiuscumque criminis aut turpitudinis labes et scandali occasio quam longissime arceantur. Siquidem res ipsa nos admonet quam indecorum sit, et ab ea quae divinae Maiestati eique consecratis personis debetur reverentia alienum, si eiusmodi homines, qui propter sua scelera poenas graves sibi in saeculo propositas timent, quive propter immunditiam et peccata, ex quibus orti sunt, notati perpetua ignominia, ab omni mundano honore et a paterna haereditate repelluntur, iidem omnipotenti Deo tamquam hostiae offerantur, atque ad habitandum in domo, quam decet honor et sanctitudo, inter ministros Domini, cui servire regnare est, ad sacras functiones, quacumque profana præeminentia multo nobiliores, sine ullo delectu admittantur. Cum etiam secundum legem Moysis, immundi ab ingressu sanctuarii excluderentur, ac sacerdos habens maculam, panes Deo suo offerre non posset, nec accedere ad ministerium eius, et quod in holocaustum Domini aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum esse deberet, ut acceptabile foret, nec ulla macula esset in eo, quod si maculam habuisset, neque offerendum neque acceptabile futurum esset.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Ne igitur contingat illegitime genitos, qui ut plurimum parentum vitia et incontinentiam imitari solent, nec pietatis studio, sed temporalium commodorum intuitu (quia haereditates maiorum aut dignitates aliquas consequi non possunt) ad Religionem confugiunt et vitam, quam animo a Religione alieno susceperunt, ab institutis religiosis alienam, plerumque cum dedecore et propriæ salutis dispendio ducere, suisque corruptis moribus et malis exemplis quietem et statum cete-

rorum Deo famulantium perturbare, aut hac quasi faece et colluvie, ipsarum Religionum honorem et existimationem laedi, ut denique homines, qui hac spe ad filios spurios in peccato gignendos essent propensiores, eo magis abstineant ab huiusmodi carnis flagitiis, quo suae proli hoc quoque refugium praeclusum viderint:

Illegitimi ad Religionem non recipiantur.

§ 2. Hac nostra in perpetuum valitura constitutione districte interdicimus et prohibemus ne illegitimi procreati ex incestu aut ex sacrilegio (quorum scilicet parentes consanguinitate vel affinitate intra tertium gradum invicem coniuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo voverit) etiam apostolica, imperiali vel regia aut quavis alia auctoritate legitimati aut natalibus restituti, ad aliquam quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, et non Mendicantium, fratrum, monachorum, eremitarum vel canonicorum aut clericorum regularium, congregationem aut hospitalium Religionem, neque ad habitum nec professionem regulares, recipi vel admitti quoquo modo possint. Quod si eorum quispiam habitum post publicationem praesentis constitutionis in futurum receperit, vel professionem posthac emiserit, decernimus habitus susceptionem et professionem ex nunc prout ex tunc irritam, nullam et invalidam, nulliusque roboris vel momenti fore, ac nullum exinde, aut ex huiusmodi voto penitus annullato, obligationis vinculum oriri posse, quinimo illos habitu regulari, ad quem reassumendum perpetuo inhabiles sint, quamprimum exui et ab ipsa Religione eiici exterminarique debere. Et nihilominus quicumque superiores, tam monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, domorum, collegiorum et locorum regularium, quam etiam praefatorum Ordinum, congregationum, hospitalium et quarumcumque Religionum provinciales vel generales, quovis nomine nuncupati, qui ex praedictis incestu vel sacrilegio genitos post dictam publicationem ad habitum receperint vel ad professionem admiserint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua eorum nemo, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Sed ne iis, qui in humilitatis spiritu, Deo et Religioni servire et poenitentiam agere intra monasteria vel domos regulares cupiunt, ad sanctum huiusmodi propositum via penitus praecludatur, permittimus ut præfati illegitimi, ex dictis incestu aut sacrilegio geniti, ad habitum conversorum seu famulorum in monasteriis vel domibus regularibus servientium recipiantur, et in ipsis monasteriis seu domibus regularibus ad servilia ministeria, viliora obsequia, humiles functiones atque abiecta servitia admitti possint; ea tamen conditione ut ad habitum religiosorum, vel ad professionem quam religiosi emittere solent emittendam, nec non ad omnes, non modo sacros, sed etiam minores Ordines, vel ad clericalem characterem, denique ad cuncta ecclesiastica officia et functiones, et ad ascendendum ad altiores gradus sint eis portae perpetuo clausae et obseratae.

Alii autem illegitimi etiam legitimati, servata forma hic tradita, recipi possint, et sic recepti inhabiles ad quoscumque gradus et dignitates sui Ordinis obtinendas remaneant, donec fuerit auctoritate apost. desuper cum eis specialiter dispensatum.

§ 3. Quoad reliquos vero non ex incestu praefato nec sacrilegio, sed ex quovis alio minus legitimo toro natos, spurios vel naturales, etiam, ut praefertur, vel alias legitimatos, qui ob meliorem vitae frugem, Religionem ingredi cupiunt, statuimus et ordinamus eos ad Religionem admitti non posse aut debere, nisi prius, illorum vita et moribus diligenter cognitis, et circumstantiis universis, quae circa idoneitatem personae attendendae erunt, consideratis, ac de Religionis zelo, pietate, integritate et doctrina fide dignis testimoniis adeo com-

mendati fuerint, adeo bonam indolem et specimen virtutis praeseferant, ac tot merita eis suffragentur, ut defectum natalium suppleant, eorumque receptio universae religionis commodo et utilitati profutura videatur; et super hoc ipso in generali vel provinciali capitulo matura deliberatione habita, generalis vel provincialis superioris ac diffinitorum unanimi consensu approbati et ad habitum regularem admissi extiterint. Et tamen hi sic recepti ad gradus, honores et dignitates sui Ordinis obtinenda perpetuo inhabiles et illorum incapaces remaneant, nisi super hoc cum eis fuerit auctoritate apostolica specialiter dispensatum. Si quis autem eorum alias, quam ut praefertur, recipietur, professio similiter nulla sit, atque ipsi habitu privari et a Religione eiici debeant, eorumque receptores excommunicatione, ut supra, innodati ipso facto existant.

Criminosi vel suspecti aut aeri alieno vel reddendis rationibus obnoxii ad Religionem non admittantur.

§ 4. Ceterum, quoniam saepe se vitia ingerunt, et se esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores post dilapidatam rem familiarem et contractam ingentem vim aeris alieni, aut interversam alienam pecuniam eorum fidei creditam, ut rationes effugiant, alii post furta, latrocinia, rapinas, homicidia aliave facinora patrata, etiam banniti aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis poenas metuunt, non pia intentione, sed ad evitandam legum et iudiciorum severitatem, quia tuto in saeculo vivere non possunt, tunc demum quaerunt a Religione auxilium, quando aliunde illud non sperant, unde sub habitu et nomine religiosorum, animum Religioni inimicum et inveterata vitia retinent, neque alios qui sancta vocatione vocati sunt, patiuntur tranquille divinis obsequiis insistere, in gravem Dei offensam, religionis opprobrium et scandalum plurimorum; ut his quoque subterfugii et impunitatis spes omnis tollatur, auctoritate apostolica et tenore praesentium, etiam perpetuo statuimus et ordinamus iuvenes aut viros adultos, maiores sexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi posse nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria deque anteacta vita et moribus diligenter inquiratur, et ex accurata informatione et fide digna relatione compertum et exploratum sit eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia vel alia similia aut graviora, reos vel suspectos existere, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur formident, neque ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravatos, vel reddendis rationibus ita obnoxios, ut, ex huiusmodi causa, lis vel molestia eis iam illata vel timendum sit ne inferatur. Nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum devotionis et pietatis fervore vitam religiosam sponte et ex animo elegisse; deque his omnibus in generali vel provinciali capitulo plena et indubitata fide facta, tam superioris generalis seu provincialis quam diffinitorum consensu approbati et ad habitum regularem admissi fuerint; omnes autem et quoscumque, ut dictum est, criminosos vel suspectos aut aeri alieno, ut etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus.

Receptio aliter facta damnatur.

§ 5. Et si qui eorum contra praesentem nostram constitutionem temere admittentur, tam susceptionem habitus quam professionem et inde secuta ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus et annullamus, viribusque et effectu carere decernimus, ac iubemus eos, qui sic de facto recepti erunt, habitu spoliari et a Religione expelli; et nihilominus si expulsi non fuerint, volumus et pariter declaramus habitus susceptionem et professionem penitus nullam esse et censeri, ac propterea, attenta nullitate habitus et

professionis, licere quibuscumque iudicibus et curiis, etiam saecularibus, ad quos seu quas spectat, contra eos, ut prius, iuris et facti remediis opportunis, ex officio vel ad cuiuscumque instantiam vel querelam civiliter, criminaliter aut mixtim procedere. Quare volumus ut cuiusque iuvenis aut viri maioris XVI annis, a sæculo ad Religionem transeuntis approbatio, admissio et receptio, in generali vel provinciali capitulo, ut supra ordinatum est, pro tempore fiant; necnon religiosi sic recepti nomen et cognomen quibus in saeculo utebatur, et patria in actis ipsius capituli describantur et notentur.

Recipientibus poenae imponuntur.

§ 6. Et insuper quoscumque religiosos eorumque superiores, qui aliquas personas, ut dictum est, inhabiles post hanc constitutionem publicatam receperint, voce activa et passiva, necnon officiis, gradibus, honoribus et dignitatibus quibuscumque per eos obtentis eo ipso in perpetuum privamus, et tam illis privatos, quam ad illa et alia quaecumque in posterum obtinenda perpetuo inhabiles eorumque incapaces decernimus et declaramus.

Regulares de una provincia ad aliam sui Ordinis transeuntes superiorum licentiam secum deferre debeant alioquin hospitio recipi nequeant, et a locorum ordinariis carcerentur.

§ 7. Sed et quia interdum satanas in angelum lucis se callide transfigurat, ac perditi quidam et facinorosi homines, quod saepe vidimus et experti sumus, instigante antiquo pacis et religionis hoste, non veriti sunt temerario ausu habitum religiosorum assumere ea mente ut, veluti sub ovina pelle lupi rapaces per dolum et insidias christifideles incautos et nihil mali a religiosis suspicantes, opprimerent, sive ut post scelera perpetrata, viam faciliorem ad fugam haberent, sive ut banniti curiae saecularis, quae eos propemodum interceptos persequebatur, manus effugerent, et contigit aliquando ipsos sicarios, religiosis vestibus indutos a veris religiosis hac fraude deceptis, intra domus regulares hospitio receptos fuisse. Prohibemus eodem modo atque interdicimus ne quis regularis ex una provincia ad aliam provinciam sui Ordinis transeundo, etiam in itinere, intra aliquod monasterium, domum vel locum alterius provinciae ad habitandum, vel tamquam hospes recipi, aut ad modicum tempus divertere possit, nisi a superiore eius loci ubi residet expressam licentiam discendendi in scriptis obtentam, seu litteras obedientiae vel commendatitias secum deferat atque exhibeat, vel nisi ita cognitus sit iis, ad quos diverterit, ut de eius persona nullus omnino dubitationi aut suspicioni locus relinquatur: idcoque praecipimus universis et singulis locorum ordinariis eorumque vicariis in spiritualibus generalibus, ut per suos officiales, ministros vel executores curent ab omnibus personis regulari habitu indutis, quas per suas civitates vel dioeceses iter facere vel transire, et ad quaecumque hospitia vel diversoria se recipere contigerit, diligenter perquiri num huiusmodi litteras obedientiae seu commendatitias secum deferant. Quod si eos dictas litteras non habere vel ignotos esse deprehenderint, possint contra ipsos, etiam tanquam dictorum criminum suspectos, procedere, et tamdiu illos sub custodia detinere, donec certa de eisdem notitia habeatur; et tamen volumus ut iis, qui etiam pietatis vel hospitalitatis praetextu, regulares alterius provinciae ignotos, aut sine licentia vel litteris, ut supra, receperint, dictas poenas privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum, graduum, honorum et dignitatum obtentorum atque inhabilitatis perpetuae pariter incurrant.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes sic in praemissis omnibus per quoscumque iudicari debere, nec non irritum et inane si secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 9. Quocirca venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, dictorum Ordinum, congregationum, hospitalium et locorum regularium apud nos et Sedem Apostolicam protectoribus, nunc et pro tempore existentibus, ac locorum ordinariis praefatis, per apostolica scripta mandamus ut eorum unusquisque, per se vel alium seu alios, cardinales quidem in suae protectionis, ordinarii vero in suarum civitatum, dioecesum et districtuum regularibus locis, curent praesentes litteras publicari, easque perpetuo firmiter et inviolate observari, inobedientes, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum, hospitalium et religionum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus praesentis constitutionis impediri valeant quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in his litteris mentio specialis. Quae omnia, quatenus eidem constitutioni in aliquo adversentur, illorum tenores pro expressis habentes, perpetuo tollimus, annullamus et abrogamus, ac nolumus cuiquam suffragari, aut si superioribus et personis dictorum Ordinum, congregationum, hospitalium, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Iussio publicandi et fides transumptorum.

§ 11. Mandamus vero easdem praesentes ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac Cancellariae Apostolicae de more publicari et affigi, illarumque exemplis, etiam impressis, praelati ecclesiastici sigillo et notarii publici subscriptione munitis, eamdem fidem, in iudicio et extra illud, haberi, quae eisdem originalibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum interdictorum, prohibitionum, statutorum, ordinationum, declarationum, decretorum, voluntatum, permissionis, irritationis, annullationis, iussionis, privationis, praecepti, sublationis, abrogationis et mandatorum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, sexto kalendas decembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 26 nov. 1587, pontif. an. III.

Sequuntur declarationes dictae constitutionis.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Romanum spectat Pontificem, sacrorum canonum conditorem, quae per eum sancita sunt, ita suae declarationis arbitrio dilucida reddere, ut inde nemini possit dubitationis scrupulus exoriri, praesertim vero salubriter consulere ut, cum de regularibus agitur, qui se omnino Dei omnipotentis obsequio manciparunt, tollantur ea omnia, quae eorum sanctum Christo pie inserviendi

institutum quoquomodo valeant perturbare.

Dubia exorta sunt super dicta constitutione.

§ 1. Sane post editam nostram constitutionem, quae incipit *Cum de omnibus ecclesiasticis Ordinibus, etc.*, super modo et forma recipiendi et admittendi ad professionem eos, qui sub Religionis iugo Altissimo famulari desiderant, cum variae sint exortae dubitationes et quaestiones, eaeque postea ad audientiam nostram perlatae:

Ideo hic Pontifex subsequ. promit declarationes;

§ 2. Nos, ad tollendam omnem ambiguitatis occasionem, habita cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus congregationis super regularium negociis et consultationibus per nos institutae matura deliberatione, de illorum consilio et assensu, praesentem nostram perpetuo valituram declarationis constitutionem duximus promulgandum.

Prima declaratio quoad illegitime natos ex parentibus inter quos tunc matrimonium consistere poterat et postea subsecutum sit.

§ 3. Cum itaque inter alia dubitetur, num primo dicta nostra constitutio, ubi de illegitime genitis loquitur, comprehendat etiam eos qui postea per subsequens matrimonium fuerunt legitimati; nos, inhaerentes sacrorum canonum dispositioni, auctoritate apostolica, tenore praesentium declaramus illegitime natos ex iis parentibus, inter quos tempore quo ipsi geniti sunt, matrimonium rite consistere poterat, secuto postea matrimonio legitimos effectos, sub dicta constitutione minime comprehendi, sed eos, tam quoad emittendam professionem quam quoad consequendos gradus, honores et dignitates sui Ordinis, aequo iure cum illis, qui ex matrimonio legitimo et constanti nati sunt, censendos esse.

Secunda declaratio quoad illegitime natos ex soluto et soluta, qui ante editam constitutionem praedictam quavis auctoritate legitimati, aut ad dignitates habilitati, et illis perfuncti sunt,

§ 4. Illegitimos vero, etiam ex soluto et soluta, qui antequam nostra constitutio emanaret, professi, vigore seu praetextu privilegiorum aut indultorum apostolicorum cuivis Ordini, Religioni, monasterio aut congregationi, eorumve superioribus, in genere vel in specie concessorum, eo ipso per ingressum Religionis, vel per eosdem superiores sive alios quoslibet, etiam Sedis Apostolicae de latere legatos, aut alios officiales vel ministros, quavis præeminentia vel auctoritate, etiam apostolica, fungentes, aut facultate suffultos legitimati, aut ad gradus, honores et dignitates habilitati seu reintegrati, et illis alias perfuncti sunt; volumus posthac, non obstantibus quibuscumque, tam antiquis privilegiis aut litteris apostolicis, quam aliis indultis seu declarationibus, etiamsi illa per nos post dictam constitutionem novissime edita fuisse asserantur, honores, gradus aut dignitates huiusmodi obtinere non posse, ac dispensationes et legitimationes quascumque eis nullatenus suffragari, nisi specialiter et nominatim cum eorum singulis fuerit super natalium defectu, ad honores, gradus et dignitates obtinendas, ante vel post ingressum Religionis, per Romanum Pontificem, immediate vel de eius speciali mandato dispensatum, deque dispensatione seu mandato per litteras apostolicas, seu in forma brevis vel saltem per patentes litteras cardinalis protectoris de ipsius Romani Pontificis voluntate fidem facientes, legitime constiterit.

Tertia declaratio quoad non dispensatos tempore editae constitutionis praedictae.

§ 5. Eos pariter, qui tempore publicationis nostrae constitutionis in suis Religionibus sine hujusmodi speciali Romani Pontificis dispensatione, officia, honores et dignitates habebant ad vitam, eo ipso ab illis amotos et absolutos harum serie declaramus. Ad tempus autem illa obtinentes permittimus in sua administratione usque ad finem sui temporis conservari; ita tamen ut in posterum, nec tempus ordinarium eis prorogari aut extendi, neque ipsi ad alias non modo similes, verum etiam neque ad inferiores aut altiores et maiores dignitates, honores, gradus ascendere possint, perinde ac si id ipsum

in praefata nostra constitutione ab initio expressum fuisset. Ne tamen huiusmodi religiosi in liberalium artium ac praesertim sacrae theologiae studiis et religiosis profectibus segniores fiant, atque eorumdem pia studia refrigescant, eos nosse volumus, quod si ipsorum quispiam eximia doctrina vitaeque et morum sanctitate excellere reperietur, deque eorum probitate et praeclaris meritis Ordinum protectores eam apud nos fidem fecerint, ut non immerito sperari queat eorum doctrinam et operam ipsi Ordini et sanctae Dei Ecclesiae usui et commodo futuram, tunc demum indulgentiam et benignitatem nostram facile experientur.

Quarta declaratio quid intelligatur sub nomine dignitatum, honorum et graduum a quibus praefati illegitimi excluduntur.

§ 6. Quoniam vero a multis quaesitum est sub nomine honorum, graduum et dignitatum, a quibus illegitimi penitus excluduntur, quid potissimum sit intelligendum; declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, graduum debere intelligi praepositatus, abbatiatus, prioratus, guardianatus, custodiatus, provincialium ac generalium superiorum officia et alia his similia, cum honore et superioritate coniuncta. Ab officiis autem oneris, veluti lectoris, confessarii, studiorum et sacrae theologiae magistri, regentis, praedicatoris verbi Dei et ceteris huiusmodi, immo etiam a voce activa, a sacris ordinibus suscipiendis, ipsorumque ministerio, ipsos illegitimos, dummodo ex sacrilegio vel incestu geniti non sint, nequaquam arcemus.

1. Declaratio circa celebrationem capitulorum generalium sive provincialium pro inquisitione super novitiis recipiendis.

§ 7. Cum vero in quibusdam religionibus capitula provincialia aut numquam aut non quotannis, sed rarius, celebrentur, quaedam etiam monasteria aut domus huiusmodi in remotissimis regionibus haereticorum aut infidelium tyrannidi finitimis sita sint, ne ii, quos extra capitula, ad habitum vel professionem regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis capitulis praefixum nimis diu expectare aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus et indulgemus ut in qualibet provincia saltem duo, vel, si commode fieri poterit, tria aut plura monasteria seu domus regulares deputentur, quarum seu quorum superiores infra annum saltem ad inquisitionem super novitiis faciendam, et ad ipsos religiosos iuxta formam praefatae constitutionis recipiendos, et ad alia quae in ipsa constitutione continentur peragenda, insimul congregentur.

2. Declaratio circa facultatem dictorum capitulorum, vel ab eis deputatorum pro inquisitione praedicta.

§ 8. Quod si paucitas aut nimia distantia monasteriorum ne id quidem patiatur, saltem tribus ex antiquioribus patribus unius monasterii aut domus eius provinciae huiusmodi facultas et auctoritas per capitulum generale, scilicet monachorum, vel provinciale, Mendicantium et reliquorum regularium eius Ordinis, demandetur.

3. Declaratio circa facultatem capitulorum conventualium in praedictis.

§ 9. Verum in iis monasteriis, domibus et locis regularibus, quae aut nondum in congregationes redacta aut alias nulli provinciae subiecta sunt, statuimus ut trina capitula conventualia tribus distinctis cum intervallo saltem decem dierum vicibus celebrata, eamdem in recipiendis novitiis, per trinas huiusmodi distinctas vices approbatis, habeant auctoritatem, quae per nostram constitutionem capitulis provincialibus est attributa.

4. Declaratio circa numerum suffragiorum in recipiendis religiosis.

§ 10. Neque vero si in generalibus vel provincialibus capitulis aliqui vocales desint, nec si a diffinitorum consensu aliquis discrepaverit, idcirco receptio religiosorum retardari, impediri aut impugnari debebit, sed satis esse volumus si vocalium et suffragiorum numerus legitimus, a iure vel per cuiuscumque Ordinis statuta praefinitus, intervenerit.

5. Declaratio circa verbum capituli.

§ 11. Et quod de capitulo provinciali aut generali dictum est, idem iuris statuimus, si quae Religionis non capitulo-

rum, sed congregationum aut diaetarum vel alio quovis nomine uti reperiantur.

Prima declaratio circa admittendos ad professionem.

§ 12. Quod autem pertinet ad professionem, tam illegitimorum quam eorum qui post sexdecim aetatis annum expletum, regularem habitum susceperunt, quia tunc demum vere et proprie religiosi effici dicuntur, cum professionem emittunt; declaramus eos qui ante praedictam nostram editam constitutionem habitum susceperint, et post ipsius promulgationem cupiunt profiteri, non alias ad professionem admittendos esse, quam facta inquisitione, et servata forma in ipsa constitutione praescripta; et eorum, qui post dictam promulgationem, etiam ignoranter, non habita dicta inquisitione, et non servata forma, ad professionem admissi fuerint, professionem nullius esse roboris et momenti. In oblatis autem et conversis professionem emittentibus, satis erit si quoad mores et statum personarum ipsa inquisitio fiat.

2. Declaratio circa nullitatem tacitae professionis.

§ 13. Sed cum eadem ratio vigeat in tacita professione emittenda, quae militat in expressa, statuimus quod in quibusvis Ordinibus et Religionibus, neque etiam tacita professio quorumcumque religiosorum induci possit, nec inducta intelligatur, nisi in receptione constitutionis forma servata fuerit.

3. Declaratio circa validitatem expressae professionis et apostatarum reditus ad Religionem.

§ 14. Si quis vero ante editam nostram constitutionem iam tacite professus, expresse cupiat profiteri, vel si quis apostata ad suam Religionem redire voluerit, inquisitio et forma praescripta non erit necessaria, nisi vel de moribus, statu et qualitate personae, vel de validitate ipsius tacitae professionis dubitatio aliqua oriatur.

Declaratio circa advenas sub regulari habitu recipientes, qui commorantur in regionibus a sua patria remotis, aut ab infidelibus oppressis.

§ 15. In iis autem qui, in locis a sua patria longissime remotis degentes, vel quorum patria ab haereticis vel infidelibus misere oppressa detinetur, voluerint se divinis obsequiis sub regulari habitu dicare, ut in hoc quoque Sedis Apostolicae benignitas elucescat, quae cunctos mortales, praesertim vero exteros ex longinquis regionibus ad eam assidue confluentes, materno sinu libenter amplectitur, sancimus exteros huiusmodi et advenas, quamvis non liquido constet de iis omnibus quae in constitutione nostra requiruntur, tamen si, diligentia adhibita, nihil appareat quod eos impediat, habiles reputandos esse.

Declaratio circa eos quos post promotionem ad gradus, natalium defectum, aut criminum notam pati constiterit.

§ 16. Quod si quis ante vel post constitutionem ipsam professus, ad sacros ordines vel ad honores, gradus et dignitates promotus existat, et postmodum in eo natalium defectum aut criminum in dicta constitutione nostra expressorum notam, quae prius ignorabantur, detegi contigerit, decernimus eum statim, post huiusmodi defectus notitiam habitam, non alias quam iuxta formam ipsius constitutionis, ad honores, gradus et dignitates, aut ad executionem sacrorum ordinum admitti debere.

Declaratio quomodo dicta constitutio quoad criminosos procedat.

§ 17. Contra criminosos vero, quorum professio eadem constitutione nostra irrita declaratur, ac propterea iudicibus et curiis saecularibus procedendi facultas conceditur, tunc demum id locum habere volumus et non aliter, cum actis publicis constiterit ipsos iudices et curiam saecularem ante susceptionem habitus de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse vel inquisitionem instituisse.

Declaratio ad moniales non extenditur.

§ 18. Ceterum, quae a nobis circa religiosos viros in praefata constitutione sancita sunt, ea nequaquam volumus ad moniales nunc extendi.

1. Declaratio circa receptionem hospitum alterius, vel eiusdem provinciae.

§ 19. Postremo, dum interdicimus ne quis regularis alterius provinciae intra aliquod monasterium, domum vel locum alienae provinciae, etiam tamquam hospes, et ad modicum tempus recipi pos-

sit, nisi a superiore loci, ubi residebat et a quo discessit, licentiam expressam in scriptis exhibuerit, vel nisi satis cognitus sit, id observari volumus non solum in religiosis itinerantibus de una in aliam provinciam, sed in iis quoque qui proficiscuntur de uno in aliud eiusdem provinciae monasterium, tam sui quam alterius Ordinis.

2. Declaratio circa eosdem.

§ 20. Quod si dicerent se ad Apostolicam Sedem confugere ob gravamina a suis superioribus sibi illata, et ideo ab ipsis superioribus licentiam et litteras obtinere non potuisse, non propterea ullo modo recipi valeant, nisi fide, dignorum testimonio de petita ab eis licentia, et per suos superiores denegata, constiterit.

3. Declaratio circa receptionem peregrinorum et advenarum religiosorum in Urbe.

§ 21. In alma vero Urbe nostra religiosi advenae et peregrini de gravaminibus sibi illatis conquerentes nullibi sine huiusmodi litteris aut licentia recipiendi erunt, nisi prius ad congregationem dictorum cardinalium super negociis regularium a nobis deputatorum, vel ad suos protectores remittantur, ubi, ipsis auditis, pro rerum et personarum qualitate, quid agendum sit, statuetur.

Confirmatio aliorum in dicta constitutione contentorum.

§ 22. Reliqua autem in priori nostra constitutione contenta, quae in praesentibus litteris non declarantur, volumus perpetuo firma et valida et in suo robore permanere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari.

Revocatio quarumcumq. concessionum de recipiendis novitiis extra capitula.

§ 23. Et si quid a nobis alicui Ordini aut Religioni, praeter aut contra praefatae constitutionis formam, post illius editionem, circa recipiendos extra capitula novitios, aut alias indultum aut concessum fuit, id omne ac desuper confectas litteras prorsus revocamus et annullamus, ac ad terminos praesentis constitutionis reducimus, et alias nemini volumus suffragari.

Decretum irritans.

§ 24. Decernentes sic in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum sacri Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causa et instantia, ubique iudicari et diffiniri debere; necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 25. Non obstantibus praefata et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumcumque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Religionum ac monasteriorum, etiam eorum quae Ordinum capita dicuntur, prioratuum, domorum et quorumvis regularium locorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, quantocumque tempore observatis, necnon fundationibus eorumdem; aliis quoque privilegiis, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis illis omnibus ipsorumque superioribus, generalibus vel provincialibus, conventibus, capitulis, fratribus et personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nosmetipsos, etiam post primam dictæ nostrae constitutionis publicationem, et praefatam Sedem, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, seu quasi, necnon motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam imperatoris, regum, ducum aliorumque principum, sanctaeque Romanae Ecclesiae cardinalium, ac de eorum consilio et assensu, etiam consistorialiter habito, quomodocumque ac sub quibusvis tenoribus et formis, necnon cum quibusvis restrictivis, restitutivis, praeservativis, annullativis, derogatoriarum derogatoriis aliis-

que efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis quomodocumque concessis, confirmatis et etiam iteratis vicibus extensis et moderatis, etiamsi in eis ac statutis, stabilimentis et fundationibus praefatis caveatur expresse quod nunquam eorum privilegia et indulta revocata vel moderata aut immutata intelligantur, nec illis in toto vel in parte derogatum censeatur per quascumque litteras, etiam derogatoriarum derogatorias, ac alias fortiores et efficaciores clausulas in se continentes, nisi illorum ac etiam certarum specialium litterarum apostolicarum inde confectarum vere, non autem per clausulas generales vel speciales idem importantes, inserto tenore, ac de simili cardinalium consilio; quodque semper in huiusmodi derogationibus et aliis dispositionibus censeatur apposita clausula, quod tunc demum nec aliter nec alio modo effectum sortiantur, cum superiorum, capitulorum et conventuum praefatorum ad id accedat assensus; quodque derogationes et aliae depositiones huiusmodi aliter effectum non habeant, nisi consistorialiter factae et per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes tribus distinctis vicibus superioribus, capitulis et conventibus praefatis fuerint intimatae, eorumque pariter ad id expressus accedat assensus, aliter vero factae viribus et effectu omnino careant, ac superiores, capitula, conventus et aliae personae praefatae ad parendum illis et decretis desuper processibus, eorumque executoribus et subexecutoribus, ac ipsorum mandatis et monitionibus minime teneantur, sed litterarum huiusmodi executionem omnino impedire, nec ratione resistentiae censuris ecclesiasticis, etiam per ipsos executores vel subexecutores latis, innodari possint. Quibus omnibus, etiamsi alias de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, harum serie, specialiter et expresse derogamus, et quatenus effectum praesentium quoquo modo impedire vel retardare vel illis obesse possent, ea omnino tollimus et abrogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicandi huius constitutionis.

§ 26. Ut autem praesentes litterae omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et in Cancellaria apostolica, necnon acie Campi Florae publicari, earumque exempla de more affigi, volumusque et decernimus ut ipsarum praesentium exempla, etiam impressa, manuque notarii, *etc.*

Sanctio poenalis.

Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae in Monte Quirinali, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, duodecimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno IV.

CXIII.

Reformatio Curiae almae Urbis gubernatoris quoad causas civiles.

Sixtus Papa V, motu proprio, etc.

Exordium.

In sublimi beati Petri Sede, meritis licet imparibus, superna dispositione constituti, agrique dominici curae praepositi, id inter alia nostri muneris esse cogno-

1 Iurisdictionem et facultates huius gubernatoris vide in constitut. IX Leon X *Et si, pro*, tom. V, pag. 614, ubi eas plene tibi indicavi.

scimus, ut singula circa omnes gradus et hominum conditiones deformata ac depravata, providentiae nostrae ministerio corrigamus et reformemus, praesertim in tribunalibus almae Urbis nostrae, in quibus omnis iuris ratio exigit ut iudices primum studiosa vigilantia, manuum munditia et ordinata iuris scientia sint aliis praestantiores; notarii quoque ad conscribendum acta deputati, mandatariique et alii ministri, vitae honestate, operosa sufficientia, moderata mercedis exactione, compassivaque erga pauperes benignitate sint admodum ornati, litigantesque demum et eorum procuratores, ultimum omnipotentis Dei iudicium praecogitantes, a perniciosis subtilitatibus, subterfugiis, intricationibus et extorsionibus se abstineant, ut deformibus omnibus sublatis, honesta sint omnia, et prava transeant in directa, ac ius et iustitia salubriter et aequa lance, ac minoribus quam fieri potest dispendiis, unicuique ministretur.

Marianus Parbenedictus Urbis gubernator hanc suae Curiae reformationem edidit.

§ 1. Nos tamen, quia humanarum virium fines excedere non valemus, tantaque est apostolici officii negociorum moles, ut circa singula per nos ipsos eiusdem officii debitum exolvere non possumus, plurimum in Domino laetati sumus quod venerabilis frater noster Marianus Parbenedictus episcopus Marturanensis et dictae Urbis nostrae eiusque districtus generalis gubernator, et vice-camerarius a nobis deputatus, huic nostrae sollicitudini respondens, Deique timore et virtutis ac iustitiae zelo ductus, diversos abusus, quos in suo tribunali irrepsisse cognovit, tollere, et aliis, quae inde irrepere potuissent, occurrere cupiens, sequentem suae Curiae reformationem circa causas civiles edidit, nobisque porrexit.

Cardinalis Matthaeius eam de mandato Papae examinavit et absolvit.

§ 2. Et ideo, cupientes reformationem huiusmodi accurate et debita circumspectione absolvi, dilecto filio nostro Hieronymo Sanctae Mariae in Cosmedin diacono cardinali Matthaeio nuncupato, viro vitae integritate, litterarum scientia, longaque rerum et Romanae Curiae experientia insigni, dedimus in mandatis ut eamdem reformationem diligenter examinaret, suppleret et corrigeret; et ille, mature omnibus visis sigillatimque examinatis, nonnulla explanavit, nonnullaque etiam emendavit et addidit, extremamque dictae reformationi manum adhibuit, nobisque exhibuit, eiusque tenor talis est, videlicet.

Sequitur Reformatio.

Reformatio super locumtenentis causarum civilium qualitatibus.

§ 3. Dominus locumtenens civilis gubernatoris almae Urbis pro tempore existentis, unus dumtaxat in futurum sit, legum scientia vitaeque probitate et Romanae Curiae experientia insignis, et ex loco qui ab Urbe distet per quadraginta milliaria oriundus. Qui omnes causas civiles, tam commissarias, iuxta formam commissionum, quam ordinarias vel alias in ipso tribunali introducendas, iuxta suas facultates, cognoscat, terminet et decidat.

Audientiae hora et loco.

§ 4. Audientiam terminorum, pro quibus litigantes pro certa hora citati non sint, in sala palatii gubernatoris, circa horam vigesimam, pro tribunali sedendo, teneat.

Diebus feriatis.

§ 5. Ius reddat singulis diebus, exceptis festivis de praecepto aut consuetudine almae Urbis, necnon diebus coronationis Pontificis viventis, ingressus gubernatoris, iovis, lunae et martis immediate ante Cineres, ac ipsius diei Cinerum, totius Hebdomadae Sanctae, Commemorationisque defunctorum et vigiliae Nativitatis Domini.

Significationibus vigore recursus.

§ 6. Significationes per viam recursus concedendas semper concedat cum clausula *non tamen in contumaciam*.

Causis ordinariis.

§ 7. In causis ordinariis vel via ordinaria introducendis, etiamsi ad probatio-

nem producantur cedulae, iura et instrumenta obligationum cameralium, non relaxet mandata executiva (si respectu summae vel valoris rei, de qua agitur, dictae causae sint appellabiles), nisi elapsis decem diebus datis ad appellandum, et servatis solitis terminis ad docendum de legitima appellatione et eius legitima prosecutione, et constito sibi de re iudicata.

Suspectis de fuga.

§ 8. Suspectus post litem contestatam vel pro contestata habitam, allegari non possit, nisi a principalibusmet vel eorum procuratoribus ad id speciale mandatum habentibus, et ex certa causa per eos in actis specificata et iurata, a gubernatore pro legitima approbata.

Appellatione et recursu.

§ 9. Ab eius sententiis definitivis appelletur ad Sanctissimum in causis appellabilibus; in aliis vero non appellabilibus, et in quibus de iure recursus datur, recurratur ad gubernatorem, qui causas huiusmodi recursus, per seipsum vel alium ab eo deputandum, iuxta suas facultates expediat.

Iudice deputato a gubernatore.

§ 10. Qui deputandus tam in ipsis causis recursus, quam in illis in quibus in locum domini locumtenentis, uti suspecti recusati, a gubernatore deputabitur; et in causis quoque commissariis, in quibus ex rescripto signaturae a gubernatore similiter deputabitur, ea dumtaxat emolumenta recipiat, quae, ut mox dicetur, dominus locumtenens recipere poterit, et nihil penitus ultra, sub poenis eis indictis. Recursus, ut supra, ad gubernatorem a locumtenentis decretis et sententiis petendi, infra decem dies dumtaxat peti debeant, et tunc executionem non retardent, usquequo gubernator huiusmodi recursus non admiserit.

Sportulis, habitatione, salario et emolumentis.

§ 11. Sportulas dom. locumtenens non recipiat nisi in illis causis commissariis tantum quae auctoritate ordinaria a principio ab eo cognosci non potuissent; in quibus circa quantitatem servet taxam felicis recordationis Pii Papae IV; in ceteris vero causis quibuscumque sportulas nullo modo accipiat, etiam a sponte dantibus, sed earum loco, ultra commodam habitationem, quam in dicto palatio pro se suisque servientibus habere debeat, et ultra scuta auri in auro quinque, a quolibet ex duobus notariis causarum civilium huius Curiae, ipsi tantum domino locumtenenti quolibet mense, in eius principio, solvenda, percipere possit iulium unum pro singulis infrascriptis expeditionibus; videlicet, pro quolibet mandato executivo, non tamen in contumaciam, pro quolibet arresto in carceribus, mandato de excarcerando, significatione dotali, aut vigore termini, aut in vim litis pendentiae, aut litis finitae, aut stante deposito vel negatione, aut data cautione de stando iuri, et iudicatum solvendo concessa; et etiam pro qualibet citatione vel inhibitione, vigore commissionis, aut extra curiam decreta: dummodo in quolibet ipsorum casuum agatur de re vel summa scutorum auri septem, qui constituunt iulios septuaginta septem.

Locumtenentis contravenientis poenis.

§ 12. Alioquin praedictus dominus iudex poenas in Pii Papae IV constitutione de reformatione tribunalium contentas, incurrat.

Notariorum locis.

§ 13. Notarii teneant, intus vel iuxta dictum palatium, eorum officia separata et in locis ita distantibus, ut colliligantium tumultus nullum afferre possit impedimentum.

Procuratione eis interdicta.

§ 14. In causis tribunalis, neque officio procuratoris vel sollicitatoris fungantur, neque alio quovis modo se intromittant.

Taxae observantia.

§ 15. In eorum mercedibus recipiendis servent omnino taxam Pii Papae IV; quia in ea omissus est casus examinis testium super articulis absque interrogatoriis, ideo tali casu notarii recipiant pro huiusmodi examine cuiuslibet testis, bononenos octo usque ad scuta decem, et

bononenos decem usque ad scuta viginti, et bononenos quindecim usque ad quamcumque summam, et non ultra.

Citationibus, § 16. Citationes et alias mandatariorum et cursorum relationes nullatenus in actis apponant, nisi cursores et mandatarii eas in cartulis octavae partis folii prius subscripserint, et supra subscriptiones nomen notarii causae appositum fuerit.

Citationes et alios actus pro aliquo vel contra aliquem non recipiant, nisi tam actoris quam rei nomen cum cognomine aut exercitii habitationisque designatione specifice in eis exprimatur.

Citationes ad videndum mandari consignari pignora non recipiant, nisi appositum sit etiam *ad videndum mandari subhastari*.

Manualibus, § 17. Manualia citationum et manualia protestationum separatim et distincte teneant.

Expeditionum libris, § 18. Expeditionum libros duos habeant, in quorum uno distincte et ordinatim adnotare debeant omnes significationes per viam recursus concedendas, cum expressione nominis collitigantium, et curiarum a quibus dominus locumtenens recursus iuxta suas facultates concedet, ac etiam summae vel valoris rei de qua agitur, necnon et omnia sequestra et monitoria, ex quavis causa decernenda; in altero autem adnotare debeant omnia mandata executiva, non tamen in contumaciam, et omnia arresta, mandata de excarcerando, significationes dotales, aut vigore termini, aut in vim litis pendentis aut litis finitae, aut stante deposito vel negatione, aut data cautione de stando iuri, et iudicatum solvendo concessas, et omnes citationes vel inhibitiones vigore commissionis aut extra curiam decretas; dummodo in quolibet ipsorum casuum agatur de re vel summa scutorum auri septem.

§ 19. Listas expensarum non conficiant, neque propterea mercedem aliquam, etiam a sponte dantibus, recipiant, nisi praevio domini locumtenentis decreto et eiusdem subscriptione in calce citationum, ad videndum taxari expensas, apponenda. Expensarum taxatione,

Examine testium, § 20. Examen testium scribere possint duo tantum notarii pro quolibet officio, quos gubernator pro tempore approbaverit, et non alii.

Decretis, § 21. Decreta aliqua ex seipsis notarii non conficiant, sed citationes omnes domino locumtenenti in audientia publice legant, ab eoque decreta sumant, et deinde in actis apponant.

Mandatis suspicionis fugae, § 22. Mandata suspicionis fugae scribere nequeant, nisi prius domino locumtenenti iura producta vel probata ostenderint, illeque postea mandata decreverit.

Iuramentis suspicionis, § 23. Iuramenta suspicionis fugae ab aliis quam principalibusmet vel personis ad id speciale mandatum habentibus non recipiant.

Sequestris, § 24. Sequestra non scribant, etiam in causis mercedum, nisi in executionem mandatorum servatis servandis relaxatorum, vel nisi docto de credito, etiam extraiudicialiter, arbitrio domini locumtenentis, iuratoque de dilapidatione aut fugae suspicione.

Fideiussionibus, § 25. Advocatos, procuratores et sollicitatores pro fideiussionibus occasione litium dandis nullo modo recipiant.

Significationibus, § 26. Significationes per viam recursus concedendas non scribant, nisi cum clausula *non tamen in contumaciam*. Alias vero significationes non scribant nisi vigore termini, aut nisi productis iuribus vel probationibus super solutione, aut nisi stante pendentia litis, sive lite finita, vel nisi data cautione de stando iuri et iudicatum solvendo, quando essent relaxata mandata suspicionis fugae, pro assecuratione iudicii, aut nisi stante negatione contra mandata in contumaciam relaxata.

Responsione ad articulos, § 27. Responsiones ad articulos et iuramenta super partitis decisivis, coram domino locumtenente tantum recipere possint et debeant, nisi ipse aliter decreverit, ex causa infirmitatis aut alterius legitimi impedimenti collitigantium.

Notariorum contravenientium poenis, § 28. Quicumque ex notariis sive actuariis in eorum officiis scribentibus in aliquo praemissorum contravenerit, pro qualibet vice poenam scut. xxv, aliasque poenas pecuniarias et corporis afflictivas, pro modo excessus a gubernatore arbitrandas, incurrat, damnaque et interesse partibus reficere cogatur.

Mandatariorumque circa citationes. § 29. Mandatarii huius curiae citationes et alias relationes in scriptis dumtaxat referre debeant, exprimendo an personaliter vel domi copia dimissa vel affixa, et an ad statim vel ad hodie per totam seu ad primam vel aliam diem fecerint.

Citationes, intimationes *etc.* personaliter aut domi dimissa copia, non exequantur, post secundam horam noctis; per affixionem autem, non nisi de die; et tunc in relationibus exprimant fecisse de die, dimissa copia affixa in tali loco.

In citationibus, tam actoris quam rei, nomen cum cognomine, vel cum exercitii habitationisque designatione exprimant.

In citationibus ad videndum mandari consignari pignora, apponant etiam: *et videndum mandari subhastari.*

Taxae observantia, § 30. In eorum mercedibus recipiendis servent eorum taxas; ultra quas, etiam a sponte dantibus, nihil omnino accipiant.

Pignoribus; § 31. Pignora omnia ab executoribus quibuscumque eis consignanda, ordinatim singulariter adnotare debeant in eorum libris, exprimendo rerum qualitates et quantitates, et nomen executoris et collitigantium. Pignora subhastanda, publice, in loco commodo, ad id per gubernatorem deputando, tenere debeant, a die quo receperint mandata de subhastando, usquequo receperint mandata de deliberando. Oblationes recipiendas adnotare debeant in eorum libris, cum appositione anni, mensis et diei, ac expressione nominis, cognominis exercitiique et habitationis offerentium. Non recipiant oblationes cuiuscumque officialis huius curiae nec eis servientium, neque mandatarii affinium vel consanguineorum usque ad tertium gradum.

Eorumdem contravenientium poenis, § 32. Quicumque in aliquo praemissorum contravenerit, poenam scutorum decem pro qualibet vice, aliasque poenas pecuniarias et corporis afflictivas, privationisque officii, pro modo excessus a gubernatore arbitrandas, incurrat, damnaque et interesse partibus reficere compellatur.

Reformatione procuratorum circa exactiones, § 33. Procuratores non possint actualiter exigere nomine suorum principalium, etiam ab Urbe absentium, et vigore mandatorum ad exigendum, aliqua bona, res et pecunias a quavis persona, in causis et negociis ipsius tribunalis, nisi praevio gubernatoris decreto, gratis desuper interponendo. Et qui contravenerit, officio procuratoris omnino privetur, poenamque pecuniariam, gubernatoris arbitrio, solvat.

Executorumque circa taxas, § 34. Executores cuiuscumque Curiae mandata huius tribunalis exequentes, nihil ultra eorum taxam, etiam a sponte dantibus, recipiant, et nisi post factam executionem sive capturam.

Executionibusque, § 35. Mandata civilia non exequantur de nocte neque de die festivo, nisi sint suspicionis fugae.

Cautiones in executione mandatorum nullatenus recipiant, sed executiones realiter vel personaliter, prout in mandatis continetur, exequantur; pignoraque baroncello huius Curiae infra biduum consignent, describique faciant in libro, quem praefatus baroncellus ad id specialiter tenere, in eoque adnotare, debeat qualitates

et quantitates rerum sibi consignatarum, et nomen executoris consignantis.

Pignorum quoque restitutione.

§ 36. Restituat quilibet executorum praedictorum executiones sive bona in executione capta gratis, quotiescumque dominus locumtenens mandaverit.

Contravenientium poenis.

§ 37. Quicumque in praemissis contravenerit, officio suo privetur, et pro modo excessus corporalibus poenis, gubernatoris arbitrio plectatur, damnaque et interesse partibus reficere cogatur. Pro quibus damnis et interesse quilibet baroncellus cuiuscumque curiae pro suis executoribus et birruariis obligatus sit.

Confirmatio huius reformationis.

§ 38. Nos itaque, volentes reformationem huiusmodi, tam maximo labore et tam matura discussione, ad publicam maxime collitigantium utilitatem, tribunalisque dictae Urbis gubernatoris directionem, ut praefertur, digestam, perpetuo inviolabiliterque observari; motu proprio et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictam reformationem omniaque et singula in ea contenta, tenore praesentium, auctoritate apostolica confirmamus et approbamus. Quinimmo eamdem reformationem in eaque contenta quaecumque, motu et auctoritate praedictis nos de novo statuimus, decernimus et ordinamus; et per praefatum nostrum et pro tempore existentem Urbis gubernatorem eiusque in civilibus locumtenentem ac procuratores, notarios, mandatarios, litigantes, executoresque sive birruarios et alios quoscumque, exactissime perpetuoque servari praecipimus et mandamus, poenasque in dicta reformatione appositas de novo contravenientibus quibuscumque, et pro qualibet vice, apponimus et infligimus.

Clausula sublata.

§ 39. Decernentes omnia quae contra dictae reformationis formam et tenorem, decreta, acta et gesta fuerint, nulla, invalida et extorta et subreptitia, nulliusque roboris et momenti fore et censeri, neminique propterea suffragari posse vel debere. Et ita, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 40. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac stylo, consuetudine ac quocumque temporis cursu, etiam immemorabili, roboratis; privilegiis et indultis, tam ipsi tribunali Urbis gubernatoris, vel ipsis gubernatoribus et locumtenentibus, quam notariis, mandatariis eorumque collegio et collegiis aliisque quibuscumque personis, quacumque generali vel speciali nota et expressione dignis, et quomodocumque et qualitercumque privilegiatis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie et alias quomodolibet, etiam per nos, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesenti pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et litteris apostolicis,

generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesenti non expressa vel totaliter non inserta, effectus illius impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, habenda esset mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§ 41. Ut autem praesens motus proprius ad omnium notitiam deducatur, ac ut omnes, quorum interest ac interesse poterit, afficiat, volumus et mandamus illius copiam in Cancellariae Apostolicae, seu Curiae reverendissimi Urbis gubernatoris valvis, ac in acie Campi Florae affigi, et ibi relicta eius copia, aliquandiu detineri.

Signatura sola sufficit.

§ 42. Volumus item quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regula quacumque contraria non obstante:

Fides transumptorum.

§ 43. Quodque eius transumptis, notarii publici manu subscriptis et alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo signatis, plena et indubitata fides, eaque prorsus adhibeatur, in iudicio et extra, quae praesenti adhiberetur si foret exhibitus vel ostensus.

Papae subsc.

Fiat, motu proprio. F.

Clausularum repetitio.

Et cum absolutione a censuris, ad effectum, *etc.*, et de confirmatione, approbatione, statuto, ordinatione, praecepto, mandato, inflictione, decretis, derogatione, voluntate aliisque praemissis, quae hic pro sufficienter repetitis ad partem habentur, in forma gratiosa latissime extendentes, et cum opportuna, si videbitur, iudicum executorum deputatione, qui assistant, *etc*,. cum potestate citandi, *etc.*, inhibendi, aggravandi, *etc.*, invocato, *etc.* saecularis, ac derogatione diaetarum, non tamen trium, etiam latissime extendendi. Et si videbitur litteras desuper etiam per breve S. V. *etc.*, in praemissorum omnium et singulorum, etiam qualitate, invocatione, denominatione nuncupatis annexis, aliorumque necessariorum maiori et veriori specificatione et expressione expediri possit, *etc.*, simul vel ad partem, etiam in una, non facta mentione de alia vel aliis expediendis, *etc.* Fiat. F.

Anno a nativitate Domini MDLXXXVII, indictione XV, die vero I, mensis decem., pontificatus Sanctiss. in Christo Patris et D. N. D. Sixti, divina providentia Papae V, anno eius tertio, supradictae litterae in valvis Cancellariae Apostolicae et Curiae reverendissimi d. Urbis gubernatoris et in acie Campi Florae affixae, lectae et publicatae fuerunt, iuxta formam illarum.

Alex. Parabiacus, Mag. Curs.

Publ. die 1 dec. 1587, pontif. anno III.

CXIV.

Indulgentiarum elargitio pro quorumdam christianorum imperatorum numismata gestantibus, aut ecclesias, ubi ea asservantur, visitantibus, et pia opera hic expressa exercentibus.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Laudamus viros gloriosos, christianos praesertim imperatores, in iis quae, pro christiana religione tuenda et propaganda, pie ac praeclare gesserunt, dum pietatis zelo, virtutis magnitudine et imperii maiestate vere augusti, eiusdem religionis, quam omnibus gentibus omnibusque nationibus Deus voluit apostolicis vocibus praedicari, cultum totis in Christo visceribus amplexi, usque adeo suis quisque temporibus de hac Sacrosancta Sede, cui, auctore Domino, licet immeriti, praesidemus, egregie promereri studuerunt, ut vera et orthodoxa fides, ex apostolico hoc fonte dimanans, tunc eorum ope et patrocinio munita, propulsatis hostium op-

pugnationibus, toto terrarum orbe diffusa floreret, omnisque lingua confiteretur, quoniam Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Eorum sane ipsorum, quos constituit Dominus propugnatores et defensores Ecclesiae suae, illustria pie recteque factorum exempla, ad omnem gloriam insignia, imitationisque studio dignissima, ac merita praeclara, cum semper pro grati in eos animi testatione et officio commemorare debemus; tum, hoc potissimum tempore, quo nobis eorum memoriam renovandi mirifica divinitus oblata est occasio, id impensius faciendum arbitramur.

In restauratione basilicae Lateranensis, numismata quamplura imperatorum reperta fuerunt, quorum nomina et praeclara gesta hic referuntur, videlicet.

§ 1. Nam, cum ab ipso nostri pontificatus initio, ad exornandam novis aedificiis Lateranensem praecipue basilicam, nullis parcentes impensis, animum adiicissemus, effectum est, non obscura divinae voluntatis significatione, ut demoliendis quibusdam aulae Lateranensis pervetustis ac pene collabentibus parietibus, complura antiqua diversis in locis recondita numismata, ex auro purissimo obryzo confecta, invenirentur, in quibus ex una parte salutiferae crucis signum aut imago aliqua eadem cruce insignita cernitur, ex altera vero vultus effigiesque expressae sunt diversorum veterum, qui ante annos circiter mille floruerunt; augustorum imperatorum, nimirum Theodosii senioriis, duorum filiorum eius Arcadii et Honorii, necnon Theodosii iunioris, Valentiniani tertii, Marciani, Leonis, Iustini, Iustiniani, Tyberii, Mauritii, Phocae et Heraclii, qui, etsi longo locorum intervallo disiuncti, urbem Romam ne fortasse quidem omnes umquam viderint, Magni tamen Constantini piissimi imperatoris exemplo et munificentia excitati, ad declarandum pietatis suae studium erga gloriosos apostolorum principes et fortissimos Christi martyres, quorum innumerabilis multitudo in hac sancta civitate requiescit, et quorum praesenti ope et auxilio domi forisque votis susceptis saepe numero rempublicam fortiter et feliciter administraverant, et clarissimas de hostibus victorias reportaverant, huius almae Urbis sacras basilicas, atque hanc in primis sacrosanctam Lateranensem, donariis et oblationibus quamplurimis, augustali pietate et magnificentia dignis, cumularunt, diversisque aut novorum aedificiorum extructionibus, aut veterum instaurationibus pro temporum varietate ornarunt. Quod cum alia multa antiquitatis monumenta, tum vel haec ipsa nuper reperta aurea tot inclytorum imperatorum numismata testantur, religioso plane consilio et occulto quodam Dei instinctu, in his aedificiis reposita, ut post multa saecula aliquando tandem patefacta in lucemque prolata, eorumdem imperatorum singularem religionem et perpetuam erga sanctam Romanam Ecclesiam devotionem insigni apud posteros testimonio comprobarent. Qua in re divinam providentiam agnoscimus, suspicimus atque admiramur, quod calamitoso hoc tempore, cum tam multi crucis Christi Domini hostes catholicæ fidei veritatem impiissime oppugnant, praedictorum imperatorum effigies in ipsa Lateranensi basilica, ubi primus idem Magnus Constantinus Augustus sacri baptismi lavacro emundatus est, simul reperiri voluerit, quae summam eorum erga invictissimam crucem pietatem et eximiam religionem aperte palamque profiterentur.

Theodosii senioris.

§ 2. Theodosii igitur senioris imperatoris religiosissimi memoria in benedictione sit, qui se Nicaenae fidei defensorem acerrimum praestitit, qui lege edita, eam se tantum fidem sequi, quam a beatissimo apostolo Petro Romanis traditam Damasus Pontifex docebat, apud cunctos populos publice testificatus est; qui in ecclesiae cultu ac veneratione disciplinam

imitatione dignam, non solum legibus edictisque professus est, sed etiam mirifice coluit; qui denique, ob gravem Thessalonicensium caedem a sancto Ambrosio episcopo publice correptus, et ab ingressu ecclesiae repulsus, insigni christianae humilitatis exemplo reverenter abstinuit, et impositam ab eodem Ambrosio poenitentiam humiliter suscepit, libentique animo adimplevit, quo obedientiae et poenitentiae exemplo is, qui claustra imperii Christi Domini sic validis praesidiis ante munierat, non solum reipublicae hostes submovit, verum etiam christiani nominis gloriam feliciter adauxit.

Arcadii et Honorii filiorum eius.

§ 3. Sed et duorum filiorum eius Arcadii et Honorii nomen cum benedictione meminisse libet, qui pietatis ac disciplinae praeceptis institutisque a S. Arsenio Romanae Ecclesiae diacono instructi, ut christianam religionem propagarent, ubique terrarum simulacra idolorum confringi, eorumque templa dirui, legibus sanxerunt, catholicae porro fidei integritatem constantissime retinentes, haereticos omnes imperii viribus coercuerunt, quod communes ab eis promulgatae leges adhuc ostendunt.

Illud autem proprium Honorio occidentale imperium regenti, quod basilicam Sancti Pauli, a Valentiniano iuniore amplificari coeptam, omnibus partibus absolvi atque exornari curavit; quodque beato Augustino, firmissimae Ecclesiae columnae, in comprimendis et propulsandis Africanis haereticis magno adiumento fuit.

Id quoque laudi potissimum Arcadio tribuitur, quod cum eius militibus contra Persas bene pugnantibus cruces aureæ [1] in vestibus apparuissent, ut victoriae divinitus partae monumentum ubique extaret, is auream monetam cum eodem crucis signo fieri voluit.

Teodosii filii Arcadii, et Valentiniani nepotis Arcadii et Honorii.

§ 4. Atque Theodosio quidem iuniore, Arcadii filio, in oriente, et Valentiniano tertio, eorumdem Arcadii et Honorii sororis filio, in occidente imperii gubernacula tenentibus, sancta tertia universalis Ephesina Synodus contra impium Nestorium, ex beatissimi Coelestini Romani Pontificis auctoritate, indicta et celebrata est; quo tempore amborum imperatorum pietas in fovenda tuendaque eadem Sinodo, et Ecclesiae pace per sanctorum Patrum definitionem procuranda, magnopere eluxit.

Valentinianus autem, beatae memoriae Sixti III Pontificis hortatu, ipsius basilicae Lateranensis fastigium argenteum a barbaris ereptum, magna in id opus erogata pecunia, refecit, ac Sancti Leonis Pontificis cultor eximius, uberrimum suae pietatis fructum tulit, cum eius etiam precibus, idem beatissimus Pontifex, immanissimum Attilam, Flagellum Dei vocatum, divina sua eloquentia atque auctoritate placavit ac deterruit, horribilemque tempestatem iam imminentem ab ipsa Roma atque a tota Italia avertit.

Marciani, qui novus Constantinus appellatur.

§ 5. Marcianus vero, simul atque ad imperium evectus est, ad eumdem Sanctissimum Pontificem Leonem litteras dedit pietatis et erga Apostolicam Sedem observantiae plenas. Quare, apostolica auctoritate et catholici imperatoris adiumento, magnum illud sexcentorum triginta episcoporum Chalcedonense concilium adversus Eutychen et Dioscorum coactum est, in quo Marcianus ipse insigni elogio novus Constantinus est appellatus.

Leonis caesaris.

§ 6. At Leo caesar, Dei spiritu et crebris Sancti Leonis Papae epistolis roboratus, nullis se haereticorum machinis passus est a catholicae fidei constantia et Chalcedonensis Synodi propugnatione dimoveri.

Iustini senioris.

§ 7. Nec vero praetereundus nobis est vere pius et catholicus imperator senior Iustinus, qui sanctum Germanum Capuanum episcopum, Sanctissimi Hormisdae

[1] Cherub. legit *aereæ* (R. T.).

Papae legatum, tamquam angelum Domini, summo cum honore excepit, cuius imperatoris pietas hoc quoque promeruit, ut et beatum Ioannem Summum Pontificem Constantinopolim ad se venientem videret, admirabili sanctitate virum et postea martyrii gloria illustrem, ad cuius ille pedes, Christum in eo agnoscens, procubuit, Deo clarissimum illum congressum insigni miraculo comprobante, cum in ipso aditu Portæ Aureæ, coeco supplicanti ab eodem Summo Pontifice lumen est restitutum.

Iustiniani Magni.

§ 8. Magnis etiam laudibus efferendus est Iustinianus ille, qui tot rebus fortiter sapienterque gestis, magnus merito est appellatus, sed profecto sui ipsius victoria et erga Apostolicam Sedem obedientia multo maior. Nam cum zelo catholicae religionis confessionem verae ac orthodoxae fidei quae in sancta Dei Ecclesia praedicatur, et simul haeresum damnationem, de catholicorum episcoporum consensu, proposito edicto, fecisset omnibus manifestam, ac deinde per suas litteras et legatos, reddens Apostolicae Sedi et S. Ioanni Papae II debitum honorem et reverentiam, pro singulari studio quod gerebat de unitate omnium, praesertim orientalis tractus ecclesiarum, illarumque sacerdotum, cum ipso ac eius sede, tamquam earum capite, servanda atque custodienda, etiam suae fidei confessionem ac illud ipsum edictum transmisisset, humiliterque postulasset suis illa litteris et Apostolicae Sedis iudicio comprobari atque ipsis quoque diebus B. Petro Principi apostolorum pretiosa munera obtulisset, idem Sanctus Pontifex, et dignis eum laudum praeconiis extulit, et quae in ipso edicto continebantur, veluti apostolicae doctrinae consentanea, suo iudicio atque auctoritate confirmavit. Cumque postmodum ipse iustinianus imperator, a Theodora coniuge depravatus, a beato Agapito Pontifice vehementius contenderet ut Anthymum haereticum patriarcham ad communionem admitteret, eiusque electionem confirmaret, eoque constantissime recusante, minas precibus admisceret, Sanctus Pontifex zelo fidei incensus, exclamavit: *Ego ad Iustinianum Imperatorem christianissimum venire desideravi, sed Diocletianum inveni*; qua invicti animi constantia permotus imperator, ac tandem erroris caligine detersa, ad veritatis lucem emergens, seipsum totum ad parentis in Christo optimi voluntatem conformavit, hominemque haereticum loco deiici, et catholicum episcopum Mennam ab eodem Sancto Pontifice consecrari non solum patienter, sed etiam libenter tulit, praeclaro christianis principibus exemplo relicto ut paternas Christi Vicarii admonitiones et obiurgationes aequissimo animo ferrent, memores verbi Domini: *Qui vos audit, me audit et qui vos spernit, me spernit.*

Tyberii Constantini.

§ 9. Iam vero Tyberii Constantini nomen cum laude commemorandum est, quem urbis Romae conservatorem appellare licet, quod eam a Longobardis gravissima obsidione oppressam, magnaque rei frumentariae angustia laborantem, larga frumenti copia ex Ægypto transsmissa, a famis simul et obsidionis calamitate, paternis sanctae memoriae Benedicti I Summi Pontificis cohortationibus, liberaverit. Hic cum Sanctum Gregorium Magnum adhuc diaconum disputantem audisset, Eutychii patriarchae, veram tractabilemque corporum resurrectionem negantis, librum statim comburendum in ignem iniecit. Idem sanctae crucis signum ita coluit, ut aliquando, cum humi eam in lapide sculptam vidisset, statim tolli et decenti loco collocari iusserit, ut iam minus mirandum sit quod magnus crucis cultor, crucis imaginem in aureis nummis eleganter, ut videmus, curaverit exprimendam.

Mauritii.

§ 10. Commemorandus est etiam iure optimo Mauritius vir fortissimus, cuius filium idem Gregorius, cum adhuc diaconus Constantinopoli apostolicum legatum ageret, ex sacro Baptismi fonte levavit; postea vero Pontifex factus, eidem Mauritio locupletissimum pietatis testimonium praebet, dum illum in suis epistolis hominem multarum lacrymarum, orationum, ieiuniorum et eleemosynarum fuisse commemorat. Certe de Apostolica Sede et universa Italia egregie est meritus, quod exercitu comparato, ducibus in Italiam missis, Francorum auxiliis advocatis, omni denique diligentia adhibita, Longobardorum furorem non mediocriter represserit.

Phoci.

§ 11. Nec minori dignus est praeconio Phocas imperator, qui cum de more conaretur, se catholicae religionis defensorem perpetuum futurum sanctissimo iureiurando obstrinxit, et summam ab ipso Christo Domino Romanae Ecclesiae traditam auctoritatem et potestatem praeclare intelligens, publice edixit ut eamdem sanctam Romanam Ecclesiam, tamquam omnium Ecclesiarum primam atque caput, omnes et agnoscerent et profiterentur.

Eraclii Augusti.

§ 12. Hunc autem clarissimum coetum merito claudit Eraclius Augustus, novissimus eorum quos supra enumeravimus, qui sacrosanctam crucem illam ipsam, in qua vitae auctor pependerat et mortem moriendo superaverat, decimoquarto anno, postquam venerat in potestatem Persarum, felicissime recepit, eamque suis humeris, abiecto imperatorio amictu, calceisque detractis, in ipsum Calvariae montem, in passionis Christi memoriam, magna cum humilitate reportavit.

Hic Pontifex haec numismata transmisit ad imperatorem reges et principes atque cardinales aliosque praestantissimos viros.

§ 13. Nos igitur, aliquam augustissimae eorumdem imperatorum memoriæ gratiam non immerito referre cupientes, carissimis in Christo filiis nostris Romanorum imperatori electo, ac regibus et dilectis filiis nobilibus viris principibus, quos in visceribus Christi gerimus, quaedam ex supradictis aureis numismatibus, singulare paterni nostri amoris erga ipsos pignus, misimus, ut ad similem virtutis et religionis laudem excitentur, et se Ecclesiae Romanae filios, catholicorum principum successores et crucis Christi defensores esse crebrius reminiscantur, veteres in hoc quidem sanctos Pontifices praedecessores nostros, praesertim eumdem Beatum Gregorium Papam, imitati, qui regibus et principibus ac primariis viris aureas cruces et claves parvulas, quae claves B. Petri dicebantur, mittere consueverant, quaeque, collo appensae et religiose gestatae, miraculis coruscabant; quaedam vero alia ex eisdem numismatibus dedimus venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, reliqua vero eodem modo piis et praestantibus viris iam distribuimus.

Et eadem modo indulgentiis decorat eis concedendo.

§ 14. Ut autem ab omnibus et singulis christifidelibus, quibus a nobis tradita iam sunt, devotius ac religiosius et cum spirituali animarum fructu gestentur, decrevimus, ad sanctissimae crucis honorem et gloriosam memoriam imperatorum, eadem numismata praecipuis gratiis et indulgentiis amplissimis ex nostra apostolica benignitate insignire.

Gestantibus illa et facientibus hic descripta.

§ 15. Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum apostolorum eius Petri et Pauli auctoritate confisi, universis et singulis christifidelibus utriusque sexus, quodcumque ex his numismatibus penes se gestantibus, quoties eorum aliquis ante salutiferae crucis signum aut sacram aliquam imaginem pertransiens, operto capite, venerationem tribuerit aut genuflexerit, Orationem Dominicam vel Salutationem Angelicam pronunciando, toties ei centum annos et totidem quadragenas.

Singulis autem diebus, si ter Orationem Dominicam Salutationemque Angeli-

cam, aut semel Psalmum *Miserere mei Deus* seu *De profundis clamavi* devote recitaverit, annos ducentos, ac etiam totidem quadragenas.

Item quoties ad Deum mentem elevaverit, illiusque divinam opem imploraverit, etiam ducentos annos et totidem quadragenas.

Si vero quocumque dominico aut festo die coronam Beatissimae semper Virginis Dei genitricis Mariae etiam pia devotione recitaverit, annos trecentos et totidem quadragenas.

Ac si conscientiam suam mane aut vesperi, cum emendationis proposito, examinaverit, ac de male anteacta vita veniam supplex a Deo misericordiarum patre postulaverit, similiter trecentos annos et totidem quadragenas de sibi iniunctis vel alias quomodolibet per eum debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxamus.

Atque ut eosdem fideles ad pietatis opera exercenda eo etiam magis invitemus, eorum cuilibet, quoties pro haereticorum reductione, infidelium conversione, christianae atque orthodoxae fidei propagatione, et sanctae matris Ecclesiae tranquillitate et exaltatione, ac inter principes christianos pace et concordia, Deum precando, Orationem Dominicam Salutationemque Angelicam quinquies devote dixerint, easdem illas indulgentias ac peccatorum remissiones, quae unam e septem praecipuis Urbis basilicis visitantibus concessae sunt, concedimus et impartimur.

Quod si quis peccatorem a via perditionis, veluti ab haeresi, blasphemia aliisve eiusmodi sceleribus et peccatis, ad viam salutis converterit, aut si certe in eo laboraverit, aut si inter discordantes pacem conciliaverit, aut quantum in se est, procuraverit, concedimus ut sanctorum sacrificiorum, ieiuniorum, orationum ac quorumvis aliorum piorum operum, quae in omnibus Ordinibus et congregationibus regularibus sanctae catholicae Ecclesiae fiunt, non secus ac si uniuscuiusque earum proprium membrum foret, eo ipso particeps efficiatur.

Praeterea unicuique vere poenitenti, qui peccata sua alicui ex sacerdotibus idoneis et ad id approbatis confessus fuerit, et sacram sumpserit Eucharistiam, aut missam, si sacerdos fuerit, celebraverit, quoties id fecerit, toties ei plenariam.

Aut si in mortis articulo constitutus, numisma collo appensum aut quovis modo secum habuerit, pronunciato nomine Iesu, corde saltem, si ore nequiverit, etiam plenariam.

Atque itidem militibus aut aliis qui aliquod huiusmodi numisma secum habentes contra infideles vel haereticos aut alios S. R. E. hostes pugnaverint, praesertimque si ibi eos mori contigerit, Iesu nomine, ut supra, invocato, pariter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate praedicta, tenore praesentium, etiam misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Utque defectus et negligentiae animique distractiones, quae ex humana fragilitate in Divini officii recitatione, missarumque celebratione vel auditione sacerdotibus aut clericis vel laicis contingere solent, aut horum etiam ob iustum impedimentum praetermissio, ex devota huius numismatis gestatione, corona tamen Beatae Mariae Virginis pie recitata, aut saltem pronunciato psalmo *Miserere mei Deus*, suppleri et compensari possint, eadem auctoritate concedimus et indulgemus.

§ 16. Quicumque autem aliquod huiusmodi numisma habuerit ipsum pro suo arbitrio in testamento aut alia ultima vo- **Numisma ecclesiis tantum relinqui possit.**

luntate, cui voluerit ecclesiae, nec vero cuiquam alii, absque speciali nostra aut nostrorum successorum concessione, relinquere aut donare possit.

Quas ecclesias visitantes indulgentias consequantur.

§ 17. Quam quidem ecclesiam, in qua fuerit dictum numisma repositum, festis diebus Inventionis et Exaltationis Sanctae Crucis, universis et singulis christifidelibus utriusque sexus vere poenitentibus et peccata sua confessis, devote visitantibus, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem damus, concedimus et elargimur.

Numisma intestati decedentis ad propinquiorem Ecclesiam spectat.

§ 18. Quod si quis numisma habens ab intestato decesserit, volumus ut illud ad propinquiorem eius domicilio ecclesiam, cum eisdem gratiis, facultatibus et indulgentiis, pertineat.

In articuloque mortis constitutis accommodari possit.

§ 19. Cuicumque nihilominus in articulo mortis constituto, de consilio eius confessarii, ipsum numisma liceat commodare, qui itidem omnes supradictas indulgentias et peccatorum remissiones valeat obtinere.

Animabusque purgatorii prosit, impletis hic enarratis.

§ 20. Postremo ut animabus quoque christifidelium in purgatorio existentibus, quae per caritatem Domino nostro Iesu Christo unitae ex hac vita migraverint, quaeque antequam decederent aliorum christifidelium suffragiis iuvari meruerunt, de coelestibus ecclesiae thesauris, quorum dispensatores a Domino ad animarum salutem constituti sumus, paterne subveniamus, divina miseratione confisi, concedimus ut quoties quilibet aliquod ex huiusmodi numismatibus secum habens, pro dictarum animarum salute, praemissa eorumve aliqua adimpleverit, vel quicumque alius ecclesias, in quibus eadem numismata exponi contigerit, dictis festis diebus Inventionis et Exaltationis Sanctae Crucis visitaverit, ipsae animae, pro quibus id fecerit, efficacissimis Iesu Christi Domini nostri meritis, ac eiusdem Beatae Mariae semper Virginis, sanctorum angelorum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum omniumque sanctorum et sanctarum precibus et intercessionibus suffragantibus, easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequantur.

Clausulae huius elargitionis praeservativae.

§ 21. Praesentes vero litteras, sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, abrogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel successores nostros Romanos Pontifices, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac in favorem Cruciatae Sanctae vel alias quomodolibet faciendis, minime comprehendi, sed quoties illae emanabunt, toties easdem praesentes ab illis exceptas, et nisi de eis expressa et individua mentio fiat, adversus illas in pristinum et validissimum statum restitutas, ac de novo concessas esse et censeri, et perpetuo validas et efficaces fore, ac supradictis personis et ecclesiis perpetuis futuris temporibus suffragari debere decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 22. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 23. Volumus autem ut praesentium litterarum exemplis, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, kalendis decembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 decemb. 1587, pontif. anno III.

CXV.

Confirmatio privilegiorum civitatis, terrarum et locorum comitatus Esii cum nonnullis statutis pro directione eiusdem comitatus [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

De salubri civitatum, oppidorum et locorum nostro et Romanae Ecclesiae

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

temporali dominio subiectorum statu sedula meditatione solliciti, ea pro pastoralis officii nostri debito constituimus in dies, quae ad illorum prosperum regimen et gubernium spectare cognoscimus.

Sixtus Esii gubernatorem instituerat.

§ 1. Hinc est quod nos, qui ab ipso pontificatus nostri initio in civitate nostra Esina, tunc per unum praetorem sub gubernio provinciae nostrae Marchiae regi solita, nomine, titulo, statu et essentia praetoris illiusque officio huiusmodi ibidem apostolica auctoritate perpetuo suppressis et extinctis, civitatem Esinam praedictam, ac illius universum districtum, comitatum, terras, castra et loca eorumque cives, incolas, habitatores, personas, res et bona regimini et gubernio unius gubernatoris ibidem instituti, cum omnibus honoribus, privilegiis et præeminentiis, quibus gubernatores aliarum civitatum dictae Marchiae fruebantur, per quasdam subiecimus, et deinde nonnullorum querelis desuper interpositis adducti, extinctum officium praetoris huiusmodi in gubernium peculiare, salva tamen pro tempore existentis legati, seu praesidentis vel alterius gubernatoris provinciae praedictae superintendentia, ad instar gubernatorum civitatis Castelli et Tuderti, per alias nostras in forma brevis litteras ereximus et instituimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur.

Dictae civitatis statuta omnia et privilegia confirmat.

§ 2. Eiusdem civitatis nostrae Esinae, quae antiquitate, nobilitate, fertilitate ac populi frequentia praestantiumque virorum copia et territorii foecunditate plurimum celebris existit, decori, dignitati et ornamento per amplius consulere, ac dilectos filios illius communitatem et homines qui etiam in nostram et Apostolicae Sedis subventionem nuper summam quatuor millium scutorum auri in auro, XII iuliis monetae Romanae pro quolibet scuto huiusmodi computatis, per dilectos filios Annibalem Pritium, utriusque iuris doctorem, et Polidorum Baldassinum, eorum concives et apud nos et Sedem praedictam in hac parte agentes, nobis ad effectum causae onerosae praesentibus contentae obtulerunt, ac depositario nostro generali realiter et cum effectu persolvi curarunt, grati animi affectu, condignisque favoribus et gratiis prosequi et compensare volentes, necnon communitatem et homines ac alios incolas et habitatores praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac ad instar aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, a quibus gubernia et regimina variis temporibus instituta et separata fuere, supplicationibus communitatis, hominum et agentium praedictorum per eos et dilectum filium nostrum Prosperum tituli Sancti Clementis presbyterum cardinalem Sanctacrucium nuncupatum, nobis iamdudum humiliter porrectis, inclinati, causa quoque, et praesentibus huiusmodi per nos et dilectum filium thesaurarium generalem dictae Camerae primo, et deinde per dilectum filium nostrum Hieronymum, Sanctae Mariae in Cosmedin diaconum cardinalem Mattheium nuncupatum, diligenter cognitis et examinatis, ac etiam dicto gubernio, ad quod referendarios etiam signaturae nostrae transmisimus, ac omnibus aliis debita animadversione pensatis, suppressionem ac extinctionem officii praetoris huiusmodi ratas et gratas habentes et innovantes, atque superintendentiam peaedictam abrogantes et abolentes, motu etiam proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula statuta, consti-

tutiones et ordinationes civitatis Esinae illiusque communitatis et hominum praedictorum, necnon privilegia, exemptiones, libertates, praerogativas, facultates, gratias, tam spirituales quam temporales, et indulta quomodocumque et per quoscumque Romanos Pontifices pro tempore existentes ac nos et dictam Sedem seu alios hactenus quomodolibet edita et concessa, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et concili Tridentini decretis non contraria, et quatenus illa in usu existant, nec sub ullis apostolicis revocationibus comprehensa, illorum omnium dictarumque litterarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur favorabiliter adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum, etiam substantialium, defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Eam a cuiuscumque iurisdictione liberat, solique Apostolicae Sedi subiicit.

§ 3. Nec non civitatem ipsam Esinam, ac illius universum districtum, comitatum terras seu castra et loca, eorumque cives, incolas, habitatores, personas, res et bona, ab omni et quacumque iurisdictione, potestate, legatione, vicelegatione, gubernio, dominio, correctione, visitatione, regimine, superioritate, auctoritate, superintendentia et facultate ordinaria vel extraordinaria, generali vel speciali, tacite vel expresse quomodocumque concessa seu concedenda, legatorum etiam de latere, vicelegatorum, praesidentium gubernatorum, iudicum, officialium, vicariorum, locatenentium et aliorum ministrorum quorumcumque dictae Marchiae, vel alterius provinciae sive loci, etiamsi de illis magis specialis et expressa mentio habenda foret, ita ut ipsi vel eorum aliqui in quibuscumque maximis, minimis mediocribusque causis temporalibus, saecularibus, profanis, criminalibus, civilibus sive mixtis, in prima, secunda, tertia et quacumque alia instantia, tam per viam simplicis querelae, quam etiam cuiuscumque appellationis, recursus, iuramenti, etiam per horrecentiae, inhibitionis, bannimenti, edicti et quemcumque alium modum, etiam ratione et occasione fideiussorum de non offendendo et se repraesentando datarum sive dandarum, seu quae alias renovandae essent, et pacis initae sive ineundae, ac induciarum fractarum sive frangendarum, vel alias quomodolibet motis et inchoatis, dummodo ad praesens non sint instructae, nec per compromissum introductae, et in posterum quomodocumque movendis, cogitatis, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et status existentibus, se amplius ex officio, sive ad fisci sive partium instantiam, intromittere, vel in civitatem Esinam huiusmodi ac illius districtum, comitatum, terras, castra aut loca, eorumque cives, incolas, habitatores, personas, res et bona ullam in eos iurisdictionem, potestatem, regimen, gubernium, visitationem, correctionem, superioritatem, auctoritatem, superintendentiam ac controversiam, tam in petitorio quam in possessorio, amplius ullo modo, via, iure, causa et forma exercere, aut quascumque sententias, censuras et poenas promulgare nequeant, auctoritate et tenore praedictis, in omne aevum, sine tamen Camerae nostrae Apostolicae auditoris generalis ubique locorum iurisdictionem habentis, ac iudicum, commissariorum, quibus a nobis vel successoribus nostris, sive ex signaturae rescripto, causae commissae extiterint, praeiudicio, penitus eximimus et totaliter liberamus, ac nostro soli et dictae Sedis regimini, gubernio et iurisdictioni, cum omnibus et singulis suis causis, iuribus et actionibus, servato tamen legum et canonum ordine, immediate, absque ali-

cuius alterius recognitione et superintendentia, perpetuo subiicimus, ipsiusque Marchiae et cuiuscumque alterius provinciae seu loci legatis, etiam de latere, praesidentibusque et gubernatoribus desuper perpetuum silentium omnino imponimus.

Solius gubernatoris regimini committit.

§ 4. Necnon in ipsa civitate Esina eiusque districtu, comitatu, terris, castris et locis praedictis unum amplum, absolutum et peculiare gubernium, ab omni legatione et quocumque alio gubernio liberum et exemptum, pro uno gubernatore a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus eligendo et nominando, seu iam per nos electo et nominato.

Facultates talis gubernatoris enunciat.

§ 5. Qui nostro et S. R. E. nomine citra alicuius legati vel praesidentis aut alterius gubernatoris recognitionem, superintendentiam aut dependentiam ac ab illis privative civitatem Esinam, ac illius districtum et comitatum, eorumque cives, incolas, habitatores, personas, res et bona quaecumque regat et gubernet, ac liberam, amplam et omnimodam iurisdictionem, potestatem, auctoritatem et superioritatem in illam et illos iuridice exerceat, necnon civiles, ordinarias in prima instantia per locumtenentem suum vel iudicem ordinarium praedictae civitatis tantum, ita ut praeventioni locus sit, et de uno ad eorum alterum, qui non iudicaverit, et demum ad ipsum gubernatorem appellari possit; reliquas vero civiles, summarias videlicet et executivas, necnon criminales ac fideiussiones, paces, etiam inducias praedictas, etiam antea sub dicta curia generali semel vel pluries initas, factas, impletas aut innovatas, et de cetero sub ipsa curia Esina ineundas, frangendas, implendas et innovandas, ac pro initis, fractis, impletis et innovatis respective habendas civitatis Esinae ac illius districtus, comitatus, terrarum aut castrorum et locorum praedictorum eorumque civium, incolarum, habitatorum, personarum, rerum et bonorum, ut praefertur, vel alias quomodolibet, ac quavis causa et occasione motas, dummodo ad praesens non sint alibi instructae vel per compromissum introductae, et in futurum quomodocumque movendas.

Cam. Apost. auditoris et episcopi ordinariis ius reservat.

§ 6. Sine tamen auditoris generalis, et iudicum commissariorum praedictorum praeiudicio, et salva eorum iurisdictione, ac exceptis causis ecclesiasticis ad forum ecclesiasticum pro tempore existentis episcopi Esini illiusque curiam, iuxta formam canonum ac sacri concilii Tridentini decretorum spectantibus et spectaturis, per se suosque ministros agere, tractare, audire, cognoscere, decidere fineque debito, iustitia mediante, terminare.

Aliarum similium civitatum privilegia communicat.

§ 7. Omnibusque et singulis honoribus, privilegiis, facultatibus et praeeminentiis, quibus civitatum nostrarum Fanensis, Anconitanae, Firmanae et Asculanae, ceterique liberi gubernatores, nostram tantum et dictae Sedis auctoritatem, iurisdictionem et superioritatem immediate recognoscentes, de iure vel consuetudine seu ex privilegio aut alias vigore quarumcumque litterarum apostolicarum, quarum tenores, formas, compendi ac datas etiam praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, absque ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possit.

Salarium gubernatoris assignat.

§ 8. Cum salario et stipendio alias aucto quinquaginta scutorum argenteorum monetae illarum partium, si ipse gubernator fuerit in aliqua praelatura constitutus; alioquin triginta scutorum similium dumtaxat pro quolibet mense, iuxta dictae civitatis Esinae illiusque communitatis et hominum concilia olim celebrata.

§ 9. Et cum usu et manutentione ca-

Sportulae etc. pro causis civilibus et criminalibus.

pitulorum de et super sindicatu, ac modo et forma regiminis, tum etiam observatione taxarum de et super sportulis vel aliis solutionibus in causa civili vel criminali quomodolibet tempore dictae praeturae praestari solitis, quae salvae et illaesae remaneant, donec alia condigna et rationabilia capitula et taxae de et super praemissis per civitatem praedictam illiusque communitatem et homines confecta fuerint, necnon cum omnibus aliis proventibus, emolumentis, honoribusque et oneribus, solitis et consuetis, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo constituimus, erigimus et instituimus.

Clausulae ad praesentium litterarum firmitatem opportunae.

§ 10. Insuper, pro maiori gubernii per praesentes instituti stabilitate, ac aliorum praemissorum omnium observatione et manutentione, necnon communitatis et hominum praedictorum cautela et securitate perpetua et solemni, omnia et singula Sedis et Camerae Apostolicae praedictorum bona civitati praedictae illiusque communitati et hominibus obligamus et hypothecamus, ac obligata et hypothecata esse; necnon praesentes litteras ac omnia et quaecumque in eis contenta nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu, etiam causarum vel personarum, etiam transeuntium vel forensium, aut alia quacumque occasione, in toto vel in parte, notari, argui, impugnari, invalidari, retardari, rescindi, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam vocari, aut adversus illa quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, cientia et potestatis plenitudine similibus concedi posse, ac sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, ad tempus vel beneplacitum, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et sucessores nostros, dictaeque Sedis sub quibuscumque tenoribus et formis, quandocumque vel qualitercumque, generaliter, communiter, specifice et expresse factis et faciendis, minime comprehendi, sed semper et perpetuo ab illis excepta, et quoties emanabunt, toties in pristinum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac etiam sub data per communitatem et homines praedictos eligenda de novo reconcessa, valida, firma et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac inviolabiliter observari debere, vimque et robur veri et validi contractus ac efficacis obligationis inter nos ac Sedem et Cameram praedictas ex una, nec non civitatem praedictam illiusque communitatem et homines partibus ex altera legitime ex titulo vere oneroso, mediante solutione praedictae summae quatuor millium scutorum huiusmodi, initi et stipulati ac etiam utrinque iurati obtinere; dictamque Cameram ad communitatem, homines, incolas, habitatores et personas huiusmodi in libero gubernio ac iuribus et aliis praemissis tuendos immunes, indemnes et exemptos conservandos teneri et obligatos esse ac fore, easdemque praesentes litteras ad probandum plene solutionem summae quatuor millium scutorum huiu. modi, ac quod illa in nostram dictaeque Sedis subventionem conversa fuerint, aliaque praemissa ubique, tam in iudicio quam extra, sufficere, nec alterius probationis adminiculum requiri.

Sic observandum in quocumque tribunali.

§ 11. Sicque per praedictos ac quoscumque alios iudices, ordinarios et delegatos, cuiusvis auctoritatis et potestatis, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia, perpetuo iudicari et

deffiniri debere; necnon si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

Poenae contra violatores.

§ 12. Districtius inhibentes praedictis legatis, etiam de latere, vicelegatis, gubernatoribus, commissariis, locatenentibus ordinariis et extraordinariis, quavis auctoritate, generali vel speciali, specifica et expressa, fungentibus et functuris, ceterisque officialibus, notariis, executoribus et iustitiae ministris quibuscumque eiusdem Marchiae vel alterius provinciae sive loci, ac omnibus et quibuscumque aliis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus et extituris, exceptis tantummodo Camerae nostrae Apostolicae generali auditore et iudicibus, quibus a nobis vel a successoribus nostris, sive ex signaturae rescripto causae commissae fuerint, ne sub indignationis nostrae, respectu cardinalium, et excommunicationis, respectu aliorum, poenis, quidquam contra praesentium tenorem directe vel indirecte, quovis quaesito colore, attentare aut alias illis quomodolibet contravenire audeant vel praesumant.

Deputati executores.

§ 13. Et nihilominus dilectis filiis causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori nunc et pro tempore existenti, ac universis et singulis legatis etiam de latere, necnon patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis seu in ecclesiastica dignitate constitutis, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes litteras ac omnia et singula in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictae civitatis illiusque communitatis, hominum, incolarum, habitatorum et personarum huiusmodi seu alterius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac gubernatores, communitatem, cives, homines, incolas, habitatores et personas civitatis Esinae, illiusque districtus, comitatus, terrarum, castrorum et locorum huiusmodi, illis omnibus et singulis, iuxta eorumdem praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos vel eorum quempiam desuper quomodolibet molestari et inquietari vel perturbari; contradictores quoslibet vel rebelles ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ac temporales aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, illas sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse, servata tamen forma concilii Tridentini, declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 14. Non obstantibus Pii IV de praesentandis et registrandis in dicta Camera Apostolica gratiis et privilegiis illius interesse concernentibus, infra tres menses a die impetrationis; necnon Bonifacii VIII, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, constitutionibus, ac terrarum, castrorum et locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, usibus, stabilimentis, decretis, reformationibus; privilegiis quoque, indultis, facultatibus et litteris apostolicis illis eorumque legatis, vicelegatis, praesidentibus, gubernatoribus, locatenentibus, officialibus, iudicibus

et ministris et quibusvis aliis personis per praedictos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores vel successores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam per vias generalis legis et statuti, et de fratrum consilio, ac ex causis quantumvis gravibus et onerosis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis, ac concedendis, approbandis et innovandis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveretur expresse quod illis nullatenus derogari possit, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro plene et sufficienter expressis, ac modos et formas ad id observandos pro servatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, eaque et alia omnia in quantum praesentibus litteris contrariantur, aut illis et in eis contentis quibuscumque obesse, aut illorum executionem et effectum retardare possunt, omnino revocamus, tollimus et abrogamus, ac, pro revocatis, sublatis et abrogatis haberi volumus et sufficientissime derogatum, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, per praesentes autem praeiudicare taxis et oneribus, tempore dictae praeturae ac gubernii praeteriti per officiales ipsos vel alios Camerae nostrae, sive alteri solvi solitis vel consuetis, vel alicuius expensae augmentum afferre, comitativis occasione dicti aucti salarii et gubernii sic concessi, aut aliquod illis in lite et causa inter eos in Camera Apostolica coram dilecto filio Fabio Corneo eiusdem Camerae Clerico de et super introitibus rebusque aliis indecisa pendentia, ac quibuslibet eorum iuribus et statui praeiudicium etiam in minimo generare, seu aliquid desuper innovare non intendimus, quae quoad hoc salvae et illaesae remaneant.

§ 15. Ceterum volumus ut, *etc.* Fides danda transumptis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV decembris MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 dec. 1587, pontif. anno III.

CXVI.

Erectio collegii S. Bonaventurae in conventu Sanctorum XII Apostolorum de Urbe Ordinis Minorum conventualium [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ineffabilis divinae providentiae altitudo, Exordium. cuius nutu ordinationem suscipiunt universa, iam inde ab ipso apostolicae praedicationis primordio, almam urbem Romam adeo copiosis coelestium gratiarum donis ac praerogativis cumulavit, ut quae antea per tot saecula variis superstitionibus quasi quibusdam praestigiis decepta ac seducta tenebatur, quaeque fuerat erroris schola, tunc primum glorioso bea-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

tissimorum Petri et Pauli apostolorum martyrio Deo omnipotenti consecrata, sinceritate ac solida christianae religionis doctrina illustrata, divinae sapientiae ac veritatis sacrarumque litterarum publicum gymnasium esse inciperet, et ab ipsa, quae orbis terrarum regebat imperium, tamquam a summa ac primaria omnium provinciarum sede, in omnes partes lux illa veritatis se se diffunderet, quae pro communi humani generis salute divinitus tradita, tunc recens per eosdem apostolos in tetra illa errorum caligine mundo fuerat revelata. Et exinde diversi Romani Pontifices nostri praedecessores, sancto propagandae fidei zelo accensi, eam pontificio munere dignissimam susceperunt curam et sollicitudinem ut eamdem Urbem, unde vera pietas, religio et doctrina in omnes gentes ac nationes perpetuo disseminanda erat, alii religiosi collegiis et universitatibus, alii publicis et sacrorum librorum bibliothecis ornarent atque augerent; sic quoque nos, qui regulari habitu Ordinis fratrum Minorum conventualium S. Francisci ab ineunte aetate suscepto, illius Regulam et instituta solemniter riteque professi sumus, cum Romae in domo ipsius Ordinis apud Sanctorum XII Apostolorum basilicam verbi Dei concionatoris, et postea universi Ordinis Minorum procuratoris, ac demum magistri generalis amplissimis muneribus fungeremur; domum praedictam non modo fabricis atque aedificiis, sed etiam bibliotheca, auximus atque ornavimus, non sine fragranti desiderio aliquod ibidem collegium, ac divinarum litterarum sacraeque theologiae studium instituendi.

Pontifex se huius Ordinis professum, muniaque in eo adimpleta enunciat.

Quare nunc demum ad celsissimam pontificatus Sedem, immensa divina clementia, nullis nostris meritis, provecti, rei optimae perficiendae propositum diutius non duximus differendum, cum praesertim hoc a nobis expostulare videatur, non solum apostolicis muneris divinitus fidei nostrae commissi sollicitudo, praecipuaque illa, qua urbem hanc nostram Romam diligimus, caritas et studium quo illius ornandae maxime flagramus, sed plane flagitat beati Seraphici Francisci regularis Ordo, a quo tot summorum virorum doctrina et sanctitate praestantium religiosae cohortes et copiae ad Ecclesiae Dei propagationem et defensionem prodierunt, ut quod olim felicis recordationis Innocentius PP. III, praedecessor noster, praesignificavit dum beatum Franciscum ipsius Ordinis parentem et auctorem suis humeris Lateranensem basilicam collabentem sustinere in somnis vidit, id deinde communi bono christianae reipublicae ipse rerum eventus comprobarit.

Iampridem huius collegii mentem induxerat.

Idem enim Franciscus ea sapientiae suae semina edidit, ea reliquit continentiae, abstinentiae ac susceptorum pro Christo laborum tolerantiae documenta, ut qui eius Regulam sequuti sunt, quasi novae sobolis factus adoptati, ac salutaribus praeceptis instructi, perpetua futurorum temporum successione universae catholicae Ecclesiae ornamento extiterint, siquidem multi ex ipsis, sanctitate atque eruditione insignes, tanti patris et magistri hortatu atque exemplo excitati, multis variisque provinciis peragratis, nationes in tenebris aberrantes ad disciplinae christianae lucem revocarunt, ac convulsis vitiorum atque errorum radicibus, verbi Dei, quod velut imber de coelo descendens terramque inebrians facit eam germinare, pia praedicatione mentes hominum foecundarunt, et usque adeo praeclari huius Ordinis tum sanctitatis, tum doctrinae odor iam inde ab initio in omnem terram se diffundit, ita in dies magis huius sanctae familiae alumni, iuvante Domino, profecerunt, ut piae memoriae Gregorius IX et Gregorius X, aliique Romani Pontifices, etiam praedecessores nostri, ad res Eccle-

S. Francisci eiusque religiosorum in religionem christianam et S. Sedem merita.

siae maximas gerendas eiusdem Ordinis professores adhibuerunt, ac potissimum duos illos spectatae pietatis et doctrinae, qui legati apostolici ab eodem Gregorio X Constantinopolim missi, Graecos ad Sanct. Apostolicae Sedis obedientiam, Tartaros ad catholicam fidem reduxerunt; quin etiam constans opinio fuerit seraphici doctoris S. Bonaventurae opera in concilio generali Lugdunensi idem egregie perfectum fuisse, et longum sit recensere ceteros complures eiusdem Ordinis regulares, qui, per illorum gloriosa vestigia pleno gradu incedendo, continuata tot saeculorum serie ad nostram usque aetatem uberrimos, ad Dei gloriam et animarum salutem, in sancta Dei Ecclesia fructus protulerunt.

Attenta vacantia nonnullorum beneficior. hic enunciatorum,

§ 1. Cum itaque monasterium S. Mariae de Arabona S. Benedicti vel Cisterciensis Ordinis, nullius dioecesis, provinciæ Theatinae, quod bonae memoriae Iacobus episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Sabellus nuncupatus ex concessione et seu dispensatione apostolica in commendam, dum viveret, obtinebat, commenda ipsa per obitum eiusdem Iacobi cardinalis, qui nuper apud dictam Sedem debitum naturae persolvit, cessante, adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabat modo; necnon perpetua capellania sub invocatione Conceptionis seu Nativitatis Beatae Mariae Virginis in ecclesia Veliterna per obitum quondam Ioannis Petri Ghislerii, alias de consiliariis, in dicta ecclesia dum viveret perpetui capellani, apud Sedem eamdem defuncti, vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de dicta capellania praeter nos, pro eo quod dudum omnia beneficia ecclesiastica apud Sedem praedictam tunc vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, ac ex tunc irritum et inane decernimus si secus super eisa quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis; nos, qui pietatis ac disciplinarum et theologiae felices in Domino progressiones perpetuo fovere debemus, iustissimis causis et rationibus adducti, quod semper antea in votis habuimus, id re ipsa exequi volentes, eamdem basilicam a recolendae memoriae Ioanne Papa III, similiter praedecessore nostro, plurimis privilegiis decoratam, novo collegio ac studio divinarum litterarum sacraeque theologiae ornare, reque augere decrevimus, ad hoc ut in ea professoribus dicti Ordinis Minorum conventualium ad studia sacrarum litterarum huiusmodi occasio et commoditas, nostra et Sedis praedictae beneficentia, subministretur, simulque novi operarii ad agri dominici culturam introducantur.

Collegium viginti studentium in conventu SS. XII apostolorum instituit.

§ 2. Motu itaque proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, necnon militantis Ecclesiae exaltationem, divinique cultus et orthodoxae fidei augmentum, ac religiosorum praedictorum commoditatem atque profectum, in praedicta domo unum collegium viginti ad minus eiusdem Ordinis Minorum Conventualium professorum in humanioribus litteris et ingenuis artibus, nempe in logica, physica et methaphysica, optime versatorum, ac alias iuxta ordinationes et statuta desuper facienda et stabilienda qualificatorum, qui in huiusmodi collegio, tanquam uberrimo divinae legis seminario, sacrae theologiae seraphici eximii doctoris S. Bonaventurae tantum studiis insistere et operam suam navare, atque in quatuor sententiarum libris eiusdem S. Bonaventurae, quem inter praecipuos Ecclesiae sanctae doctores adscribendum et ornandum per specialem

nostram constitutionem declaravimus, continue proficere studeant, sub unius praestantissimi et exercitatissimi lectoris regentis nuncupandi doctrina et disciplina, qui etiam legendo, interpretando ac disputando, ut moris est, in generalibus eiusdem Ordinis Minorum Conventualium studiis, eosdem religiosos collegiales exercere debeat, ut post peractum studiorum suorum huiusmodi cursum, tamquam feraces praedicti agri dominici plantae in Sacris Scripturis exponendis, interpretandis ac publicis verbi Dei concionibus habendis, aliisque spiritualibus officiis et ministeriis obeundis, sane doctrinae germina latius diffundere et superabundantes fructus ad communem utilitatem et salutem, Ordinisque Minorum conventualium huiusmodi decorem, producere valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Pro dote collegii beneficia supradicta assignat.

§ 3. Illique sic erecto et instituto, pro eius dote, ac lectoris seu regentis et collegialium huiusmodi substentatione, monasterium praedictum, in quo, ut accepimus, quatuor vel quinque dumtaxat monachi dicti S. Benedicti vel Cisterciensis Ordinis, ibidem a suis superioribus seu pro tempore existente dicti monasterii commendatore introducti, ad praesens degunt, eiusque fructus, reditus et proventus ad LX florenos auri in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur; et capellaniam huiusmodi, quae sine cura est personalemque residentiam non requirit, ac cuius et illi forsan annexorum fructus, reditus et proventus CCC ducatorum auri de Camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, sive capellania praemisso, sive alio, et tam illa quam monasterium huiusmodi quibusvis modis et ex aliorum quorumcumque personis, seu per liberam dicti Ioannis Petri vel alterius resignationem de capellania ac cessionem cuiusvis de regimine et administratione monasterii huiusmodi in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factas, aut capellania per assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod capellaniae collatio et monasterii huiusmodi provisio, iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones, ad Sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque capellania dispositioni apostolicae specialiter aut alias generaliter reservata existat, et provisio dicti monasterii ex quavis causa ad Sedem eamdem specialiter vel generaliter pertineat, ac de ipso monasterio consistorialiter disponi consueverit seu debeat; necnon super capellania ac regimine et administratione monasterii huiusmodi inter aliquos lis, cuius statum, verumque et ultimum monasterii et capellaniae praedictorum vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, resultet, praesentibus haberi volumus pro expressis, pendeat indecisa, cum annexis, membris, bonis, proprietatibus, iurisdictionibus, iuribus et praeeminentiis suis universis, ita quod liceat ex nunc ipsius collegii lectori seu regenti et collegialibus pro tempore existentibus illorum omnium corporalem possessionem per se vel alium seu alios, nomine eiusdem collegii, propria auctoritate, absque iudicis mandato vel decreto, ac spolii et attentatorum vitio, libere appraehendere et perpetuo retinere, eaque regere et administrare, ac fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta monasterii et capellaniae ac annexorum huiusmodi in suos dictique collegii communes usus, utilitatem et necessitates convertere, dioecesani loci

vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, unimus, annectimus et incorporamus.

Abrogata in abbatia sic unita abbatiali dignitate, monachos ad alia monasteria transire iubet.

§ 4. Ac in ipso monasterio dignitatem abbatialem, nomenque, titulum et denominationem abbatis, necnon conventualitatem, si quae sit, ac Sancti Benedicti, seu Cisterciensem Ordinem praedictum, illiusque statum, essentiam et dependentiam regulares, eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo supprimimus et extinguimus, ipsosque monachos ibidem degentes ad alia monasteria seu regularia loca sui Ordinis, ad id eis a suis superioribus assignanda, vel alias ubi benevolos invenerint receptores, ita ut ex nunc deinceps in monasterio unito praefato nullatenus permanere, nec ex illius fructibus vel rebus alimenta vel ullum omnino subsidium aut ius vel actionem ibidem praetendere possint, sed statim, habita praesentium notitia, ad alia monasteria et loca huiusmodi, nulla alia a nobis expectata iussione mentisque nostrae declaratione, sub excommunicationis latae sententiae, ac etiam carceris aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, ipso facto per contravenientes incurrendis, transire debeant; ac rector seu regens ac collegiales praefati, ad alios monachos in dicto unito monasterio recipiendum et admittendum, illisque alimenta ministrandum vel aliud quidpiam praestandum minime teneantur nec obligati sint, minusque ad id cogi vel compelli valeant, transferimus.

Talis monasterii onera collegio imponit.

§ 5. Necnon fundationem et institutionem monasterii huiusmodi, ac missarum, anniversariorum et aliorum divinorum officiorum obligationes, commissiones et defunctorum suffragia, si quae sint, ceteraque onera eidem unito monasterio quomodolibet incumbentia, in dicti collegii ministeria convertimus ac etiam commutamus.

Et ceterorum collegiorum privilegia communicat;

§ 6. Insuper eidem collegio illiusque lectori seu regenti, collegialibus, scholaribus, officialibus, ministris et personis, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, indultis ceterisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia praedicti Minorum conventualium et quorumvis aliorum Ordinum collegia, ad quaruncumque bonarum litterarum et disciplinarum cultum et propagationem ubique instituta, illorumque rectores, regentes, collegiales, scholares, officiales, ministri et personae de iure vel consuetudine, seu ex privilegio, etiam per viam communicationis seu extensionis, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ulla prorsus differentia, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si illa eis specialiter nominatim et expresse concessa et communicata fuissent, auctoritate et tenore praefatis, pariter perpetuo concedimus et indulgemus.

Cardinalem protectorem ei assignat.

§ 7. Ut autem dicti collegii prospero ac felici regimini et conservationi opportune consulatur, dilectum filium nostrum Alexandrum S. Eustachii diaconum cardinalem de Monte Alto nuncupatum, et eo vita functo, alium ex familia nostra, si quis erit, sin minus, antiquiorem ex provincia Marchiae Anconitanae oriundum, et utroque cessante, protectorem praedicti Ordinis Minorum conventualium pro tempore existentem S. R. E. cardinalem eiusdem collegii, illiusque lectoris seu regentis collegialium, scholarium, officialium, ministrorum et personarum rerumque et bonorum protectorem et defensorem, cuius consilio et ope omnia supradicta et quaecumque alia in eis et

circa ea quomodolibet necessaria agantur, statuantur et ordinentur, statuimus et deputamus.

Facultates tales protectoris enunciat.

§ 8. Praeterea Alexandro cardinali ac pro tempore existenti protectori praedicto lectorem seu regentem praedictum, necnon una cum ipso lectore seu regente oeconomos, officiales, advocatos, procuratores ceterosque ministros dicti collegii deputandi et amovendi, ac loco amovendorum alios sufficiendi, necnon quaecumque statuta, ordinationes et decreta circa eiusdem collegii illiusque rerum et bonorum spiritualium et temporalium curam, directionem, regimen et administrationem, quam collegialium praedictorum receptionem et admissionem, eorumque qualitates, victum, amictum, studiique cursum ac tempus per quod in dicto collegio ali et confoveri debeant, ac alias in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis, ipsiusque Ordinis Minorum conventualium regularibus institutis non contraria, faciendi et edendi, ac illa, quoties pro eorum et temporum qualitate vel alias expediens videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi ac alia ex integro condendi, quae postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint, eo ipso dicta apostolica auctoritate confirmata et approbata sint ac esse censeantur, et ab omnibus ad quos pro tempore spectabit, etiam sub poenis in contravenientes statuendis, observari debeant, plenam liberamque facultatem concedimus et elargimur.

Clausulae pro praesentis constitutionis perpetua firmitate.

§ 9. Decernentes erectionem, unionem, annexionem, incorporationem, suppressionem, extinctionem, translationem, conversionem, commutationem, indultum, statutum, deputationem, concessionem, facultatem aliaque praemissa ac praesentes litteras, nullo unquam tempore, sive pro eo quod causae, propter quas emanaverint et factae sint, coram locorum ordinariis, etiam tamquam praedictae Sedis delegatis, vel alibi examinatae, verificatae et approbatae, ac ordinarii, superiores et monachi praedicti vel quicumque alii interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, sive alias ex quibusvis causis, quantumvis legitimis et urgentibus, de subreptionis, obreptionis vel nullitatis vitio seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris, seu adversus illa quomodocumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari, seu etiam motu scientia et potestatis plenitudine similibus concesso uti posse, neque sub quibusvis illarum ac unionum, annexionum, incorporationum seu aliarum similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam in crastinum assumptionis ipsorum successorum nostrorum et cuiuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, ac alias quomodolibet, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis pro tempore emanatis, etiamsi de praesentibus litteris earumque toto tenore ac data specialis, specifica et expressa mentio fiat, minime comprehendi, sed illis ac quibusvis aliis contrariis non obstantibus, in suis robore et efficacia persistere; et quoties revocationes, suspensiones, limitationes aliaque contraria praedicta emanabunt, toties in pristinum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata ac de novo etiam sub data per protectorem, lectorem seu regentem, col-

legiales et personas huiusmodi quandocumque eligenda de novo concessa esse, suosque integros et plenarios effectus sortiri.

Atque observantia. § 10. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia, iudicari et deffiniri debere.

Executores deputati. § 11. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Cameranensi, et Montis Alti episcopis, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte protectoris, lectoris seu regentis et collegialium praedictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac protectorem, lectorem seu regentem, collegiales et alios praesentes eorumque singulos illis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos vel eorum quempiam desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari et inquietari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas incurrisse declarando, easque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 12. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit nostris de non tollendo iure quaesito, ac gratiis ad instar non concedendis, et unionibus committendis ad partes, vocatis interesse habentibus, veroque valore etiam beneficii cui aliud unitur exprimendo; necnon Lateranensis novissime celebrati et aliorum etiam generalium conciliorum uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri, et de monasteriis huiusmodi extra consistorium disponi, ac beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis uniri prohibentis; necnon similis memoriae Bonifacii Papae pariter praedecessoris nostri, etiam quae cavet ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur; seu ne indices a dicta Sede deputati extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis suas vices committere audeant seu praesumant, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; necnon monasterii et Ordinis ac ecclesiæ prædictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque praesulibus, capitulis, abbatibus, superioribus, magistris, conventibus, fratribus, religiosis et aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon

Contrariorum derogatio.

irritantibus et aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum vel aliorum principum instantiam, seu eorum contemplatione et intuitu, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, etiam contra uniones, annexiones et incorporationes aliaque praedicta quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras et processus habitos per easdem et inde sequuta quaecumque ad dictam capellaniam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum, aliorum praeiudicium generari; et quibuslibet aliisque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem litteris mentio specialis.

Aliae clausulae pro indemnitate abbatiae et capellaniae unitarum.

§ 13. Volumus autem quod propter unionem, annexionem et incorporationem praedictas, dictum monasterium in spiritualibus non laedatur, et in temporalibus detrimenta non sustineat, ac cura animarum, si qua illi immineat, nullatenus negligatur, ipsaque capellania debitis non fraudetur obsequiis, sed eius congrue supportentur onera consueta. Nos enim quoad capellaniam prout est, si attentatum forsan est hactenus vel in posterum; quo vero ad alia omnia supradicta ex nunc, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, decimo quinto kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 decemb. 1587, pontif. anno III.

CXVII.

Institutio quindecim congregationum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, cum iurisdictionum et facultatum partita concessione, ad faciliorem universae reipublicae christianae statusque ecclesiastici et Romanae Curiae negociorum et causarum expeditionem [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Immensa aeterni Dei omnium opifex sapientia a fine usque ad finem fortiter at-

[1] Ad haec videnda sunt quae sigillatim ad unamquamque rubricam congregationis adnotabo.

tingens, sic cuncta inter se admirabili concordiae nexu copulavit suaviterque disposuit, ut vicissim ad suorum se munerum functiones exercendas mutuis auxiliis sublevarent; ipsa in coelesti Ierusalem varios beatorum spirituum ordines distinxit, quorum superiores de divinae providentiae rebus inferiores illuminarent. Ipsa militantis Ecclesiae, quae triumphantis illius imago est, corpus variis membris discrevit quae, capiti suo glutino caritatis compacta et connexa, mutuo se adiuvarent, ex quo totius corporis salus et conservatio existeret.

Causae huius institutionis.

§ 1. Quare iure optimo Romanus Pontifex, quem Christus Dominus corporis sui, quod est Ecclesia, visibile caput constituit, omniumque ecclesiarum sollicitudinem gerere voluit, multos sibi tam immensi oneris adiutores advocat atque adsciscit; cum venerabiles episcopos fratres suos, quos toto terrarum orbe ad singulos greges pascendos mittit, tum amplissimum ordinem S. R. E. cardinalium, qui tamquam nobilissima membra capiti propius cohaerentia, eidem summo Pontifici, sicut Christo Domino apostoli, semper assistunt, quique primi laborum et consiliorum socii sunt et participes, ut partita inter eos aliosque Romanae Curiae magistratus ingenti curarum negociorumque mole, ipse tantae potestatis clavum tenens, divina gratia adiutrice, non succumbat.

Institutio quindecim congregationum de qua in rubr.

§ 2. Nos igitur, magni illius Moysi exemplo adducti, qui cum Deo loquens soceri sui Iethro consilium de variis iudicibus constituendis non repudiavit, quique Dei iussu insignem senatum septuaginta seniorum conscripsit, qui cum eo onus populi sustinerent, ne solus ipse gravaretur, pontificium hoc unus, angelicis plane humeris formidandum, inter senatores orbis terrae fratres nostros cardinales, apta quadam distributione, pro temporum conditione, negociorum multitudine et varietate, ipsaque utilitatis ratione salubriter partiri decrevimus. Ea in primis cogitatione permoti, ut qui ex omnibus nationibus ad hanc matrem, magistram perfugiumque fidelium Apostolicam Sedem, devotionis salutisque studio, iuris persequendi, gratiae impetrandae, aliasve multiplices ob causas frequentissimi confugiunt, ii quidem et tuto et commode (quantum in provinciis nostris praestare possumus) Romam perveniant: et ut facilius celeriusque expediantur, distinctos cardinalium conventus et congregationes ad certas rerum negociorumque tractationes paratas habeant, cardinalesque ipsi distributi muneris partem levius ferant, diligentius administrent, commodius nos consulant, et denique viri primarii publicis in rebus exercitati nullo umquam tempore desint. Itaque motu proprio et ex certa scientia, ac de eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, ex eodem sacro collegio, quod per Dei gratiam viris pietate, doctrina rerumque usu praestantibus ex omni natione abundat, congregationes quindecim constituimus, singulisque certa negocia assignavimus, ita ut graviores difficilioresque consultationes ad nos referant; ac unicuique earum suas facultates et auctoritatem in eum modum, qui infra descriptus est, dedimus atque attribuimus.

Congregatio prima pro sancta Inquisitione [1].

§ 1 In primis igitur, quoniam fides, sine

1 Ista congregatio iamdiu istituta fuit, eique amplam auctoritatem dedit Paulus III, ut in eius const. XLIII, *Licet ab*, tom. VI, pag. 344; ac Pius IV const. XCVII, *Cum nos per*, tom. VII, pag. 298; ac Pius V, const. I, *Sanctissimus*, ibid, pag. 422, et constitut. XXXIII, *Inter*, pag. 499, et const. *Cum... felicis*, pag. 404.

Confirmatio huius congregationis iam institutae.

qua impossibile est placere Deo, totius spiritualis aedificationis fundamentum est, cupientes hoc preciosum depositum, quod nobis potissimum a Christo Domino in beato Petro Apostolo est creditum, adversus omnes inferorum portas integrum inviolatumque custodire; *congregationem sanctae Inquisitionis hæreticae pravitatis*, magna praedecessorum providentia, tamquam firmissimum catholicae fidei propugnaculum in Urbe institutam, cui, ob summam rei gravitatem, Romanus Pontifex praesidere solet; nos quoque confirmamus et corroboramus, illiusque omnia instituta, omnesque et singulas facultates a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, cardinalibus ad eam congregationem pro tempore delectis concessas, omnemque auctoritatem et potestatem eis communicatam, scilicet inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi et definiendi in omnibus causis, tam haeresim manifestam, quam schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusus et quaecumque alia, quae etiam praesumptam haeresim sapere videntur, concernentibus, non solum in Urbe et Statu temporali, nobis et huic Sanctae Sedi subiecto, sed etiam in universo terrarum orbe, ubi christiana viget religio, super omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et alios inferiores ac inquisitores, quocumque privilegio illi suffulti sint, quorum ac aliorum praedictorum series his nostris litteris ad verbum expressa censeatur, confirmamus.

Eiusque facultatum.

§ 2. Ea deinde omnia quae, veluti per eosdem praedecessores circa eamdem congregationem illiusque iurisdictionem et auctoritatem decreta fuerunt, nos itidem statuimus atque decernimus.

Et indultorum huius officii ministrorum

§ 3. Exemptiones quoque, immunitates, privilegia atque indulta etiam eiusdem officii ministris, vel in hunc usque diem concessa atque recepta, pariter approbamus.

Hortatio ad principes et alios ut ei faveant etc.

§ 4. Obnixe in Domino hortantes et per viscera misericordiae Iesu Christi, et per eius tremendum iudicium obtestantes carissimos in Christo filios nostros, in imperatorem electum, omnesque reges ac dilectos filios nobiles viros rerumpublicarum aliosque duces, illisque regendis et administrandis praepositos, ac singulos orbis terrarum principes et magistratus, quibus gladii saecularis potestas ad malorum vindictam a Deo est tradita, per eam ipsam, quam se tueri promiserunt, catholicam fidem, ut sic suas quisque partes, sive in praestando ministris praedictis auxilio, sive in criminum post ecclesiae sententiam animadversione interponant, quod eos pro eorum pietate libenter facturos confidimus, ut eorum quoque praesidio ministri ipsi tantum munus tamque salutiferum, pro Regis aeterni gloria ac religionis incremento feliciter exequantur, cuius pii christianique obsequii principes ipsi et magistratus amplissimum a Domino praemium recepturi sunt in aeternae beatitudinis consortio catholicae fidei assertoribus et defensoribus praeparatum.

Sed ex hoc nihil innovetur de officio inquisitionis Hispaniae.

§ 5. In his autem omnibus nostra est intentio ne in officio sanctae Inquisitionis, in regnis et dominiis Hispaniarum, Sedis Apostolicae auctoritate, superioribus temporibus instituto, ex quo uberes in agro Domini fructus in dies prodire conspicimus, nobis aut successoribus nostris inconsultis, aliquid innovetur [1].

1 Omittuntur hic nomina cardinalium nunc deputatorum huic congregationi et aliis sequentibus, quoniam ob eorum obitum, alii subrogati sunt et frequenter eiusmodi mutatio contingit.

Congregatio secunda pro Signatura Gratiae [1].

Causa huius instit.

Et quoniam ad eam, quae *Signatura Gratiae* appellatur, et in qua nos etiam, praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum more, praesidemus, ex diversis orbis terrarum partibus, ob multiplices gratias obtinendas, magni concursus fiunt, supplicesque libelli referuntur, ut quae ex iudicum ordinaria facultate expediri nequeunt, potestate principis, qui viva est lex, iustis de causis explicentur et concedantur, sane pro loci dignitate et rerum ratione, magna circumspectio adhibenda est ut et honestae supplicationes, quantum cum Domino licet, exaudiantur, et multorum petentium importunitas coerceatur.

Institutio congr. secundae et explicatio muneris cardinal.

§ 1. Quamobrem cardinales infrascriptos Signaturae nostrae gratiae adscribimus, ad hoc ut omnes Signaturam nostram quavis de causa adeuntes, benigne audiant, porrectasque oblatarum petitionum informationes excipiant; nobis vero aut successoribus nostris, dum supplices libelli referuntur, assistant, opportunumque consilium afferant, omnique deposito humano affectu, sincere suam quisque sententiam, etiam non rogatus, ex conscientia dicat.

Declaratio circa cardinales supra munerum aliorum deputatorum.

§ 2. Declaramus autem in dictam congregationem semper eos cardinales adscriptos esse qui infrascriptis muneribus et officiis praefecti erunt; videlicet, maior poenitentiarius, praefectus Signaturae Gratiae, praefectus Signaturae Brevium, praefectus Signaturae Iustitiae, et qui datarii munere fungetur, si cardinalis fuerit, qui simul atque eas praefecturas et officia adepti erunt, statim in ipsam Signaturam adnumerati censeantur.

1 Ad Signaturam Gratiae videri potest const. LXXII Pii IV, *Cum nuper*, tom. VII, pag. 224; et const. LXXV, *In eligendis*, ibid, pag. 230.

Congregatio tertia pro erectione ecclesiarum et provisionibus consistorialibus.

Causa huius institutionis.

Illa praeterea cura ad pastoralis nostri officii sollicitudinem et ecclesiae universalis gubernationem maxime pertinet ut ad fidelium populorum utilitatem, ecclesiis iam erectis aut in posterum iustis de causis erigendis, de episcopis et pastoribus idoneis et fidelibus ac fructuosis in vinea magni patrisfamilias operariis salubriter in Domino provideamus.

Institutio tertiae congregationis, et explicatio muneris cardin.

§ 1. Quare aliam constituimus cardinalium congregationem, qui in primis cognoscant de legitimis causis erectionum novarum ecclesiarum quarumcumque, patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium, ac de cuiusque earum dote, capitulo, clero, populo et aliis, quae ad eiusmodi erectiones, iuxta praescriptum sacri concilii Tridentini et Sanctorum Patrum decreta, necessaria erunt. Examinent praeterea omnes difficultates de his incidentes, controversias quoque inter eas, quae iam erectae sunt, necnon dictarum ecclesiarum, dioecesum vel monasteriorum uniones, dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum super illarum reditibus assignationes, monasteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, praesentationes et nominationes, electionum sive postulationum confirmationes seu admissiones, suffraganeorum coadiutorumque deputationes, cum futura successione, sive absque eadem successione, curamque adhibebunt solertem circa aetatem et qualitatem promovendorum; eaque discussa et examinata ad nos successoresque nostros referant, ut pro nostro eorumve arbitrio, in consistorio secreto, iuxta formam in hunc usque diem servatam proponantur.

Congregatio quarta pro ubertate annonae Status Ecclesiastici [1].

Causa huius instit.

Cumque ad providentiam nostram pertineat curare ut populi ecclesiasticae ditioni subiecti, non solum pane verbi Dei reficiantur, sed hoc quoque terreno, quem etiam cum illo a Patre coelesti nobis dari quotidie petimus, abundent, pauperes praesertim et egeni, quibus parentis loco sumus, idcirco ut in omnibus provinciis nostris, et in hac potissimum alma Urbe, ad quam tanta hominum frequentia undique confluit, res frumentaria bene curata sit, et annonae publicae copia, benedicente Domino, semper suppetat:

Institutio congreg. quartae et facultates cardinalis deputatorum

§ 1. Congregationem cardinalium constituimus, quae omni studio curet non solum in Urbe, sed in universo Statu Ecclesiastico temporali, copiam haberi frumenti atque aliarum huius generis frugum, quibus ad vitam humanam sustentandam indigemus, quae, si peccatis populi id promerentibus, ob terrae sterilitatem in ditione Ecclesiastica aliquando, quod Deus avertat, deerunt, aliunde commeatum pro locorum opportunitate, convehi comportarique studeat, civitatibus, oppidis, locis, personis quibuscumque, quavis etiam ecclesiastica atque cardinalatus dignitate fulgentibus, ea omnia, quae ad abundantiam parandam atque conservandam erunt opportuna, praecipiat. Commissarios ubique locorum, prout exegerit necessitas aut suaserit utilitas, deputet, contra impedientes aut negligentes, sive annonam extrahi vel abduci, per se ipsos aut per alios, palam vel occulte procurantes, procedat, aliaque faciat quae ad annonae ubertatem omnino pertinere videbuntur.

Quae hic dicuntur de conservatione praesidii.

§ 2. Praecipuam vero curam et diligentiam adhibeat ut pecuniae summa, scutorum scilicet ducentorum millium, a nobis tam salubri ac necessario operi pauperum in primis causa paterne assignata atque attributa, nec in alium usum convertatur, et integra conservetur; quo si in caritate annonae aliquid ex dicta summa decesserit, illius recuperandae ac reintegrandae ratio quamprimum tueatur, ut hoc publicum praesidium et tamquam patrimonium pauperum, eorumdem cardinalium prudentia et sedulitate, perpetuo asservetur et, prout in alia constitutione super hoc a nobis edita, latius explicatur.

1 Huic annonae praeficitur a Summo Pontifice unus ex clericis Rev. Camerae Apostolicae, ut videre est superius, pag. 140. in constitutione LIV Gregorii XIII, *Inter ceteras*.

Congregatio quinta pro sacri ritibus et caeremoniis.

Causa huius institutionis.

Iam vero, cum sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, ex apostolica traditione et disciplina utitur, in sacramentorum administratione, divinis officiis omnique Dei et sanctorum veneratione magnam christiani populi eruditionem veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum maiestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis eas igne inflamment, cupientes filiorum Ecclesiae pietatem et divinum cultum sacris ritibus et caeremoniis conservandis instaurandisque magis augere:

Institutio congregat. quintae cum facultatibus card.

§ 1. Quinque itidem cardinales delegimus, quibus haec praecipue cura incumbere debeat ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis orbisque ecclesiis, etiam in capella nostra pontificia, in missis, divinis officiis, sacramentorum administratione, ceterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur; caeremoniae si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus et caeremoniis, in primis

Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent; officia divina de sanctis patronis examinent, et nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa sanctorum canonizationem festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte et ex patrum traditione fiant, et ut reges et principes eorumque oratores, aliaeque personae, etiam ecclesiasticae, ad Urbem Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apostolicae dignitate ac benignitate honorifice more maiorum excipiantur, cogitationem suscipiant seduloque provideant. Controversias de praecedentia in processionibus, aut alibi, ceterasque in huiusmodi sacris ritibus et caeremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant.

Congregatio sexta pro classe paranda et servanda ad Status Ecclesiastici defensionem [1].

Causa huius instit.

Praeterea posteaquam Dei benignitate, nec sine magno nostro labore et sumptu, perditorum hominum licentia compressa, publica tranquillitas in locis mediterraneis restituta est, ut iam unicuique absque timore ullo sub vite sua et sub ficu sua quiescere liceat, cupientes ut littora quoque et orae maritimae ditionis nostrae superi inferique maris, a piratis ac praedonibus, quantum fieri potest, tutae sint, nedum ad nostrorum subiectorum securitatem, verum ut exterae quoque nationes ad hanc fidei petram communemque fidelium matrem secure, pro eo quod in nobis est, accedant, neque a piratis in miseram servitutem, quod alias persaepe accidit, abducantur:

§ 1. Ob eas causas cardinales quinque praeficimus triremibus numero decem parandis, aedificandis, ornandis omnique necessario nautico et militari apparatu instruendis, curaque diligentissima conservandis, quarum ope et praesidio, Deo adiutore, piratae et praedones coerceantur et a nostris littoribus longe repellantur; quique, et earum triremium idoneos duces, ac praefectos, nobis tamen et pro tempore Romanis Pontificibus consultis, deligant, et cetera omnia ad ea, quae diximus, celeriter utiliterque efficienda, pro ipsorum prudentia et sedulitate, disponant atque expediant. Deinde operam adhibeant ut subsidium pecuniarium quodcumque ab iis, qui nostro mandato huic tam necessario operi contribuere tenentur, fideliter, integre matureque exigatur; exactum vero ac receptum ad supradicta tantummodo opera perficienda ex voluntatis nostrae praescripto fructuose impendatur. Illud autem cardinales ipsos magnopere admonemus, curent diligenter ut in his triremibus apostolicis nautae omnes et milites, non solum ex nautica militarique, sed multo magis ex christiana disciplina, pie et modeste vivant. Quare viros religiosos, animarum corporumque curatores deligant, qui valentes ad pietatem instruant, aegrotos multae caritatis affectu quovis necessario adiumenti genere, spirituali in primis, recreent atque reficiant. Denique omni loco a praefectis, militibus, nautis ea pie vivendi ratio et institutio observetur, ut vere illos christianos ac pontificios esse omnes agnoscant.

Institutio congregat. sextae et explicatio muneris cardinalis.

Congregatio septima, pro Indice librorum prohibitorum [1].

Quia vero haeresis morbus animae per-

1 Subsidium annuum scutorum ducentum millium et quingentorum paravit et dedit hic pontifex pro manutentione paratae classis decem triremium, sed eius bullam tamquam minus necessariam duxi praetermittendam.

1 Ista congregatio perfecit indicem librorum huiusmodi alias a Pio IV approbatum.

Causa huius instit.

niçiosissimus ut cancer serpit, et filii tenebrarum arcem catholicae veritatis omni machinationis genere oppugnant, libris praesertim hæresis veneno infectis promulgandis, aliisque noxia doctrina aspergendis corrumpendisque, postulat a nobis pastoralis officii sollicitudo ut vulpes dolosas et lupos rapaces ab ovili Christi omni vigilantia arceamus.

Institutio congreg. septimae et explicatio muneris cardinalium.

§ 1. Quare ut cardinales, qui ad libros prohibendos expurgandosve delecti sunt, in ea cura diligenter ac maiori cum fructu versentur, has illis facultates tribuimus ut librorum eiusmodi catalogos et indices, aut olim aut proxime confectos, eorumque regulas editas recognoscant atque examinent, certorum auctorum libros prohibitos aut quovis modo in prioribus indicibus suspensos diligenter excutiant, et prout expedire iudicaverint, permittant. Libros qui post indicem Tridentini concilii iussu editum prodierunt catholicae doctrinae christianorumque morum disciplinae repugnantes, expendant et recognoscant, ac ubi nobis retulerint, nostra auctoritate reiiciant; hominum vero iniuria et dolo depravatos emendent; eos libros, qui, paucis erroribus reiectis, alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi atque corrigendi modum ineant, indicesque expurgatorios conficiant; novos praeterea libros approbandi et imprimendi rationem praescribant; universitatum Parisiensis, Bononniensis, Salamaticensis, Lovaniensis aliarumque probatarum studia ad librorum expurgationem et correctionem excitent, earumque diligentem operam et industriam requirant. Permittimus quoque eidem congregationi ut theologis, canonistis aliisque peritis viris, piis atque idoneis, etiam aliunde accersitis, ad hoc omne negocium reipublicae christianae, tam in his temporibus necessarium adhibitis, eam ob rem tantum, nec vero aliis, libros vetitos tenendi legendique, etiam absque nostra licentia, impartiantur facultatem.

Congregatio octava pro executione et interpretatione concilii Tridentini [1].

Causa huius instit.

Deo autem Patri misericordiarum gratias agentes, qui in oecumenico concilio Tridentino Spiritus Sancti lumine diffuso, catholicam veritatem omnibus patefecit, haereses nostrorum temporum confutavit, mores et disciplinam restituit, eiusdemque concilii decreta ab omnibus observari volentes, cum ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo spectet generalia concilia indicere, confirmare, interpretari et ut ubique locorum serventur, curare ac praecipere.

Explicatio muneris cardinalium.

§ 1. Eorum quidem decretorum, quae ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipsis reservamus, cardinalibus vero præfectis interpretationi et executioni concilii Tridentini, si quando in his, quae de morum reformatione, disciplina ac moderatione et ecclesiasticis iudiciis aliisque huiusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserint, interpretandi facultatem, nobis tamen consultis, impartimur. Et quoniam eodem concilio Tridentino decretum est synodos provinciales tertio quoque anno, dioecesanas singulis annis celebrari debere, id in executionis usum ab iis, quorum interest, induci eadem congregatio providebit. Provincialium vero, ubivis terrarum illae celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, eaque singula expendet et recognoscet. Patriarcharum praeterea, primatuum, archiepiscoporum et episcoporum (quibus beatorum apostolorum limina certo con-

1 Huius concilii indictionem, prosecutionem et approbationem, et huius congregationis institutionem vide in Pii IV const. XXVII, *Ad Ecclesiae*, tom. VII, pag. 90; et const. XCIX, *Alias nos*, ibidem, pag. 300.

stituto tempore visitare alia nostra sanctione iussum est), postulata audiat, et quae congregatio ipsa per se poterit, ex caritatis et iustitiae norma expediat, maiora ad nos referat, qui fratribus nostris episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari cupimus. Item ab iisdem praesulibus ecclesiarum exposcat, quae in ecclesiis eorum curae ac fidei commissis cleri populique morum disciplina sit; quae concilii Tridentini decretorum, cum in omnibus, tum praesertim in residentiae munere executio; quae item piae consuetudines et qui omnium denique in via Domini sint progressus, ipsisque det litteras ex formula praescripta in testimonium obitae per eos visitationis liminum sanctorum eorumdem apostolorum. Habeat itidem congregatio auctoritatem promovendi reformationem cleri et populi, nedum in Urbe et Statu Ecclesiastico temporali, sed etiam in universo christiano orbe, in iis quae pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, et mores christiani populi ad praescriptum eiusdem concili componendos, atque ad rationes difficillimis his perturbatisque temporibus necessarias conformandos, quo uberius divinae misericordiae vim in nobis sentiamus, iustamque iram atque animadversionem effugiamus.

Congregatio nona pro Status Ecclesiastici gravaminibus sublevandis.

Causa huius institut.

Nec vero paternus noster affectus, quem erga populos nobis et huic S. Sedi subiectos, tamquam erga peculiares filios gerimus, eo contentus est quod, Deo auctore, nostraque sollicitudine, publica pace et tranquillitate perfruuntur, quodque de eorum utilitate et quiete multis aliis modis praestanda et augenda assidue cogitamus, sed eos etiam ab exactionum oneribus, ob temporum interdum difficultates variasque publici boni rationes a praedecessoribus nostris impositis, magnopere, quantum fieri poterit, cupimus sublevare:

Institutio congregat. nonae cum eius facultatibus etc.

§ 1. Quocirca nonam instituimus cardinalium congregationem, ut quaecumque gravamina vectigalium, pedagiorum et tributorum, cuiuscumque generis illa sint, eorumque exigendi rationes, quaestorum iniurias, si quas adesse compererint, commissariorum extorsiones, iudicii forma plane postposita, mature audiat et cognoscat, atque si fieri posse videbitur, controversias moderetur et componat. Quod si rationibus hinc inde allatis accurate expensis, res transigi nequiverit, eam totam ad nos deferat, ut quod aequum et pium erit, eius congregationis consilio prudenter definire valeamus. Causas vero in quibus iudicialis ordo requiritur, propriis iudicibus de iure decidendas relinquat. Qui autem a iudicibus senserint se gravatos, ad tribunalia quae his sunt ex antiqua institutione praeposita, ac ad alia, ut moris est, iuris remedia confugiant.

Congregatio decima pro Universitate Studii Romani[1].

Causa huius instit.

Illud etiam cogitantes quod litterarum cognitio liberalesque doctrinae et disciplinae, quibus iuventus in publicis gymnasiis instruitur et eruditur, magnam christianae reipublicae, si cum pietate coniunguntur, afferunt utilitatem: tunc enim civitates et regna optime administrantur, cum sapientes atque intelligentes gubernacula possident; ob eam sane causam Romani gymnasii eiusque Universitatis ornandae et amplificandae curam merito gerimus, unde et ipsam Univer-

1 De istius Romani Studii erectione eiusque indultis et regiminine notavi in Bonif. VIII const. XX, *In supremae*, tom. IV, pag. 666.

sitatem ab aere alieno vigintiduorum millium scutorum et aliis pluribus oneribus sublevavimus ac plane liberavimus.

Institutio congreg. decimae et explicatio facultatis cardinalium.

§ 1. Itaque ut illius rationibus quam optime prospiciamus, cardinales quinque eidem gymnasio et universitati, illiusque reformationi praeficimus, quibus facultatem concedimus ut, cum opus fuerit, praeclaros theologiae magistros, iurisconsultos egregios et liberalium artium professores eximios undecumque ad iuventutem erudiendam evocent. Qui morum integritate, eruditione atque elegantia litterarum non minus praestent quam peritia, usuque docendi assiduisque praelectionibus iuvenes instruant, utque singulis scientiarum magistris pro meritorum ratione, re tamen nobiscum aut cum successoribus nostris participata, stipendium constituant. Insuper cum in hac alma Urbe nostra, singulari Dei beneficio, inter alias discentium scholas Graecorum, Maronitarum et Neophytorum, ingenti Pontificum liberalitate atque munificentia, erecta sint collegia, congruisque reditibus dotata, in quibus sacra theologia liberalesque artes hebraice, graece, arabice et chaldaice edocentur, eisdem cardinalibus iniungimus ut horum collegiorum alumnos ad litterarum studia ardentiori animo complectenda quod ad fidei catholicae propagationem et litterarum ornamentum et ingenia excolenda maxime pertinet, opportune pro eorum pietate et prudentia, omni adhibito studio, excitari curent. Denique cum in praecipuis christiani orbis partibus sancta haec Apostolica Sedes, ut pia mater, insignes quasdam Universitates, in quibus sacrarum litterarum, legum et artium praestantissima studia florent, olim in tutelam et clientelam receperit suam, nimirum Parisiensem, Oxoniensem, Bononiensem, Salamantinam, ut in eis scilicet ex Apostolicae Sedis protectione bonarum artium studia, tanto maiori cum fructu excolerentur, nos, et illas ipsas et ceteras catholicas Universitates paterna benevolentia complectentes, nec ipsam Oxoniensem, quantum in nobis est, deserentes, sed ex intimo animi affectu ad matris gremium et ad viam salutis revocantes, omnesque intimo cordis affectu et summa benevolentia prosequentes, ac sub nostra et beati Petri Apostolorum principis protectione iterum suscipientes, eidem congregationi imponimus ut earumdem universitatum atque ad eas pertinentium negociorum apud Sedem Apostolicam curam gerat, illarumque necessitates nobis successoribusque nostris ordine exponat, ut eis ex paterna caritate opem et auxilium afferre valeamus, easque interdum per litteras visitet, nostroque nomine catholicis viris apostolicam benedictionem impertiatur, illisque, ut prospera cuncta eveniant, aliis vero spiritum consilii sanioris, a Deo Optimo maximo deprecetur.

Congregatio undecima pro consultationibus regularium.

Causa huius instit.

Nec sane minus de regularium Ordinibus solliciti sumus, qui Ecclesiae Dei magnum adiumentum atque ornamentum omni tempore praestiterunt, immo vero summopere cupientes eorum salutaria studia progressusque ad pietatem promovere, qui e fluctibus saeculi in portum regularis vitae confugerunt, ob eam causam ut, remotis impedimentis et inanibus contentionibus amputatis, sub suavi Religionis iugo et suorum institutorum observantia quiete vivant gratumque Altissimo famulatum exhibeant.

Institutio congreg. undecimae cum facultatibus cardinalium.

§ 1. Quinque alios cardinales delegimus, quibus facultatem concedimus ut regularium, claustralium, Mendicantium, non Mendicantium, hospitalariorum et mi-

litarium, possidentium et non possidentium, cuiusvis demum Ordinis sint, controversiis, dubitationibus consultationibusque propositis respondeant. Causas vero, quas inter ipsos religiosos oriri contigerit, iuxta quarumcumque Religionum instituta eorumque dispositionem, superiores illorum definiant atque terminent. Dum autem inter episcopos et regulares dubitationes inciderint, quae sub decretorum concilii Tridentini dispositione aut interpretatione comprehendantur, eas ad eamdem congregationem concilii remittant. Audiant itidem ac decidant praedicti cardinales causas et controversias inter praedictos Ordines vertentes, sive in universum sive ratione particularium locorum, dummodo formam iudiciariam non requirant. Concedimus etiam ut dictis regularibus, non ad laxiorem nec ad parem, sed ad arctiorem religionem transeundi, iis quos fervore spiritus incensos ad perfectioris vitae statum transire velle constiterit, non obstantibus quibuscumque praedecessorum nostrorum decretis, licentiam dare possint. Apostatarum quoque, eiectorum et præterea extra monasteria degentium aut vagantium causam iidem cardinales audiant et cognoscant, eosque coercendi potestatem habeant. Curent præterea visitationis apostolicae iussa, et constitutiones editas a Romanis Pontificibus circa ipsos regulares exequendas et in usum introducendas. Provideant insuper regulares laudatae vitae, zelo Dei et salutis animarum et prudentia spiritus praeditos, institutorumque regularium Ordinis et laudabilium consuetudinum peritissimos, qui, cum necessitas exegerit, provincias sui Ordinis, et non alterius, receptis a nobis litteris, ad omnipotentis Dei laudem et locorum utilitatem, salubriter visitare valeant. Sub nomine autem regularium etiam moniales, cuiusvis sint regulae et observantiae, comprehendi volumus. Omne denique studium cardinales ipsi impendant ut ab inferioribus erga superiores debita humilitas et obedientia, ac vicissim a superioribus erga illos paterna benevolentia in multa caritate et disciplina, in spiritu lenitatis adhibeatur, neve dominentur inter fratres, sed superiores ipsi patres se esse meminerint. Postremo eosdem cardinales quasi religiosorum omnium tutissimum perfugium esse volumus, ut eorum auctoritate et auxilio recreati, studium religiosae vitae et regularis perfectionis sine impedimento strenue percurrant.

Congregatio duodecima pro consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum.

Et nos quidem ex apostolicae servitutis officio, omnibus christifidelibus ad aedificationem debitores sumus, sed tamen praecipuo caritatis affectu in Christo complectimur venerabiles fratres nostros ecclesiarum praesules et pastores, qui ex praecepto Apostoli vigilant, in omnibus laborant, ministeriumque suum implent. Causa huius institutionis.

§ 1. Quare, ut ab Apostolica Sede, a qua, tamquam a matre, honorem et iurisdictionem acceperunt, sibi, cum opus erit, auxilium praesidiumque paratum esse intelligant, ut greges suos tanto fructuosius pascant, quinque itidem cardinales praeponimus episcoporum et aliorum praelatorum consultationibus audiendis. Quorum erit facultas, ut patriarcharum, primatuum, archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum et ordinariorum quorumcumque, etiam inferiorum, non tamen regularium, petitiones audiant, propositisque difficultatibus, quaestionibus ac controversiis, aliisque super quibus consulti fuerint, etiam per litteras, sedulo humaniterque respondeant; dubia, Institutio congreg. duodecimae et explicatio muneris eius cardinalium.

rationes et causas ecclesiarum, earumque dignitatis, iurisdictionis, exemptionis, immunitatis, iurium, privilegiorum et laudabilium consuetudinum conservationem concernentes, summarie cognoscant, atque tam ex partium petitione quam ex officio componant, prout honestum opportunumque eis videbitur. Causas item et controversias inter eosdem praelatos de iurisdictione aliave de causa exortas, item inter capitula aut obtinentes dignitates ac inter quascumque singulares personas et universitates aut locorum in temporalibus dominos, praeter eas quae concilii Tridentini interpretationem exigunt, vel ordinem iudiciarium re ipsa requirunt, examinent, atque amicabiliter desuper transigere, etiam per alios, si ita consultum videbitur, etiam extra dioecesim, curent. Ac praeterea ad ecclesias visitandas ubique locorum, in quibus christiana viget religio, visitatores nobis praesentent, ut exemplo beati Gregorii Magni ac Leonis et aliorum summorum Pontificum praedecessorum nostrorum, cum in Domino expedire videbitur, destinare valeamus. Visitationis item formam illis praescribant, ut multo cum spirituali fructu et fidelium aedificatione munus suum obeant, negociorumque omnium tractationis modum assignent, ac negligentiam, si quando opus erit, emendent. Insuper, ubi necessitas exegerit, viros usu et doctrina idoneos, rectos et timentes Deum deligant, qui nostrarum litterarum auctoritate suffulti, ecclesias ut vicarii apostolici regant. Denique eosdem cardinales immunitatis ecclesiarum defensores, ad tuendum ipsorum praelatorum personas, res et bona quaecumque ecclesiarum praedictarum, ab omnium iniuriis atque oppressionibus adversus quoscumque, quavis auctoritate praefulgentes, constituimus.

Congregatio decimatertia pro viis, pontibus et aquis curandis.

Causa huius institutionis.

Et quoniam curae et cogitationes nostrae ita communis boni procuratione defixae sunt, ut dum graviora maioraque disponimus, eorum etiam, quae minora videntur, non obliviscamur, considerantes quod ad almae Urbis locorumque ditionis nostrae ecclesiasticae ornamentum, aeris salubritatem, civium incolarumque utilitatem, ac ad peregrinorum iterque agentium commoditatem, eorum praesertim qui ad hanc Apostolicam Sedem et apostolorum limina totque sancta loca innumerabilium martyrum sanguine consecrata pie visitanda concurrunt, permagni interest viarum, pontium et aquarum curatio:

Institutio congreg. decimaetertiae et explicatio facultatum eius.

§ 1. Nos idcirco, huic rei consulentes, cardinales sex infra nominatos deputavimus, quibus facultatem damus vias curandi, aperiendi, muniendi, dirigendi, factasque tuendi, coarctatas dilatandi, veteres iam occupatas iterum in publicum usum vendicandi et redigendi. Pontes item tuendi, et, ubi opus est, novos extruendi, veteresque ruinosos instaurandi, et iam collapsos, si ita necessitas tulerit, reficiendi. Aquarum praeterea curam gerendi, illarum praesertim quas nos tanta impensa et labore in Urbem adduximus, illasque certa mensura ad publicum usum commoditatemque melius distribuendi, et ubi maiori aquarum copia opus esse viderint, fontes aquarum magis uberes, unde deduci possint, investigandi, deductiones, substructiones, castella, formas, aquaeductus receptaculaque earumdem sarta tecta conservandi, omne impedimentum tollendi. Camerae nostrae Apostolicae praesides et ministros, quibus ea specialis cura data est, dirigendi, et ab contradictoribus protegendi, aliaque in his necessaria et opportuna exequendi.

Si qua vero difficultas aut causa, tam contra domicellos, communitates et universitates quam contra quoscumque alios, etiam immunes atque exemptos, super his omnibus iam exorta sit vel in posterum inciderit, eam omnem summarie, sola facti veritate inspecta, ac re primum ad nos et successores nostros relata, demum definiendi potestatem facimus. Qua facultate iidem cardinales nedum in alma Urbe, verum in universa ecclesiastica ditione temporali, uti posse statuimus.

Congregatio decimaquarta pro typographia Vaticana.

Causa huius institutionis.

Ceterum, cum ex omni antiquitatis memoria notum sit quantum semper detrimenti attulerint haereticorum aliorumque veritatis hostium insidiae et doli sacris libris sanctorumque Patrum monumentis multis modis corrumpendis, quantamque hoc potissimum saeculo animarum perniciem importaverint eorumdem librorum mendosae impressiones atque editiones impuro et pestifero haeresum fermento aliisque erroribus coinquinatae et corruptae:

Institutio congreg. decimaequartae cum suis facultatibus.

§ 1. Nos, volentes pro nostra pontificia sollicitudine, ut haec praeclara et salutaris nostra haereditas a maioribus accepta, inviolata conservetur, nuper eius rei causa, non mediocri nostra impensa, typographiam Vaticanam ereximus; nunc autem, pro rei et negocii gravitate, infrascriptorum cardinalium congregationem statuimus, quibus imponimus ut sacra Biblia latinae vulgatae, graecae et hebraicae editionis, decretales epistolas concilia generalia, sanctorum praecipuorum Ecclesiae doctorum opera, ceteros denique libros, quibus fidei catholicae doctrina traditionesque ecclesiasticae continentur et explicantur, quam emendatissime curent imprimendos. Quare mandamus ut, vetustis manuscriptis emendatisque codicibus adhibitis, praesertim ex nobili et optimis libris referta Pontificia Vaticana bibliotheca, adiumento etiam, studio atque opera doctissimorum hominum ex omnibus christiani orbis nationibus per nos aut successores nostros selectorum, qui linguarum peritissimi sint, libros imprimendos accurate diligenterque conferrant et recognoscant, ut eorum editio, quantum fieri poterit, integra atque incorrupta prodeat. Si quae vero graviores dubitationes et difficultates in veterum codicum auctoritate, librorum correctione et emendatione inciderint, rebus prius in congregatione examinatis, ad nos referant, ut in lectionum varietate, id quod orthodoxae veritati maxime consonum erit, ex speciali Dei privilegio huic Sanctae Sedi concesso, statuamus. Demum eadem congregatio, typographos et librorum recognitioni praefectos in quibusvis christiani orbis regnis et provinciis admonebit ut diligentem opportunamque operam ad sua quaeque officia fideliter atque integre exequenda praestent, in librorumque huiusmodi editione accuratissime versentur, et ad Vaticanae impressionis praescriptum ac normam omnino se conforment.

Congregatio decimaquinta pro consultationibus negociorum Status Ecclesiastici.

Causa huius institutionis.

Denique cum valde consentaneum sit ut qui longinquos et externos in Domino complectimur, eorumque negocia breviter expediri curemus, domesticis et propinquis, qui sub nostra et Apostolicae Sedis peculiari tutela sunt, hac quoque in re propensius consulamus, idcirco, ut fideles Ecclesiae Romanae filii ditioni nostrae temporali subiecti, ad varia negocia, causas necessitatesque suas proponendas perfacilem aditum inveniant, remedium-

que ex iustitiae et aequitatis praescripto opportune celeriterque obtineant.

Institutio congreg. decimaequintae et explicatio muneris cardinalium.

§ 1. Cardinales itidem quinque eorum consultationibus praeficimus ac praeponimus, quorum iuris sit consultationes, dubitationes, querelas super causis civilibus, criminalibus et mixtis ad forum saeculare dumtaxat spectantes audire, illasque inter se statis diebus conferre, quod aequum esse, quodque omnibus diligenter consideratis de maioris partis sententia expedire censuerint, statuere et deliberare, iustitiam expedite administrare, quae decreta ac definita erunt, executioni tradi curare. Ipsisque facultatem concedimus ut ipsi omnibus negociis et causis, cuiuscumque generis illae sint, etiam inter fiscum et privatum, et inter privatos, communitates, universitates, collegia eorumque rectores aut alios quoscumque, etiam coram ditionis ecclesiasticae magistratibus et ministris, introductis et pendentibus, quod iustum et aequum videbitur, praecipiant, causas ab eis, ubi id ius et ratio postulaverit, auctoritate nostra avocent, aliisque iudicibus committant, gubernatoribus, praetoribus ceterisque omnibus officia ex Sedis Apostolicae auctoritate gerentibus, ut iussa et imperata eius congregationis exequantur, significent, impositas poenas sive mulctas, bonorum proscriptiones seu confiscationes, corporis poenas, etiam capitis ultimique supplicii (nobis tamen prius de ea re consultis) moderentur et commutent, ac eos, qui in carcere erunt, de loco ad locum, ubi id ita expedire iudicaverint, transferri mandent, ceteraque pro iustitiae conservatione, subditorumque nostrorum quiete et tranquillitate deliberent ac provideant.

Sequitur declaratio facultatum praedictarum Congregationum [1].

Denique quo dictarum congregationum expeditiones validae existant, cardinales in qualibet congregatione non sint pauciores tribus. Ad iudiciorum vero confusionem evitandam, volumus ut unaquaeque congregatio, quando aliqua causa, quaestio vel consultatio ad eam delata fuerit, diligenter perpendat an ad ipsam proprie eius causae cognitio et expeditio pertineat, et si ad se minime spectare cognoverit, eamdem ad iudices ordinarios vel ad propriam congregationem remittat.

Congregationes praedictae fiant tribus assistentibus cardinalibus.

Secretarios proprios habeant.

§ 2. Itidem cardinales dictarum congregationum proprios singillatim babeant secretarios, ab eisdem libere deputandos, et ad res, quae in dies geruntur, annotandas, et in publicam formam, si opus fuerit, redigendas.

Theologi et viri periti in consultationibus adhibeantur.

§ 3. Et quoniam divinis oraculis admonemur ubi multa consilia ibi salutem adesse, eædem congregationes pro earum arbitrio viros sacrae theologiae, pontificii caesareique iuris peritos, et rerum gerendarum usu pollentes, in consultationibus advocent atque adhibeant; ut causis, quaestionibus et negociis quam optime discussis, quæ Dei gloriae animarumque saluti et iustitiae atque aequitati consentanea maxime erunt, decernantur; graviora vero quaecumque ad nos vel successores nostros deferantur, ut quid secundum Deum expediat, eius gratia adiuvante, mature statuamus.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque et non aliter per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam dictos cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscum-

1 Aliae facultates habentur immediate post hanc et in eius fine.

que formulis illa sint concepta. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda esset, eorum tenores, ac si ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis atque insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, expresse ac latissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Hortatio ad principes christianos.

§ 6. Demum per paternam nostram caritatem et auctoritatem, quae nobis a Christo Domino data est, admonemus, et per Ipsum, per quem reges regnant, obtestamur carissimos in Christo filios nostros in imperatorem electum, omnesque reges[1] ac ceteros sæculares principes, quos Deus in excelso loco constituit et temporali potestate communivit, ut fidei catholicae propugnatores et defensores sint, de quorum pietate et erga Apostolicam Sedem observantia atque obedientia magnopere in Domino confidimus et quam etiam multis argumentis perspectam habemus:

Monitioque ad quascumque ecclesiasticas personas, ut in praemissis faveant et obediant.

§ 7. Alios vero ecclesiastica dignitate praeditos per haec apostolica scripta ac per debitae obedientiae vinculum statusque sui sublimem conditionem, qua Deo arctius religati existunt, obstringimus ut his nostris conatibus ad Dei laudem, fidei propagationem, fidelium commoditatem et salutem assistant; ac auctoritatem, quae ecclesiae praesulibus in beati Petri persona a Christo Domino credita et collata fuit, ad fidei catholicae exaltationem et augmentum, prout ex eorum munere tenentur, nosque eos pie facturos speramus, tueantur et defendant; ac operam dent studiumque demum omne conferant ut eadem auctoritas ecclesiastica omnino illaesa conservetur, ac Ecclesiae Dei ministris opem et auxilium in omnibus impendant, et de Sede Apostolica, ex sua maiorumque suorum pietate, benemereri non desinant; memores se in susceptione imperialis ac regii diadematis et principatus, ad id prae ceteris devinctos esse ut inde in hac mortali vita felicitatem, nostramque et Sedis eiusdem benignitatem ac gratiam uberius valeant promereri; post exactum vero mortalis huius vitae curriculum, a Deo aeternam gloriam et beatitudinem consequantur. Quod si secus ab eorum aliquo, quod minime credimus, factum erit, divinam iram, donec sub potenti manu Dei humilientur, qui tarditatem poenae supplicii interdum gravitate compensat, se minime effugere posse certo sciant.

Haec constitutio sit perpetua, et inter apostolicas constitutiones annumeretur.

§ 8. Ut autem hae nostrae litterae quamprimum ubique locorum et gentium innotescant, quas inter alias apostolicas perpetuasque constitutiones annumeramus, illas publicis in locis de more affigi, earumque exemplis etiam impressis, sigillo obsignatis alicuius personae ecclesiasticae dignitate praeditae, ac quibus notarius publicus subscripserit, eamdem fidem haberi volumus, quae his exhibitis maxima cum reverentia omnino esset adhibenda.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, constitutionum, assignationis, dationis, attributionis, confirmationum, corroborationis, statutorum, approbationis, declarationis, delectionum, praefectionum, tributionis, permissionis, reservationis, impartitionis, institutionis, concessionum, iniunctionis, impositionis, voluntatum, mandati, praepositionis, derogationis, admonitionis, obtestationis, obstrictionis et annumerationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum,

[1] Cherub. addit: *Ac dilectos filios nobiles viros rerum publicarum aliosque duces* (R. T.).

anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, undecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno III.

Sequuntur aliae declarationes editae in consistorio XI *maii* MDLXXXVII, *circa dubia in congregationibus evenienda.*

Institutio congregationum de qua supra.

Sanctissimus Dominus Noster postquam deputavit omnes cardinales super diversis congregationibus, ut vellent illis incumbere, et expedire negocia quae ibi tractanda erunt, ut et ipse Sanctissimus a laboribus sublevetur, et partes citius expediantur:

Amotio dubitationum, cum declarationibus subsequentibus.

§ 1. Et ne in futurum dubitari contingat super aliquibus dubiis, quae oriri possunt super facultatibus ipsis congregationibus datis, ideo Sanctitas Sua fecit quinque infrascriptas declarationes.

Declaratio prima;

§ 2. Prima est, quod si ante inchoatum iudicium coram aliquo iudice, pars coram congregatione conventa, renuerit in illam consentire, et noluerit causam a congregatione terminari, tunc ad iudicem competentem remittatur.

Declaratio secunda;

§ 3. Secunda est, quod si coram aliquo iudice inchoatum fuerit iudicium, et deinde partes concordes congregationem adiverint, tunc congregatio causam decidat, et acta ad se transportari faciat.

Declaratio tertia;

§ 4. Tertia est, quod si causa coram congregatione coepta fuerit, et deinde aliquod emergens supervenerit, tunc nedum illa causa coepta, verum etiam illud emergens a congregatione expediatur.

Declaratio quarta;

§ 5. Quarta, quod si causa in ipsa congregatione decisa requirat ut super illa expediatur supplicatio vel breve, tunc decrevit Sanctitas Sua, quod in ipsa supplicatione, vel in ipso breve, fiat mentio causam de ordine congregationis fuisse ita terminatam.

Declaratio quinta.

§ 6. Quinta, quod si alicui congregationi occurrerit pro rebus ad ipsam congregationem spectantibus brachio saeculari indigere, tunc recurratur ad gubernatorem, auditorem Cameræ, vicarium, sive ad alium iudicem, qui praeceptis ab ipsa congregatione factis obedire teneatur.

CXVIII.

Prohibitio ad arma ex quibusvis causis, praeter hic exceptas, armatorum manus aut cavalcatas tumultuosasque hominum collectas in Statu Ecclesiastico congregandi [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius prohibitionis.

Dum pro communi totius gregis dominici salute, fidei nostrae divinitus crediti, sollicitis studiis invigilamus, eam quasi peculiarem et privatam populorum, nostro et S. R. E., cui, Deo auctore, praesidemus, temporali dominio subiectorum curam suscipimus, ut in quibuscumque eiusdem dominii provinciis, civitatibus, oppidis et locis, armorum, tumultuum et seditionum turba et strepitus conquiescat, ac inde omnis iniuria et violentiae terror propulsetur, atque, facinorosorum hominum audacia et immanitate compressa, securitas, quies et tranquillitas perpetuo vigeat et conservetur. Est enim rationi consentaneum ut Sedes Apostolica, quae cunctis mortalibus iustitiam ministrat, suos praecipue subditos in officio contineat, et cuius auctoritas ab ipso Domino constituta, apud omnes etiam exteras gentes ac nationes sacro-

1 De materia vide quae notavi ad const. XXXII, Ioann. XXII, *Ad hoc*, tom. IV, pag. 299, et etiam Pauli II, const. IV, *Viros*, tom. V, pag. 186; Alexand. VI, const. III, *Inter*, ibidem, pag. 360, necnon constitutionem Marchiaeli I, c. 15 et lib. IV, cap. XLII. Ac Urbis statutum, lib. II, cap. XXXIV.

sancta et inviolabilis permanet, debitam obedientiam et reverentiam, quam summi reges et principes ei praestant, magis ab iis exigat, qui ipsius regimini in temporalibus subiecti, neminem alium principem, praeter Romanum Pontificem, agnoscunt, ut quae denique universos fideles sublevare solet, hos potissimum in suam tutelam specialiter receptos, ab omni iniuria vindicet, atque illaesos defendat et tueatur.

Prohibitio convocandi ad arma et cavalcatas seu adunatas faciendi, per quascumque universitates seu personas, quavis dignitate fungentes, S.R.E. mediate et immediate subiectas, in quibuscumque casibus, praeter infra exceptos.

§ 1. Quare nos, considerantes primum quidem in quantas rerum perturbationes, in quam intolerabilem perditorum et sceleratorum hominum licentiam noster pontificatus sui initio inciderit, vel ad eas potius fuerit divina providentia reservatus; deinde vero quam benigne faverit coeptis nostris divina maiestas, quam facile non obscura Dei omnipotentis voluntate haec, qua fruimur, quies et tranquillitas sit consecuta, numquam cessamus quantas maximas animus noster capere potest, eidem divinae bonitati, in qua sola confidimus, gratias agere, et ne in aliquo pastoralis nostri officii partes desiderentur, his quasi fundamentis constituendae reipublicae praeclare iactis, novis eam praesidiis in dies magis ac magis confirmare et communire studemus. Cum igitur inter alios, qui in temporali Statu nostro Ecclesiastico irrepserant, quosque a nobis magna ex parte sublatos omnino abolere nitimur, pravos abusus, ille sit maxime damnabilis, ut barones, domicelli aut communitates vel universitates, aut magistratus civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum et locorum praedictae Romanae Ecclesiae temporali ditioni subiectorum, sub praetextu recuperandae sive manutenendae aut adipiscendae possessionis bonorum immobilium, finium seu terminorum et limitum territorii vel agrorum, quae ad se legitime pertinere praetendunt, dum se ius suum tueri aut consequi velle, et bona sua ab illicitis detentoribus vel occupatoribus vendicare profitentur, ad arma populos convocare et incitare, tumultus facere et commovere, armatorum hominum copias cogere non dubitent, ex quibus postmodum quandoque contigit ut, commotis seditionibus, auxilium facinorosorum seu etiam bannitorum evocent, imbecilliores per iniuriam opprimant, agros vastent, aliena rapiant et invadant, pacificos possessores expellant, quietem publicam perturbent, in Dei offensam, animarum perniciem et scandalum plurimorum. Nos, attendentes ad hoc potissimum sanctae huius Sedis potestatem et auctoritatem in supremo iustitiae throno, Deo disponente, collocatam, et viribus ad regendos subditos necessariis fuisse satis instructam et roboratam, ut per Romanum Pontificem illi praesidentem cunctis aequa lance ius suum sine aliqua perturbatione tribuatur, ideoque minime ferendum ut quis temere vel vi adhibita, ius sibi dicat, sed magis talem improbitatem et audaciam, legum severitate et gravioribus poenis propositis, compescendam et coercendam esse censentes, habita cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio pariter et assensu, hac nostra perpetuo valitura constitutione, districte interdicimus et prohibemus universis et singulis ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus et domicellis, quacumque, etiam ecclesiastica, dignitate fungentibus, necnon vicariis, feudatariis, armorum ductoribus, capitaneis, magistratibus, communitatibus, universitatibus et officialibus, ac aliis personis civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum et aliorum quorumcumque locorum, ipsi Romanae Ecclesiae mediate vel immediate in temporalibus subiectorum, cuiuscumque status, gradus et conditionis existentibus, ne posthac quisquam eorum,

propter praedictas vel alias, etiam urgentiores et urgentissimas, etiam consuetudine permissas, causas, etiamsi ab aliis provocati et lacessiti fuerint, etiam propter et adversus huiusmodi manifestas iniurias, aut recuperandae vel adipiscendae possessionis seu quasi dominiorum, statuum, feudorum, praediorum, agrorum, finium, limitum et terminorum ac quorumcumque iurium et bonorum ad eos vel ad ecclesias, monasteria, hospitalia, de eorum iurepatronatus, seu praesentandi, aut sub ipsorum cura, administratione vel protectione recepta quomodolibet pertinentium, sive violenter aut de facto recuperatae, vel adeptae, retinendae et tuendae, vel alio quovis praetextu aut quaesito colore vel ingenio, militum copias cogere, comparare vel ducere, neve populos vel singillatim singulares personas, publice aut privatim, palam vel occulte, ad arma, ut dictum est, convocare, conclamare, concitare, neque armatorum manus, coetus, conventus seu illicitas et tumultuosas collectas, vel etiam, ut vocant, cavalcatas vel adunatas facere vel insimul congregare, aut aliquid huiusmodi, per se vel per alium, moliri aut machinari audeat vel praesumat. Quare his praesentibus monemus tam dictos duces et reliquos, quam communitates ac universitates, quae super possessione seu quasi, aut super finibus, limitibus seu terminis territorii vel agrorum, aut aliis huiusmodi rebus, aliquas inter se lites vel controversias habent, ut si illas extraiudicialiter aut amicabiliter componere, seu super eis transigere commode nequeunt, easdem in iudicium deducant, sive deductas prosequantur, et donec legum ac iudicum auctoritate illae definiantur, seu iustitiae complementum sibi ministretur, aequo animo ferant et expectent.

Casus excepti a dicta prohibitione.

§ 2. Ceterum, quoniam interdum aliqua urget occasio armatos homines colligendi, id tantum permittimus et concedimus in casibus infrascriptis, nempe ut praedicti duces et alii praedicti communitates et universitates, suas civitates, oppida, terras, castra, domos, villas, dominia, loca et territoria a grassatoribus viarum, latronibus, sicariis et bannitis, aliisque similibus notoriis delinquentibus defendant, dum ab ipsis actu infestantur, vel ut secura et expurgata custodiant, reosve capiant et apprehendant, vel captos et apprehensos, gubernatoribus, postestatibus, iudicibus aliisve magistratibus et officialibus tradant, sive ut Curiae ministris adversus tales facinorosos auxilium et opem impendant, iuxta constitutionem nostram alias super hoc editam; vel si ad tuenda et propugnanda loca maritima, tam in Thyrreni quam Adriatici maris littore, periculosis temporibus adversus Turcas et piratas, vel alias ex nostro vel nostrorum successorum Romanorum Pontificum praecepto, ad arma eos concurrere contigerit. Sed et si quis alius eiusmodi casus ingruat, qui similiter armatorum auxilium deposcere videatur, noverint nos, aut pro tempore existentem Romanum Pontificem, quamprimum consulendos esse, a quibus aut promptum subsidium aut licentiam super praemissis citius impetrabunt. Si vero necessitas adeo urgeat aut impellat ut ad nos aut ad successores nostros praedictos in tempore vel opportune recurri non possit, tunc provinciarum, civitatum, oppidorum, terrarum et locorum praesides, gubernatores, locatenentes et officiales a nobis et Sede Apostolica deputatos adeant, eisque huiusmodi necessitatis causas exponant, ac ab ipsis arma sumendi licentiam obtineant, ita ut tales armatorum collectas de alicuius ex superioribus praedictis permissu vel auctoritate factas fuisse manifesto constet.

§ 3. Quod si quis contra praesentem

Poenae contravenientium.

nostram prohibitionem et interdictum, directe vel indirecte quicquam attentare aut aliis mandare vel transgressoribus adhaerere vel favere praesumpserit, eum, si dux, princeps, marchio, comes, baro, domicellus, vicarius, feudatarius aut quaevis alia singularis persona extiterit, laesae maiestatis reatum verum, ac nulla iuris aut hominis fictione confictum crimen incurrisse, et eiusdem Romanae Ecclesiae rebellem, omnibusque et singulis privilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus realibus, personalibus et mixtis, necnon ducatibus, principatibus, marchionatibus, comitatibus, civitatibus, oppidis, terris, castris, dominiis, vicariatibus, guberniis, locis, iurisdictionibus, dignitatibus, etiam ecclesiasticis, honoribus, iuribus, officiis ac beneficiis, quorum per infrascriptam privationem vacantium collatio, provisio et omnimoda dispositio nobis et Apostolicae Sedi perpetuo reservata sit et esse censeatur, ita ut de illis per alium quam per nos, aut pro tempore existentem Romanum Pontificem, disponi nullo modo possit aut debeat, necnon pensionibus et fructibus ecclesiasticis, ac etiam quibuscumque feudis et concessionibus, quae a Romana praedicta et aliis quibuscumque ecclesiis obtinet et in futurum obtinebit, ceterisque omnibus in Sedis Apostolicae temporali dominio possessis, immobilibus, mobilibus et semoventibus, bonis, iuribus et actionibus, eo ipso privatum, ipsumque et illius filios ad illa et quaelibet alia in posterum obtinenda, ac quoscumque actus legitimos exercendos inhabiles et indignos fore et esse. Ac praeterea a dicto Statu Ecclesiastico universo, una cum sua familia, perpetui exilii poena damnari debere, domosque, aedificia, arces et fortalitia eiusdem demolienda et solo aequanda, seu aliis Camerae Apostolicae iuribus adscribenda esse; nec illis portam ullius dignitatis ecclesiasticae vel mundanae unquam patere statuimus, decernimus et declaramus. Insuper vassallos, custodes, vicarios, capitaneos, potestates, officiales, populos et subditos eorumdem a fidelitatis iuramento ac homagii et quocumque alio iure, quo ipsis quomodolibet adstricti fuerint, ex nunc penitus absolvimus et liberamus. Ducatus vero, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, civitates, oppida, terras, castra et loca, ceteraque bona praedicta, necnon iura et actiones cum fructibus, reditibus, proventibus et emolumentis eorumdem, fisco nostro et Camerae praedictae, ipso facto et absque aliqua declaratione, etiam in praeiudicium filiorum et aliorum descendentium in investituris, concessionibus seu aliis dispositionibus comprehensorum, in omnibus et per omnia, perinde ac si per lapsum temporis illorum concessionis et finitam lineam ad ipsam Cameram devoluta essent, confiscamus et applicamus. Sin autem communitates et universitates in praemissis[1] consilio deliquerint, eas omnibus et quibuscumque castris, villis et iurisdictionibus, ac communibus bonis, rebus et iuribus ad illas pertinentibus, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus et indultis eis quomodolibet concessis similiter privamus, privatasque declaramus, ac dicta castra, villas ac iurisdictiones, bona, res et iura similiter fisco et Camerae praedictis applicamus et appropriamus. Statuentes etiam contra principales auctores et particulariter delinquentes tamquam dicti criminis laesae maiestatis reos, ut praefertur, procedi debere. Et nihilominus omnem et quamcumque possessionem, seu quasi, sic de facto, contra praesentem nostram constitutionem, cum manu seu collecta armatorum hominum in futurum pro tempore apprehensam, usurpatam, detentam vel occupatam, sive adipiscendo, sive taliter

1. Cherub. addit *communi* (R. T.).

adeptam retinendo, sive recuperando, omnesque actus possessorios vel quasi quomodolibet factos, necnon super illis confecta instrumenta, rogitus et alia acta, et inde secuta quaecumque, annullamus, irritamus et viribus evacuamus, necnon penitus cassamus et abolemus, ac pro irritis, nullis et infectis et mere attentatis habenda, nulliusque roboris vel momenti esse, ac nullum inde ius nullamque actionem cuiquam de novo acquiri, nasci aut competere, neque postmodum lapsu temporis etiam longissimi ex huiusmodi possessione ab initio, ut praefertur, vitiosa, ullam praescriptionem sequi, aut cuiquam ullo tempore suffragari posse. Quinimmo praedictis delinquentibus amotis et expulsis, priorem possessorem in primis et ante omnia in suam pristinam possessionem, seu quasi, restituendum et plenarie reintegrandum, et donec et quousque cui illa de iure competat legitime decernatur, manutenendum esse; eosdemque delinquentes ad damna, expensas et quicquid interest parti laesae reficienda et resarcienda teneri et efficaciter obligatos existere, ac ad id cogi et compelli. Super praemissis vero omnibus et singulis per accusationem, delationem, inquisitionem et quovis alio meliori modo, tam ad partis et fisci instantiam, quam ex mero officio civiliter, criminaliter aut mixtim procedi posse.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; ac quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane pariter decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus quarumvis provinciarum, civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum et locorum; necnon privilegiis, indultis et litteris apostolicis, ac investituris et concessionibus praedictis quoquo modo factis, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicationis huius constitutionis.

§ 6. Volumus autem ut eaedem praesentes ad valvas Lateranensis, et Principis Apostolorum de Urbe basilicarum, et in acie Campi Florae de more affigantur, et illis detractis, transumpta inibi affixa relinquantur, factaque huiusmodi publicatione, hic in Urbe et in eius districtu post quindecim, alibi vero post triginta dies, quoscumque perinde arctent et afficiant, ac si eorum unicuique personaliter intimatae fuissent. Sed et quo facilius possint ad universorum notitiam pervenire, mandamus omnibus et singulis vicelegatis, praesidentibus et gubernatoribus provinciarum, et civitatum quarumcumque dictae nostrae ditionis ecclesiasticae, ut in sua quisque residentia, civitatibus, oppidis, terris et castris sibi benevisis curent easdem nostras litteras in locis consuetis de more publicari.

Transumptorum fides et sanctio poenalis.

§ 7. Et quia difficile foret illas ad eorum quemlibet et ad singula loca ubi opus erit deferre, decernimus transumptis ipsis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, in iudicio et extra illud, ubique eamdem fidem adhibendam esse, quae ipsis originalibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, undecimo kalendas martii, pontificatus nostri anno III.

Papae subscr. † Ego SIXTUS, Episcopus Catholicae Ecclesiae, subscripsi.

Card. subscr. † Ego Alexander cardinalis Farnesius, episcopus Ostien., vicecancellarius.

† Ego Io. Antonius epis. Portuen., card. S. Georgii.

† Ego Alph. cardin. Gesualdus, episcopus Tusculanus.

† Ego Inn. Avalos, card. de Arag., episcopus Sabinen.

† Ego Marcus Antonius card. Columna, episcopus Praenestin.

† Ego Ptolomæus cardinalis Comensis, episcopus Albanen.

† Ego Marcus Siticus card. ab Altaemps, tit. S. Mariae Transtyberim.

† Ego Prosper cardinalis Sanctaecrucius, tit. S. Clementis.

† Ego Gabr. card. Paleottus, tit. S. Laurentii in Lucina.

† Frater Michael Bonellus cardinalis Alexandrinus, tit. Sanctae Mariae super Minervam.

† Ego Ludovicus, tit. S. Anastasiae presbyter cardinalis.

† Ego Nicolaus de Pelleve, tit. S. Praxedis card. Senonen.

† Iul. Anton., tit. S. Bartholomaei in Insula presb. card. S. Severinae.

† Ego Hieronymus card. Rusticucius, tituli S. Susannae.

† Ego Ioannes Hieronymus cardinalis Albanus, tituli Sancti Ioannis ante Portam Latinam.

† Ego Hieronymus card. Simoncellus, tituli S. Priscae.

† Ego Petrus card. Deza, tit. S. Hieronymi Illyricorum.

† Ego Antonius. tituli Sanctorum Ioannis et Pauli, presbyter cardinalis Carafa.

† Ego Ioannes Antonius cardinalis Sanctorum Quatuor.

† Ego Ioannes Baptista card. tit. S. Marcelli.

† Ego Franciscus card. de Ioyeuse, tituli Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio.

† Ego Iulius cardinalis Cananus, tituli. S. Eusebii.

† Ego Nicolaus card. Cremonensis, tituli S. Caeciliae.

† Ego Antonius Maria card. Salviatus, tituli S. Mariae de Pace.

† Ego Augustus cardinalis Veronen., tituli S. Marci.

† Ego Vincentius, tit. S. Mariae in Via, card. Montis Regalis.

† Ego Philippus card. Spinula, tit. Sanctae Sabinae.

† Ego Scipio, tit. S. Salvatoris in Lauro, card. Lancellottus.

† Ego Vincentius card. Gonzaga, tituli S. Alexii.

† Ego Henricus cardinalis Caietanus, tituli Sanctae Pudentianae, S. R. E. camerarius.

† Ego Ioannes Baptista cardinalis Castrucius, tituli Sanctae Mariae in Aracoeli.

† Ego Federicus card. Cornelius, tituli S. Stephani in Monte Caelio.

† Ego Dominicus, tit. S. Laurentii, cardinalis Pinellus.

† Ego Hippolytus cardinalis Aldobrandinus, tit. S. Pancratii, maior poenitentiarius.

† Ego Hieronymus, tituli Sancti Petri ad Vincula, cardinalis de Ruvere.

† Ego Philippus card. de Lenoncourt, tituli S. Honuphrii.

† Ego frater Hieronymus cardinalis Asculensis, tituli Sancti Thomae in Parione.

† Ego Antonius Maria, tit. S. Agnetis in Agone, card. Perusinus,

† Ego frater Constantius cardinalis Sarnanus, tituli Sancti Petri in Monte Aureo.

† Ego G. card. Alanus, tit. S. Martini in Montibus.

† Ego Scipio, tit. S. Mariae de Populo, card. Gonzaga.

† Ego Antonius, tit. S. Vitalis, card. Saulius.

† Ego Evangelista, tituli Sancti Matthaei in Merulana, cardinalis Cusentinus.

† Ego F. Stephanus, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbyt. cardinalis Aretinus.

† Ego F. card. Sfortia, diac. S. Nicolai in Carcere.

† Ego Alexander card. Montaltus, diaconus S. Eustachii.

† Ego Hieronymus S. Mariae in Cosmedin diac. card. Matthaeius.

† Ego Benedictus S. Agathae diac. cardinalis Iustinianus.

† Ego Ascanius Sanctorum Viti et Modesti et Crescentiae diaconus cardin. Columna.

† Ego Fridericus Sanctae Mariae in Dominica diaconus card. Borromaeus.

Publicatio. Anno a nativitate Domini MDLXXXVIII, indictione I, die vero veneris, undecima mensis martii, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Sixti divina providentia Papae V, anno eius tertio, retroscriptae litterae apostolicae affixae et lectae et publicatae fuerunt in valvis seu portis S. Ioannis Lateranensis, et S. Petri Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, et per aliquod temporis spatium dimissae, per nos Ioa. Baptistam Bagni, et Io. Burlurault, SS. D. N. Papae cursores.

Alex. Parabiacus, mag. curs.

Dat. die 19 febb. 1588, pontif. anno III.

CXIX.

Adscriptio S. Bonaventurae Balneoregiensis inter egregios sanctosque catholicae ecclesiae doctores, cum indulgentiis pro eius festivitate die XIV *iulii celebranda* [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei,

Universis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis aliarum ecclesiarum praelatis per universum terrarum orbem constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Triumphantis Hierusalem gloriam sempiternam et Sanctorum cum Christo felicissime regnantium numquam marcescentes coronas cum gaudio admirans, sancta mater Ecclesia, adhuc in terris militans, ad eamdem vero iustitiae coronam festinans, Deum in Sanctis suis mirabilem praedicare non cessat. Nec vero insignes tantum victorias et praeclara sanctorum merita eximiis laudibus celebrat, sed eosdem Sanctos, quos Deus mirifice honorificat, ipsa quoque pie veneratur ac colit, quorum nimirum praedicatione salutarique doctrina instituta, sanguine fundata, illustribus caritatis operibus atque exemplis educata, ferventibus illorum apud Deum precibus quotidie adiuvatur. Quamobrem debitis etiam congruisque honoribus unicuique Sanctorum singulatim tribuendis, ad coelestis illius hierarchiae, ubi omnia in caritate perfecta ordinata sunt, normam atque imaginem sese conformare, quantum quidem in huius praetereuntis mundi exilio licet, ma-

1 Canonizationem huius sancti praefinivit Sixtus IV, ut in sua const. XXVI, *Superna*, tom. V, pag. 284. Aliorum ecclesiae doctorum et evangelistarum festa duplici officio celebrari iussit Bonifacius VIII in Extrav. I. de Reli. et ven. Sanct.

xime studet. Nam quemadmodum in magna illa summi patrisfamilias bonisque omnibus cumulata domo mansiones multae sunt, et beatae illae animae mira quadam varietate unius gloriae beatitudine perfruuntur; sic catholica Ecclesia, quae coelestis illius effigies est, ut castrorum acies ordinata, in veneratione Sanctis Dei adhibenda, sacros illos ordines divino illustrata lumine agnoscit atque distinguit. Itaque dum gloriosum apostolorum chorum, dum prophetarum laudabilem numerum, dum fortissimorum martyrum laudat exercitum, ceterisque Sanctis suo loco et ordine rite honores defert, in uno caritatis spiritu et consimili piae devotionis affectu multipliciter exultat. Inter illos vero beatissimos Sanctorum choros, quorum memoria a cunctis fidelibus religioso cultu merito celebratur, insigni splendore elucet sanctorum doctorum Ordo a Paulo apostolo diserte enumeratus, cum ait: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores*, quos vineæ suae strenuos fidelesque cultores atque operarios constituit, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi. Hi sunt, de quibus Divina Sapientia clamat: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt* de his Angelus apud Danielem loquitur: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates*: eos denique Salvator ipse Christus Dominus insigni illo elogio ornavit: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.* Cum autem omnibus temporibus sacrorum doctorum studium et doctrina in Ecclesia Dei utilis et salutaris fuit, tum maxime fructuosam et plane necessariam esse res ipsa demonstravit, cum, persecutorum christiani nominis horribili furore represso, in ipsa Ecclesiae pace, teterrima haeresum bella vehementius excitata sunt, tunc enim haereticorum doli et fallaciae, qui, diabolo instigante, in agro Domini zizania superseminare non intermittunt, doctorum cura et diligentia detectae, et pestiferi ac detestabiles errores gladio spiritus amputati, et catholicae veritatis vi, sacris doctoribus administris, mendacium prostratum, quare iure optimo Hyadum stellarum nomine sancti doctores in Ecclesia designantur, qui, perfrigida hyeme et longis infidelitatis noctibus expletis, et persecutionis tempestate sedata, tunc clariores sanctae Ecclesiae exorti sunt, cum veritatis sol per corda fidelium altius calesceret, et tamquam novo fidei vere lucidior annus aperiretur.

Sanctus Bonaventura a Sixto IV est canonizatus, ut in nota ad rubr.

§ 1. Iam vero inter eos, quos Dominus magnus spiritu intelligentiae replere voluit, quique tamquam imbres eloquia sapientiae suae in Ecclesia Dei emiserunt, merito numeratur S. Bonaventura confessor et pontifex, et in eadem catholica Ecclesia doctor eximius, quem felicis recordationis Sixtus Papa IV, praedecessor noster, ob admirabilem vitae sanctitatem et praecellentem doctrinam, in Sanctorum numerum adscripsit.

Sancti Bonaventurae vita recensetur.

§ 2. Is enim Balneoregii in Etruria natus, ut piae matris voto satisfaceret, adolescens seraphicam Sancti Francisci Religionem est ingressus, per cuius vestigia recentia adhuc novus Christi miles, humiliter et constanter incedens, saluberrimam regularium institutorum observantiam tanto animi ardore tantaque cordis aviditate auxit, ut summa in eo sanctitas appareret, ac vitae innocentia et castitate, sancta humilitate, patientia, mansuetudine, terrenarum rerum displicentia, coelestium desiderio omnibus et exemplo et admirationi esset; tanta quoque spiritus dulcedine et divini amoris fervore in-

flammatus in Deum rapiebatur, ut iam in cellam vinariam sponsi introductus, et vino optimo caritatis ebrius, Iesum Christum crucifixum et patientem utique intueri et in eius vulneribus habitare videretur. Ad hanc vero eximiam vitae sanctitatem vir Dei magnam praestantis doctrinae laudem adiunxit, Deo ita disponente, ut ad eius gloriam et Ecclesiae utilitatem, non solum exemplo, sed verbo et eruditione magnopere proficeret. Itaque cum in sacrarum litterarum studio, sanctorum Patrum lectione et scholasticae theologiae pernecessaria disciplina Alexandro de Ales magistro, insigni illius aetatis theologo, diligentissime versaretur, brevi temporis spatio excellentis ingenii bonitate, assiduo labore, et quod caput est, gratia Spiritus Sancti, qui vas aureum in honorem electum omni ex parte formabat, tantos progressus fecit, et ad tantam doctrinae perfectionem pervenit, ut doctoris et magistri insignibus in celeberrimo Parisiensi gymnasio solemni more decoratus, sacram theologiam ibidem publice professus sit.

Sancti Bonaventurae virtutes, laudes, et praeclara gesta enarrantur.

§ 3. Tantam vero laudem in interpretandi munere, et in universae theologiae scientia est consecutus, ut viri doctissimi eius doctrinam et eruditionem admirarentur. Et quidem multiplices sancti viri lucubrationes et praeclara scripta, quae adhuc magna Ecclesiae utilitate et non mediocri Deo beneficio extant, quaeque et nostrae et superiorum aetatum viri eruditi multo cum fructu legerunt et magnopere comprobarunt, quantus ille in theologia fuerit, satis declarant. Ea enim divini ingenii sui monimenta posteris reliquit, quibus perdifficiles et multis obscuritatibus involutae quaestiones, magna optimorum argumentorum copia, via et ordine, enucleate ac dilucide explicantur, fidei catholicae veritas illustratur, perniciosi errores et profanae haereses profligantur, et piae fidelium mentes ad Dei amorem et coelestis patriae desiderium admirabiliter inflammantur. Fuit enim in S. Bonaventura id praecipuum et singulare, ut non solum argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertia praestaret, sed divina quadam animos permovendi vi excelleret; sic enim scribendo cum summa eruditione parem pietatis ardorem coniungit, ut lectorem docendo moveat, et in intimos animi recessus illabatur, ac denique seraphicis quibusdam aculeis cor compungat, et mira devotionis dulcedine perfundat; quam sane gratiam in eius ore et calamo diffusam admirans praedecessor noster Sixtus IV pontifex, illud dicere non dubitavit: Spiritum Sanctum in eo locutum videri.

Sanctus Bonaventura generalis minister in Ordine septimus post Sanctum Franciscum creatus fuit.

§ 4. Cum igitur servo fideli tam multa et praeclara a Domino talenta essent credita, ut illis ad fratrum utilitatem exercendis et negociandis, coelestis gratiae thesauros amplificaret, divino consilio et summo totius sui Ordinis consensu, Romae minister generalis septimus post Beatum Franciscum est factus, quo in officii munere non solum prudentiam, vigilantiam, sollicitudinem praestitit, sed tanto fraternae caritatis ardore exarsit, tantaque christianae humilitatis demissione fratribus inservivit, ut in eo illud Salvatoris agnosceretur: Qui maior est in vobis, sit vester minister.

Archiepiscopatus Eboracensis a Clemente IV ei oblatus, et ab eo recusatus fuit.

§ 5. Quin et piae memoriae praedecessor noster Clemens Papa IV, qui sanctum virum valde dilexit et eius doctrina mirifice est delectatus, ut tam excellens virtus et prudentia ad multorum utilitatem latiori in campo excurreret, insignem Eboracensem archiepiscopatum ei obtulit. Ille vero cum se a seraphicae paupertatis complexu divelli non facile pateretur, oblatam dignitatem modeste atque humiliter recusavit.

Ad generale conc. Lugd. a Gregor. X vocatus et humanissime exceptus fuit.

§ 6. Ceterum, cum Gregorius X Summus Pontifex, ob gravissimas christianae reipublicae causas concilium generale Lugdunum indixisset, virosque sanctitate, doctrina et sapientia praestantes perquireret, quorum forti et fideli opera ad rei maximae tractationem atque explicationem uteretur, duo in primis clarissima illius aetatis lumina e duobus florentissimis Ordinibus Praedicatorum et Minorum delegit, sanctos Thomam et Bonaventuram, quos ad se ire iussit. Sed cum alter in ipso itinere in morbum incidisset, atque ad gloriae coronam feliciter evolasset, S. Bonaventura Lugdunum profectus, humanissime exceptus est a Romano Pontifice Gregorio, qui in eius virtute et sapientia ita acquiescebat, ut concilii recte dirigendi et administrandi partes ei praecipue tribuendas esse decerneret. Quare ex publica Ecclesiae utilitate et necessitate, ut maiori cum dignitate et auctoritate concilii rebus non solum interesset, sed præesset, statuit lucernam ardentem et lucentem supra excelsum candelabrum ponere, ut in domo Dei magis luceret.

Cardinalisque et episcopus Alban. ab eodem Pontifice ibi creatus fuit.

§ 7. Itaque S. Bonaventuram nullos honores appetentem, fugientem potius, sed Christi Vicario obtemperantem, nullosque pro Ecclesia labores subire recusantem, tamquam in totius orbis terrae theatro in sacrum cardinalium collegium et in episcoporum Ordinem statim cooptavit; nam Ecclesiae Albanensi illum praefecit, qui honos antiquioribus presbyteris cardinalibus tribui solet. Qua ille amplissima dignitate auctus, universam in Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem contulit. Etenim in rebus concilii arduis operam egregiam praestitit, catholicam fidem constantissime defendit, pravas opiniones acerrime refutavit, eiusdemque prudentia, doctrina, sanctitate, orationibus, Gregorii Pontificis pastoralis sollicitudo tantopere adiuta est, ut sublato per Dei misericordiam schismatis dissidio, Michael Palaeologus Graecorum imperator orientalesque nationes ad Apostolicae Sedis obedientiam, unitatem communionemque redierint, ac denique dignus habitus est, quem Graeci Eutychii nomine appellarent.

Et post multa eius praeclare gesta in rebus concilii et fidei augmento in eodem concilio decessit, et ad coelestem patriam migravit, et eius miraculorum fama percrebuit.

§ 8. Merito igitur, cum paulo post in eodem concilio fortissimus Christi athleta ex huius vitae peregrinatione ad coelestem patriam emigrasset, omnes eius mortem doluerunt, omnes communem iacturam deplorarunt, omnes illius funus lacrymis et laudibus ornarunt, sed unus praeter ceteros, viri sanctissimi vitam integerrime actam, mores probatissimos, labores permultos pro Ecclesia susceptos, doctrinam in illo ipso concilio spectatam insigni laudatione verissime celebravit. Is fuit piae memoriae Petrus cardinalis a Tarantasia, vir eruditione et christiana eloquentia praestans, qui postea ad pontificatus fastigium evectus, Innocentius Papa V est appellatus. Ipse vero Summus Pontifex Gregorius X, ex intimi animi sensibus amissum fratrem, adiutorem et consiliarium fidelissimum dolens, palam gravibus verbis testificatus est catholicam Ecclesiam, quae ex tanti viri pietate et doctrina fructus uberrimos acceperat, magnam illius morte iacturam fecisse. Sed vere a Spiritu Sancto dictum est: *In memoria aeterna erit iustus:* nam qui in vita illustris fuerat, multo post mortem factus est illustrior; Deo, qui admirabilis et gloriosus est in Sanctis suis, signis compluribus ac prodigiis et miraculis maxime insignibus servi sui sanctitatem comprobante.

Ideo Sixtus IV Bonaventuram in SS. Confessorum pontificum doctorum numerum aggregavit.

§ 9. Quorum miraculorum fama cum apud omnes percrebresceret, idem Sixtus praedecessor noster, e sublimi Apostolicae Sedis specula ea aspiciens, digitum Dei, qui facit mirabilia magna solus, ibi

plane esse intellexit, itaque et sponte sua, et clarae memoriae Federico Romanorum imperatore, regibus, rebuspublicis, ducibus civitatibusque per multis vehementer requirentibus, ac omnium fere fidelium consensu efflagitante, de viro praestantissimo Bonaventura episcopo cardinali in Sanctos referendo, Pontifex Romanus dignam cogitationem suscepit. Summa igitur cura et diligentia vitae illius eximia sanctitate et miraculorum veritate examinata atque comperta, omnibus denique, quae ad eam rem pertinebant, rite recteque actis, ad Dei gloriam et Ecclesiae catholicae exaltationem, pro sua summa eique a Deo in beato Petro apostolo tradita potestate, eumdem beatum Bonaventuram, de fratrum suorum S. R. E. cardinalium et praelatorum omnium consensu, in Sanctos retulit, et in sanctorum confessorum pontificum doctorum numerum adscripsit atque aggregavit, eiusque festum anniversarium diem secunda mensis iulii dominica die celebrari, officiumque de eo, veluti de confessore pontifice doctore in universa Ecclesia recitari iussit, aliis item decretis adiectis, quae in eiusdem Sixti litteris plenius continentur.

Et modo hic Pontifex ex multis validissimis rationibus hic expressis, ad eiusdem S. Bonaventurae sanctitatem et doctrinam illustrandam animum applicuit.

§ 10. Et quamvis gloriosus hic doctor S. Bonaventura et in Ecclesia catholica celeberrimus sit, et in coelo maxime resplendeat, ubi corona illa est coronatus quam repromisit Deus diligentibus se, nec ulla humana re indigeat, qui bonis illis cum Christo perfruitur, quae nec oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt; urget nos tamen caritas Christi, et ardens quidam devotionis affectus, quo erga eum ab ineunte fere aetate perpetuo exarsimus, ut de eius sanctitate et doctrina magis magisque propaganda atque illustranda, quantum cum Domino possumus, cogitemus. Movemur quidem, ut par est, sancta cum eo communione seraphicae Religionis nostrae, in qua educati et tot annos versati sumus, et cui tamquam matri optime meritae, omnia pietatis et grati animi monumenta praestare debemus; sed multo magis movent nos Dei gloria, pastorale officium quod gerimus, viri sanctissimi pro Ecclesia Dei tot suscepti labores, tot illustria merita, tanta cum Romana Ecclesia coniunctio, in cuius amplissimo ordine et senatu summa cum laude consedit. Denique movet nos Ecclesiae universalis utilitas, quae ex tanti doctoris eruditione semper maior et uberior capi potest, praesertim cum haereticorum insidiae et diabolicae machinationes, quibus sacram theologiam, quae scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant, vehementissime nos magnopere admoneant, ut eamdem theologiam, qua nihil Ecclesiae Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus. Divino enim Illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a maioribus nostris sapientissimis viris theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi doctores, angelicus sanctus Thomas, et seraphicus sanctus Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores, et primi inter eos, qui in Sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et uti-

lius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas. His vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est. Et profecto rem ita se habere ipsimet veritatis inimici sunt iudices, quibus theologia scholastica maxime est formidolosa, qui profecto intelligunt, apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, illo ordine et dispositione, tamquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus et distinctionibus, illa argumentorum firmitate et acutissimis disputationibus lucem a tenebris, verum a falso distingui, eorumque mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta patefieri ac denudari. Quanto igitur magis illi hanc munitissimam scholasticæ theologiæ arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, et haereditatem patrum nostrorum conservare et tueri, et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare.

Et ideo collegium S. Bonaventurae apud basilicam SS. Apostolorum de Urbe instituit.

§ 11. Quamobrem, ut seraphici Doctoris eruditio ad multorum utilitatem latius diffundatur, et ex eius libris et operibus eruditi et studiosi viri copiosiores suavioresque in dies fructus capiant (quod ad ipsius Sancti, quamquam in coelo beatissimi, gloriam aliquam facere non est dubitandum) primum quidem in alma Urbe nostra, in hac basilica Sanctorum Duodecim Apostolorum, Sancti Bonaventurae nomine collegium instituimus, in quo ex huius praecipue eximii devotique Doctoris operibus et commentariis sacra theologia publice explicetur.

Eiusque opera omnia simul et emendatissime e typographia Vaticana in lucem emitti curavit.

§ 12. Deinde etiam opera illius omnia, quae inveniri potuerunt, partim nondum edita, nostraque auctoritate et impensis undique conquisita, partim iam evulgata, simul omnia decenti forma, et quam emendatissime imprimi et e typographia nostra Vaticana in lucem emitti curamus. Quod autem, ab ipso pontificatus nostri initio, Deo, ut pie credimus, inspirante, constanter proposuimus, sancti huius Doctoris nomen et merita gloriosa apud omnes pro viribus celebrare, fideliumque erga eum venerationem augere et amplificare.

Et sicut Pius V, S. Thomam, sui Ordinis praedicatorum decus, exornare volens, eius festum celebrari iussit; ita iste Pontifex idem S. Bonaventurae sui Ordinis Conventualium S. Francisci ornamento deberi existimavit ob multam inter ipsos Sanctos virtutis sanctitatis, doctrinae et meritorum coniunctionem, et similitudinem.

§ 13. Sane ad id quoque non mediocriter excitati sumus exemplo sanctae memoriae Pii Papae quinti, praedecessoris nostri, de christiana republica optime meriti, et quem ut parentem adhuc reveremur et colimus. Is enim religiosa pietate et singulari devotione permotus, qua afficiebatur erga Sanctum Thomam de Aquino, Ordinis sui decus et Ecclesiae catholicae ornamentum, cupiens eodem modo eumdem Sanctum, ob eius praestantissima in catholicam Ecclesiam merita, congruis honoribus exornare, praeter alia hoc iussit atque decrevit ut illius festus dies quotannis duplicis officii ritu ad instar sanctorum quatuor Ecclesiae doctorum perpetuo celebraretur; quod et S. Bonaventurae doctori eximio tribui debere aequum profecto existimamus, cum tam multa inter eos virtutis, sanctitatis, doctrinae, meritorum coniunctio et similitudo intercedat. Hi enim sunt duae olivae et duo candelabra in domo Dei lucentia, qui et caritatis pinguedine et scientiae luce totam Ecclesiam collustrant; hi singulari Dei providentia eodem tempore tamquam duae stellae exorientes, ex duabus clarissimis regularium Ordinum familiis prodierunt, quae sanctae Ecclesiae ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes la-

bores et pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae semper existunt, ex quibus tamquam ex fertili et bene culto solo quotidie per Dei gratiam foecundae et fructuosae plantae procreantur, hoc est viri doctrina et sanctitate praestantes, qui Petri naviculae tot fluctibus agitatae, et Romano Pontifici, eius clavum non sine magna sollicitudine tenenti, fortem et fidelem operam navant. Hi duo Sancti cum essent coaevi iisdemque studiis diditi, condiscipuli, simul magistri, pari ratione a Gregorio decimo summo Pontifice, cum ambo ad concilium evocarentur, honorati, et in huius vitae peregrinatione fraterna caritate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate valde coniuncti fuerunt, et denique pari gressu ad coelestem patriam commigrantes, pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur, ubi eodem caritatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant, divinamque opem implorant, ut merito idem Sixtus IV hos duos Sanctos persimiles et quasi geminos in Christo fratres agnoscens, statuerit sanctum Bonaventuram consimili venerationis et honoris praerogativa atque S. Thomam decorandum esse.

Et doctrinam S. Bonaventurae commendat, et ipsum inter egregios Ecclesiae doctores annumerat.

§ 14. Quod igitur a nobis, et seraphici Ordinis caritas et sancti Bonaventurae meritorum magnitudo, et catholicae Ecclesiae, cuius gubernacula nobis, licet immerentibus, a Deo commissa sunt, utilitas et aedificatio requirit, habita super his omnibus cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem consilio et unanimi assensu, et ex certa nostra scientia, ac de attributae nobis apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, doctrinam ipsius sancti Bonaventurae a supradictis praedecessoribus nostris Clemente quarto, Gregorio decimo et Sixto quarto laudatam, in concilio Lugdunensi maxime spectatam, in Florentino, etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, gravissimorum virorum auctoritate testificatam et commendatam, et eximio Ecclesiae doctore dignam, nos quoque plurimum in Domino laudamus et commendamus, ac litteras eiusdem Sixti quarti, quas pro expressis hoc loco haberi volumus, excepta eius ordinatione de festo die S. Bonaventurae secunda dominica iulii celebrando, harum tenore approbantes et innovantes, ipsum sanctum Bonaventuram, iure sanctorum doctorum consortio ab eodem Sixto quarto adscriptum et connumeratum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, inter praecipuos et primarios qui theologicae facultatis magisterio excelluerunt habendum ac venerandum esse decernimus et declaramus.

Eiusque opera e typographia Vaticana emittenda publice citari decernit.

§ 15. Atque ob eam causam sperantes in Domino, huius seraphici Doctoris lucubrationes ad doctrinam et devotionem, quam in clero populoque christiano magnopere lucere et ardere cupimus, maximo adiumento fore, illius libros, commentarios, opuscula, opera denique omnia, prout ex nostra typographia Vaticana, quam emendatissima, ut supra dictum est, emittuntur, ut aliorum Ecclesiae doctorum, qui eximii sunt, non modo privatim, sed publice, in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus omnibusque aliis ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.

Festum die 14 iulii duplici officio celebrari iubet.

§ 16. Et nihilominus, ut sapientissimi huius Doctoris gloriosa recordatio, si non pro ipsius dignitate, at saltem pro humana tenuitate, ob ingentia illius merita, ardentiori studio recolatur, felicis recor-

dationis praedecessorum nostrorum Bonifacii Papae octavi, qui de sanctis quatuor doctoribus, et Pii Papae quinti, de praedicto sancto Thoma eadem praeceperunt, exemplo adducti, praecipimus ut eiusdem sancti Bonaventurae dies festus in omnibus christiani orbis partibus sub duplici officio a cunctis personis, ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, tam publice quam privatim, pridie idus iulii (non obstante praedicta Sixti quarti ordinatione de secunda dominica dicti mensis) celebrari, atque in kalendariis, cum doctoris nomine et festi duplicis adiectione, describi et imprimi debeat, etiamsi in novissimis breviarii et missalis Romani reformationibus aliter dispositum fuerit, neque secus atque a nobis ut supra ordinatum fuit, per quoscumque, quavis auctoritate praeditos, censeri aut interpretari posse decernimus.

Indulgentiasque pro die dictae suae festivitatis concedit.

§ 17. Hortantes universos utriusque sexus christifideles civitatis Balneoregii, quae clarissimum hoc edidit lumen, et illius dioecesis, ut eodem die festo a servilibus, de sanctae Ecclesiae more, operibus abstineant. Ut autem christifidelium devotio ad seraphici huius doctoris diem festum colendum eiusque opem pie implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc coelestis gratiae dono se uberius conspexerint esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus, tam in dicta civitate et dioecesi Balneoregii, quam in praeclara Galliae urbe Lugduno, ubi ille bono certamine legitime decertato, cursu consumato, fide servata, ex hoc calamitoso saeculo ad meritorum suorum praemium et coronam in coelum feliciter migravit, in almaque Urbe nostra, ubi in hac basilica Sanctorum Duodecim Apostolorum collegium a nobis, est ut iam diximus, erectum, constitutis, qui eius festum huiusmodi, ut ceteras de praecepto Ecclesiae servari solitas festivitates, devote colentes, vere poenitentes et sacramentali peccatorum suorum confessione praemissa, eo die sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Qui vero ecclesias fratrum Minorum S. Francisci ipso die festo a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei devote visitaverint, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effundentes, decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis per praesentes litteras perpetuo duraturas, quas sub quibusvis indulgentiarum revocationibus vel limitationibus nullo modo comprehendi volumus, misericorditer in Domino relaxamus.

Hanc constitutionem ubique promulgari et observari praecipit.

§ 18. Quocirca fraternitati et discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus ut praesentes litteras et in eis contenta quaecumque in suis quilibet provinciis, civitatibus, ecclesiis et dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ubique locorum et gentium inviolate perpetuo observari procurent.

Fides exemplorum.

§ 19. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, *etc.*

Sanctio poenalis.

§ 20. Nulli ergo omnino hominum liceat, *etc.*

Datum Romae apud basilicam Sanctorum Duodecim Apostolorum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, pridie idus martii, pontificatus nostri anno III.

Papae subsc.

† Ego Sixtus catholicae Ecclesiae episcopus.

Sequuntur card. subscriptiones.

Dat. die 14 mart. 1588, pontif. anno III.

CXX.

Monasterium Sancti Cypriani mensae patriarchali Venetiarum unitur [1].

Sixtus papa quintus
Motu proprio etc.
Venerabilibus fratribus Veronensi et Vicentino, episcopis, necnon dilecto filio primicerio ecclesiae Sancti Marci Venetiarum, salutem et apostolicam benedictionem.

Bulla unionis. § 1. Hodie a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis. Sixtus episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Apostolici muneris sollicitudo divina dispositione nobis, licet immeritis, delegata, indesinenter requirit ut ad ecclesiarum quarumlibet, praesertim patriarchalium, statum nostrae considerationis intuitum propensius praetendentes, quae pro illarum praesulum necessitatibus sublevandis et felici earumdem ecclesiarum ac monasteriorum et aliorum regularium locorum quorumlibet directione opportuna remedia fore intelligimus, quamprimum adhibeamus, ac his pastoralis officii nostri partes interdum per unionis et annexionis monasteriorum eorumdem ministerium favorabiliter interponamus, ac aliter desuper disponamus, prout rerum, locorum et temporum qualitatibus undique pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Lite pendente super patronatus iure nominandi ad hoc monasterium; § 2. Sane cum venerabilis frater noster Ioannes patriarcha Venetiarum commendae, in quam monasterium SS. Cornelii et Cypriani de Murano, Ordinis S. Benedicti, Torcell. dioecesis, qui antequam de persona sua ecclesiae Venetiarum, tunc certo modo pastoris solatio destitutae, apostolica auctoritate providerent, ut ipsius monasterii abbas Ordinem praedictum expresse professus praesidebat, et cum quo postmodum in provisione eiusmodi et una in ipsa ecclesia, monasterium ipsum in commendam ad eius vitam retinere valeret, sub certis usu, modo et forma expressis, dicta auctoritate dispensatum extitit, ex huiusmodi dispensatione abstinebat, necnon omni iuri sibi in regimine et administratione dicti monasterii, vel ad illa quomodolibet competenti, in manibus nostris in favorem dilecti filii Ioannis Emi clerici Venetiarum, cum reservatione omnium et singulorum dicti monasterii fructuum, redituum et proventuum per ipsum Ioannem patriarcham, quoad viveret, propria auctoritate, exceptis dumtaxat ex eis centum ducatis monetae Venetae pro dicto Ioanne Emo et successoribus suis, monasterium praedictum in titulum commendae administratione vel aliter quomodolibet obtinentibus percipiendorum, necnon postquam reservatio fructuum huiusmodi cessaret, quarumdam pensionum pro certis personis assignandarum, aut alias sponte et libere cedere intenderet, libellumque supplicem nobis desuper porrigi curasset; et dilecti filii Paulus et Vincentius quondam Petri Dominici Gradenici, cives et patritii Venetiarum, asserentes iuspatronatus et præsentandi seu nominandi personam idoneam ad dictum monasterium, dum pro tempore vacat, ad ipsum eorumque posteros legitime pertinere, cessioni et aliis praemissis, habita illorum notitia, se opposuissent, ac eidem monasterio de alicuius persona aliquem ad ipsorum praesentationem seu nominationem, aut saltem de eorum consensu provideri vel aliter de illo disponi non posse neque debere contenderent. Nos de monasterii praedicti, illiusque bonorum et rerum statu et qualitate, necnon praetenso iurepatronatus et praesentandi vel nominandi huiusmodi voluimus edoceri, et inter alia deprehen-

[1] Ex Ughellio, Italia Sacra, tom. V, pag. 1318.

dimus monasterium praedictum civitati Venetiarum finitimum, et competentibus reditibus dotatum, et pro tempore existentem patriarcham Venetiarum, illiusque regimini et administrationi, tam in spiritualibus quam in temporalibus, utilem et commodum existere, et propter facultatem suae mensae patriarchalis angustam, et pro loci et personae dignitate, sine fructuum ipsius monasterii subventione, decenter sustentari non posse, et licet iuspatronatus huiusmodi legitime verificatum non existeret, vacatione tamen ipsius monasterii occurrente, desuper dubitari, et graves lites, et controversias, multis difficultatibus obstructas oriri posse.

Attentaque tenuitate redditum mensae patriarchal. Venetiarum;

§ 3. Quo circa nos, qui dudum inter alia voluimus quod petentibus beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem et beneficii cui aliud uniri peterent, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique etiam decernimus, et intentionis nostrae esse declaramus, quod deinceps per quascumque gratias seu litteras apostolicas pro mandatis et declarationibus quibusvis, etiamsi motu proprio et ex certa scientia a nobis emanarent, nulli ius sibi quaesitum quomodolibet tollerent, his et aliis nobis magis notis suadentibus causis, litium et controversiarum anfractibus obviare, ac praedicti Ioannis et pro tempore existentis patriarchae Venetiarum congrue subventioni, monasteriique huiusmodi salubri directioni consulere, necnon dilectis filiis nobilibus viris duci et reipublicae Venetiarum, quorum inveteratum erga nos et Sedem Apostolicam devotionis et reverentiae studium grati animi propensione iugiter amplectimur, rem gratam et acceptam facere cupientes, necnon quarumcumque unionum, annexionum et incorporationum eidem mensae patriarchali hactenus factarum tenores, illiusque fructuum, redituum et proventuum annuum valorem, verumque et ultimum dicti monasterii vacationis modum, etiam si ex illo quaevis generalis reservatio et in corpore iuris clausa resultet, praesentibus pro expressis habentes:

Sixtus a tali iurepatronatus illud liberum declarat;

§ 4. Motu et scientia similibus, et de apostolicae potestatis plenitudine, iuspatronatum et praesentandi seu nominandi personam idoneam ad dictum monasterium Paulo et Vincentio eorumque posteris et suae familiae eiusmodi, ut praefertur, vel aliter quomodolibet minime competisse nec competere apostolica auctoritate declaramus, illudque penitus et omnino supprimimus et extinguimus et abrogamus, ipsumque monasterium ab illo liberum et exemptum esse et fore decernimus.

Perpetuoque dictae patriarchali mensae unit.

§ 5. Necnon praedictum monasterium, a quo hodie per alias nostras litteras certam partem illius bonorum et iurium dismembravimus et separavimus, illique certum prioratum per nos erectum subiectis modo et forma tunc expressis, applicavimus et appropriavimus, prout in dictis litteris plenius continetur, cuius et illi forsan annexorum fructus, reditus et proventus ad ducentos et octoginta florenos auri ante dismembrationem praedictam in libris Camerae Apostolicae taxari imponuntur, secundum vero communem extimationem quatuor millium ducatorum auri similium secundum communem extimationem valorem annuum, ut accipimus, non excedunt, illiusque abbatialem dignitatem, cum omnibus et singulis annexis, iuribus, obventionibus, emolumentis, proprietatibus, bonis, iurisdictionibus et pertinentiis suis, exceptis dumtaxat bonis et iuribus, ut praefertur, dismembratis praedictis, eidem mensae patriarchali, dicti Ioannis patriarchae ad hoc expresso accedente consensu, etiam

perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

Illius possessionem apprehendendi patriarchae dat facultatem.

§ 6. Itaque liceat ipsi et pro tempore existenti patriarchae venerabili praedicti monasterii, illiusque regiminis et administrationis, ac reliquorum bonorum ac proprietatum huiusmodi corporalem, realem et actualem possessionem per se vel per alium seu alios, mensae patriarchalis huiusmodi nomine, propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, illorumque fructus, reditus et proventus, iura et obventiones ac emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac in suos mensaeque patriarchalis et monasterii huiusmodi usus et utilitatem convertere.

Omnia et singula beneficia, dignitates etc. ab eodem dependentia conferendi.

§ 7. Necnon omnia et singula prioratus, praeposituras, dignitates, personatus, administrationes et officia ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum clericalia, ad collationem, provisionem, praesentationem, institutionem, electionem et confirmationem et quamvis aliam dispositionem pro tempore existentis abbatis dicti monasterii quomodolibet spectantia, personis idoneis conferre, et de illis etiam providere, similesque personas ad illam praesentare et eligere, et praesentatas et electas instituere et confirmare.

Omniaque alia faciendi tam intra quam extra monasterium quae abbati competebant.

§ 8. Necnon monasterium illiusque res et bona huiusmodi tam in spiritualibus quam in temporalibus regere et gubernare, ac sedem, locum ac praeeminentiam abbatis, tam in choro quam in capitulo et conventu et aliis quibusvis publicis et privatis actibus ipsius monasterii, habere, et ibidem praesidere, ceteraque omnia in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna facere et exequi in omnibus et per omnia, prout ipsius monasterii abbates, qui pro tempore fuerunt et exequi potuere seu etiam debuerunt, cuiusvis licentia desuper minime requisita, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii eidem patriarchae pro tempore existenti in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo.

Praedicta omnia semper et ubique servari decernit.

§ 9. Decernentes unionem, annexionem, incorporationem et alia praemissa, ac praesentes litteras sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus vel derogationibus similium vel dissimilium gratiarum per Sedem ipsam quomodolibet faciendarum non comprehendi, sed ab illis semper exceptas esse, et quoties illas suspendi, revocari aut eis derogari contigerit, toties, etiam sub posteriori data, per eos, quorum intererit, eligenda, de novo concessas ac in pristinum statum restitutas, et ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus ac derogationibus eiusmodi minime comprehendatur, ex nunc vere et non ficte suum plenarium et integrum effectum sortita esse, illaque non de vacaturo, sed de vacante monasterio huiusmodi facta, et per illa vere et non ficte, ius plenum in re et ad rem acquisitam existere, et patriarcham pro tempore existentem, etiam regulis de non tollendo iure acquisito, ac de annuali et triennali possessionibus gaudere debere, ac praesentium litterarum suspensiones, revocationes, derogationes ac alias contrarias dispositiones, pro novis illarum concessionibus et restitutionibus habere et censere; minusque easdem praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, annullari, aut ex eo quod nulla aut minus iusta et legitima causa subsistente, ac extra consistorium emanarint, causaeque ipsae, iuris ordine servato, coram loci ordinario vel alibi examinatae et iustificatae, aliterque praesentibus litteris expressa vel exprimenda, probata et verificata, et alii, quorum in-

terest, vocati et auditi non fuerint, nec illis consenserint, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, facti aut gratiae remedium impetrari posse, sed illas et in eis contenta quaecumque valere et plenam roboris firmitatem obtinere, ac perpetuo inviolabiliter observari debere in omnibus et per omnia, perinde ac si de unanimi venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et consensu consistoriali, ut moris est, servatis quibuscumque servandis, emanassent, et quæcumque ad illarum validitatem, efficaciam et perpetuitatem quomodolibet requisita formaliter et individue, nihil omisso, intervenissent, ac observata et facta fuissent.

Sicque ab omnibus iudicari.

§ 10. Sicque per quoscumque iudices et causarum Palatii Apostolici auditores ac praedictos cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debeat; irritum quoque et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 11. Non obstantibus voluntate ac intentione et declaratione nostri praedecessoris, necnon Lateranensis [1], uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, aut extra consistorium fieri, aut Turonensis conciliorum uniones perpetuas beneficiorum fieri, et beneficia unius beneficio seu loco alterius dioecesis uniri prohibentium; ac felicis memoriae Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam, a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede Apostolica deputati extra civitatem vel dioecesim, a quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere quoquomodo audeant vel praesumant; et in concilio generali editas de duabus diaetis, dummodo non ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus et etiam universalibus conciliis editis, specialibus ac generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon monasterii et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis, coram abbatibus, conventibus, superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, et motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, et etiam consistoriali, contra uniones, annexiones et incorporationes perpetuas, dismembrationes et separationes etiam aliter quomodolibet in genere vel in specie concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent praesentibus, pro expressis habentes, illis aliter in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu et scientia paribus, specialiter et expresse derogamus; quodque monasterium praedictum extra civitatem et dioecesim Venetiarum consistat, contrariis quibuscumque. Volumus

1 Ughell. addit *novissime* (R. T.).

autem quod propter unionem, annexionem et incorporationem praedictas, monasterium praedictum debitis non defraudetur obsequiis, sed illius et dilectorum filiorum conventus congrue supportentur onera consueta.

Clausulae poenales.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat, *etc*.

Executores praed. omnium delegat.

§ 13. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dilecti filii Ioannis et pro tempore existentis patriarchae Venetiarum desuper fueritis requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis[1] præsidio assistentes, faciatis auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter observari, ipsumque Ioannem et pro tempore existentem patriarcham Venetiarum, unione, annexione et incorporatione et aliis praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes unquam a quibuscumque indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; et legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si dilectis filiis conventui et vassallis dicti monasterii vel quibusvis aliis communiter ac divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

1 Deest *defensionis* (R. T.).

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, idibus martii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 martii 1588, pont. anno III.

CXXI.

Quomodo clerici regulares S. Pauli decollati novitios ad eorum Religionem admittere possint [1].

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exigit incumbentis nobis apostolicae servitutis officium ut monasteriorum et regularium locorum quorumlibet propagationi, pauperumque clericorum in eis pro tempore recipiendorum pio desiderio, quantum cum Deo possumus, providere studeamus.

Cavebatur in constitutionibus congregationis ne illegitimi, vel aere alieno gravati, vel facinorosi ad hanc Religionem admitterentur.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum praepositi generalis, ac presbyterorum et clericorum congregationis clericorum regularium sancti Pauli decollati canonice institutae petitio continebat quod alias per constitutiones dictae congregationis, quae cum interventu bonae memoriae Caroli tituli Sanctae Praxedis presbyteri cardinalis Borromaei nuncupati, dum viveret, ecclesiae Mediolanensis, ex dispensatione apostolica, praesulis, necnon dilecti filii nostri Ioannis Antonii episcopi Portuensis Sancti Georgii nuncupati, eiusdem congregationis protectoris, ad id accedente voto et consensu, factae et stabilitae extiterunt, inter alia sancitum fuit ne illegitime nati, etiam per subsequens matrimonium postea legitimati, æreque

1 De institutione huius congregationis et aliis quae eam respiciunt vide in const. XLV, Clemen. VII, *Vota*, tom. VI, pag. 160.

alieno gravati, et qui antea facinorosam vitam duxissent, in dicta congregatione admitterentur; aliaque diligens super hoc inquisitio, ipsaque receptio volentium dictam congregationem ingredi, in civitate Mediolanensi, ad quam post longam probationem a locis, in quibus praefati fuerint, propterea mittuntur, a praeposito generali et quatuor assistentibus eiusdem congregationis fieret.

Et ab isto Pontifice prohibita fuit receptio extra capitulum 1.

§ 2. Novissime vero nostra in perpetuum valitura constitutione super hoc edita, statuimus ac voluimus ut antequam quis in eadem congregatione reciperetur, causae huiusmodi examinarentur, ipsaque receptio in capitulo generali sive provinciali dictae congregationis fieri deberet, prout in singulis constitutionibus praedictis plenissime dicitur contineri.

Et quia ista congregatio quolibet tantum triennio cap. generale celebrat, et provinciale nusquam; ideo receptio venientium ad Religionem nimium protrahitur.

§ 3. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, presbyteri et clerici dictae congregationis nondum sint in provincias distincti, ac proinde numquam capitulum provinciale, generale vero singulo quoque triennio tantum facere ac celebrare soleat, sicque cupientes et petentes in ipsam congregationem recipi, cogantur expectare, donec ipsum capitulum fiat, mutataque postea eorum voluntate et pia intentione, aliam vitam eligant, in maximum congregationis huiusmodi damnum, praeiudicium et incommodum,

Congregatio itaque a Papa provisionem petit.

§ 4. Quare praepositus generalis, presbyteri et clerici praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex dat auctoritatem praeposito eiusque assistentibus, omni tempore venientes ad Religionem, et a sua constitutione non prohibitos, recipiendi.

§ 5. Nos igitur, dictae congregationis amplitudinem, et singulorum in illa profectum, inter ceteras nostri pastoralis officii curas, tota animi propensione cupientes, ipsosque praepositum generalem, presbyteros et clericos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac veriores nostrae et congregationis constitutionum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeposito generali, presbyteris et clericis praedictis, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus modernus et pro tempore existens praepositus generalis, illiusque assistentes, quoscumque cupientes in dicta congregatione recipi, qui tamen a constitutione nostra praedicta non prohibeantur, non expectato capitulo generali, sed quocumque alio tempore, de consensu omnium assistentium, nemine penitus discrepante, recipere et admittere libere et licite valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo indulgemus, eisque desuper licentiam concedimus et impartimur. Decernentes praepositum generalem, presbyteros et clericos praedictos nullatenus umquam desuper per quoscumque quomodolibet molestari vel impediri posse; ac ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus nostra praedicta, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino, *etc.*

Si quis autem, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, idibus martii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 martii 1588, pontif. anno III.

1 Ut supra in eius const. CXII, *Cum, de omnibus*, pag. 951.

CXXII.

Institutio praesidii ducentorum millium scutorum pro ubertate annonae in alma Urbe. [1]

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa institutionis huius praesidii.

Abundantes divinae gratiae divitias et incredibilem benignitatis ubertatem saepenumero recogitantes, quam super humilitatem nostram, ab ipso susceptae apostolicae servitutis initio, Ille dignatus est ostendere, qui solus dives est in misericordia, cogimur multorum beneficiorum tamquam ingenti pondere oppressi, cum sancto Propheta exclamare: *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* Etenim notum est omnibus, in quas rerum angustias et difficultates pontificatus nostri initia inciderint, cum infinita quadam exulum et facinorosorum hominum licentia omnia perturbata essent, cum rei frumentariae inopia omnis fere ditio sanctae Romanae Ecclesiae in temporalibus subiecta, et ipsa potissimum Roma magnopere laboraret, cum denique apostolicum aerarium ita exinanitum reperissemus, ut in summa pecuniarum difficultate versaremur; quibus tot incommodis nequaquam deterriti, sed Dei auxilio freti, Cui bona omnia accepta referimus, in eas omnes curas eodem tempore alacriter incubuimus. Quare, et compressa improborum audacia, tranquillitas publica restituta est, et aerarium abunde instructum, frumento statim non mediocri sumptu et labore suppeditato, annonae caritas ita sublevata est, ut eam copiam et abundantiam, quae postea, benedicente Domino, consecuta est et qua nunc fruimur, aequo omnes animo expectare potuerint. Fatemur tamen, paterna viscera nostra, quibus omnes fideles, sed praecipue eos, qui sunt in temporali dominio nostro, in Christo complectimur, nulla re magis commota esse quam illa annonae caritate. Nam in Urbe hominibus refertissima, si fames ingruat aut annona durior sit, pauperes maxime, quorum ingens est multitudo, vehementius conflictantur, qua ex re quam multa mala dimanent, nihil necesse est multis verbis explicare; cum plane perspicuum sit humanarum calamitatum caput esse famem, et quovis mortis genere acerbiorem. Quod quidem et miserabilis illa apud prophetam lamentatio declarat: *Omnis populus Eius gemens et quaerens panem.* Scientes igitur nos, licet immeritos, Eius locum in terris tenere, qui non solum panem supersubstantialem tribuit, quo anima reficitur, sed terrenum etiam panem, quo corpus quotidie sustentatur, quique in deserto semel et iterum misericordia motus est super turbas non habentes cibaria, eiusque apostolos suos panem divinitus multiplicatum distribuere iussit: Nos quoque, pro nostra pastorali sollicitudine, summopere cupimus, quantum cum Domino possumus, quam longissime providere, ut haec nostra alma Urbs, ad quam quotidie tamquam ad communem patriam nationes omnes confluunt, quamque omnibus commodis et ornamentis augere studemus, non solum rei frumentariae inopia nequaquam vexetur, sed uberiore potius copia et utilitate, quantum fieri potest, perfruatur. Nec vero ignoramus bonorum omnium largitorem Deum, qui fructum frumenti, vini et olei multiplicat, qui semen seminanti administrat, et panem ad manducandum praestat, sed illud etiam scimus a servo super familiam Domini constituto, et fidem et

1 Congregationem cardinalium super ista annona instituit hic idem Pontifex in constitutione CXVII, *Immensa*, pag. 985, in congregatione IV.

prudentiam requiri, ut det illi cibum in tempore, et in divinis scripturis pigrum ad formicam mitti, ut discat in aestate parare quod in hyeme comedat, et denique humanae providentiae adiumenta illa merito laudanda esse, quae ad Dei gloriam relata, eius in primis ope nituntur et in eo praecipue conquiescunt. Illud autem eleemosynae genus Deo gratissimum esse arbitramur, quod in commune distributum, ad omnium egestatem sublevandam maxime accommodatur. Quamobrem, nullis quamvis magnis impensis parcentes, et publicae praesertim pauperum utilitati opportune providere cupientes, praegrandem pecuniam seponere et certo in loco collocare decrevimus, quae annonae et abundantiae, quam appellant, perpetuo attributa sit, reique frumentariae copiae curandae et comparandae in posterum perpetuo deserviat.

Ducenta millia scuta hic Pontifex a sui ipsius et Cam. Apost. dominio abdicat, et piae causae pro annonae scilicet ubertate, perpetuo donat.

§ 1. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem fratrum consilio et assensu, ex certa nostra scientia ac de nobis attributae apostolicae potestatis plenitudine, ducenta millia scuta monetae ad rationem decem iuliorum pro quolibet scuto, ex pecuniis nostra parsimonia et frugalitate ac diligentia ad publicam utilitatem comparatis, apud dilectum filium Ioannem Augustinum Pinellum laicum Genuensem, nostrarum et Camerae Apostolicae pecuniarum depositarium, realiter et cum effectu deposita et collocata, prout de eorum reali et actuali receptione ac confessione et quietatione ipsius Ioannis Augustini publico instrumento per dilectum filium Tydeum de Marchis dictae Camerae notarium desuper rogatum, hodierno mane in eadem Camera confecto, plene constat, praedictae piae causae ad annonam pertinenti perpetuo applicamus, appropriamus et incorporamus, ac pro potiori cautela, titulo donationis, quae dicitur inter vivos, perpetuo valiturae, irrevocabiliter concedimus, donamus, elargimur, atque omnem praedictae pecuniae proprietatem, ius et dominium etiam a nobismetipsis et Camera Apostolica penitus abdicantes, eadem ducenta millia scuta ad parandam annonae copiam, sive illius penuriam, inopiam et caritatem sublevandam dumtaxat, nec in aliam causam, sive universam quantitatem sive illius partem, quaecumque illa fuerit, insumendam esse.

Easque pro aliis etiam vigentiori necessitate expendi prohibet. Nam pro aliis gravioribus indigentiis locupletissimum pecuniarium praesidium collegit, et in arce Sancti Angeli reposuit 1.

§ 2. Idque, etiamsi cuiusvis alterius rei propositae, aut de qua tunc esset agendum, maior urgeret necessitas, vel aliud expetere aut efflagitare praesens utilitas videretur, sancte et religiose omnino servari debere, de similibus consilio et assensu, auctoritate apostolica, tenore praesentium, pariter perpetuo statuimus et ordinamus. Siquidem ad certas alias urgentes et graves, quae contingere possent, indigentias vel necessitates, aerarium, benedicente Domino, locupletissimum, nostra etiam cura et sollicitudine partum et Deo dicatum perpetuo extabit.

Successores hortatur nedum huiusmodi pecuniam imminuant, sed in dies maiora praesidia praeparent.

§ 3. De iisdem vero pecuniis ad hanc maxime piam causam, omnibusque in Urbe degentibus atque ad illam undequaque confluentibus apprime salutarem, benigne et liberaliter iam per nos applicatis, donatis atque elargitis, sicuti de ceteris piis per nos factis largitionibus, aliter quam, ut praefertur, perpetuis futuris temporibus disponi stricte interdicimus et prohibemus, certa spe ducti Romanos Pontifices nostros pro tempore successores, ad annonae incommoda sublevanda paratam huiusmodi pecuniam nedum imminuturos, verum exemplo patriarchae Ioseph in Aegypto, dum ipsi veri Ioseph, qui est Christus Dominus, pro iniuncto munere locum obtinebunt in terris, nova

1 Ut supra in eius const. CVIII, *Anno*, p. 939 et const. XLIII, *Ad Clavum*, pag. 639.

adiumenta adversus famem illiusque incommoda esse laturos, ac pro eo quem erga Christi pauperes universi Status Ecclesiastici, ac praecipue sacerdotalem et regiam hanc Urbem, christianae religionis domicilium, beatissimorum apostolorum Petri et Pauli pretioso martyrio consecratam, gerere debent insigni affectu, alia in dies maiora subsidia praeparaturos esse.

Congregationique cardinalium per ipsum Pontificem super ubertate annonae nuper institutae, adhibitis secum thesaurario clerico annonae praefecto et commissario Camerae Apostolicae, administrationem huiusmodi pecuniarum committit.

§ 4. Ac praeterea congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, super ubertate annonae nunc et pro tempore deputatorum per nos nuper institutae, earumdem pecuniarum ad rei frumentariae atque aliarum cuiusvis generis frugum, quibus ad vitae humanae sustentationem indigemus, copiam et ubertatem, tam in Urbe nostra quam in universo Statu Ecclesiastico temporali parandam et providendam, adhibitis secum dilectis filiis Camerae Apostolicae thesaurario generali clerico annonae praefecto et commissario etiam generali. Ita tamen quod ipsae pecuniae in huiusmodi annonae usus, ad nutum et iussionem eiusdem congregationis, cum mandato a dicto praefecto, prout adhuc servatum est, expedito, nec alias erogentur vel expendantur, ac rursus sic erogatae vel expensae suo tempore recuperentur, liberam absolutamque administrationem, dictasque pecunias, si quando, peccatis populi id promerentibus, terrae sterilitas, quod Deus avertat, in temporali ecclesiastica ditione contigerit, ad convehendum aliunde commeatum, in toto vel in parte, per eosdem thesaurarium, annonae praefectum et commissarium erogari; ac rursus si quid tempore famis ex dicta summa decesserit, postea, ubi temporis opportunitas tulerit, illam redintegrari, atque ubi expedire videbitur, in aerarium apostolicum Castri S. Angeli referri et asservari, atque inde, quoties occasio postulaverit, libere depromi et extrahi eorum arbitrio faciendi. Ita tamen ut datorum et acceptorum rationes et computa, in Camera Apostolica singulo trimestri, in ipsa vero cardinalium congregatione singulis annis integre reddantur, plenam ac pariter liberam et omnimodam concedimus facultatem. Volentes eumdem Ioannem Augustinum et pro tempore existentem depositarium dictae pecuniae ad annonam pertinentis, in erogandis aut exigendis vel in unum redigendis pecuniis praedictis eam ob causam exponendis, aliorum quam dictae annonae praefecti mandato; in illis vero in dictum aerarium redigendis, seu inde extrahendis, aliorum quam dictae congregationis cardinalium aut eorum maioris partis ordinationibus et mandatis, etiamsi quascumque poenas aut censuras in se continerent, parere minime teneri, et quorumvis etiam aliorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, illiusque collegii ac Camerae Apostolicae iussa et imperium impune ea in re detrectare posse, quinimmo ipsum Ioannem Augustinum et pro tempore existentem depositarium, ab omni cuiuscumque alterius iudicis aut magistratus, quavis dignitate et auctoritate fungentis, superioritate et iurisdictione, quoad negocia ipsam annonam concernentia, prorsus eximimus et liberamus atque immunem constituimus. Inhibentes quibusvis iudicibus, praesidentibus et officialibus ne circa praemissa se intromittere vel ingerere, aut Ioannem Augustinum vel depositarium pro tempore existentem praedictos quomodolibet molestare, perturbare aut inquietare audeant vel praesumant.

Cardinales eiusdem congregationis executores huius constitut. deputat.

§ 5. Quocirca dictos cardinales nunc et pro tempore in eadem congregatione deputatos, eiusdem negocii protectores atque defensores, ad hoc ut in omnibus quae his litteris continentur, auctoritatem suam interponant, ac difficultates,

quae suboriri possent, removeant, perpetuo constituimus et deputamus, eisque per praesentes committimus et mandamus ut, quando et quoties opus fuerit, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, ac tam dicto Ioanni Augustino et depositario, qui pro tempore erit, quam aliis quibuscumque, quos praemissa concernunt et concernent in futurum, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant omnia et quaecumque in eisdem praesentibus litteris contenta, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari; contradictores et rebelles, per sententias et censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Successoribus indicat legem sibi impositam et decernit quod pro resarcienda pecunia hinc male deprompta licebit agere contra Pontificis contravenientis, et cardinalium ac aliorum, qui participes erant, posteros et coniunctos omnes, ad quos eorum bona quovis modo pervenerint.

§ 6. Siquis autem fortasse, quod vix nobis persuaderi potest, successorum nostrorum huic nostro statuto et ordinationi, palam vel occulte, contravenerit, atque constitutam pecuniam in alium quam praescriptum usum verterit, aut ab aliis eius auctoritate fretis id fieri passus fuerit, eum serio admonemus ut meminerit quam nobismetipsis quoad disponendum de huiusmodi pecuniis, nostra, ut praefertur, parsimonia et sollicitudine ad hoc publicum et pium opus comparatis, et intuitu pietatis, atque ad sublevandas Christi pauperum necessitates per nos applicatis et irrefragabilis donationis titulo, ut dictum est, concessis ac donatis, legem imposuimus, eamdem etiam ab ipso, qui ex debito pastoralis officii annonae ubertatem ad commune bonum subditorum summo studio procurare tenetur, inviolate servari debere; alioquin se in districto Dei iudicio suae administrationis et huius peculii ad piam huiusmodi causam destinati, si illud temere violaverit, ac damnorum et malorum, quae inde provenient, rationem fore redditurum; et praeter actionem popularem, quam adversus eos omnes, qui eorumdem participes fuerint, proponimus, quoniam publica in hoc laederetur utilitas, scire etiam volumus universos, post derogantis aut contra statuentis aut mandantis obitum, quibusvis Romanis Pontificibus successoribus licere et liberum esse, iis quae contra statuta aut mandata fuerint nequaquam obstantibus, etiam singulis de populo, sicuti in actionibus popularibus fit, ad agendum admissis, vel etiam nemine instante, pro resarcienda pecunia desumpta, illaque recuperanda, adversus Pontificis derogantis et contra facientis, atque cardinalium et aliorum quorumcumque, qui eius rei participes fuerint, posteros seu coniunctos omnes, quibus ab ipso Pontifice aut cardinalibus vel quibuscumque ex praedictis, bona quovis titulo aut quavis de causa obvenerint agere et possessionem bonorum, quae ad ipsos testamento vel ab intestato delata fuerint, apprehendere et retinere donec quicquid ex summa praedicta imminutum fuerit, id omne quam citissime, etiam per bonorum alienationem et distractionem, redintegretur, ac in pristinum restituatur. Ac propterea omnia bona praecipue huic oneri atque obligationi, cum ea quae publici iuris sunt, privatorum commodis omnino praeferantur, addicta esse.

Decretum irritans apponit.

§ 7. Sicque in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia, iudicari et definiri debere; necnon si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contige-

rit, irritum et inane decernimus et declaramus.

Clausulas derogatorias addit.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Camerae Apostolicae praedictae iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio, aut quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Formam et effectum publicationis huius constitut. subiecit.

§ 9. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perveniant, iubemus eas ad valvas Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe basilicarum, et in acie Campi Florae de more affigi et inibi ac in Camera Apostolica quamprimum publicari, ac earum exempla tam in praedictis locis affixa relinqui, quam etiam in libris ipsius Camerae describi, et ad perpetuam memoriam conservari. Quibus quidem exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem, in iudicio et extra illud, ubique fidem adhiberi volumus, quae eisdem praesentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctionem poenalem subiicit.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum approbationis, innovationis, decretorum, declarationis, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, XVII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Papae subscr.

✠ Ego SIXTUS catholicae Ecclesiae episcopus, subscripsi.

Sequuntur cardinalium subscriptiones.

Dat. die 16 martii 1588, pont. anno III.

CXXIII.

Quod vacent omnes ecclesiae et beneficia eorum qui ad dignitatem cardinalatus promoventur. Et quando eis datur retentio, intelligatur de beneficiis non requirentibus residentiam in loco, dictae dignitati non convenienti [1].

Vacent omnia beneficia per promotionem ad cardinalatum.

Sanctissimus dominus noster Sixtus Papa V decrevit quod per promotionem ad cardinalatum vacent omnes ecclesiae et omnia beneficia, cuiuscumque nominis et tituli sint, nisi fuerit data retentio; quae concessa intelligatur, et data ad patriarchales, metropolitanas et cathedrales ecclesias, ad monasteria etiam commendata, ad prioratus et ad cetera omnia alia beneficia, quae viderentur convenire dignitati cardinalatus.

Retentioque concessa intelligatur; ut in nota ad rubricam.

§ 1. Ad alia vero, quae videntur repugnare dignitati et gradui cardinalatus, puta archipresbyteratus, archidiaconatus, decanatus, canonicatus et similia beneficia, non extendatur, cum obtinentes huiusmodi beneficia teneantur residere in choro, et habere debeant locum post episcopum, cardinalis dignitati non convenientem.

Actum Romae apud Sanctum Petrum, die mercurii, XVI martii MDLXXXVIII, in consistorio.

Dat. die 16 martii 1588, pontif. anno III.

1 Alia de cardinalibus, vide supra in constitut. LXXVI, *Postquam*, pag. 808.

CXXIV.

Confirmatio omnium privilegiorum, indultorum, indulgentiarum et quarumcumque gratiarum locis ad sanctissimum sepulchrum dominicum spectantium, ac illa visitantibus, necnon fratribus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia in illis partibus degentibus quomodolibet concessarum, dummodo sint in usu, et decretis concilii Tridentini non adversentur [1].

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Piis fidelium votis, ex quibus praecipue sacratissimorum locorum venerationem et animarum salutem provenire conspicimus, libenter annuimus, et illa, quantum cum Deo possumus, favoribus apostolicis benigne confovemus, ac singulos christifideles ad loca huiusmodi devote visitanda indulgentiis et peccatorum remissionibus invitamus.

Causae huius confirmationis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius frater Mattheus Salernitanus, provinciae S. Iacobi in Compostella, Ordinis fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum professore, quod cum ipse commissarius et procurator generalis in universo orbe christiano ad recipiendas et recuperandas quascumque eleemosynas, tam ordinarias quam extraordinarias, ad sanctissimum sepulchrum dominicum et alia loca sancta transmarina spectantes, illasque tam reparationi ipsorum locorum, quam in sustentandis fratribus dicti Ordinis pauperibus in illis partibus divino obsequio insistentibus, prout necessitas exigeret, applicandas deputatus fuisset, ac officium huiusmodi spatio triennii vel circa quo dictas eleemosynas perpetuas et ordinarias in quingentis ducatis annuis pie sibi a diversis personis in partibus Hispaniarum, intuitu dictorum locorum, erogatis, adauxit, exercuisset; domum ad Urbem personaliter accedens, facto novo sui Ordinis capitulo generali, fuit in huiusmodi officio confirmatus; cumque postmodum ipse frater Mattheus aliquas eleemosynas a carissimis in Christo filiis nostris Rodulpho Romanorum imperatore, ac Philippo Hispaniarum rege catholico iam factas collegerit, et Deo adiuvante, ad praedicta loca transmarina, tam pro sua devotione, quam ut eorum statui et augmento provideat, se personaliter conferre, ac paramenta magni valoris ad ipsum sepulchrum dominicum transportare intendat, nobis humiliter supplicari fecit, ut ipsorum sacratissimorum locorum devotionem nedum conservare, verum etiam adaugere, ac christifidelium dicta loca visitantium, necnon pauperum captivorum in infidelium servitute in illis partibus detentorum, animarum saluti consulere, de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias ceterasque gratias spirituales et temporales eisdem locis ac illa visitantibus, necnon dicti Ordinis guardiano et fratribus in illis partibus degentibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem Apostolicam in genere vel in specie aut alias quomodolibet concessa, quatenus sint in usu, et decretis concilii Tridentini non adversentur, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, omnesque et singulos defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Et insuper modernis et pro tempore existentibus guardianis monasteriorum et regularium domorum dicti Ordinis et aliis sacerdotibus ab eisdem guar- Confirmatio indultorum de qua in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dianis approbatis, omnium et quorumcumque christianorum ad illas partes declinantium seu ibidem commorantium, ac etiam captivorum confessiones audire, illosque a quibuscumque peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, ac etiam contentis in litteris die Coenae Domini legi solitis, necnon a quibusvis excommunicationis et suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, iniuncta illis salutari poenitentia, in foro conscientiae absolvere, ac super quacumque irregularitate quomodolibet, praeterquam ex homicidio voluntario et bigamia contracta cum personis etiam in presbyteratus ordine constitutis, in eodem foro tantum dispensare, ita ut missas celebrare et alias in divinis ministrare valeant, necnon pro locorum et ministrorum ecclesiasticorum dictorum locorum opportunitate paramenta ecclesiastica benedicere possint et valeant, plenam et liberam ac omnimodam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, licentiam, potestatem et facultatem perpetuo concedimus et impartimur, eisque desuper indulgemus.

Confirmatio indulgentiarum.

§ 3. Praeterea de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus et in infidelium servitute detentis, vere poenitentibus et confessis, qui sanctissimum sepulchrum, montem Calvarium ac praesepe SS. Domini nostri devote visitaverint, plenariam; necnon iis, qui monasteria seu regulares domos dicti Ordinis, illorumque ecclesias et oratoria, tam in dictis locis quam in Constantinopolitana et aliis civitatibus et locis illarum partium, in Domini nostri Iesu Christi et B. Virginis Mariae, ac beatorum apostolorum, necnon eiusdem beatae Mariae Egiptiacae nuncupatae, et sancti Ioannis Chrisostomi nativitatum festivitatibus devote visitaverint, ac inibi pias ad Deum preces effuderint, quo die singularum festivitatum huiusmodi id fecerint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et elargimur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus regula nostra, per quam voluimus quod si ecclesiae et personis, quibus indulgentia conceditur, aliqua alia indulgentia concessa sit, huiusmodi litterae sint nullae; aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis, MDLXXXVIII, pontificatus nostri anno tertio.

Pub. die 9 aprilis 1588, pontif. anno III.

FINIS TOMI OCTAVI

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM

NUMERUS PAGINAM INDICAT — *a* PRIMAM COLUMNAM — *b* SECUNDAM DESIGNAT

A

B

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM

Gregorius XIII habet Constitutiones CLXXXIX.

Sixtus V hoc in tomo habet Constitutiones CXXIV.

IDEM CHRONOLOGICE DISPOSITUS

INDEX INITIALIS

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

R

S

T

U

V

INDEX RUBRICARUM

GREGORIUS XIII

SIXTUS V.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.

P. CLODOVÆUS A COSTILIOLIS Ord. Min.



